JONÆ SLICHTINGII de BUKOWIEC

COMMENTARIA POSTHUMA,

In plerosque

NOVI TESTAMENTI

Libros.

Cuncta hactenus inedita.

In duos Tomos distincta.

Quorum Catalogum versa pagina exhibet.

Quibus additi sunt tres indices copiosissimi, quorum primus est locorum S. Scripturæ, in hoc opere vel breviter vel prolixius explicatorum. Secundus est rerum memorabilium. Tertius Phrasium in hoc opere ex Vetere, præsertim vero ex Novo Testamento indicatarum.

Irenopoli, Sumptibus IRENICI PHILALETHII, post annum Domini CIↃ IↃ C LVI.

Catalogus Commentariorum Slichtingianorum, hoc volumine contentorum.

AD LECTOREM.

Commentarios hosce scripsi, Lector! non publico nomine; sed meo privato, quos nec publicæ subjicere potui censuræ, dispersis gravi persecutione Ecclesiis. Proinde nolim ullo dicto, ullâ sententiâ, Ecclesiam oneratam. A privato dictum est, quidquid dictum, scriptumve est. Quod si verum est, publicum est; si quid sit falsum, nollem dictum, & quamvis dixerim, pro meo non agnosco. Vale.

Exemplum Epistolæ

STANISLAI LUBIENIECII
de LUBIENIETZ,

Qua Viro cuidam Magno

Historiolam Commentariorum,

Et vitæ ac mortis

JONÆ SLICHTINGII p.m.

Pertexit.

GRatissimæ mihi fuerunt nuperæ literæ Tuæ, quibus Viri omnibus modis Nobilissimi *Jonæ Slichtingii* piæ memoriæ, nonnulla Tibi à me missa, gratissima Tibi fuisse apertè indicasti. Censes etenim Virum illum, pro ea quâ Dei munere præstitit, multa & solida eruditione, difficilia quoque S. Scripturæ loca secundum apertæ veritatis normam ita proposuisse, ut omnibus qui sanis Domini nostri Jesu Christi sermonibus, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ acquiescere voluerint, satisfactum esse merito dicendum sit. Tu quidem hæc pro eximia Tua eruditione & pietate inter pretiosissima κειμήλια repositurum, anxiè conservaturum, & ubi se opportuna occasio obtulerit, prompturum, polliceris. Cum autem plura ejusdem generis cognoscere desideres, æquum esse duxi rem à capite arcessendo vota Tua implere, & unà multorum aliorum, quos talium appetentes esse, probè novi.

Integrum abiit seculum, ex quo restituta puriori veritate cælesti Ecclesiæ Christianorum Catholicorum, sive Unitariorum (quos vulgi iniquitas in contrarium euntibus, Arrianorum & Photinianorum compellat titulis) ad Cracoviam propagari cœptæ, ad tollendum inveteratas, non tantum Ecclesiæ Romanæ in ritibus & moribus corruptelas, sed & omnes erroneas opiniones, magno ivêre animo. Exemplo namque multi Viri, pietate & eruditione præstantes, prodierunt, qui cum non solum blanditiis vel terriculis furentis, & magis magisque in præceps ruentis seculi, vinci se passi non fuerint, sed omnibus illis spretis & fractis, vel etiam calcatis, victores seculi extiterint, Invicti Heroës, & seculi domitores merito dicendi sunt. Nempe & Phocylide judice

Βέλτερος ἀλκήεντος ἔφυ σεσοφισμένος ἀνήρ
Præstantior robusto vir sapientia præditus.

Hi postquam ad purgandum & excolendum rigidum Ecclesiæ agrum, infinitis septum undique vepribus accesserunt, cælesti illo Satore, qui initio bonum & salutare verbi divini semen cordibus hominum inseverat, pios adjuvante conatus, feliciter brevi tempore adfectum opus promoverunt. Ita Ecclesiis per totam Poloniam & Lituaniam constitutis, animi hominum veritate magis magisque excoli, & pietate subigi gaudebant.

debant. Verum tamen hinc Deo homines, utpote creaturam rationalem, & omnium principem, libertati arbitrii relinquente, & terrenæ isti glebæ affixis ac ventri obedientibus, ut in horridis commentorum & vitiorum dumetis lateant permittente, illinc Satanâ, mille fraudum artifice, in perniciem humani generis ingeniosissimo, per Ecclesiæ campos audacter grassante, & errores ex erroribus serente, infinita adversariorum veritatis turbas viribus seculi armata, spiritualem illam agriculturam quovis modo pessum dare studebant. Quapropter & ensem Herodis, illius Agrippæ Majoris, quo Joannem & Jacobum peremit, pro illo verbi divini, quem Paulus Apostolus Heroi Christiano, panopliâ divinâ induto, in dextram porrigit, & D. Auctor ad Hebræos commendat, arripientes & vibrantes, sævire in insontes ausi sunt. Quod tamen non impedivit quo minus in excolenda portione agri à Domino sibi credita, illi haud segnes operarii strenuè laborarint, & impiis illis conatibus fortiter se opposuerint. Hinc tot disputationes contra adversarios veritatis, voce & scripto habitæ, & acria illa certamina, inermia tamen & innoxia, ac pugnæ sine cæde & vulnere, in agro Ecclesiastico commissæ. At hæ semper nonnisi convitia & calumnias, tum mulctarum irrogationes, carceres, proscriptiones, bonorum publicationes & exilia, mortes sævas præmii vice tulerunt, ab iis qui justo rationum pondere destituti, ideoque ad illa impotentis animi armamenta properantes, causâ se cecidisse manifesto æquis rerum judicibus monstrarunt. Ita tamen adhuc pugnatum est disputando, ut confessores veritatis Commentaria in varios Novi Instrumenti libros scribere minime neglexerint. Documento sunt Fausti Socini & Joannis Crellii (ut annotationes Valentini Smalcii in totum Novum Instrumentum nunc sileam) præcipuorum in Ecclesia nostra virorum opera, & hujus quidem posthuma multa ejus generis scripta, jam demum lucem publico bono vident. Secutus jam olim est, felicissime tám bonum Ducem Crellium *Jonas Slichtingius*, Vir & genere & eruditione & pietate Nobilissimus, in suis, quos ex prælectionibus Crellianis ante complures annos in epistolam ad Galatas & Hebræos edidit Commentariis. Qui quanto cum gaudio & fructu à veritatis pietatisque cultoribus excepti fuerint, non tantum tristis invidia, felici veritatis progressu marcessens, ruptaque obligans ilia testatur, sed & res ipsa docet. Videmus enim hos Commentarios in linguam Belgicam versos. Videmus & in Anglicam translatum illum ad Hebræos, cum hac inscriptione: *Expiator peccatorum*; & commendatione æqui censoris publica, *Hic liber est doctus, pius & lectu utilis.* Sed ecce justum Commentariorum ab eadem manu elaboratorum volumen! De quo nonnulla scitu digna, hic intra privatos amicitiæ nostræ libertati assuetæ parietes, dicenda sunt nobis, qui omnium ad Commentaria pertinentium circumstantiarum gnari & certi sumus. Non eo inficias à multo tempore multos nostrum ardentibus votis expetiisse ab Auctore [illegible], quem in eruendis Scripturæ S. etiam reconditis sensibus, & connectendis textus Biblici periodis noveramus felicissimum, in omnes Novi Instrumenti libros Commentaria. Sed virum excellentissimis naturæ & ingenii dotibus, tum exquisita rerum divinarum humanarumque, præcipue variarum linguarum notitia præditum, ac peregrinationis usu expolitum, ideoque huic rei perficiendæ aptissimum, & sacris alioqui studiis annorum circiter XL spatio unice deditum, & in postulata nostra facilem, operosæ Ecclesiarum, quarum præcipuas regebat, Racovianam scilicet & Luclavicianam, curæ, crebræ Ecclesiarum remotarum tanto monitore & censore constituendarum visitationes, tum vero & acria, quæ contra difficiles adversarios (Clementinos, Meisneros, Cichovios, Placæos aliosque) susceperat, certamina, impediverunt. Tum verò & calamitas proscriptionis, quæ illi occasione Notarum in Concionem D. Vechneri supra initium Euangelii Joannis, (nempe enim quod typographus transmarinus invidiæ metu, Racoviani, jure typographiæ injuria privatam, & Sebastiani Sternacii nomen ad se occultandum supposuerat, id in crimen & argumentum pœnæ ab illis, qui cum male facere velint, nunquam non causam inveniunt, tractum erat) ob confessionem fidei Christianæ secundum Symboli Apostolici capita, ipsis fere SS. LL. verbis conscriptam, orbi notam, in Comitiis Varsaviensibus

bus

bus. A. 1647 obtigit, malignum bonis ejus inſtitutis oppoſuit pedem. Namque his iniquitatis telis in eum vibratis, per aliquot annos Vir nobiliſſimo loco natus, & nullius criminis convictus, in patria exul, & in liberrima Repub. adverſariorum veritatis libidini obnoxius, incertis ſedibus vagari, & oras Transboryſthenias, Ponto Euxino & Moſchicæ ac Scythicæ barbariei vicinas, adire & incolere neceſſe habuit. Ubique tamen terrarum munia ſuæ vocationis circumtulit & obivit, & aliquot annis in Luclaviciano, inter perpetuum perſecutionis & mortis ipſius, quæ in proſcriptum cuique arbitraria fuit, metum, animum ſervans æquum, contra Placeum Salmurienſem Theologum, & Cichovium Jeſuitam ad annum ſcilicet 1655, multa pro veritate, multa cum laude conſcripſit. Sed poſtquam belli Suecici procella in patria An. 1655, & mox in diſſidentes à Romanis perſecutio coorta eſſet, Schlichtingius [illegible] ſub Regis Sueciæ (in cujus tunc partes tota prope Polonia juratâ fide tranſiverat) protectionem confugit. Cæterum & nonnulli alii, qui ſcilicet triſtibus aliquot Fratrum, crudeliter in regione monti Carpatho ſubjecta, occiſorum exemplis, ſed & ſævo edicto ſibi pariter & Suecis nuncium diræ mortis ferente, patriis laribus pulſi, ac terga ſua, plebe ruſtica in ſeditionem armata, acriter premente fugientes, cum in Ungariam & Sileſiam vicinam, tum ſeditioſorum fines regni obſidentium, tum egeſtatis in peregrino ſolo difficilius tolerandæ metu, recipere ſe non poſſent, idem facere neceſſe habebant. Quod commodam ante hac ruri hic illic agentibus præbuit tunc occaſionem, ut mox 1656 anno menſe Aprili ſeptem octove noſtrum inſtituto Collegio, ad nos in Scripruræ ſacræ intelligentia exercendum, operam & tempus converterimus. Cum autem tempus haud multum nobis reliquum eſſe, tum rebus in patria turbatis, tum ſi hæ componerentur, unoquoque noſtrum ſtationem rationemque vitæ ſuam animo cogitante, tum vero & Auctore ſexaginta annos prætergreſſo, prævideremus, ab hoc ſententiam rogati, quamnam potiſſimum Novi Teſtamenti partem explicari nobis optaremus, in Euangelium Joannis, tum principii ſingulari excellentia, tum eximia dictionis, præſertim in concionibus & ſermonibus Chriſti ante mortem habitis enarrandis, majeſtate & dulcedine præ cæteris merito commendatum, animo & ſuffragiis ivimus. Hujus explicationem, ſubeunte mœnia urbis cum exercitu Polono duce Joan. Dembinio de 18 Maji cœptam, non ſtatim ab initio, imo verſus finem demum ore Auctoris dictatam, ſed ex commentantis ore exceptam, ac die 23 Auguſti, decimo quarto ante ſecundæ obſidionis Zebridovianæ cum menſe Julij inchoatæ ſolutionem, finitam habemus. Hæc tamen demum Stetini Pomeranorum (quo dedita Cracovia An. 1657 ob magni ponderis rationes veniens, Auctorem, utpote Affinem cariſſimum, & ſemper parentis loco habitum An. 58 habui convictorem) ex meo exemplari tumultuarie conſcripto, ſive potius adverſariis, adornata, & die 8. Octobris An. 1659 durante obſidione, inter media belli tonitrua, ut ipſe Auctor in illis meis adverſariis annotat, perfecta eſt. Ita ut hicce in Euangelium Joannis, qui nihil magis quam charitatem ſpirabat, & ſcriptis ſuis inculcabat, commentarius inter medios belli in Polonia & Pomerania furores, & trinæ obſidionis ſtrepitus, Chriſto ſcilicet cæleſtiſſimo Magiſtro ſuos à mundo, ut omnibus vitiis, ita & bellis iniquiſſimis dedito ſegregatos, charitatem illam ſingularem & germanam, verorum ſuorum diſcipulorum notam, per hunc inſignem ſuum ſervum docente fuerit adornatus. Sed audi quæ & aliorum Commentariorum fuerit fortuna. Commentarius in epiſtolas Joannis (ita enim Auctori has Euangelio adjungere, & eodem curſu abſolvere viſum erat, nobis ſponte ductum ejus ſequentibus) die 24 Auguſti anni 1656, ſupra memorati adſectus, & exeunte menſe Octobri perfectus eſt. Interim decurrente menſe Septembri exercitus Polonus tertiam, & longe majori, utpote ex duarum priorum obſidionum damnis inſtructam paratu, inchoaverat, ductu Georgii Lubomirſcii, Magni per Regnum Mareſchalci, & Ducis Campeſtris, ideoque multo graviorem obſidionem, quique menſium ſpatio continuatam, ac tandem adventu Georgii Racocii Principis Tranſylvani ſolutam. Auctor vero noſter Commentarium in Epiſtolam ad Romanos die 31 Octobris inceptum, inter medios armorum ſtrepitus conti-

** nuatum,

nuatum, & solventibus die 10 Februarii 1657 obsidionem Polonis, in explicatione capitis octavi ad Romanos occupatus, quin & ipsa die 29 Martii, cunctis in salutando Principe Transylvaniæ, qui urbem & regiam pridie inıverat, occupatis, capitis decimi versum decimum tertium, (ut & minutiora Tibi cuncta huc spectantia pernoscere cupido recenseam) tanquam pensum gravissimum alacriter pertractans, cuncta temporum momenta ad sancti operis suscepti promotionem singulari revocans industriâ, die 6 Junii absolvit. Mox die 11 Junii Commentarium in 1 Petri epistolam orsus, & ad capitis secundi versum decimum nonum, Rege Poloniæ Joanne Casimiro cum exercitu Polonico & Germanico urbem obsidente, die 12 Julii perveniens, postridie nuncium triste de acerba filii morte accepit. Is nempe (quod inter illos privatos amicitiæ nostræ parietes referre tibi liceat) à Polonis militibus una cum altero juvene nobili captus, vitam potius, cujus cum jactura fidei & mortis cum ignominia junctæ optio data utrique erat, morte atrocissima exempli & beneficii à Servatore præstiti memores, quam conscientiam & veritatis professionem perdere maluerunt. Hoc tam sævo nuncio, mirum dictu! sed ita se res habet, me cuncta ab initio sedulò annotante, illa ipsa die ad aures suas perlato, Auctor magis in Filium Dei, quam in proprium Filium dilectionis memor, verba illa vers. 23 & 24: *Qui cum convitiis afficeretur, non vicissim convitiabatur, patiens non minabatur, sed tradebat ei qui justè judicat, qui peccata nostra ipse sursum tulit in corpore suo super lignum &c*, ex ordine instituto explicuit, & ad cuncta tristia invictum gerens animum, ac inter lachrymas solatia ex his verbis Apostoli & exemplo Servatoris deprompta miscens, egregium & memorabile patientiæ & constantiæ nobis omnibus præbuit exemplum. Tandem feliciter, non obstantibus obsidionis quartæ incommodis, commentarium illum die 13 Augusti absolvit. Postridie sine mora, temporis angustiam prævidens, commentarium in 2 Petri epistolam aggressus, ad versum primi capitis decimum septimum die 23 Augusti, jam dedita Polonis urbe pervenit. Atquè hic eum non *Plato*, sed dura necessitas *jussit quiescere*, cum urbs dispari, antiquo tamen & verò domino dominari esset cœpta, sed sub cujus præsidio non integrum ampliùs nobis erat æqua libertate religionis frui, qua parentes nostri Rege Sigismundo Patre ejus ante annos sexaginta septem, in illa ipsa regni metropolis & aliis urbibus Regiis gavisi fuerant.

Sed finem pietas contigit ista suum.

Atque his verè Christianis occupationibus assiduis integer annus cum trimestri nobis τῷ καιρῷ ἢ τῷ κυρίῳ monente Apostolo Rom 13. 11, (nempe enim & res ipsa, sed & ratio recta idem docet, unde Græcus Poëta Phocylides

Καιρῷ λατρεύειν μηδ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι.
Tempori servi, nec refla ventis.)

servientibus, & quietè, nec minus suaviter in cælestium contemplatione defixis, inter minas seculi transiit. *O felices omnes, qui*, sicut nescio quis vir pius cum veritate dixit, *ea agunt in terris, quorum usus perseverat in cælis!* Antequam ulterius progrediar, unum adhuc monere Te volui debuique, ad legenda illa commentaria Schlichtingiana properantem. Ne mirere Auctorem nostrum in hoc opere quandoque cum Hugone illo, re & nomine Magno, quo Inclyta Batavia meritò gloriatur quemque pium *Delphicum oraculum*, utpote patria *Delphensem*, vocare potest, consentire. Summo namque loco ponebat, & merito quidem, Virum Maximum & Incomparabilem, de quo dicere solebat, *Orbem Christianum per 15 amplius post Apostolos secula talem expectasse virum.* Ideò noster lectioni Annotationum ejus assuetus facilè potuit, ipsa utrumque ducente veritate, cum illo convenire. Cæterùm quod in Commentario in Euangelium Joannis

Joannis quandoque verba Grotiana veluti mutuata ponat, & eum κατὰ πόδας sequatur, me habes, Tu quidem, Amicorum integerrime! si quæ in eo culpa est, confitentem reum, ita vero confitentem, ut ingenuè agnoscam, me Annotata Grotii ante oculos semper habente, Schlichtingiana audita, cum Grotianis lectis, mente & calamo celeri miscuisse, postea verò cum Auctor illa mea adversaria Stetini emendaret, absentem (nam in Prussia tunc agebam) fuisse, nec Auctorem à reditu meo Stetini reperisse, & nec eum in Marchia degentem amplius, nec Commentarium, nisi post fata demùm ejus vidisse, ut taceam neutri nostrûm Grotium ad manus, sicut nec ullum Auctori, dum commentaretur, librum, præter Novum Instrumentum, præsto fuisse. Initium tamen Commentarii in Euangelii primum caput ad versum 29, datâ operâ conscripsit Auctor, & in adversariis post illa verba: *Et hic est totius istius & exordii & Euangelii scopus unicus*, sequentia adscripsit: *Hucusque Auctor ipse commentatus est: quæ sequuntur ex ejus ore inter explicandum Cracoviæ sunt à Stanislao Lubieniecio excepta, & ab Auctore ipso Stetini Pomeranorum deinde lecta, & recognita, imò tota alia facta.* Postquam verò Auctor Cracovia excedens in Möstichiano Generosorum Saccorum pago in Silesia, Poloniæ & Marchiæ finibus vicinâ, sito, sedem Anno 1657, exeunte Septembri fixisset, benè exorsam telam pertexens, Commentarium posterioris Petrinæ ibidem absolvit, & in 1 ad Corinthios septem capitibus absolutis inchoavit. Inde ob rumores & motus bellicos, sed & ob persecutionis metum, Stetinum die 10 Maji Anno 1658 veniens, ac mihi tanquam pater filio cohabitans, in componendis Commentariis felicitèr & assiduò pergebat. Atque ita ad initium Februarii 1660, urbis obsidione proximè præterito mense Novembri solutâ, ibidem permanens, commentarium in Euangelium Joannis & utramque ad Corinthios epistolam peregit. Dehinc tum uxore paulò post solutionem obsidionis orbus, tum novi belli in Pomerania motus metuens, tum denique liberis, è quibus tres filii & unica filia superstites erant, vicinior fieri volens, inde profectus est. Sed Deo patientiam Viri Sancti tot experimentis probante, Starogardiæ à præsidiariis Brandenburgicis, quòd ex urbe tunc inimica veniret, suspectus habitus & in vincula datus est, de Commentariis detentis, ut pretioso thesauro, maximè sollicitus. Inde jussu Electorali in castrum Spandaviense die 23 Februari perductus & custodiæ traditus, die 26 Februari commentarium in epistolam ad Ephesios inchoavit, eundemque ibi die 2 Aprilis finivit, invictum illum Heroa, ac Satanæ mundique victorem, non magis scripto quam opere pulcherrimè referens. Postridie commentarius in epistolam ad Colossenses (quam, utpote parallelam, præcedenti adjungere, & illi ad Philippenses, licet prius positæ, quin & prius scriptæ, præponere studio voluit) orsus, cum die 5 Aprili hora septima matutina verba illa cap. 1 vers. 13 explicaret, *qui eripuit vos ex potestate tenebrarum &c.* Sicut manu propria in adversariis adnotavit, redditum est illi diploma serenissimi Electoris, quo jussus est dimitti, ubi etiam brevem doxologiam in doxologia explicanda occupatus, *Deo gloria, innocentiæ meæ defensori!* apposuit. Mox Berolinum ad serenissimum Electorem se conferens, benigne, quâ laudatissimus ille Principum est clementiâ, admissus, innocentiæ & veritati præbuit testimonium, ac benignum accepit responsum, detentionem sui tempore dubiò factam providæ circumspectioni esse tribuendam, ideòque æquo animo ferendam: quo facto & mensæ Electorali adhibitus & liberaliter habitus est. Cum autem post aliquot dies in Aulam rediisset, Commentarios suos, quorum ardentissimo flagrabat desiderio, ex manu Principis Anhaltini, ad quem à Principe Vinariensi Stargardiæ præfectò erant missi, recepit, & tunc demùm se libertati priori ex integro restitutum esse professus est, postquam commodas occasiones de religione publicè & privatim colloquendi, & veritati Commentariis suis illustratæ testimonium dandi sibi fecisset, benignè quoque ad ultimum dimissus est. Illinc profectus Selichovianum, in domo Nobilis & Piæ Matronæ Elisabethæ Falkenrehdianæ sedem fixit. Ibi Commentarium in epistolam ad Romanos recognovit,

 & die

& die 10 Maji à cap. 1. ad Coloss. vers. 15 (huc usque enim munimento Spandaviano inclusus pervenerat) commentarium instaurans, eundem Kalendis Juniis: illum ad Philippenses postridie orsus, die 18. Junii: de hinc illum 1 Thess. die 22. Junii inchoatum, die 4. Julii absolvit. Hoc ipso die cœptum in 2 ad Thessalonicenses commentarium, sex dierum spatio finivit. Illi in priorem ad Timotheum dies 10. Julii, præfixione exilii tot innocentibus celebris, initium, dies 11 Augusti finem dedit. Commentario in poster. ad Timotheum dies 12mus. Augusti auspicium, dies 27. ejusdem mensis coronidem attulit. Mox illum in epistolam ad Titum die 28. Augusti inchoavit, die autem 10. Septembris ad finem perduxit. Tandem illa ipsa die commentarium in epistolam ad Philemonem cœptum, die 13 Septembris consummavit, & addidit: *Finivi per eandem Domini nostri Jesu Christi gratiam, quæ cum spiritu meo fuit Selichoviæ, die 13 Septembris* 1660. Atque ibi etiam post annum recognoscendis commentariis exactum, sed & cum morbo, quem impigro labore & vita sedentaria sibi accersivisse putabatur, fortiter conflictatus, placide tandem, cunctis, pone duos filios, Christophorum & Jonam sibi cognominem, tunc præsentes, & pietatis officiis in charissimum genitorem egregiè defunctos, benedictione impertita, nec absentium oblitus, obdormivit in Domino. Primus Novembris Styli Gregoriani dies ultimus vitæ ejus fuit; mox honesta sepultura in edita vinea Sacciana subsecuta. Quæ cuncta accuratius Tibi pro jure amicitiæ recensere volui, ut historiolam, non tantum Commentariorum, sed & præcipuorum vitæ ejus actorum, tum & exitûs tanti Viri, rudi penicillo inter tot curas totque labores adumbratam verius quam delineatam habeas, & videas quam bene vir pius, & divinæ gloriæ zelo flagrans, horas suas locare, & tempus, cujus solius honestam avaritiam & rationem reddendam esse veteres monuerunt Philosophi, & Plinius Senior singulari docuit multa cum laude exempla impendere, & officia vocationis suæ inter & contra adversa cuncta, animo intrepido & infracto exercere possit. Hos ille Commentarios tribus filiis, illis scilicet duobus & tertio Paulo, natu inter eos minimo, libros charissimos liberis charissimis, sed una & mihi & Joanni Preussio, fideli Jesu Christi servo, & Ecclesiæ ejus vigilantissimo Pastori, quem etiam ut filium dilexerat, commendavit. Cæterum quicquid nos quinque junctâ operâ & consiliis ac studiis hic fecimus, fecimus officium, Schlichtingii ut filii naturales, nos duo ut affectu filii, & curatores posthumorum operum designati. Nulli ergò nostrum debetur hic quidquam, at Deo plurimum, imò totum hoc quod est. Deus enim est, qui nos ad moliendos hos Commentarios Cracoviam (dicat quicquid velit invidia, quam virtutis umbram nemo mirabitur morabiturve, ad honesta vadens ipso contempto contemptu) coëgit, quos certè omnibus nobis per multum dissita loca dispersis, nec Auctorem ad eos pangandos efficaciter incitare, vel tam commodè juvare valentibus, nunquam habuissemus. Ita vel errores nostri rebus in patria adeò turbatis & confusis, occasione inevitabilis necessitatis (si qui fuerint, eventu in culpam facti transeunte, cum tamen nonnemo dicere non dubitarit: *Mea consilia sunt meliora, licet illius sint feliciora*) commissi, hoc egregio opere apud æquos rerum judices excusationem mereantur, par est. Deus est qui eos inter quinque obsidionum mala, & in mediis bellorum furoribus, ac in captivitate, à viro fortitudine Christiana prædito, componi voluit. Deus est, qui eos ita custodivit, ut & rapacium militum manus, & voracis ignis fortuiti sacrum opus amburentis, tantum ac veluti tangere non ausi violentiæ, ut de contagionis virulentia hic illic sæviente nil dicam, eripuit. Deus denique est, qui eos multis obicibus amotis in publicum prodire voluit. Hic autem pro eodem illo amicitiæ nostræ jure dicere Tibi debeo, id quod scire Tua intererit, & fortè aliorum multorum, qui etsi avidi horum lectores, tamen & severi Aristarchi forte futuri sint, & quædam in hoc opere censoria virgula notare velint. Profectò qui virum hunc, cui nascenti modestia & humanitas adstitere, noverant, fateantur necesse est, eum libenter judiciis aliorum se suaque, more semper apud nos observato, submissurum fuisse, quod etiam nonnulli, quos in hac tristi nostrûm dispersione

persione præsto habuit, experti sunt. Adeòque non offendisset eum limæ labor & mora, utpotè benè doctum facilè justam incurrere reprehensionem scriptum

—— —— —— Quod non
Multa dies & multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.

Cum autem plurima in hoc præclaro opere niteant, vel ipsa judice invidia, nemo paucis, si quas fortè repererit, offendetur maculis,

—— —— —— Quas aut incuria fudit.
Aut humana parum cavit natura —— ——

Quam æquitatis Legem Lyricorum Princeps præscribit, adeòque hanc cogitabit, ut & quod mox idem subjicit

—— —— Quandòque bonus dormitat Homerus,
Quippè opere in longo fas est obrepere somnum.

Quod ego tamen ex mente illorum dictum velim. Satis autem per legem æquitatis certus sum, nemini nostrum, tantò minus Ecclesiæ universæ, ullo jure imputari posse, etsi quædam in hoc libro erronea (sicut, fateor, nonnulla mutanda vel omittenda quibusdam nostrarum visa fuerant, aliis tamen, præcipuè hæredibus, iniquum id post fata Auctoris esse, judicantibus) inveniantur. Nam ex illa, licet brevi, at pia & docta, Auctoris præfatione, clarè patet, eum & Commentaria sua Fratrum censuræ se vivo, si id per dispersionem licuisset, submittere, sicut id quidam experti sunt, eademque non publico, sed suo privato nomine, cum illa censura fieri non posset edere, & si quid in eis à veritate alienum foret, nec pro suo agnoscere voluisse. Atque sic opus istud feliciter perfectum est, de quo meritò dicere queas:

Hic meret æva liber soliis: hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat ævum.

Nam & post fata per eum vivit, & vivus volitat per ora virûm. Unde vides, qua occasione & à quibus initiis, quave via, & inter quot quantaque impedimenta, & ad quod laudis fastigium opus istud pervenerit, divina scilicet favente gratia multis nominibus celebrandâ. Itaque ei, ut Patri luminum, à quo descendens omne bonum donum, omneque perfectum munus supernè est, quique non spiritum timiditatis, sed fortitudinis & charitatis ac sobrietatis huic quoque eximio servo suo dederat, illi dico, *Soli sapienti Deo, per Jesum Christum*, hoc etiam nomine dignæ debentur gratiæ. Is cunctis librum hunc lecturis det oculos ad videndum, & cor ad intelligendum, ut qua in re vitæ æternæ consequendæ, ipso Christo teste, ratio continetur, cognoscant illum, utpote *Solum verum* sive summum *& unum Deum*, *& quem ille misit*, ac humano generi Servatorem & Mediatorem unicum, ac summum Pontificem dedit, *Jesum Christum*. Is nos omnes in viis suis custodiat, Spiritu Sancto regat, & contra omnes blandientis & sævientis seculi tentationes roboret in iisdem, ac per eas ad æternæ beatitudinis perducat gaudia! Amen.

Vale, Vir Magne! Amice integerrime! & à me hîc Tibi pro jure amicitiæ dicta boni & æqui consule. Dabam Hamburgi die $\frac{14}{24}$ Junij 1665.

EPITAPHIUM

Viri Nobilissimi, Reverendi & Clarissimi DOMINI

JONÆ SCHLICHTINGII DE BUCOWIESZ
Theologi Excellentissimi.

JONAS SCHLICHTINGIUS DE BUCOWIETS
LUMEN ECCLESIÆ
PATRIÆ
FAMILIÆ
EGREGIUM PIETATIS CHRISTIANÆ EXEMPLAR
INSIGNIBUS LABORIBUS
PRO VERITATE DEI GNAVITER EXANTLATIS,
ACRIBUS PERSECUTIONIBUS
PRO EADEM FORTITER TOLERATIS,
VIVA ET FIRMA FIDE
SERVATORI SUO AD EXTREMUM SERVATA,
INDUBITATA SPE
RESURRECTIONIS ET GLORIÆ FILIORUM DEI FULTUS,
AD SPIRITUS JUSTORUM CONSUMMATOS
RELICTO HIC TERRENO TABERNACULO,
IPSIS KALENDIS NOVEMBRIBUS
ANNO SALUTIS CIϽ IϽC LXI.
ÆTATIS LXIX.
TRANSIVIT.

COMMENTARIUS
IN
priorem Epistolam Apostoli
PAULI
AD
CORINTHIOS.

CAPUT I.

P *Aulus vocatus Apostolus.* Docet se vocatum, nempe a Jesu Christo, ad hoc esse, ut ejus esset Apostolus, & sic non a se ipso vel ab hominibus intrasum, sed verum ac legitimum esse Jesu Christi Apostolum. Hinc ad Galatas vocem *vocati* non addit, quia se non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem Apostolum dicit cap. I. I.

Per voluntatem Dei. Adjungit & hic Dei ipsius voluntatem, ut doceat, se Deo volente Apostoli munus a Christo accepisse, ne quis Paulum aliquid divinæ voluntati contrarium docere suspicetur.

Et Sosthenes frater. Non jam Apostolus, sed frater, nempe in Christo Jesu, propter communem Christianorum fidem, quem Apostolus adjungit tanquam virum eximium, & sibi tunc comitem, de quo vide Act. XVIII. 17.

Vers. 2. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi.* Non hominum Ecclesiæ seu concioni, sed Dei, in quam nemo jus habet præter Deum, & quæ non alios in usus, quam in divinos congregatur.

Sanctificatis in Christo Jesu. Docet quos homines Ecclesiæ Dei nomine designet. Ideo *sanctificatis* dicit, non sanctificatæ, τοῖς ἡγιασμένοις Christianos intelligit, qui *in Christo Jesu*, quatenus scilicet sanctissimam ejus disciplinam amplexi sunt, sanctificati, id est, a profanis hominibus & moribus & institutis, ad veri Dei cultum & vitam Deo dignam segregati sunt. Hæc Christianorum vocatio & professio est. Significat solos Christianos Ecclesiam Dei esse, eosque non semper sparsos manere; sed subinde Ecclesiam, id est, concionem & congregationem facere debere, quo tanto melius & divinæ gloriæ, & sibi invicem possint consulere, & mutuo amoris vinculo tanto fortius constringi.

Vocatis sanctis. Sanctum esse sanctificationis effectus est: sancti sunt Christiani, quatenus religionem Christi & dictis & factis seu opere ipso exercent Vocati autem sunt, nempe a Deo & Christo ad hoc ipsum per Euangelium. Non ipsi arripuerunt Christi fidem & religionem Deo invito ac nolente, sed volente & ad eam vocante. Hoc imprimis gentium & incircumcisorum causa additur.

Cum omnibus &c. Adjungit Corinthiorum Ecclesiæ omnes alios Christianos, non quod epistolam hanc ad eos dirigat, sed quod eos in sequenti gratiæ & pacis precatione ac voto simul includat.

Invocantibus nomen Domini nostri Jesu Christi. Id est, Jesum Christum, nomen rei pro re, sic nomen Dei pro Deo ipso, idque etiam in hac ipsa locutione. Respicit enim Apostolus ad Joëlis dictum, omnis qui invocaverit nomen Domini salvabitur: quæ verba de Deo dicta, merito Apostolus ad Jesum Christum, tanquam Dominum nostrum, nobis a Deo datum, refert, quod & in epistola ad Rom. cap. X. 13 facit, quia qui Dominum hunc invocat, ipsum Deum, qui eum Dominum effecit, invocat. Unde etiam apparet, invocare nomen Domini nostri Jesu Christi, hoc loco esse ad ipsum preces & vota dirigere. Neque enim alio sensu hæc verba de Christo dicuntur, quam de Deo. Et quo alio fine Dominus noster esset Jesus Christus, nisi ut a nobis invocaretur in necessitatibus constitutis, & maxime ut nos servaret.

In omni loco. Significat se locorum omnium Christianos intelligere, simulque docet, Christum omnibus in locis invocari posse, & ubicunque sunt Christiani, invocari.

Et ipsorum & nostri. Explicat illud *Domini nostri Jesu Christi*: quasi dicat, & ipsorum, inquam, & nostri Domini. Non alienum dominum invocant, sed & suum. Communis enim Dominus est omnium Rom. X. 12. Describit Christianos a proprio ipsorum facto. Neque enim ulli alii mortales Jesum Christum tanquam Dominum a Deo factum invocant, præter Christianos: ad quod faciendum nihil est opus ut ullis stringantur præceptis. Ipsa Jesu Christi,

 nobis

nobis tot vinculis conjuncti cognita majestas & cujusque necessitas, & certissima omnia ab ipso obtinendi spes, cuique maximo est incitamento, & majori quam ullum præceptum.

Vers. 3. *Gratia vobis.* Scilicet Corinthiis Christianis, cum omnibus aliis Christianis, per pleonasm. jam enim nominaverat quos salutare vellet.

Et pax. Effectus gratiæ, scilicet obtingat, eveniat.

A Deo. Nempe simpliciter & absolute sic dicto, proinde illo uno.

Patre nostro. Docet quis sit unus ille Deus, non alius quam pater noster, a quo etiam merito, nec frustra, gratiam, ejusque effectum, quippe a patre nostro, precatur & vovet. Pater autem noster dicitur, quod nos respectu fidei nostræ genuerit, & sic genitos pro filiis & hæredibus suis adoptarit.

Et, intellige ἀπὸ τοῦ, *a domino Iesu Christo.* Deo patri nostro adjungit dominum Jesum Christum, ob id ipsum, quod sit dominus omnium a Deo effectus, in cujus manu & gratiam & pacem & omnia gratiæ suæ effecta Deus esse voluit, & in quo solo Deus noster pater est. Qui Christi invocationem impugnant, verbis istis in Græco textu Deum patrem nostrum & domini Jesu Christi dici ajunt, sed illis locis refutantur, in quibus pronomen ἡμῶν ad vocem patris non apponitur 2 Tim. 1. 2. Tit. 1. 4.

Vers. 4. *Gratias ago Deo meo.* Nam, qui omnium Deus communis est, etiam suus cujusque est. Cæterum ista gratiarum actione pro beneficiis in Corinthios fratres collatis, testatur suum singularem erga illos amoris ac benevolentiæ affectum.

Semper. Id est, quoties istius rei tempus & occasio est.

Pro vobis. Nempe ut statim explicat,

Super gratia Dei. Hactenus enim pro iis gratias agebat, quatenus id faciebat super gratia, id est, pro gratia Dei illis data. Intelligit enim gratiæ divinæ effecta, per metonymiam, Dei dona ac munera spiritualia. Ideo gratiam hanc datam esse dicit.

In Christo Iesu. Id est, per Christum Jesum, tanquam dominum & caput nostrum.

Vers. 5. *Quia* &c. Explicat hanc gratiam ipsis datam per Christum Jesum, *quia*, inquit, *in omni*, nempe, ut mox ipsemet exponit, *in omni sermone & cognitione.* Particula *in* redundat more Hebræo.

Ditati estis in ipso. Id est, per ipsum, nempe per Christum Jesum. Significat eos omnia edoctos esse, quæ ad Dei & Christi cognitionem pertineant: quæ profecto veræ & maximæ sunt divitiæ. Sermonem & cognitionem conjungit tanquam causam & effectum; sermo est eorum qui docent, cognitio eorum, qui docentur.

Vers. 6. *Sicut testimonium Christi.* Id est, de Christo, per genit. objecti. *Confirmatum est in vobis.* Id est, inter vos: quasi dicat, tam plene & perfecte edocti estis omnia, quam plene & perfecte testimonium de Christo inter vos est confirmatum.

Vers. 7. *Adeo ut non deficiatis in ullo dono.* Exponit quomodo, seu quam pleno & perfecte id factum sit, adeo, inquit, ut non deficiatis in ullo dono, nempe Spiritus Sancti. Omnia vobis Spiritus Sancti munera contigerunt per manuum Apostolicarum impositionem. Nulla enim re magis confirmabatur Apostolorum de Christo testimonium, quam quod per manus illorum variæ Spiritus S. distributiones fierent inter eos, qui testimonio & prædicationi eorum fidem adjungebant, & in Jesu Christi nomen baptizabantur Heb. 2. 4. Pertinet huc & locus 2 Cor. XII. 11, 12, 13.

Expectantes. Quasi dicat, interea dum expectatis revelationem Jesu Christi, habetis a Deo per eundem Jesum Christum hæc Spiritus Sancti pignora.

Revelationem Domini nostri Iesu Christi. Nempe quando veniet cum gloria patris sui, omnibus sanctis Angelis stipatus.

Vers. 8. *Qui.* Nempe Deus, de quo principaliter loqui cœperat ℣. 4. *Et confirmabit vos usque ad finem.* Quasi dicat. Idem qui bonum opus in vobis cœpit, & confirmabit vos in eodem bono opere, nempe in fide, & quæ fidem consequitur, pietate Christiana.

Usque ad finem. Qui idem est cum fine vitæ & seculi præsentis.

Irreprehensibiles. Id est, ut sitis irreprehensibiles.

In die Domini nostri Iesu Christi. Quo scilicet revelabitur. Illi enim demum irreprehensibiles erunt in die Domini nostri Jesu Christi, qui ad extremum persistunt constantes in fide ac pietate.

Vers. 9. *Fidelis Deus.* Intellige *est.* Causam affert istius asserti. Quasi dicat, quia Deus est fidelis.

Per quem. Non tanquam per causam mediam, sed tanquam per causam primam & principem. Neque enim est ulla causa Deo superior, & particula *per* omne genus causæ significandi vim habet.

Vocati estis in communionem filii ejus Iesu Christi Domini nostri. Id est, in societatem, & consequenter ut communionem regni ejus cælestis, quod filio suo Jesu Christo Domino nostro dedit habeatis. Vel, ut communionem filii ejus Jesu Christi habeatis: eo nimirum modo quo subjecti communionem habent regis. Summa fide vos in hanc communionem vocavit, summa fide etiam aget, ut vocationis istius effectu potiamini, dummodo vosmetipsi vobis non desitis.

Vers. 10. *Rogo autem vos*, vel *admoneo*, παρακαλῶ. Divinæ gratiæ & fidei erga ipsos, recte subjicit quod ad illorum spectat officium. Neque enim quisquam putare debet, Deum ita omnia in nobis perfecturum esse, ut nobis ipsis interea otiari, vel quidlibet aliud agere liceat.

Fratres. Quippe communem patrem Deum in Christo mecum habentes.

Per nomen Domini nostri Iesu Christi. Quasi dicat, quod vobis sanctum & inviolabile debet esse, violaturi illud & temeraturi graviter, nisi meæ obsecrationi & admonitioni morem gesseritis.

Ut idem dicatis omnes. Nempe id quod verum est. Verum enim unum est.

Et non sint in vobis. Id est, inter vos, *schismata*, scissiones, in partes nimirum & factiones diversas.

Sitis autem perfecti in eadem mente. Id est, perfecte unanimes, communi bono unice studentes.

Et in eadem sententia. Id est, perfecte consentientes, ut quæ unius est vera sententia, eadem sit & omnium, in omnibus, idque constanter. Ex animorum unitate facile & sententiarum consequitur unitas, ex ὁμονοίᾳ consequitur & ὁμοδοξία. Merito ad hæc per Jesu Christi Domini nostri nomen obsecratur Christianos. Nihil enim Christi nomine dignius est,

quam

quam hæc unitas animorum & sententiarum inter Christianos, nihil eodem nomine indignius, & Christianis perniciosius, quam animorum & sententiarum inter ipsos dissidia. Hinc Christus nihil magis discipulis suis à Patre precatus est, quam perfectam & animorum & sententiarum unitatem Joan. XVII. Sed proh dolor! privati commodi & vanæ laudis amor, Christianos in infinitas egit dissensiones & sectas.

Vers. 11. *Significatum est enim mihi* &c. Causam affert istius moniti.

Fratres mei. Quamvis inter vos studiis & sententiis scissi.

A domesticis Chloës. τῶν τῆς χλόης, ellypsi græca intelligi possunt vel liberi vel alii Chloës domestici.

Quod rixæ in vobis. Id est, inter vos sint, quæ certe non aliunde, quam ex animorum & sententiarum diversitate oriuntur. Dum quisque suam rem agit, suam sententiam adversus alterum vanæ laudis amore propugnat.

Vers. 12. *Dico autem hoc.* Explicat quid sibi velit, & quas rixas designet.

Quod quisque vestrum dicit. Non quisque ipsorum dicebat quæ sequuntur omnia, sed quisque ipsorum dicebat unum aliquod ex illis:

Vel: *Ego quidem sum Pauli.* Intellige discipulus et sectator:

Vel: *Ego vero Apollo*, vel, *ego vero Petri*, vel, *ego vero Christi.* Nimirum omnes in Ecclesia illa morbus hic pervaserat, & prout quisque ducem ac magistrum erat nactus in fide Christiana, sic se illius esse discipulum ac sectatorem contra alium ferebat. Ascendit autem Apostoli oratio, & se in primo, id est, iusimo gradu collocat: ut hoc ipso doceat, quam exiguum sibi esset aliis præponi aut etiam postponi ab hominibus.

Vers. 13. *Divisus est Christus?* Coarguit hoc ipsorum factum. Quasi dicat, quid dividitis & in partes scinditis Christum? Nam cum omnes Christi sitis, quid vos alii aliis sub nomine vel Pauli, vel Apollo, vel Petri, vel Christi opponitis, & ex uno corpore partes, animis studiisque diversas, facitis.

Num Paulus crucifixus est pro vobis? Alio argumento ipsos redarguit. Se quidem solum nominat, quia de humiliatione agit, sed ex se exemplum vult sumi de aliis. Ratio enim quam affert, aliis cum ipso communis est. Quasi dicat, quid vos Pauli esse dicitis, & hoc nomine vos contra alios Christianos effertis & jactatis? An Paulus pro vobis crucifixus est? Id est, an se pro peccatis vestris in crucem agi passus est, ut pro iis victima factus, vos eorum reatu ac pœna solveret, & in æternæ vitæ jus assereret? Hoc solus Christus fecit, ut vos suos faceret, & suo sanguine sibi soli Emeret ac vindicaret, quippe ex morte revocatus in vitam, & rerum omnium Dominus effectus. Significat omnes esse Christi, proinde neminem se dicere debere Pauli aut Apollo, aut Petri, aut etiam ipsius Christi, ita ut se hoc nomine ab aliis distinguat, quibus postremis simillimi aut iidem potius sunt, qui communi & vulgata Christianorum appellatione fastidita, societatis Jesu nomen præ cæteris Christianis peculiariter sibi usurpant.

Aut in nomen Pauli baptizati estis? Alio adhuc argumento idem factum confutat. Baptismus erat ritus, quo discipuli in nomen ducis & magistri sui initiabantur, & hoc nomine sese ab aliis omnibus distinguebant, hujus solius sese discipulos ac sectatores ferentes, hunc præferentes cæteris omnibus magistris, & consequenter sese etiam propter ipsum, omnium aliorum discipulis. An igitur, inquit, in Pauli nomen baptizati estis? An non omnes in nomen Christi, seu quod idem est, in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti, quorum ille docuit per Filium, Filius in cœlum assumtus per Spiritum Sanctum cælitus demissum, cujus organa & instrumenta tantum erant Apostoli, aliique primi Christianæ veritatis & pietatis doctores. Proinde non illorum nominibus, ac ne quidem Christi ipsius, inter sese distingui debent discipuli, sed omnes sese Spiritus Sancti, qui in omnibus idem erat, proinde Patris & Filii solius discipulos & sectatores ferre, & hoc solo nomine sese a cæteris omnibus hominibus distinguere. Diversos adhibuit Christus doctores, sed quia omnes unius Spiritus Sancti instinctu locuti sunt, diversis eorum nominibus in diversas appellationes, multo vero minus partes & factiones, haudquaquam scindi voluit discipulos. Unde apparet, quam perperam faciant qui sese Papistarum aut Lutheranorum, aut Dominicanorum, aut Franciscanorum, aliorumque similium nominibus distinguunt, vel, solius Christi discipulos, soliusque Christi nomen professos, variis aliorum auctorum nominibus infamant. Docemur etiam hoc Apostoli loco, baptismi ritum in Ecclesia retinendum esse, quo sciant omnes, in cujus nomen initiati sint, & coargui possint si quid contra baptismum peccent. vid. Rom. VI. 3, 4. Col. 2. 12.

Vers. 14. *Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi.* Intellige meis manibus.

Nisi Crispum & Gajum. De Crispo vide Actor. XVIII. 8. de Gajo Rom. XVI. 23.

Vers. 15. *Ne quis dicat.* Causam addit, cur hoc nomine Deo gratias agat, quia hoc eo facit, ne quis dicat.

Quod in meum nomen baptizaverim. Istorum enim qui baptizarunt testimonio facile hæc calumnia refelli posset.

Vers. 16. *Baptizavi autem & Stephanæ domum.* Hoc addit per correctionem, non dubium, quin & ipso Stephana incluso. vid. cap. XVI. 16, 17.

Reliquum, de cætero, *nescio si quem alium baptizavi.* Non simpliciter negat se ullum alium baptizasse, sed negat se scire & meminisse.

Vers. 17. *Non enim misit me Christus baptizare.* Nempe propriis manibus, cum nec ipse propriis baptizaverit manibus. Causam superioris dicti addit, ne quis putet Apostolum in officio suo negligentem fuisse, & eo nomine Deo gratias haud debuisse agere. Non negat se missum a Christo ut baptismi curam habeat; (Videmus enim illum a baptismo argumentum ducere; & unde factum esset ut omnes baptizarentur?) sed negat se missum esse, ut tam propriis manibus baptizaret, quam missus erat ut proprio ore Euangelium prædicaret.

Sed Euangelium prædicare. Docet se Christi Apostolum esse, proinde Petro muneris & officii dignitate nihilo inferiorem, Apollo autem etiam superiorem.

Non in sapientia sermonis. Id est, non per sapientiam quæ in sermone consistat: ut nimirum in Euangelii

prædicatione, ſermone ſeu oratione utar docta, ornata, ex rhetorum præceptis compoſita. Tangit cauſam, ob quam Apollo a quibuſdam præferretur Paulo. vid. 2 Cor. 11. 6. *Ut non evacuetur crux Chriſti.* Docet quo fine in hac ſermonis ſapientia Euangelium non prædicet, ne ſcilicet crux Chriſti evacuetur, id eſt, vi ſua privetur, quam habet in aliis avertendis, in aliis convertendis.

Verſ. 18. *Sermo enim crucis &c.* Rationem adfert dicti, quia, inquit, *ſermo crucis*, id eſt, de cruce, nimirum Chriſti, ut modo dixit.

Iis quidem, qui pereunt. Propterea ſcilicet quod Euangelio credere nolint.

Stultitia eſt. Id eſt, eorum qui pereunt, judicio ac ſententia ſtultam rem continet. Stultitia ponitur pro re ſtulta, per metonymiam cauſæ. Nihil illis ſtultius videtur, quam Chriſtum illum Dei crucifixum eſſe, & eum qui crucifixus ſit, ex mortuis ſuſcitatum, & Chriſtum Dei ac omnium rerum Dominum, ab omnibus colendum, adorandum, invocandum effectum eſſe. Significantur autem maxime ſapientes hujus ſeculi, quorum ſapientia facit, ut ſtultitiæ aliquid damnent, quia ſcilicet cum ſapientiæ eorum principiis non congruat.

Qui vero ſervamur nobis. Nempe propterea, quod credimus, id eſt, noſtro judicio ac ſententia.

Potentia Dei eſt. Id eſt, rem continet maximæ Dei potentiæ, ſimiliter per meton. cauſæ. Sic Rom. 1. 16 Euangelium dixit eſſe Dei potentiam, ſicut hic ſermonem crucis. Sermo enim de cruce Chriſti ſimul continet ſermonem de ejuſdem reſuſcitatione ex mortuis, & ſuper omnia exaltatione, qua in re immenſa Dei potentia cernitur, de qua vide Eph. 1. Ne igitur vim iſtam crux Chriſti utramque in partem amittat, & ut diſcrimen inter probos & improbos appareat, utque pereant qui perire ſunt meriti, & ſerventur qui ſervari ſunt digni, idcirco in Euangelii prædicatione ſermone utor ſimplici. Nam ſermo doctus & ornatus, ſeu ſapientia ſermonis, rei illam, quæ ſapientibus hujus ſeculi in Chriſti cruce videtur, ſtultitiam poſſet tegere, & illi qui ſervantur, videri poſſent, non tam Dei, quam in Chriſti cruce agnoſcunt & admirantur virtute ac potentia, quam ſermonis ſapientia ad fidem adduci.

Verſ. 19. *Nam ſcriptum eſt &c.* Cauſam affert, ob quam Deus rem hujus mundi ſapientibus ſtultam annunciari velit. *Quia*, inquit, *ſcriptum eſt*: quaſi dicat, quia Deus hoc ſeſe facturum prædixit, quæ Dei verba ſcriptura ſacra conſignata ſunt.

Perdam ſapientiam ſapientum &c. Recitat Dei verba. *Perdam*, id eſt, per meton. effecti, inanem & ſtultam faciam, quæ enim talia ſunt perdenda ſunt. *Sapientiam ſapientum*, nempe hujus ſeculi, ut ſequenti commate additur, ſapientia ſapientum hujus ſeculi in eo eſt, ut rem deducant ex principiis naturalibus, conſentanea ex conſentaneis. Deus res contrarias, crucem & gloriam, eamque cæleſtem, in Chriſto combinaturus erat: hoc dum ſapientibus hujus mundi ſtultum videtur, quia id nec vident, nec iſtius rei naturales ullæ cauſæ ſunt: ipſimet cum omni ſua ſapientia ſtulti facti ſunt.

Et intelligentiam intelligentum rejiciam. Quippe ſtultam & inanem: quid enim ſtultius eſt, quam colligere, Chriſtus eſt, ergo crucifixus non eſt, aut, crucifixus eſt, ergo Chriſtus non eſt.

Verſ. 20. *Ubi ſapiens?* Id eſt, quid juvat ſapientem ſua ſapientia? fidebat ſuæ ſapientiæ, ubi nunc eſt? inſipientiſſimus omnium effectus eſt.

Ubi ſcriba? γραμματεύς. Literatus, doctus; quid juvat doctum ſua doctrina?

Ubi diſputator hujus ſeculi? Id eſt, qui in hoc ſeculo pro diſputatore habetur, qui omnia ex principiis naturalibus diſputat, nec quidquam admittit, niſi quod vel ſenſibus percipit, vel ex principiis naturalibus concludit. Seculum hoc opponit alteri ſeculo.

Nonne infatuavit Deus ſapientiam mundi hujus? Cauſam affert ſuperiorum, quia ſcilicet Deus infatuavit ſeu fatuam reddidit ſapientiam mundi hujus, id eſt, qu in hoc mundo pro ſapientia habetur, dum ea vera & ad ſalutem creditu neceſſaria fecit quæ ſapientia mundi hujus vana & fatua judicat. Mundum hunc opponit mundo alteri, & ſapientiam mundi hujus ſapientiæ mundi alterius.

Verſ. 21. *Quandoquidem enim* &c. Docet merito id Deum feciſſe.

In ſapientia Dei. Id eſt, per opera Dei ſapientiſſima, per metonymiam cauſæ: per mundi totius opificium.

Non cognovit mundus. Id eſt, homines, per ſynecdochen partis, & hominum maxima ac præcipua pars, paucis, illorum reſpectu, exceptis.

Per ſapientiam. Nempe ſuam, qua unum ex alio, & imprimis cauſam ex effectis colligunt, quam jactant, cujus ſe amatores dicunt.

Deum. Id eſt, Deum eſſe rerum omnium ſapientiſſimum ac potentiſſimum opificem, proinde æternum, unum, beatum, bonum, omnium providum, omnium dominum, ab omnibus colendum, nullis ſimulacris ab hominibus effingendum, qui bonis bene faciat, malos puniat & perdat.

Bonum cenſuit Deus, εὐδόκησεν ὁ θεὸς. *per ſtultitiæ*, id eſt, rei judicio ſapientum hujus mundi ſtultæ, per metonymiam cauſæ & mimeſin.

Prædicationem, ſervare credentes. Nempe huic prædicationi. Explicat τοὺς σωζομένους, eos qui ſervantur. Unde conſequitur τοὺς ἀπολλυμένους eos qui pereunt, eſſe prædicationi non credentes. Egregie ultus eſt Deus mundi perverſitatem, ut quia per ſapientiſſima Dei opera, ſapientia duce ad Dei notitiam pervenire noluit, quo ſalvus fieret, rei ſecundum ſuam ſapientiam ſtultæ, ſi ſalvus eſſe velit, neceſſe habeat credere. Invenit tamen mundus modum ac rationem, ne in hominem in crucem actum, crederet, Deum eſſe dixit, qui ſibi humanam naturam adjunxerit. Ita nihilominus Dei conſilium conatus eſt eludere.

Verſ. 22. *Quandoquidem & Judas* &c. Probat prædicationem ſuam mundo videri prædicationem rei ſtultæ, *quandoquidem*; inquit, & *Judæi & Graci*, in quos mundus dividitur, (nam Græcorum nomine per ſynec. omnes profanæ gentes intelliguntur) prædicatione noſtra minime contenti ſunt.

Nam *& Judas ſignum petunt.* Id eſt, aliquod factum, quod divinæ potentiæ eſſe nullo modo negari queat, ideo ſignum ex cælo poſtulant.

Et Graci ſapientiam quærunt. Id eſt, ſermonem qui

rem

rem ex principiis naturalibus docte, eleganter & copiose deducat.

Nos vero prædicamus Christum crucifixum. Proinde Christum illum Dei crucifixum esse, & postquam crucifixus esset, a Deo ex mortuis suscitatum, & rerum omnium Dominum, mundique servatorem factum esse, ab omnibus colendum, & divinis afficiendum honoribus.

Iudæis quidem scandalum. Quasi dicat, quę res Judæis adeo longe a signo quod petunt, & divinæ potentiæ indubitabili facto videtur abesse, ut eo vel maxime offendantur, & animos ab illius prædicatione avertant. Adeo autem hęc res scandalosa & stulta visa est hominibus, ut etiam tandem ipsi Christiani, ne hominis ejusque crucifixi cultores essent, Christum simul Deum ab æterno existentem fuisse credant.

Græcis autem stultitiam. Id est, Græcis autem hæc res stultissima, & ab omni veri specie aliena videtur. Intelligit autem Judæos & Græcos in commune, a fide alienos.

Vers. 24. *Ipsis autem &c.* Docet quam diversum imo plane contrarium sit eadem de re Christianorum judicium.

Ipsis autem vocatis. Id est, ipsorum autem vocatorum judicio ac sententia, qui rem hanc ex veritate expendunt. Vocati dicuntur, qui divinæ vocationi per Euangelium parent, id est, Euangelio credunt.

Et Iudæis & Græcis. Id est, qui ex Judæis & Græcis vocati sunt.

Christum. Intellige *ἀπὸ κοινοῦ prædicamus.* Includit omnia quæ de Christo prædicabant.

Dei potentiam & Dei sapientiam. Id est, per meton. causæ, rem Dei potentia & Dei sapientia plenissimam, vel, Dei potentiæ & Dei sapientiæ maximum opus & effectum; potentiæ quidem, quod Christum crucifixum ex mortuis suscitaverit, & ad cœlestem evexerit majestatem, sapientiæ autem puod eum prius crucifigi, id est, morte affici, eaque ignominiosissima & acerbissima passus sit. Id enim divino illius consilio vel maxime expedivit, quo per mortem, per afflictiones & ignominias pios ducit ad vitam & gloriam cœlestem; ut & illorum fides, constantia, patientia habeat in quo se explicet & exerceat, & Dei potentia, sapientia, bonitas tanto fiat illustrior, tantoque major in Deum gloria redundet. Quid igitur magis conveniebat, quam ut maximus piorum seu filiorum Dei ductor & princeps Filius, eadem viâ perduceretur ad destinatam sibi ante secula in cœlis vitam & gloriam? ut inquam & moreretur, & si moriendum esset, ut moreretur pro veritate morte violenta & cruenta, quo simul & victima fieret pro peccatis mundi, & si cruenta, ut etiam morte moreretur ignominiosissima, quo & metu rerum istarum omnium sectatores suos solveret, & ipsemet earum expertus, certissimam auxilii fiduciam suis adferret, & victima pro peccatis omnium factus, omnes ad se traheret, & simul ut in ipso essent, quæ sicut probos, sic & pravos animos, a veritate ac pietate aversos, ostenderent & detegerent. vid. Heb. ij. a ℣. 10. ad fin. cap. & supra ℣. 18. Conjunxit autem Apostolus in vocatis utrosque, & Judæos & Græcos, quia utrisque Christus est utrumque, & Dei potentia & Dei sapientia. Cæterum quia potentia opponitur scandalo & infirmitati, ut mox dicitur, respondet autem illi signo, quod petebant Judæi. Apparet hinc per signum illud intelligi, ut diximus, ingens aliquod & certissimum divinæ potentiæ opus & factum. Significat autem signum illud Jonæ Prophetæ, resurrectionem scilicet Christi tertia die ex mortuis, quod illis datum iri dixit ipse Christus, quo certe nullum majus & certius divinæ potentiæ argumentum dari potuit. Sapientia opponitur stultitiæ. Cæterum Dei potentiam & Dei sapientiam hic sumi per meton. causæ pro re vel opere seu effectu divinæ potentiæ & sapientiæ, totus contextus & Apostoli mens ac scopus, ut vidimus, docet. Sic supra opera Dei sapientissima in mundi opificio, sapientiam Dei dixit Apostolus. Simili ratione sermo crucis, aliis stultitia, aliis potentia Dei, & ipse Christus crucifixus, Judæis quidem scandalum, Græcis autem stultitia dicitur. Et mox, sapientiæ Dei stultitia Dei, & potentiæ Dei infirmitas Dei opponitur, ut mirum sit, Christianis videri potuisse, Christum hoc loco sapientiam illam, quæ apud Salomonem celebratur, dici. Atqui hic non sapientia tantum, sed & potentia Dei dicitur Christus, cujus apud Salomonem nulla mentio, & scandalo ac infirmitati opponitur, idemque etiam & scandalum Judæis, & stultitia Græcis dicitur. Et quæ Dei stultitia sapientiæ illi apud Salomonem potest opponi? Quis porro concedet Salomonem de sapientia per prosopopœiam non loqui, cum Apostolus de Christo vera persona loquatur? Nec Salomon sapientiam Deo insitam, qua sapiens est, intelligit, unde nec Dei sapientiam illam dicit: sed sapientiam intelligit quæ docetur & traditur a Deo hominibus, & per quam homines vere fiunt sapientes. Paulus autem Christum insitam Dei sapientiam & potentiam appellat, quatenus illius opus & effectus est. Nimirum unica sapientiæ vox homines induxit, ut res conjungerent diversissimas, & quia, ipsis quoque scandalum & stultitia videbatur Christus, nisi idem Deus, ante secula ex Deo genitus seu a Deo factus (nam & hoc de sapientia illa dicit Salomon) esse crederetur.

Vers. 25. *Quia stultum Dei* &c. Rationem affert tantæ contrarietatis inter vocatos & alios homines, & qui fiat ut quod aliis, iisque sapientibus, videatur stultitia & scandalum ac infirmitas, vocatis videatur ipsa Dei sapientia & potentia. *Quia*, inquit, *stultum Dei*, id est, stultitia Dei, more Græco, neutrum adjectivum pro substantivo. Loquitur autem Apostolus per mimesin, & ex Græcorum hujus mundi sapientum sensu, & intelligit stultitiam, qua Deus stultus esse & stulte aliquid agere videatur.

Sapientius est quam homines. Quasi dicat, stultitia Dei nihil minus est, quam stultitia, sed stultitia hominibus videtur, quia sapientior est quam homines, etiam qui sibi & aliis videntur sapientissimi. Tanta enim est, ut eam homines ob suam stultam sapientiam capere non possint. Unde mirum videri non debet, quod Christus Dei sapientia sit vocatis, qui Græcis sapientibus est stultitia. Vocati enim ex rei veritate judicant, Græci ex sua inani opinione.

Et infirmum Dei. Id est, infirmitas Dei, qua Deus infirmus esse, & aliquid indignum pati videatur, eadem loquendi ratione.

Robustius quam homines est. Eodem sensu, & eadem

eadem consequentia. Robustior enim Dei infirmitas dicitur quam hominis, propter effectum qui Dei infirmitatem hanc consequitur, omnibus hominum viribus multo majorem. Homines, quia crucifixum & mortuum in vitam revocare, & ad cælestem majestatem extollere non possunt, ideo illis infirmitas videtur in crucem agi & morte affici. Ex suis enim viribus divinas vires metiuntur. At Deus etiam crucifigi & in mortem agi suos patitur, quia sibi vires esse novit, quibus eos & vitæ restituat, & cælesti gloria & honore afficiat.

Vers. 26. *Videte*, vel *videtis enim &c.* Rem sic se habere ex eventu oculis subjecto demonstrat.

Vocationem vestram. Id est, rationem & conditionem vocationis vestræ.

Fratres. Propter communem in Christo Patrem, Deum.

Quod non multi &c. Rationem & conditionem istam vocationis Christianorum exponit.

Quod scilicet *non multi sapientes secundum carnem &c.* Intellige vocationem Christianorum admiserint, illique paruerint. Unde enim hoc, unde, inquam, quod Dei sapientiam stultitiam, & Dei potentiam infirmitatem & scandalum putent? nisi quod sapientes secundum carnem Dei sapientiam assecuti non sint, & potentes ac nobiles Dei potentiam animo & cogitatione non comprehenderint. Cum dicit, *non multos*, significat fuisse aliquos: unde patet non ipsam sapientiam secundum carnem, per se, & suo vitio, non ipsam potentiam & generis nobilitatem obstare, quo minus homines veniant ad Christum, sed per accidens & hominum ipsorum vitio et culpa, qui sibi ignominiæ et dedecori putent, si Christianam vocationem suscipiant. Hinc culpæ suæ varios prætextus quærunt, et scandalum, infirmitatem, stultitiam dicunt, quod ipsa Dei potentia ac sapientia est. Occurrit Apostolus egregie illorum objectioni, qui veritatem Christianam ideo contemtui habent, quod plerosque Christianorum viles et infirmæ sortis homines videant. Sapientes secundum carnem opponuntur sapientibus secundum spiritum. Sapientia secundum carnem est, quæ à carne proficiscitur, et ad carnem ac vitam præsentem spectat. Sapientia secundum spiritum est quę a Deo proficiscitur, et ad spiritum ac vitam spiritualem et æternam refertur. Sapientes secundum carnem sunt Philosophi, Philologi, Oratores, Politici, Jurisperiti: sapientes secundum spiritum soli sunt Christiani, ut et infra ℣. 30 dicitur.

Non multi potentes. Id est, magnates, divites, in honoribus et dignitatibus positi.

Non multi nobiles. Εὐγενεῖς, bene nati, splendidis natalibus, qui genus ducant ex multis majoribus claris et illustribus.

Vers. 27. *Sed stulta mundi.* Neutro genere pro communi, id est, homines qui in mundo pene pro stultis habentur, quod sint idiotę, indocti, rudes, simplices. Opponit eos sapientibus secundum carnem.

Elegit Deus. Nempe sibi, ut iis veram conferat beatitatem et vitam æternam. Elegit autem quod vocationi et Euangelio paruerint. Docet Apostolus, quid Deus fecerit, cum sapientes Euangelium et vocationem fastidirent et respuerent. An ideo Euangelii et vocationis suæ opus reliquit? Nihil minus, sed elegit stulta mundi, quæ divinæ vocationi sese submittebant.

Ut sapientes pudefaciat. Exponit quo fine Deus id fecerit, ut pudefaciat sapientes. Ingens enim illorum pudor erit, cum videbunt stulta mundi a Deo electa esse, se vero rejectos ac repudiatos esse. Hinc apparet eos qui a Deo rejiciuntur, sua culpa, suo vitio rejici: nisi enim hoc esset, quis hic illorum esset pudor? Quem enim sapientem pudet immeritæ calamitatis? Vacare culpa magnum est solatium.

Et infirma mundi. Id est, homines in mundo nullius potentiæ, privatos, pauperes.

Ut pudefaciat robusta. Id est, homines in mundo potentes, ob magnas divitias & dignitates.

Et ignobilia mundi. Homines in mundo nulla natalium dignitate præstantes.

Et pro nihilo reputata. Mundi fæcem, ancillas, servos.

Et quæ non sunt. Propter obscuritatem & paucitatem Christianorum.

Ut ea quæ sunt. Propter nobilitatem & claritatem & infinitam multitudinem. *Destruat.* Id est, in nihilum redigat, puniat, perdat. At huic pœnæ nullus esset locus, nisi ut non eligerentur ipsi in causa essent. Ponit autem Apostolus effectum, sed simul includit & causam: quasi dicat, ut tanto majorem causam ipsos perdendi habeat, proinde & perdat. Nam dum isti inobsequentes Deo sese præbent, tanto major illorum malitia & contumacia apparet. Eleganter autem iis quæ sunt, ea quæ non sunt opponit, & istos quidem qui non sunt, in æternum futuros, illos autem qui sunt, in nihilum redactum iri asserit.

Vers. 29. *Ut non glorietur &c.* Docet quo fine Deus istos elegerit, ut illos perderet. Diceret enim aliquis, potuisse Deum istos quidem eligere, sed tamen nec illos præterire & rejicere, homines tantæ sapientię, tantę potentię, tantę nobilitatis et dignitatis, et qui fere soli in mundo sunt et apparent. Hoc Deus fecit, inquit, ut non glorietur ulla caro coram ipso. Dixissent enim isti, Deum ad ipsorum sapientiam, potentiam, dignitatem, nobilitatem, multitudinem respexisse.

Ut non glorietur. Id est, suam dignitatem et præstantiam prædicet et sese jactet.

Ulla caro. Πᾶσα σὰρξ, omnis caro ex Hebræorum idiotismo, id est, ullus homo mortalis, per synecdochen partis. *Omnis* enim *caro sicut gramen, & omnis gloria ejus sicut flos agri. Exaruit gramen, & flos ejus cecidit. Coram ipso*, in oculis ejus, qui nusquam non adsunt. Loquitur autem de gloriatione vitiosa, cum de rebus gloriamur caducis et inanibus, qualia sunt ista quæ recensuit. Alioquin enim de veris et cælestibus bonis gloriari justum et sanctum est, ut mox dicitur.

Vers. 30. *Ex ipso enim vos estis &c.* Docet quæ sit ex altera parte Christianorum dignitas, illorum dignitati opposita: quasi dicat, jactent illi suam sapientiam, suos natales:

Vos autem. Nempe Christiani, *ex Deo estis*, nempe

fidei

fidei vestræ respectu, ex Deo tanquam ex causa prima.

In Christo Jesu. Id est, per Christum Jesum, tanquam per causam intermediam.

Qui factus est vobis &c. Docet, quæ bona sint a Deo per Christum consecuti, ea nimirum, cum quibus universa aliorum omnium hominum bona ne conferri quidem possunt.

Qui, scilicet Christus Jesus, *factus est vobis sapientia*, id est, sapientię causa, per metonymiam effecti, sapientiam vobis attulit. Sic idem Apostolus de lege; *bonum igitur mihi factum est mors?* Rom. 7. 13. Sapientiam nimirum divinam, cœlestem & veram, quæ in divinæ voluntatis cognitione consistit, per quam scimus quæ credere, quæ confiteri, quæ facere, quæ sperare a Deo debeamus.

A Deo. Tanquam a causa prima. Omnia enim ex Deo, & nos in illum, & eadem omnia per Christum et nos per illum 1 Cor. viij. 6.

Et justitia. Per eundem Christum a Deo Justitiam sumus adepti, dum nobis fides imputatur ad justitiam, et sic nobis peccatoribus justitia *gratis* adscribitur.

Et sanctificatio. Dum per Christum a Deo sanctificamur, Spiritu Sancto accepto, et sic ex profanis sancti reddimur, et purgamur a vitiis omnibus.

Et redemptio. Dum denique per Christum a Deo liberamur ex morte et interitu, et vitæ æternæ asserimur. Quid tantis bonis majus ac divinius cogitari potest? Quæ mundi sapientia, quæ dignitates, quæ opes cum illis comparari? Eleganti autem et naturali ordine hæc omnia collocavit Apostolus. Nam primo Dei voluntatem cognoscimus et Deo credimus, qua in re sapientia est; deinde justitia nobis imputatur; hanc consequitur sanctificatio cum suo effectu, id est sancta vita, sanctis moribus; hanc tandem excipiet redemtio et vita æterna.

Vers. 31. *Ut sicut scriptum est.* Finem tantorum Dei beneficiorum exprimit: quasi dicat, illi non habent de quo glorientur, nec illis gloriari fas est: vos autem habetis *ut*, intellige gloriemini, in Deo et Christo.

Sicut scriptum est. Scripturæ divinæ conformiter.

Qui gloriatur &c. Recitat scripturæ dictum.

In Domino. Id est, de Domino, per Hebrais, intelligitur autem unus ille Deus, ex sensu veteris scripturæ Græcæ, sed ex usu novi testamenti adjungendus est Christus, unus ille dominus, et cui absolutus domini titulus proprius est factus. De domino gloriari est gloriari quod sis domini, quod ad illum pertineas, proinde quod illum cognoscas, quodque verorum ac cælestium bonorum per gratiam illius factus sis participes.

CAPUT. II.

Vers. 1. *ET ego.* Redit ad id quod superiori capite ꝟſ. 17 dicere cœperat, se missum esse a Christo ad Euangelium prædicandum, non in sapientia sermonis, causasque istius rei exposuerat. Quasi dicat: et ut ad propositum revertar, *ego &c.* Particula *&* ex Hebræorum usu poni potuit pro igitur, ut cap. 6. ꝟſ. ult.

Postquam veni ad vos fratres. Nempe Corinthum.

Veni non secundum excellentiam sermonis. Exponit quomodo venerit. Id est, non cum excellenti sermone. Κατ᾽ pro *cum.* Sic Marc. 1. 27. Rom. xiv. 22. Excellentia sermonis per duo substantiva pro sermone excellenti, id est, eximio, docto, ornato, qualis rhetorum & oratorum esse solet.

Aut sapientiæ. Id est, aut cum excellenti aliqua sapientia, nempe ut eam vos docerem. Nam alioquin Paulo vel maxime excellens inerat sapientia, ipso Petro teste 2 Pet. 3. 15. Intelligit enim sapientiam rerum divinarum, ut ex seqq. patet ꝟſ. 5. & cap. 3. 1, 2. Non negat se cum sapientia venisse, nam & principia Christianæ veritatis magnam continent sapientiam, sed cum excellenti, & ultra prima principia multum provecta sapientia. Addit excellentiæ sermonis & sapientiæ excellentiam. Nam duo desiderabantur in Paulo apud Corinthios, unum, quod sermone uteretur indocto, alterum quod illis principia tantum & elementa Christianæ veritatis tradidisset, cum Apollo, forte & alii, sublimiora quędam mysteria, & sermone doctiore, illos docuissent. Hinc apud quosdam Pauli fastidium & hæc æmulationum dissidia.

Annuncians vobis testimonium Dei. Id est, Euangelium vobis primum prædicans, docens vos quid Deus ipse & quomodo testatus sit de Jesu, nempe, quod Jesus sit Christus ejus, dum eum crucifixum resuscitavit ex mortuis. Recte Euangelium de Jesu Christo, testimonium Dei appellat, nisi enim Deus ipse illius auctor esset, quis illud excogitasset? Et nisi ipse de eo testatus esset, quis ei credidisset?

Vers. 2. *Non enim judicavi.* Id est, decrevi, constitui, illo videlicet tempore.

Scire aliquid. Nempe sic ut vos id docerem, nam qui aliquid alios non docent, quamvis id sciant, nescientibus similes se gerunt.

In vobis. Id est, inter vos: quasi dicat, inter alios magis capaces multa alia scio, sed non inter vos, quibus tum primum initia Euangelii tradenda erant,

Nisi Jesum Christum. Proinde Jesum esse Christum.

Et hunc crucifixum. Quasi dicat, & quidem Christum crucifixum. Nunquam crucem sejungo vel reticeo, propter causas superius explicatas. Causam his verbis adfert, ob quam illis sublimiora mysteria non tradiderit. Quia nimirum non decreverit aliquid aliud inter ipsos scire, quam prima Christianæ veritatis elementa, quamvis etiam non decreverit aliquid aliud nescire, si res et tempus, et captus ac profectus illorum tulisset. Merito autem illud non decreverat Apostolus, quia incipientibus initia tradi par est disciplinæ, quę in Christiana veritate hæc sunt, Jesum esse Christum eumque crucifixum, quæ firmiter credita tanquam fundamentum sunt cæterorum, et hominem spiritualem efficiendi vim habent. Notum est Christi vocem significare unctum, ex Hebraica Messiæ, quæ significat Regem populi divini, a Deo constitutum, quod Reges populi divini ungi solerent Dei nomine, et ex divina constitutione. Absolute autem et κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur de Rege illo eximio, Prophetarum oraculis celebrato, mundi Servatore, quem Jesum esse, christiana fides habet, quippe ex morte revocatum in vitam, et a dextris Dei in cælestibus collocatum, omniumque dominum et caput Ecclesiæ effectum, et vivos ac mortuos judicaturum, qui ut tanti muneris

muneris capax esset, a Deo Spiritu Sacto & virtute unctus fuit. Neque enim ex mensura Deus spiritum largitur. Ideo idem Apostolus Jesum Christum secundum carnem quidem Davidis fuisse filium dicit, at secundum spiritum sanctitatis Dei filium, id est, regem definitum esse ex resurrectione ex mortuis. Rom. I. 3.

Vers. 3. *Et ego* &c. Exponit consequenter, quo in statu & ipse apud illos tum egerit, & qualis illius sermo ac prædicatio fuerit.

In infirmitate. Id est, in afflictionbus, per metonymiam causę.

Et in metu ac tremore multo. Id est, in præsentissimis periculis, per metonymiam effecti, qua de re vide Act. XVIII. Metui tremorem adjungit, per αὔξησιν, pro rei magnitudine.

Fui apud vos. Versatus sum apud vos. Quasi dicat, talis mea conditio fuit, qualis Apostolum Christi crucifixi decebat, & quę evidenti argumento essent, me a Deo & Christo missum esse. Cur enim alioquin me ultro, & mendacii ac imposturæ causa, sciens prudens tantis calamitatibus objicerem? Tacite significat aliis qui se secuti sunt doctoribus, plus pacis apud Corinthios fuisse, quod & cap. IV. 8 & seqq. indicat.

Vers. 4. *Et sermo meus.* Quasi dicat, & quod ad sermonis excellentiam attinet, qualis erat mea inter vos conditio, talis erat et sermo meus.

Et prædicatio mea. Nempe de Jesu Christo et hoc crucifixo.

Non in suasoriis humanæ sapientiæ sermonibus. Intellige, *erat* vel consistebat, ἐν πειθοῖς λόγοις. Multi notant πειθοῖς Græcum non esse, & legendum πειθοῖς. Atqui πειθὸς qui persuadet, a verbo πείθω, dicitur. Sic et φειδὸς qui parcit, et μιμὸς, qui imitatur. Per *humanam sapientiam* hoc loco intelligit orandi scientiam, ab hominibus inventam et traditam, et quam qui habent, sapientes ab hominibus judicantur: quasi dicat, si Christus vellet me illa uti, facile illi fuerat hoc efficere.

Sed in demonstratione. Id est, sed sermo meus et prędicatio mea posita erat in ἀποδείξει, demonstratione certissima & evidentissima, me vera loqui & annunciare, quatenus scilicet talem demonstrationem continebat, seu adjunctam sibi habebat. Quæ autem fuerit ista demonstratio, exprimit per genitivos causæ efficientis.

Spiritus & virtutis. Nempe *Dei*, ut mox additur: nulla enim major dari potest rei demonstratio, quam si cui loquenti & prædicanti spiritus & virtus Dei evidenter adsit. Per spiritum intelligitur afflatus divinus, quo Apostolus in prædicatione manifeste agebatur, linguis loquebatur, prophetabat, per quem variis ac cælestibus donis præditus erat, de quibus infra agit cap. XII. Per virtutem Dei intelliguntur divina & stupenda opera, quæ Deus extra Paulum, fidem prædicationi illius faciens, patrabat, quæ virtus appellantur per metonymiam causæ. Sic & 2 Cor. VI. 6, 7 Spiritum Sanctum a virtute Dei distinxit.

Vers. 5. *Ut fides vestra &c.* Docet quo fine sapientia humana usus non sit in suo sermone et prædicatione. Ut, inquit, fides vestra, qua scilicet creditis id quod ego prædicavi, nempe Jesum esse Christum, qui fuerit crucifixus:

Non sit. Id est, non sese fundet *in sapientia hominum.* Id est, in rhetorum arte & orandi scientia.

Sed in virtute Dei. Quæ scilicet sermoni et prædicationi meæ adsuit, tanquam in solidissimo fundamento. Hic simul et Spiritum Sanctum includit Apostolus. Nam et divinus ille afflatus Dei virtus est, quatenus ex Deo in homines manat, et ea per homines ac in hominibus facit, quę nulla humana vis præstare queat.

Vers. 6. *Sapientiam autem.* Hactenus de sermonis excellentia egit, nunc venit ad sapientiam. quasi dicat, quod autem ad excellentiam sapientiæ attinet, neque nobis excellens deest sapientia.

Sed eam loquimur in perfectis. Id est, inter perfectos, quales vos tum non eratis, ac ne nunc quidem estis, ut cap. III. 2 dicitur. Sapientiam absolute nominat, quia excellentem sapientiam intelligit. Sapientiam autem appellat res occultas, quarum cognitio sapientia est. Perfecti opponuntur νηπίοις, de quibus cap. iij, 1. Sic et Auctor ad Hebr: perfectos νηπίοις opposuit cap. V. 13, 14. Et idem Apostolus infra cap. XIV: Fratres ne sitis pueri sensibus, sed malitia, νηπιάζετε, sensibus autem perfecti estote ℣. 20. Nam et infantes perfecti homines nondum sunt. Similitudo traducenda est ad animum, & ad profectum in veritatis christianæ notitia, qui adhuc parum profecerunt in christiana veritate & pietate, νήπιοι seu infantes & pueri sunt, qui ad maturitatem pervenerunt τέλειοι seu perfecti.

Loquimur. Id est, loquor, per enallagen numeri: de se enim solo agit ℣. 1. & cap. III. 1, 2.

Sapientiam autem non seculi hujus. Docet quam sapientiam intelligat, non arcana hujus seculi, Philosophorum puta, aut oratorum & similium.

Neque principum hujus seculi. Id est, neque arcana hujus seculi principum.

Qui destruuntur. Id est, destruentur a Deo, per enallagen temporis. Respicit ad id quod superiori cap. ℣. 28 de illis dixerat. Ex hoc autem effectu patet, eos veram sapientiam non habere, quæ scilicet illos a destructione & interitu conservaret.

Vers. 7. *Sed loquimur sapientiam Dei in arcano.* Id est, arcanam, per Hebraismum. Intelligit Dei arcana, per metonymiam causæ. Deum opponit hominibus, eorumque Principibus, æternum & immortalem, perituris. Ut vel hinc appareat, quantum inter ipsorum & Dei arcana ac sapientiam intersit.

Illam absconditam. Exprimit quam Dei arcanam sapientiam intelligat, illam nimirum absconditam.

Quam præfinivit Deus. Id est, longe ante decrevit ac constituit.

Ante secula. Exprimit quam longe ante, nimirum antequam secula, id est, mundum hunc, cum quo dies & menses & anni & secula fluere cœperunt, conderet.

In gloriam nostram. Quæ est gloria illa filiorum Dei Rom. viij. 21, cælestis & æternus splendor, honor, beatitas nostra, qui scilicet credimus in Jesum Christum: quasi dicat, cujus sapientiæ Dei finis & scopus est nostra gloria. Opponit tacite nostram gloriam Principum hujus seculi gloriæ, quæ inanis est & evanida, nostra solida & æterna.

Vers.

Vers. 8. *Quam.* Id est, quæ Dei decreta, seu res a Deo decretas.

Nemo principum seculi hujus cognovit. Nemo ea exploravit & cogitatione sua assecutus est.

Si enim cognovissent. Probat quod asseruit.

Non utique dominum gloriæ crucifixissent. Quasi dicat, cognovissent utique Jesum, saltem postquam venit, esse dominum gloriæ istius omnibus qui in ipsum credant a Deo destinatæ, & in ipsius manibus ac potestate eam a Deo positam esse: hoc enim arcanum Deus ipse jam tum vulgabat. At si hoc cognovissent, anne illum crucifixissent? Jam si hoc non cognoverunt, quanto minus illa, quorum effectus in Dei consilio latet adhuc abditus? Hic apostoli locus docet oracula Dei de Christi cruce & morte non eam vim habuisse ut homines ad Christum crucifigendum adigerent, aut illis arbitrium id faciendi vel non faciendi adimerent. Hoc enim si verum foret, quamvis Jesum, Christum Dei esse cognovissent, tamen eum necessario crucifixissent. Nimirum non quia Deus prædicit homines male acturos, ideo male agunt; sed quia male acturi sunt, ideo Deus id prædicit. Liberum autem illis erat male non agere. Neque si male non agerent falleretur Dei præscientia; cum Deus non ita hæc præsciat & prædicat, ut homines male non agere posse nesciat, imo non malit. Ex rerum quæ a Deo prædicuntur natura, prædictionis & præscientiæ ratio intelligenda est, non ex prædictionis ac præscientiæ ratione, rerum natura pervertenda.

Vers. 9. *Sed*, intellige, *loquimur* ex vers. 6, 7, *sicut scriptum est.* Uberius sapientiam hanc describit, verbis ex scriptura petitis.

Quæ oculus non vidit & auris non audivit. Oculos & aures nominat, quia ex visu & auditu potissimum omnis hominum sapientia oritur.

Neque super cor hominis ascenderunt. Id est, ulli hominis unquam in mentem venerunt. Nec mirum, quæ enim non fuerunt in sensu, neque etiam possunt esse in intellectu: Philosophorum est scitum.

Quæ paravit Deus diligentibus ipsum. Nempe cælestia illa & futuræ vitæ bona. In dilectione Dei omnia continentur pietatis officia, & imprimis fides in Christum sub novo fœdere, sine qua Deus vere diligi non potest. Nimirum dilectionem dilectione repensat Deus. Dilectio nostra erga Deum est ex nostris viribus ac modo, dilectio Dei erga nos, est ex divinarum virium, quæ infinitæ sunt, modo.

Vers. 10. *Nobis autem Deus revelavit.* Docet quo pacto ipse ad istarum rerum, quæ nunquam in sensibus hominum, proinde nec in mente fuerunt, notitiam pervenerit. Loquitur autem semper in plurali numero, modestiæ causa, immiscens sese aliis. *Deus*, inquit, *hæc nobis revelavit.* Videmus Dei mysteria ab hominibus intelligi non posse, nisi a Deo reveлentur; sed revelata posse intelligi, cum in idipsum revelentur, ut intelligantur & cognoscantur.

Per spiritum suum. Exprimit medium quo Deus usus sit in mysteriorem istorum revelatione: *per spiritum*, inquit, *suum*, quem scilicet nobis communicavit.

Spiritus enim, nempe Dei, cum scilicet in aliquo est, *omnia scrutatur.* Causam affert, ob quam spiritui Dei tanquam medio & instrumento mysteriorum divinorum revelationem tribuat, *quia*, inquit, *omnia scrutatur*, id est, quamvis abdita & latentia, cognitione deprehendit. *Scrutari* pro *cognoscere*, per metonymiam metaphoricam causæ pro effectu. Sic Apoc. 2. 23. *Omnia*, quæ scilicet scire nos vult Deus.

Etiam profunda Dei. Quasi dicat, non hominum tantum profunda, seu penitus latentes & abditas cogitationes & consilia ac facta, sed etiam Dei ipsius profunda, id est, abdita & occulta consilia ac decreta. Spiritui tribuit, quod proprie loquendo facit is in quo spiritus est Dei, quia id facit per Dei spiritum. Sic & paulo ante, quæ oculus non vidit, auris non audivit vers. 9, id est, homo per oculum & aurem. Nec de eo agitur an Deus profunda sua cognoscat, quis enim de eo dubitat, sed causa affertur, cur is qui spiritum Dei habeat, mysteria Dei cognoscat.

Vers. 11. *Quis enim novit hominum.* Exemplo ab homine ducto rem illustrat, & docet spiritu Dei opus esse ad cognoscenda mysteria Dei. *Quis novit hominum.* Recte addit vocem *hominum.* Nam alioquin & Deus novit ea.

Quæ hominis sunt. Id est, hominis cogitationes, consilia & decreta, intus in animo abdita.

Nisi spiritus hominis. Id est, nisi hominis animus, mens, intellectus, & si cui animum, mentem ac intellectum suum velit communicare. Spiritui hominis tribuit quod ipse homo, proprie loquendo, facit per spiritum suum.

Qui in ipso est. Nempe non alius quam qui in ipso est, id est, illius proprius. Sic & ea quæ Dei sunt, id est, Dei arcana, consilia, decreta.

Nemo novit. Non hominum tantum, sed & angelorum.

Nisi spiritus Dei. Id est, nisi Deus spiritu suo, sua mente & intellectu.

Vers. 12. *Nos vero non spiritum mundi accepimus.* Ne quis dicat, quid hoc ad rem quod Dei spiritus, ea quæ sunt Dei noverit? Nos vero, inquit, non spiritum mundi accepimus, *sed spiritum qui ex Deo est.* Quasi dicat, quo Deus nobis mentem suam revelavit. Ideo infra dicit:

Nos vero Christi mentem habemus. vers. 16. Non dicit Apostolus, nos vero spiritum qui in Deo est, sed spiritum qui ex Deo est, accepimus, ne quis spiritum Dei essentialem hic cogitet, qui non magis cuiquam communicari potest, quam ipsa Dei essentia. At spiritum, id est, afflatum, ex Deo profectum accepimus, per quem Deus & arcana sua revelat, & omnia quæ vult in nobis efficit. Spiritus mundi, id est, hominum mundanorum, animi significat affectionem hominibus mundanis propriam, per metonymiam metaphoricam, quod spiritu & afflatu animus soleat affici.

Ut sciamus. Usum & finem spiritus istius qui ex Deo est, exprimit, eum nimirum finem de quo agitur. Vide admirabilem divini istius spiritus vim, qui sine ullo exteriore sermone

& signo divinarum rerum scientiam animis nostris inferat.

Ea quæ a Deo donata sunt nobis. Id est, cælestia illa bona, quæ nobis, nempe credentibus in Christum, donata à Deo sunt, quatenus scilicet ea nobis donare decrevit ac constituit, per metonymiam effecti pro causa.

Vers. 13. *Quæ & loquimur.* A rebus divinis transit ad sermonem quo res istas ipse prodat & enuntiet aliis.

Non in doctis humanæ sapientiæ. Id est, ab humana sapientia, ab arte rhetorica vel perorandi scientia, per genitivum causæ.

Sermonibus. Qui scilicet sint compti, ornati, concinni. *In sermonibus*, pro *per sermones*: Vel simpliciter, sermonibus, redundante particula *in*, ex Hebraismo.

Sed in doctis Spiritus Sancti. Id est, per sermones à Spiritu Sancto doctos, quales menti & ori nostro inserit idem ille Spiritus Sanctus, qui nobis res ipsas divinas earumve notitiam inseruit. Quem antea dixit spiritum ex Deo, nunc Spiritum Sanctum appellat. Unde videmus Spiritum Sanctum afflatum esse sanctum ex Deo in homines profectum.

Spiritualia spiritualibus conjungentes. Quasi dicat, sic enim omnino decet, ut spiritualibus rebus spiritualia verba, id est, rebus à Spiritu Sancto revelatis, verba à Spiritu Sancto dictata conjungantur.

Vers. 14. *Animalis autem homo.* Docet hæc Dei mysteria sublimiora, quæ nunquam in ullius hominis sensu fuerunt, animali homini tradenda non esse. Animalis homo est, qui nullo Dei spiritu afflatus est: sic enim Judas animales homines definivit vers. 19. Summum quod est in ipsis anima est humana.

Non capit. Id est, non recipit.

Ea quæ sunt spiritus Dei. Id est, sive res sive sermones à spiritu Dei doctos, διδακτὰς.

Stultitia enim ipsi sunt. Causam adfert cur illa non recipiat, quia ipsi sunt stultitia, id est, res stultæ & sermones stulti, indocti, ineruditi.

Et non potest cognoscere. Id est, approbare, per metonymiam causæ. Plus adhuc dicit, non tantum non recipit & approbat, sed ne recipere quidem & approbare potest.

Quia spiritualiter dijudicantur. Causam adfert cur non possit, quia ista quæ spiritus sunt divini, spiritualiter, id est secundum spiritum & per spiritum dijudicantur, id est, cognoscuntur qualia sint; quem cum animalis homo non habeat, quomodo cognoscere potest qualia sint, quod nimirum sint vera & sancta & divina.

Vers. 15. *Spiritualis autem.* Id est, homo divino spiritu non tantum præditus, sed illi etiam totus deditus.

Dijudicat quidem omnia. Id est, omnia quæ dicuntur cognoscit, qualia sint, an divina sint, an profana, de omnibus judicandi habet facultatem.

Ipse vero a nemine. Eorum scilicet qui Dei spiritum non habent.

Dijudicatur, Id est, cognoscitur, qualis vere sit, nempe spiritualium rerum respectu, nullius judicio subest.

Vers. 16. *Quis enim cognovit mentem Domini?* Rationem adfert ob quam spiritualis homo à nemine profano & spiritu Dei destituto dijudicari queat, quia *nemo cognovit mentem Domini.* Id est, arcanas Domini cogitationes & consilia. Quia locus hic ex veteri depromitur scriptura, Deus intelligendus est, sed ex Novi Fœderis sensu Christus, tanquam Dominus ab ipso factus, illi est conjungendus.

Qui instruet ipsum. Limitat dictum. Quasi dicat, nemo ita cognovit mentem Domini ut eum instruat, proinde nemo de illa judicandi facultatem habet, multi enim Domini mentem cognoverunt, sed qui a Domino sunt instructi, non qui Dominum instruerent consilio.

Nos autem. Nempe nos spirituales, *mentem Christi*, id est, mentis Christi sensum, cogitationes, consilia, decreta, per metonymiam causæ.

Habemus. Id est, animo tenemus & possidemus. Mens autem Christi eadem est quæ Dei, proinde sicut Dei mens nullius judicio subjecta est, sic neque nostra. Habemus autem hanc mentem per spiritum Dei ac Christi. Seneca de virtute Epist. LXXI: *Virtus de omnibus rebus judicat, de hac nulla.*

CAPUT. III.

Vers. 1. *Et ego fratres.* Quasi dicat: & propterea ego, fratres.

Non potui loqui. Causam exprimit, ob quam illis abdita Dei mysteria nec ullis sensibus percepta non tradiderit.

Ego, inquit. Quasi dicat, si forte alii potuerunt, ego non potui, qui primum vobis Euangelium prædicavi.

Loqui vobis tanquam spiritualibus. Id est, occulta Dei & sublimia mysteria vobis tradere, quæ spirituales requirunt auditores. Non hoc factum est quod illa nescíverim, sed quod vos illorum non essetis capaces.

Sed tanquam carnalibus. Intellige, *vobis locutus sum*, vel, loqui necesse habui, id est, non multum ultra prima veritatis Christianæ principia & elementa, quarum veritas ipsis sensibus percepta est, & propterea omnibus traduntur hominibus, puta, Jesum esse crucifixum, ex mortuis esse suscitatum, & Dominum ac Christum à Deo effectum. Carnales homines sunt inter animales & spirituales medii, neque animales, neque etiam vere spirituales; animales non sunt, quia jam divini spiritus participes sunt facti per fidem Euangelio adhibitam; Spirituales etiam vere ac mere non sunt, quia necdum Spiritus ductum in omnibus sequuntur, seu, ut alibi loquitur Apostolus, secundum spiritum, non secundum carnem ambulant, nondum carnem & carnis opera mori fecerunt spiritu divino Rom. VIII. 9, 10, 12, 13. Cum igitur Corinthii adhuc carnales essent moribus, nondum erant capaces sublimium Dei mysteriorum, quæ homines sanctis & spiritualibus moribus requirunt.

Tanquam infantibus in Christo. Tanquam iis qui recens eratis nati in Christiana fide, per metonymiam causæ: Christus enim fidei Christianæ author est.

Lacte

Lacte vos potavi. Τάλα ὑμᾶς ἐπότισα. Sicut scilicet decuit & oportuit infantes & recens natos, id est, res vobis tradidi quas facile possetis capere & concoquere.

Non cibo. Οὐ βρῶμα, *non cibum.* Intellige, vobis præbui, nempe solidum. Vide Hebr. v, 12, 13, 14. Id est, non res captu & concoctu difficiles.

Nondum enim poteratis. Nempe illo tempore, intellige, cibum solidum capere & concoquere sicut infantes & recens nati.

Sed neque adhuc nunc potestis. Quasi dicat, adeo tum non poteratis, ut neque adhuc nunc, haud parvo tempore interposito, possitis.

Vers. 3. *Adhuc enim carnales estis:* Rationem adfert dicti, quia adhuc carnales sint. Carnales enim hactenus animales sunt quatenus carnis affectibus & cupiditatibus indulgent, quæ animum degravant & ad sublimia mysteria attolli non sinunt, neque talibus ea prodere consultum est.

Quandoquidem. Græcum ὅπου hoc loco id significat, *enim in vobis*, id est, inter vos, intellige sunt.

Æmulatio, & rixa & scissura &c. Demonstrat illos adhuc esse carnales ex carnis operibus.

Æmulatio ζῆλος. Quod alter alteri concedere nollet de inani gloria.

Et rixa. Ut fieri solet inter inanis gloriæ æmulos.

Et scissura. Huc tandem desinunt rixæ, in partes & factiones soluto unitatis vinculo, maximo cum Ecclesiæ & gloriæ divinæ detrimento. Est hic gradatio, ex æmulatione rixa, ex rixa scissuræ.

Nonne carnales estis? Quasi dicat, non potestis vos carnales esse negare, vestro ipsorum judicio id permitto.

Et secundum hominem ambulatis? Hominem hic opponit Deo & spiritui divino, proinde intelligit hominem in commune: quasi dicat, talis est vestrarum actionum ratio qualis cujusque in commune hominis, non qualis homines sanctos & ab aliis hominibus Deo segregatos decet. Ambulare, per metaphoram, sicut & conversari, agendi mores significat.

Vers. 4. *Cum enim dicat aliquis.* Nempe ex vobis. Indefinite notat quemlibet qui se Pauli dicebat. Explicat & confirmat superius argumentum manifesto & speciali ipsorum facto, ne forte negarent id quod ipsis in genere objectum est.

Ego quidem sum Pauli, alius vero: ego Apollo, nonne carnales estis? Id est, nonne carni indulgetis & à carne non à spiritu agimini? quid enim hac in re quæritis, nisi vanam & inanem alii præ aliis laudem & gloriam, idque cum divinæ gloriæ jactura & Ecclesiæ maximo detrimento?

Vers. 5. *Quis igitur est Paulus, quis vero Apollos, nisi ministri per quos credidistis.* Redarguit hoc ipsorum factum uberius: quasi dicat, quandoquidem alius vestrum se Pauli fert, alius Apollo, quis igitur est Paulus, quis vero Apollos, præterquam ministri &c. An Paulus vel Apollos domini sunt vestri? an non potius non tantum Dei & Christi, sed etiam vestri sunt ministri? 2 Cor. IV. 5. Non igitur decet & convenit ut vos illorum esse feratis, & illorum nominibus alii ab aliis vos distinguatis tanquam dominorum, cum illi sint vestri ministri.

Per quos credidistis. Docet quales ministri sint, nempe quorum opera & ministerio ad fidem in Jesum Christum adducti estis vel in illa profecistis: nam alioquin & Christiani omnes alii aliorum invicem ministri & servi sunt. Hic locus ostendit causam, ob quam alius se Pauli diceret, alius Apollo: nempe, quod alius à Paulo, alius ab Apollo conversus ad fidem Christianam esset, vel in ea majores profectus fecisset, nec eo nomine alter ab altero inferior, quin potius superior videri vellet. Non meminit hoc loco Petri, ne videretur ex æmulatione, tanti Apostoli laudibus ac dignitati quicquam detrahere, sed solum Apollo sibi tanquam magis familiarem & muneris præstantia inferiorem commemorat. Cæterum idem de Petro & quovis alio spirituali Christi ministro vult intelligi.

Et unicuique, intellige, *ministro sicut Dominus.* Nempe omnium nostrum communis, id est, Christus, *dedit*, id est, quales nos Dominus esse voluit & fecit, tam muneribus & muneri cujusque convenientibus donis quam effectis ipsis. Si qua in re alter alteri præcellat, Domini donum & gratia est. Ne quisquam id imputaverit, sed Domino ferat acceptum.

Vers. 6. *Ego plantavi, Apollos potavit.* Docet qua potissimum re suum & Apollo ministerium distinctum fuerit. *Ego*, inquit, *plantavi.* Id est, vos primum ad fidem adduxi, & sic vos agro Ecclesiæ inserui, sicut Apostolo conveniebat.

Apollos potavit. Solent enim plantæ vel olera terræ inserta potari, id est, rigari, ut ex affuso humore incrementa sumant, id est, Apollos mihi successit, qui, tanquam Prophetam decebat, id docendo egit, ut in fide majus subinde robur & incrementum sumeretis.

Sed Deus incrementum dedit. Hoc Dei proprium est, qui occulta naturæ vi facit ut plantæ crescant & ad maturitatem veniant, & fructum ferant, sine qua quid juvaret vel plantatio vel irrigatio, vel omnis alia hominum cura? Idem fit & in plantis istis spiritualibus, qui Christiani sunt.

Vers. 7. *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui potat.* Ex dictis infert, neque se aliquid esse, neque Apollo, nec ullum alium Ecclesiæ Christi doctorem, ac ne ipsum quidem Petrum, loquitur enim in genere hic de omni plantante & rigante. *Aliquid* hic sumitur pro eo quod magnum est, quod celebrandum, ut in illo, *si vis esse aliquid.* Hinc nihili dicuntur quæ in nulla sunt æstimatione. Nihil se dicit esse Apostolus & omnes alios, sive Apostolos, sive Prophetas, sive Euangelistas &c. quatenus sine Deo nihili sint omnes illorum labores & conatus, & hoc ipsum quod laborent & conentur; & quicquid laborent & conentur, ex Deo habeant & illi acceptum ferant.

Sed qui incrementum dat Deus. Nempe *est aliquid.* Hic solus est magnus, hic solus laudibus & omni prædicatione extollendus.

Vers. 8. *Qui plantat autem & qui rigat.* Nempe omnis, *unum sunt.* Ne quis inter illos discrimina quærat & alterum alteri præferat, & ex illis qui unum sunt, diversas in Ecclesia sectas faciat. *Unum sunt.*

quatenus unum scopum et finem propositum habent, ad eumque contendunt, licet diversis viis ac mediis. Uterque Dei gloriam & hominum salutem unice spectat & procurat, nec, si bene & fideliter agant, ullus est inter eos dissensus, ulla discordia, ulla æmulatio, ulla factio.

Unusquisque autem. Nempe tam plantantium, quam rigantium.

Propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem. Docet cuique videndum esse, quomodo suo labore defungatur, sive in plantando, sive in rigando, propriam enim mercedem quisque accipiet, a Deo nimirum & Christo.

Secundum proprium laborem. Id est, proprio cujusque labori convenientem, si bene laboraverit, bonam, si male, malam, & pro laboris magnitudine majorem ac illustriorem. Loquitur enim de peculiari mercede eorum qui laborant in ecclesia, imprimis sermone & doctrina 1 Tim. v. 17.

Vers. 9. *Dei enim sumus adminiſtri.* Rationem adfert dicti: quasi dicat, quia Deus ipse nostra opera ac labore utitur, Deo laboramus & operamur, ideo & ab ipso mercedem cujusque nostrum labori convenientem accipiemus. Συνεργοὶ dicit, tum quod Deo, tum quod inter sese operas socient, ut Deo ministrent. Et Deum operari dicit, & homines illi operam conjungere, sicut & in herbis ac fructibus homines naturæ operam commodant, Deus enim dat incrementum, ut Paulo ante ab Apostolo dictum est.

Dei ager, Dei ædificium estis. Quasi dicat: nos doctores Dei administri sumus, vos autem auditores estis Dei ager proprius, quem Deus opera nostra excolit, & conserit & irrigat, ut Deo fructus ferat quam uberrimos; Dei ædificium estis proprium, quod Deus opera nostra sibi extruit, Dei domus ac templum, in quo per spiritum & gratiam suam habitet. Paulo ante Christianos plantis comparavit, hic comparat agro, &, ut sequenti similitudini viam aperiret, ædificio.

Vers. 10. *Secundum gratiam Dei quæ data est mihi &c.* Docet quæ suæ partes fuerint in hoc ædificio, earumque rationem & causam. Gratia, inquit, Dei mihi est data. Munus Apostolicum designat, per metonymiam causæ: huic igitur gratiæ, id est, muneri convenienter.

Ut sapiens architectus. Id est, sicut sapientes architecti solent facere.

Fundamentum posui. Id est, fundamentalem doctrinam, cui tota Christiana pietas innititur, vobis tradidi & stabilivi, ut esset immota. Ædificium enim intelligit quod docendo exstruitur. Sane merito a tali doctrina fecit initium, nisi enim fundamentum primo omnium ponatur, frustranea est omnis alia ædificatio, & fundamentum hoc ponere Apostolis maxime competebat. Atque has fuisse partes suas dicit.

Alius autem. Nempe quisquis post me venit.

Superædificat. Docet quæ aliorum post se partes sint, hæ nimirum, ut fundamento a se posito superædificent; id est, ad doctinam fundamentalem a se traditam & confirmatam addant alias doctrinas, & sic ædificium istud promoveant, & subinde reddant absolutius, tandemque & absolvant. Pulchre causam reddit, ob quam principia Christianæ veritatis tradidisse contentus, a sublimioribus mysteriis tradendis abstinuerit, & nihilominus rem præstiterit multo majorem quam cæteri qui se secuti sint, licet a se non tradita doceant.

Unusquisque autem videat. Monet sequentes doctores, ut eorum quisque etiam atque etiam videat, id est, animo dispiciat & attendat,

Quomodo superædificet. Id est, quas doctrinas huic fundamentali doctrinæ addat.

Vers. 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere* &c. Rationem adsert, ob quam aliis superædificationem tribuat. Nam, inquit, aliud fundamentum nemo potest ponere, nempe quod Christianæ religioni sit proprium, et verum sit ac solidum. Nam alioquin non desunt qui aliud ponant fundamentum, nempe Jesum esse illum unum Deum.

Præter id quod positum est. Nempe a me et aliis Apostolis.

Quod est, Jesus Christus. Ὁ χριστός. Articulus emphasin habet, ad designandum insignem illum et singularem Dei unctum, qui etiam ideo absolute Christus nempe Dei dicitur. Docet quæ sit fundamentalis ista doctrina a se tradita et stabilita, hæc nimirum, quod Jesus crucifixus, ex mortuis sit a Deo suscitatus, & in cælum evectus, et dominus ac Rex ille promissus a Deo effectus, et Judex vivorum ac mortuorum constitutus. Huic doctrinæ, tanquam solidissimo fundamento, omnis Christiana sapientia et pietas, superstructa est. Hanc Apostoli prædicabant et confirmabant, et pro fundamento immobili ponebant. Simul autem intelligi debent et huic doctrinæ annexa, nempe de fide in Christum, de pœnitentia et novitate vitæ, de peccatorum remissione et justitiæ imputatione, de vita æterna et futuro mundi judicio, et quæ sunt alia Christianæ pietatis principia.

Vers. 12. *Si vero quis* etc. Docet huic fundamentali doctrinæ varias posse a variis superaddi doctrinas, et veras ac solidas pretiosasque, et futiles ac inanes nulliusque pretii, et quod tandem, qualiscunque doctrina sit, si forte id ab initio non pateat, appariturum sit.

Superædificet super fundamentum hoc. Id est, huic fundamentali doctrinæ addat.

Aurum, argentum, lapides pretiosos. Id est, doctrinas veras, solidas, saluti perutiles, et fundamento tam præstanti correspondentes. Sicut autem inter aurum et argentum et lapides pretiosos præstantiæ gradus sunt, sic etiam inter doctrinas. Congrue similitudini aurum, argentum, lapides pretiosos commemorat. Solent enim templa vel magnorum principum palatia auro et argento radiare, et ex marmoribus aliisque pretiosis lapidibus exstrui, vel illis exornari.

Ligna fœnum, stipulam. Id est, doctrinas futiles, inanes, fundamento haudquaquam respondentes, et alias aliis futiliores. Fœnum enim futilius est quam ligna, et stipula futilior quam fœnum, servit et hoc similitudini, nam et hæc in ædificiis vilioribus, præsertim in tectis et tuguriis, adhiberi solent, sed in tam præstanti ædificio, cujus fundamentum est aurum

rum purissimum, et ipsum similiter totum ex auro et argento et lapidibus pretiosis constare debet, lignis et fœno et stipulis nullus erat locus. Docemur hinc, etiam Prophetas, et homines Spiritu Sancto præditos, quales erant Corinthiorum ecclesiæ doctores, posse errare & decipi in dogmatis, nisi sibi diligenter caveant. Neque enim cuilibet Prophetæ omnia revelantur. Ideo infra præcipit Apostolus, ut si alteri revelectur, prior taceat. Nimirum hoc est, ne quisquam sapiat ultra quam sapere oportet, seu supra mensuram & analogiam fidei quam adeptus est Rom. XII. 3. Quod si quispiam ex revelatis aliquid deducat vel deduci videat, nisi diligenter attendat, facile decipi & errare potest.

Vers. 13. *Uniuscujusque opus manifestum fiet.* Id est, doctrina, quam ad hoc ædificium adferat, seu id quod in hoc ædificio exstruat, manifestum fiet, si forte ab initio statim non omnibus pateat, quale sit: solent enim sæpe falsa dogmata pro veris, sicut & vera pro falsis accipi, sed non semper habebit fucus, detegetur.

Dies enim manifestabit. Sunt qui per diem tempus absolute intelligant, quod scilicet cum tempore tandem detegatur falsum non minus quam verum. Nam & veritas temporis dicitur filia, & falsa dogmata non male comparantur meretricibus, quæ cum juvenculæ sunt, multos habent amatores, ubi consenuerint, fastidiuntur. Sed Apostolus solita phrasi diem illum singularem adventus Christi designare videtur, de qua etiam quod reveletur, & quod in igne reveletur dicit, quod utrumque diei illi Christi optime congruit. Nam & igne Christus veniet, & dies illius, quamvis nondum reipsa existat, revelari dicitur, quatenus jam Dei decreto constituta est. Sic de Christo ipso dixit Apostolus Petrus, quod præcognitus sit ante constitutionem mundi, revelatus autem ultimis temporibus propter nos 1 Pet. 1. 20. Revelatus dicitur Christus quia fuit præcognitus. Adde, quod multa falsa dogmata duratura videantur ad ipsum Christi adventum, qui suo demum adventu finem illis faciet, videturque etiam Apostolus eidem diei salutem simul ipsorum hominum adscribere infra vers. 15. Docet igitur Apostolus diem illam adventus Christi manifestaturam quale cujusque opus sit seu qualem quisque doctrinam inædificet.

Quia in igne revelatur. Causam istius rei addit, quia, inquit, *in igne*, id est, cum igne *revelatur*, id est, revelabitur seu revelanda est. Respicit Apostolus ad id quod Christus sit venturus in flamma ignis 2 Thess. 1. 8, qui ignis, sicut omnibus aliis male factis, sic & falsis dogmatibus finem faciet. Qui tempus absolute intelligunt, per *ignem* hunc, vim temporis, falsorum dogmatum consumtricem intelligere habent necesse: cum tamen apertum sit ad ignem illum quem diximus, nempe in quo Christus veniet, respici.

Et uniuscujusque opus, quale est, ignis probabit. Rationem reddit consequentiæ, similitudini ædificiorum insistens. Ignis enim probare solet ædificiorum soliditatem & firmitatem.

Vers. 14. *Si cujus opus manet.* Id est, mansurum est, quod superædificavit. Docet quomodo ignis probabit, cujusque opus & quid secuturum sit. Id est, si cujus dogma ignis ille non perdet, non abolebit, Christo nimirum illud approbante.

Mercedem accipiet. Nempe singularem illam, doctoribus pro cujusque opera a Deo constitutam versu. 8.

Vers. 15. *Si cujus opus comburetur.* Id est, doctrina, improbante & damnante Christo, igne illo tolletur & abolebitur. Quæ enim Christus tum improbabit & damnabit, similitudinem quandam habebunt cum iis quæ proprie loquendo ignis ille comburet & abolebit.

Damno afficietur. Per amissionem scilicet illius eximiæ mercedis & gloriæ, quæ doctoribus Ecclesię constituta est.

Ipse autem servabitur. Nempe eodem illo die, non peribit ipse homo, ne quis eum periturum putet, quod malus esset doctor, quamvis bonus esset Christianus. Unde patet, hominem hic intelligi qui non ulla malitia vel pertinacia, sed mera ignorantia, animo tamen simplici & candido, falsum aliquod dogma inædificaverit fundamento illi ab Apostolis posito, cæterum ipse fuerit fide in Christum præditus & fidei fructibus abundaverit, nec hæresi aliqua perniciosa fidem & pietatem Christianam aperte demolitus sit. Profecto non magis, imo multo minus convenit, dogma de Christo quod sit unus ille Deus, cum dogmate fundamentali ab Apostolis posito, quod sit unius illius Dei Christus; quam ligna & stipulę conveniunt cum auro aut pretiosis lapidibus, & tamen si quis illud doceat animo simplici, nec habeat à quo revocetur in viam, nec damnet eos qui præter fundamentum ab Apostolis positum aliud non ponant, nec ipse illud expresse tollat, quin imo verum agnoscat, & contradictionem non videat, & vir præterea pius sit (si modo hæc omnia simul possint consistere,) an is propterea damnandus sit?

Sic autem tanquam per ignem. Docet quomodo servandus sit, propositæ similitudini convenienter. *Tanquam per ignem*, inquit, id est, tanquam si per ignem servaretur, aut eo modo quo servatur, qui per ignem, id est, per medium ignem servatur, seu qui ex ipsis flammis eripitur: ægre nimirum et cum maximo periculo, & ambustus, & omnibus amissis, sola vita retenta: sic & iste ægre & cum maximo periculo servabitur, & pudore amburetur, cum dogmata sua damnari audiet, & omnem suam operam, quam docendo impenderat, perdet, damnoque illo afficietur, de quo dictum est. Explicat enim his verbis id quod dixerat: *damno afficietur.* Itaque significat, nisi singularis Christi gratia & clementia accederet, doctoribus istis una cum suis dogmatis pereundum esse. Habet igitur causam quisque ut diligenter sibi caveat, ne fundamento ab Apostolis posito, ligna, fœnum, stipulas, & quicquid illi non congruat, superædificet. Locus hic ad purgatorium demonstrandum nihil facit: nam Apostolus loquitur de die adventus Christi, nec dicit hominem servatum iri per ignem, sed tanquam per ignem, ut diximus.

Vers. 16. *Nescitis quod templum Dei estis?* Redit ad reprehendenda illa schismata & schismatum auctores, argumento sumto ex proposita & tractata ædificii Dei, quod templum Dei est, similitudine: quasi dicat, probe scitis quod templum Dei sitis, spirituale nimirum,

mirum, & Hierosolymitano illo multo sanctius & perfectius.

Et (intellige, ...) *quod Spiritus Dei habitat in vobis.* Hoc addit tanquam certissimum argumentum prioris: quasi dicat, scitis probe, imo sensibus ipsis percipitis spiritum Dei in vobis habitare. Habitat ergo Deus in vobis per spiritum suum. At si Deus in vobis habitat, templum Dei vos esse necesse est. Docet non ipsam Dei personam in hominibus proprie loquendo habitare, sed Dei spiritum, Dei afflatum, per quem Deus cælestia sua dona & sic veluti seipsum hominibus communicat. Manifestum hic & discrimen, & in hoc discrimine conjunctionem videmus inter Deum & inter Dei spiritum, qui Spiritus sanctus est.

Vers. 17. *Si quis &c.* Infert hinc quam gravis pœna maneat schismatum auctores eorumque sectatores.

Templum Dei corrumpit. Id est, destruit, dissolvit, quod per schismata fieri necesse est.

Corrumpet hunc Deus. Id est, destruet, dissolvet per ignem illum æternum. Nam et iste discordiarum ignem immittit templo Dei illudque devastat.

Templum enim Dei sanctum est. Rationem reddit consequentiæ, id est, sacrum et inviolabile, non tantum non destruendum, sed nec ullo modo profanandum ac polluendum.

Qui estis vos. Repetit quod dixerat, ut se hic quoque de ipsis, non de Hierosolymorum templo loqui ostendat. Pronomen relativum sequitur numerum sequentis pronominis demonstrativi, pro *quod* (scilicet templum) *estis vos.*

Vers. 18. *Nemo seipsum decipiat.* Monet schismatum istorum duces et auctores, ut sibi diligenter caveant, et primum, ne quisquam seipsum decipiat, nempe vana opinione sapientiæ, seu sapientem se putans cum vere non sapiat: apparet enim sapientulos quosdam in Corinthiorum ecclesia fuisse, quod et cap. 1. ✝. 26 significaverat, qui cum essent ambitiosi et vanæ gloriæ cupidi, ut sapientibus istis usu venire solet, alii hunc, alii alium magistrum sibi legebant, et alii hos, alii alios sectatores sibi allegebant, et se suumque gregem cæteris Christianis præponebant et opponebant.

Si quis &c. Exponit quo pacto nemo seipsum decipere debeat.

Existimat sapiens esse. Id est, quod sit sapiens.

In vobis. Id est, inter vos Christianos.

In seculo hoc. Id est, in mundo hoc, quod non sit unus de vulgo, propterea quod sit doctus, quod Philosophus, quod literis et disciplinis humanis probe tinctus.

Stultus fiat. Id est, sapientiæ suæ renuntiet eamque nihili ducat, si scilicet Deo se opponat et peccandi causa sit, nam alioquin etiam humana sapientia Dei donum est.

Ut fiat sapiens. Nempe per Christi disciplinam: nam si sapientem esse se putaverit, veram sapientiam non discet.

Vers. 19. *Nam &c.* Rationem reddit dicti & moniti sui.

Sapientia mundi hujus. Id est, hominum.

Stultitia apud Deum est. Id est, Dei judicio & sententia, quoties scilicet Deo sese opponit.

Scriptum enim est. Rem sic se habere Scripturæ dictis demonstrat.

Qui comprehendit sapientem in versutia eorum. Unum Scripturæ dictum est quo docetur Deum esse qui comprehendat sapientes in versutia, id est, per versutiam eorum. Ipsi sua versutia, & cum maxime suam sapientiam intendunt, Deo serviunt, ut ab ipso comprehendantur & teneantur. Sapientes & astuti erant Judæorum sacerdotes & Pharisæi cum Christum in crucem agerent, hac enim ratione putabant, sese fidem in ipsum penitus abolituros esse; sed per hanc ipsam suam astutiam a Deo comprehensi sunt, dum eum suscitat ex mortuis, & eo rem deducit ut vel ipsi cogerentur contra omnem animi sui sententiam in crucifixum credere, vel si id facere recusarent, æterno contumeliam suam luerent exitio.

Vers. 20. *Et rursus.* Aliud scripturæ dictum refert. *Dominus novit cogitationes sapientum quod sint vanæ.* Id est, quod nihil solidi, nihil veri in se habeant, quoties scilicet Deo sese opponunt. Hinc idem Apostolus Philosophiam vanam dixit deceptionem, quod maxima ex parte talis sit. ô quam bene sibi consulerent mortales, si in divini sermonis cognitione sese quam maxime exercerent! Sermo enim Dei, Ipso Christo dicente, veritas est.

Vers. 21. *Itaque &c.* Concludit monitum de vitandis illis schismatis.

Nemo, intellige, *vestrum.* Proinde Christi fidem amplectentium.

Glorietur in hominibus. Id est, se hujus vel illius hominis esse dicat, ut hoc nomine sese præ cæteris Christianis efferat iisque præponat & opponat. *In hominibus.* Id est, de ullo homine.

Omnia enim vestra sunt. Causam adfert sui moniti: quasi dicat, indignum est & prorsus absurdum ut vos hujus vel illius hominis esse dicatis, & hoc nomine alii præ aliis gloriemini, cum omnia sint vestra, id est, vestris usibus, quoties opus est, inserviant.

Vers. 22. *Sive Paulus &c.* Quod in genere dixerat, speciatim & per enumerationem singulorum exponit, & primo seipsum nominat, de ipso enim agebatur & de Apollo & de Cepha. In iis quæ ad humiliationem pertinent semper Paulus vult esse primus. *Sive Paulus,* inquit: nemo Paulum exceptum putet. Et hic vester est, quia salutis vestræ minister est 2 Cor. IV. 5.

Sive Apollos. Etiam hic vester est non minus quam ego.

Sive Cephas. Id est, Petrus. Et hic quoque vester est eodem modo. Quam igitur absurde facitis, dum vos alii Pauli, alii Apollo, alii Petri esse dicitis, & ex eo gloriam alii præ aliis captantes, in partes & factiones scindimini? Vide quid Paulus de Petro senserit! an eum crediderit sanctissimum esse dominum nostrum, & papam, & caput, & Christi in dominatu vicarium, & universalem omnium Apostolorum & Episcoporum Episcopum, magis quam cuivis alii & Apostolo & Episcopo fas esset? Unde igitur Romano Episcopo tanta majestas qui se Petri successorem esse dicit, si ea in Petro neutiquam fuit nec esse debuit?

Sive mundus. Nulla causa est ut solos homines intelligamus in tam universali dicto. Itaque & homines in mundo omnes, et mundum ipsum nostrum esse dicit

Apostolus

Apostolus. Homines quidem omnes nostri sunt, etiam reges & maximæ potestates, quatenus omnes quoties opus est, usibus, & imprimis saluti nostræ inservire, eamque promovere coguntur, & nisi perire velint, nostri fieri, suscepta in Christum fide, necesse habeant: Mundus autem ipse noster est, quatenus nobis & vitam & spiritum & lucem & domicilium & res omnes huic vitæ necessarias præbet, quod etiamsi & aliis fiat hominibus, tamen hoc ex accidente est, & in piorum gratiam, qui quamprimum ex hoc mundo transferentur in mundum illum novum, protinus hic mundus cum omnibus aliis hominibus interibit.

Sive vita. Tam temporaria quam æterna. Soli pii & temporariæ & æternæ vitæ jus habent. Alii omnes usurpatores sunt vitæ præsentis, non justi possessores. Usurpant vitam, sed nullo jure: piis enim omnia pura, pollutis autem & non credentibus nihil est purum, proinde nec vita Tit. 1, 15.

Sive mors. Et hæc nostra est, quatenus nobis non interitum adsert, sed ad vitam multo meliorem & æternam transitum, nosque multis liberat molestiis.

Sive præsentia. Id est, quæ nunc usquam sunt.

Sive futura. Id est, quæ usquam futura erunt, quamvis nunc non sint, inter quæ & ipsius mundi interitus.

Omnia vestra sunt. Quasi dicat, omnia, inquam, a me commemorata & enumerata vestra sunt, quatenus vestro bono sunt, & vestris usibus inserviunt, ad vos tanquam ad suum finem & scopum, tanquam ad dominos & Dei filios, directa sunt.

Vers. 23. *Vos autem Christi.* Ostendit Christianos omnium quidem rerum esse finem, sed non ultimum: Christianos enim esse Christi tanquam Domini sui, ad Christum, tanquam ad finem ac scopum suum tendere, & ad ejus cultum ac gloriam referri. Hinc videmus omnia & mundum ipsum esse propter credentes in Christum, sed credentes in Christum esse propter Christum, non Christum propter ipsos. Hunc enim Deus in rerum omnium creatione primo ac principaliter spectavit, tanquam illorum scopum ac finem. Docet Apostolus, nos in solo Christo gloriari debere, et omnibus aliis hominibus nos longe anteferre, quod Christi simus.

Christus autem Dei. Quasi dicat, nec Christus ultimus est rerum omnium et nostri finis. Et ipse Christus habet finem suum, nempe Deum, cujus est totus, quippe ipsius Filius, ab ipso genitus, & quantus quantus est, Dei opus est, Deum Patrem et auctorem sui habet, proinde etiam totus in Dei gloriam tendit & fertur, & consequenter nos quoque, qui in Christum ferimur, in Christo non conquiescimus; sed per Christum ferimur in ipsum Deum, qui ultimus rerum omnium & nostri & Christi finis est. Vide hic discrimen inter Deum & inter Christum.

CAPUT. IV.

Vers. 1. S*Ic nos putet &c.* Pergit Apostolus & docet quid de se & Apollo & Petro existimandum sit, ut tanto magis schismata illa et factiones coërceat. *Nos.* Me scilicet et Apollo et Petrum modo nominatos, et ex quibus factiones ducitis.

Sic putet. Id est, reputet, *homo*, id est, quisque, per Hebraismum.

Tanquam ministros Christi. Id est, non pro aliis nos ducat quam pro ministris Christi, proinde nemo de nobis diversas ducat familias.

Et dispensatores mysteriorum Dei. Explicat in specie ministerium istud: nam ministrum Christi esse generale est: quasi dicat, tales sumus ministri Christi, quibus commissa est dispensatio mysteriorum Dei, id est, arcanorum Dei, de salute generis humani decretorum. Non nostra dogmata docemus, sed Dei mysteria dispensamus, docendo videlicet et communicando aliis ex rerum et temporum usu: proinde non est ut diversas de nobis sectas ducatis. Dei mysteria sunt quæ docemus omnia, non nostra. Nec in illis nostrum ulliûs sapientiam, nostras opes miremini, sed Dei; quidquid in nobis conspicitis et suspicitis, Dei donum est.

Vers. 2. *Quod reliquum*, intellige *est*. Nempe quod ad aliquam laudem et commendationem dispensatorum pertineat.

Quæritur in dispensatoribus ut fidelis aliquis reperiatur. Hoc si in dispensatore fuerit repertum, laudatur et præmio dignus judicatur. Fidelis autem est mysteriorum Dei dispensator, qui ea sic docet sicut illi sunt concredita, nihil illis addit, nihil demit, nihil in illis mutat, nec ullam eorum pro rei exigentia dispensandorum occasionem negligit.

Vers. 3. *Mihi vero &c.* Occurrit objectioni, ne quis dicat; hoc ipsum est Paule quod in te admiramur, et ob quod te merito magnifacimus. Mihi vero, respondet Paulus, *In minimum est.* Id est, pro minimo est, sic fides in justitiam reputari dicitur, id est, pro justitia, per Hebraismum.

Ut a vobis dijudicer. Id est, per diligentem inquisitionem pro fideli agnoscar et statuar, per metonymiam causæ pro effectu.

Aut ab humana die. Id est, aut ab hominum ullorum judicio. Dies ponitur pro judicio, quod judicio certa dies soleat constitui. Hinc illud, diem alicui dicere. Humana dies est judicium quod ab hominibus peragitur. Addit hoc Apostolus de quorumvis hominum judicio, ne putarent suum tantum judicium a Paulo parvi pendi.

Sed neque meipsum dijudico. Addit aliis hominibus etiam seipsum: quasi dicat, non tantum aliorum omnium hominum judicium, quo me absolverent, pro minima re duco, sed neque meipsum, qui mihi multo melius notus sum quam aliis, dijudico, id est, absolvo, justum et insontem pronuntio.

Vers. 4. *Nullius enim mihi conscius sum &c.* Rationem reddit dicti, per prolepsin: poterat enim aliquis inferre. An ergo Paule male tibi conscius es? Haudquaquam, inquit: Quasi dicat: nam etiamsi mihi nullius malefacti sim conscius, tamen non in hoc etc.

Sed. Sed pro *tamen* ut 2 Cor. IV. 16, *non in hoc*, id est, per hoc et propter hoc, quod nullius rei malæ mihi sim conscius.

Justificatus sum. Id est, absolutus et justus pronuntiatus, absolute nimirum et simpliciter. Non negat Apostolus justificatum iri hominem Christianum,

qui

qui sibi nullius culpæ sit conscius, cum alter Apostolus dicat; dilecti, si cor nostrum nos non accusat, fiduciam habemus ad Deum &c. 1 Joh. III. 21, 22. Sed negat ullum per hoc & propter hoc, id est, istius solius rei vi & efficacia, quod nullius delicti sibi conscius sit, justificatum iri, cum aliqua in nobis delicta esse possint a nobis non animadversa, unde Psaltes, *Ab occultis*, inquit orans Deum, *munda me*.

Qui vero dijudicat me, Dominus est. Docet cui vere competat, ut Paulum, & consequenter omnes alios dijudicet, id est, vel absolvat vel damnet, quique etiam id omnino facturus est. *Dijudicat*, id est, dijudicandi jus & facultatem habet, & per enallagen, dijudicaturus est. Hunc Dominum esse dicit, id est, Christum, qui sub novo Testamento absolute Dominus dicitur, et hoc titulo a Deo, qui absolute Deus appellatur, distinguitur. Christus enim Dominus et judex omnium a Deo effectus est.

Vers. 5. *Itaque ne ante tempus aliquid judicate*. Ex dictis monet Corinthios, ne ante tempus aliquid, id est, aliquid magnum et eximium de quoquam judicent, id est, ne quenquam absolvant et justum pronuncient. Solet enim *aliquid* rebus opponi vulgaribus 2 Cor. III. 5.

Donec veniat Dominus. Exprimit hoc tempus, ante quod aliquid judicare oon debeant, idque dicit esse tempus adventus Domini, id est, Christi, ad judicandum vivos et mortuos: quasi dicat, cujus solius est judicare de omnibus.

Qui & illuminabit occulta tenebrarum. Per genitivum causæ. Tenebræ enim rem occultant, lux ostendit. Docet Christum in suo judicio etiam occultissima facta et opera cujusque in lucem prolaturum, ut omnibus pateant. Solent enim et pii multa clam bona opera facere, ut se soli Deo approbent, et mali mala, ut hominnm censuram et notam effugiant. Hæc omnia Christus palam faciet.

Et manifestabit consilia cordium. Id est, animorum deliberata proposita, quamvis in facta et opera non exierint, ostendet, quid quisque spectarit, quid intenderit: quod amplius etiam est quam illud prius. Locus hic docet, Christum omnia nobis conscire, proinde divinam plane sapientiam illi inesse, quam etiam nisi haberet, quo pacto judicium illud perfectum et universale de omnibus posset agere? Corda ponuntur pro animis, solita scripturæ phrasi, per metonymiam continentis, et consilia pro consultis seu cum consultis, per metonymiam synecdochicam.

Et tunc laus erit unicuique a Deo. Effectum seu consequens exprimit facti Christi. *Et tunc*, quasi dicat, nunc quæ laus est, ab hominibus est, sed tunc, cum scilicet facta cujusque et consilia patebunt, laus erit unicuique a Deo. Deum ponit pro Christo, quia Deus judicabit in Christo, et Deum opponit hominibus, qui in laudandis aliis sæpe vani sunt.

Unicuique. Intellige probo & fideli, de talibus enim loquitur ℣f. 2.

Laus erit a Deo. Deum ipsum & Christum laudatorem habebit, & consequenter omnes sanctos & homines & Angelos. Hæc vera & solida laus erit. De sola laude loquitur Apostolus, nulla mentione facta vituperii, quia etiam de sola laude agebatur ℣f. 3 & seqq. Cæterum ex contrario facilis est intellectus contrarii. Fieri enim potest, ut multi nunc laudibus evehantur in cælum, quos in adventu Christi apparebit nihil minus fuisse quam fideles & sanctos, proinde quorum laus vertet in sempiternum opprobrium. E contra etiam multi nunc hominum premuntur invidia & vituperiis, quos iosontes & sanctos fuisse dies ille deteget, & breve opprobrium, æterna gloria compensabit.

Vers. 6. *Hæc autem, fratres, transfiguravi in meipsum & Apollo*. Docet quo fine & consilio tam humiliter de se & Apollo loquatur, (idque etiam de Petro vult intelligi, quamvis eum non nominet) ne quis existimet Paulum de industria sese demittere, ut perversa via gloriam captet, vel Apollo laudibus aliquid ex invidia & obtrectatione detractum ire.

Transfiguravi in meipsum & Apollo. Id est, in mea ipsins & Apollo persona vobis proposui, non in genere locutus sum, quod poteram. *Propter vos*. Id est, vestri causa. *Ut in nobis*. Id est, in exemplo nostro, qui vobis tanti viri, tantæ dignitaris videmur, ut a nobis nomina vobis faciatis & in partes scindamini.

Discatis non supra quam scriptum est. In superioribus, videlicet cap. III. 5 & seqq. et hoc ipso cap. ℣f. 1.

Sentire. Nempe sive de vobis ipsis, sive de ullo alio in Ecclesia Christi doctore, etiam de Petro ipso.

Ut non unus pro uno. Id est, alter pro altero, alter videlicet pro alterius laude et gloria.

Inflemini adversus alterum. Id est, per metonymiam causæ, adversus alterum studiis et factionibus certetis, quod ex vano animi tumore supra cæteros eminere volentis proficiscitur. Nam qui pro alterius gloria, studiis et factionibus certant, et ipsi privatim suæ gloriæ in eo velificantur; alienam in speciem laudem quærunt, revera captant suam. Hoc Apostoli monitum si expendissent Christiani, nunquam vanos homines, Philosophos, imitati, in tot sectarum pudenda nomina discessissent.

Vers. 7. *Quis enim te discernit?* Alio argumento coarguit factiosos, qui se discernebant ab aliis, oratione ad factiosum quemlibet conversa: quasi dicat, non Deus, non Christus te discernit et segregat a cæterorum christianorum grege, unde ergo vel tu, vel ullus alius hoc sibi juris usurpat?

Quid vero habes quod non acceperis? Nempe a Deo, ex Dei dono et gratia. Ne factiosus dicat se habere quæ cæteri non habeant, et se multum præstare aliis, respondet Apostolus, hæc omnia Dei dona esse.

Si vero & accepisti. Id est, si vero non solum habes, sed et accepisti quæ habes, et quibus præstas cæteris, omnia ex Dei dono & gratia.

Quid gloriaris tanquam non acceperis? Id est, nullam causam habes ut ob ea te jactes & animo afferaris, tanquam si ea ex te ipso haberes, tuis viribus, tua industria parta, non ex Dei gratia accepta, quid se jactat cornicula plumis alienis ornata? Gloriari hoc loco in vitio ponitur pro jactantia, & per metonymiam effecti, pro animi elatione & tumore sectarum & factionum causa sumitur. Nam qui animo sunt elati ac tumidi libenter gloriantur, & suas laudes prædicant.

Vers. 8. *Jam saturati estis*, intellige, *ut video*. Exagitat gravi ironia istas ipsorum factiones & schismata: quasi dicat, video vobis jam nihil ad vitam beatam deesse, quandoquidem vobis vacat ambitione & studiis

diis & factionibus certare ac partes facere. Metaphoram ab hominibus saturis sumit, qui nihil amplius ex cibis & potu expetunt, & ex saturitate lasciviunt.

Jam divites facti estis. Alia metaphora idem significat, video vos nullo defectu, nulla premi paupertate, omnia vobis ex voto affluere.

Sine nobis regnastis. Id est, regnatis, per Hebraismum. Video vos sine me regnum adeptos esse. Nam cum vobiscum essem, procul adhuc a regno aberatis, variis injuriis & vexationibus mecum expositi. Tertiam usurpat metaphoram. Surgit autem in istis metaphoris apostoli oratio, plus enim est divitem esse quam saturum, & regnare quam esse divitem: quasi dicat, regum enim est de gloria certare. Significat autem apostolus, tempus aliquando fore ut saturemur, ut divites simus, ut regnemus, sed nondum esse; quod ubi venerit, omnes simul saturabimur & divites siemus & regnabimus, non alii sine aliis.

Et utinam quidem regnaretis. Quasi dicat, & sane hoc ita se habere cuperem ex animo.

Ut & nos vobiscum regnaremus. Quasi dicat, fieri enim non posset, quin & ego una vobiscum regnarem, quam enim hoc iniquum foret ut vos in regno sine me essetis, at ego nunc a regno longissime absum Unde colligere licet, & vos haudquaquam regnare, & tamen sic agitis tanquam si regnum obtineretis. Loquitur apostolus de se in numero plurali, ut apparet ex sequentibus.

Vers. 9. *Existimo enim* &c. Negaverat se regnare, nunc id probat, quasi dicat, tantum enim abest ut regnem, aut regnare me existimem,

Ut existimem quod Deus nos apostolos ultimos. Id est, me, qui Petri et cæterorum apostolorum respectu sum ultimus, quippe post omnes ad apostolicum munus vocatus. Loquitur autem de se, ut dictum est, numero plurali, et per communicationis figuram, modestiæ causa. Innuere videtur apostolus id sibi objectum fuisse ab ambitiosis et factiosis, quod esset ultimus apostolorum, et hoc nomine Petro longe postponendus.

Exhibuerit tanquam morti damnatos, ἐπιθανατίους. Bestiarii seu ad bestias damnati κατ' ἐξοχὴν hoc nomine vocabantur: quasi dicat apostolus, tantum absum a regno, quantum bestiarii a regibus, infimæ et calamitosissimæ sortis homines a beatissimis. Non dicit se esse damnatum ad bestias, sed similem illis. Nam et in morte seu vitæ periculo perpetuo versabatur, et tandem mortem, eamque truculentam, pro Christo erat obiturus.

Quia spectaculum facti sumus mundo. Causam adfert cur hac similitudine sit usus. Solebant enim a principibus ἐπιθανάτιοι exhiberi ad spectandum populo, ideo et verbum exhibendi usurpavit. Et ego, inquit, spectaculum sum factus, idque non unius alicujus urbis aut civitatis populo, sed toti mundo, id est, totius mundi incolis, per metonymiam continentis pro contento.

Et angelis & hominibus. Explicat hos mundi incolas, eosque dicit esse & angelos & homines, angelorum nomine tam bonos quam malos intelligit. Nam & mali in aëre habitant, & boni in hunc mundum a Deo mitti, & utrique inter homines versari solent. Ait igitur apostolus, & angeli & homines, tam boni quam mali, meos spectant labores, mea certamina, meas calamitates, quas ubique pro Christo sustineo; hic lapidor, hic virgis cædor, hic fuste percutior, hic in carcerem conjicior, hic expellor, aut alia aliqua calamitate afficior, & angelis & hominibus ad hoc spectaculum intentis & attonitis. Nimirum Deus ipse est, qui me talē exhibuit, ut me vere suum apostolum esse ostenderet.

Vers. 10. *Nos stulti propter Christum &c.* Pergit in describenda sua sorte calamitosa, eique beatam Corinthiorum sortem continuata ironia opponit. Ego, inquit, stultus, id est pro stultissimo mortalium a mundo habeor.

Propter Christum. Id est, propterea quod Jesum crucifixum credam & profitear & prædicem esse Christum illum Dei, ex mortuis suscitatum a Deo & dominum ac regem cælestem effectum.

Vos autem prudentes in Christo. Dispar est vestra conditio meæ & plane contraria, id est, vos a mundo pro prudentibus habemini in eo quod Christi fidem & disciplinam estis amplexi. Ironice, ut cœperat ℣. 8, hoc & sequentia de Corinthiis enunciat, Christus hic per metonymiam ponitur, pro fide & disciplina quam tradidit.

Nos infirmi. Id est, ego injuriis omnibus expositus et afflictissimus, per metonymiam causæ.

Vos autem robusti. Id est, earum virium ut sitis extra omne injuriarum et afflictionum periculum, nemo vos tangere ausit.

Vos gloriosi. Id est, gloria inclyti apud mundum, ob Christi nomen & fidem in ipsum susceptam.

Nos autem sine honore, ἄτιμοι. Id est, despecti, contempti, omni honore privati, infames, proscripti propter Christum ejusque disciplinam et fidem.

Vers. 11. *Ad præsentem horam.* Ne quis eum dudum preterita et transacta mala commemorare putet.

Et esurimus & sitimus. Pro eo quod vos jam saturi sitis.

Et nudi sumus. Pro eo quod vos jam divites evaseritis.

Et colaphis cædimur. Ab adversariis veritatis.

Et incertis sedibus vagamur. Pro eo quod vos jam regnetis, nusquam habemus ubi consistamus, seu ut Christus ipse de se loquitur, ubi caput reclinemus, propter continua itinera et pericula, ob euangelii prædicationem.

Vers. 12. *Et laboramus.* Quem laborem intelligat statim exprimit.

Operantes propriis manibus. Nempe ut nobis victum et vitæ necessaria quæramus, euangelium gratis prædicantes, ne videamur illius prædicatione victum & opes quærere, qua de re infra cap. ix. Hæc nos patimur, & vos interea jam regnatis.

Convicus affecti benedicimus. Docet etiam qua modestia & innocentia agat in maximis injuriis, quod vere Christianum est. Nam affligi & premi & malis istis quæ dixit omnibus affici possunt & alii homines, quanquam non ultro, sicut apostolus, qui hæc ultro patiebatur propter Christum, sed inviti: at injurias summa cum modestia perferre soli possunt & norunt Christiani. Λοιδορούμενοι, quia mox blasphemiatum meminit, intelligit hoc loco voces & dicta, acerba quidem & iniqua, cæterum magis vulgata, & ideo famæ minus noxia.

Benedicimus. Id est, bene precamur pro imprecationibus, quas regerere solent impetiti convitiis, precamur, inquam, conviciatoribus nostris veniam a Deo & pœnitentiam.

Persecutionem patientes, toleramus. Id est; vim vi non repellimus, malum pro malo non reddimus, persecutionibus & persecutoribus solam et innoxiam opponimus tolerantiam.

(C) Vers.

Verſ. 13. *Blaſphemus affecti.* Id eſt, dictis probroſis & contumelioſis, famam & exiſtimationem lædentibus, cum, verbi cauſa, malefici, ſeductores, apoſtatæ, impii, facinoroſi, perfidi &c appellamur.

Rogamus. Id eſt, nihil aliud quam deprecamur blaſphemias, & nos inſontes eſſe teſtamur, non tam noſtræ in eo famæ, quam divinæ gloriæ & muneri quod gerimus, & fidei quam prędicamus, conſulentes.

Tanquam purgamenta mundi facti ſumus. Id eſt, viliſſimis hominibus ſimiles, quorum ſanguine urbes & populi luſtrabantur. Sic nos non in una aliqua civitate aut populo, ſed ubique & in toto mundo habemur, noſtro ſanguine & cæde, noſtra morte ſe maxime luſtratum iri totus mundus putat. Iterum opponit mundum uni alicui populo, ſicut ℣ſ. 9.

Omnium everriculum. Ab omnibus & undique everrimur, tanquam ſordes & quiſquiliæ.

Uſque nunc. Ne quis putet me vetera, non præſentia referre. Vide ℣ſ. 11.

Verſ. 14. *Non pudefaciens vos ſcribo iſta.* Purgat ſe, id eſt, non eo animo iſta ſcribo ut vos pudefaciam, quod ſcilicet conditionem & ſortem veſtram non expendatis, & quod, dum ego talia ac tanta patior, vos interea ſtudiis & factionibus certetis, & de inaniſſima gloria dimicetis, tantaque inter me & vos ſortis & conditionis ſit diſparitas, quæ debebat eſſe communis.

Sed tanquam filios meos dilectos moneo. Id eſt, monendi cauſa hæc ſcribo, idque merito, quippe filios meos dilectos. Particula *tanquam*, hoc loco vim habet cauſæ: Filii mei, iique dilecti eſtis, ideo, ut patrem decet, vos moneo, abſtinete ab iſtis contentionibus & ſchiſmatis, veſtram & meam & communem omnium Chriſtianorum ſortem expendite, quæ eſt affligi in mundo, ut per iſtiuſmodi afflictiones tandem æternam & cæleſtem adipiſcamur gloriam.

Verſ. 15. *Nam etiamſi decies mille pædagogos haberetis in Chriſto, non tamen multos patres.* Cauſam adfert ob quam ipſos filios ſuos appellaverit, per prolepſin. Dicere aliquis poterat, habemus nos alios præter te patres, qui nos moneant. Reſpondet Paulus, quod dixi merito dixi: non enim patres iſti ſunt, ſed pædagogi, quorum ſi vel decies mille haberetis, at non multos patres habere poteſtis, id eſt, non poteſtis habere niſi unum patrem qui vos genuit. ſed per μίωσιν loquitur, invidiæ vitandæ cauſa. Egregie apoſtolus doctores qui ſucceſſerant, pœdagogos appellat. Solent enim pædagogi patrum vicem fungi in filiis inſtituendis.

In Chriſto Jeſu. Id eſt, in Chriſti Jeſu diſciplina, per metonymiam cauſæ, ut ſupra ℣ſ. 10.

Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui. Quia ſe patrem illorum eſſe ſignificaverat, cauſam addit. *Nam*, inquit, *in Chriſto Jeſu.* Id eſt, in fide Chriſti Jeſu, ſeu fidei Chriſtianę reſpectu.

Per Evangelium. Id eſt, per bonum nuntium de Chriſto Jeſu, quem vobis primus attuli, & divinis operibus confirmavi.

Ego vos genui. Dum ſcilicet vos ad fidem huic nuntio habendam adduxi, & vos effeci Chriſtianos. Non peccat autem apoſtolus contra præceptum illud Chriſti: *Et patrem non appelletis veſtrum in terris. Unus enim eſt pater veſter, qui in cælis eſt* Matth. XXIII. 9. Neque enim apoſtolus ſemper & abſolute pater vult appellari à Chriſtianis, aut ab illis appellatus eſt, quod Chriſtus vetat, ſed ex occaſione tantum & è re nata patrem ſe illorum eſſe certo quodam reſpectu ſignificat, quod Chriſtus non prohibet.

Verſ. 16. *Rogo igitur vos.* Inſert admonitionem paternam ad filios.

Imitatores mei eſtote. Ut filii patris: animo eſtote humiles, neminem ſpernite, ab æmulationibus & contentionibus, & vanæ gloriæ ſtudiis, & conſequenter a ſchiſmatis abſtinete, unitatem & concordiam in Chriſto Jeſu, & quidquid bonorum & ſanctorum operum uſquam eſt, totis viribus conſectamini. Idem monitum repetit infra cap. XI. 1.

Verſ. 17. *Propter hoc.* Ut ſcilicet me imitemini.

Miſi vobis Timotheum. Quaſi dicat, cum ipſe venire non potuerim, veſtri tamen ſingularem curam gerens, miſi vobis Timotheum.

Qui eſt filius meus dilectus & fidelis. Singulari nimirum ratione. vid. 1 Tim. IV. 6. 2 Tim. III. 10, 11, proinde quaſi alter ego.

In Domino. Id eſt, Chriſto, qui ab apoſtolo dominus abſolute appellari ſolet, & hoc titulo ab uno illo Deo patre ſuo diſtingui. Explicat qua ratione Timotheum filium ſuum dilectum & fidelem appellet, nempe *in domino*, quatenus ſcilicet eum ad fidem in dominum Jeſum adduxerat, & tanquam pater filium in opere domioi comitem à puero habebat.

Qui vobis in memoriam revocabit vias meas. Id eſt, actiones & converſationes meas, conſueta Hebræis metaphora.

Quæ in Chriſto. Intellige, *ſunt*, id eſt, quæ ad Chriſti ſanctiſſimam religionem pertinent.

Sicut ubique in omni eccleſia doceo. Explicat quid per vias iſtas intelligat, catholicam doctrinam, & conſequenter ſuos mores doctrinę iſti conformes, quorum Timotheus optime gnarus erat. Significat apoſtolus, Chriſtianis proponenda eſſe catholica, id eſt, omnium locorum et temporum ab apoſtolorum prædicatione dogmata. Ad ſalutem neceſſarium non eſt, quod non ubique nec in omni eccleſia ſemper fuit prædicatum, ſi vero etiam iis, quæ ſemper et ubique prædicata fuerunt, adverſetur, hæreticum eſt. Id autem quod catholicum et apoſtolicum eſt, ex ſcriptis euangeliſtarum et concionibus apoſtolorum, in eorum actis a Luca proditis, et ex propriis apoſtolorum, quę extant, epiſtolis oſtendi debet, non ex narrationibus eorum qui ipſi jam in partes abiverant, et ut ſuis dogmatis ex prava ſcripturę interpretatione hauſtis, fidem facerent, ea male conſutis hiſtoriis ad apoſtolos revocabant, ſeque in poſſeſſione catholiciſmi, excluſis veris poſſeſſoribus, quippe docti et eruditi, ſimplices et idiotas collocabant.

Verſ. 18. *Tanquam non veniente*; id eſt, non venturo, per enallagen temporis, *autem me ad vos.* Notat ſchiſmatum incentores, qui Pauli abſentia abutebantur, quaſi Corinthum ipſe rediturus nunquam eſſet, ut immorigeros coërceret.

Inflati ſunt quidam. Id eſt, animo tument & eminere volunt, videntur ſibi aliquid eſſe, & ideo ut emineant, ſchiſmata iſta excitant.

Verſ. 19. *Veniam autem cito ad vos.* Promittit iis ſuum adventum, idque brevi.

Si dominus, id eſt Chriſtus, *voluerit.* In cujus videlicet manu conſiliorum et propoſitorum meorum

effectus

effectus et eventus est. Hanc conditionem semper addere, aut animo saltem complecti debent, qui aliquid sese facturos dicunt Jac. 2. 13, 14, 15. Locus hic argumentum continet Christi providentiæ, qua suorum consilia & proposita omnia spectat, eaque pro suo arbitratu vel promovet vel impedit.

Et cognoscam. Nempe ex effectis.

Non sermonem inflatorum. Quasi dicat, scio enim illos disertos, & ideo etiam inflatos esse, neque ipsum ab iis, quod sibi disertus & eloquens non videar, contemni & fastidiri 2 Cor. x. 10. xi. 6.

Sed potentiam. Id est, non quid verbis, sed quid factis & rebus ipsis possint. Intelligit autem potentiam seu spiritum divinum, cujus effectus erant varia opera divina, quæ nullis naturæ viribus, nulla arte perfici possunt, qualis humana eloquentia non est.

Vers. 20. *Non enim in sermone*, intellige, *consistit.* Causam addit dicti.

Regnum Dei. Id est, regni Dei, quod per Christum exercet, effectus, cum multi etiam extra Christi regnum & ecclesiam eloquentiæ gloria excellant.

Sed in potentia. Nimirum divina, ut diximus, per quam fiunt quæ nullis naturæ & ingenii humani viribus fieri possunt.

Vers. 21. *Quid vultis?* Significavit sibi divinam vim & virtutem inesse, qua etiam immorigeros castigare, vel satanæ tradere possit, de qua etiam vide 2 Cor. x. 8. xii. 20, 21. xiii. 2, 3, 4, 6, 10, & mox cap. v. 5. Ideo hac occasione quærit quid velint Corinthii? significans id in ipsorum positum esse arbitrio ac voluntate.

In virga. Id est, cum virga, cum pœnis & castigationibus, per varias corporis afflictiones. Loquitur per metaphoram metonymicam. Virgis enim castigatur corpus.

Veniam ad vos? Adventum enim suum illis pollicetur.

An in charitate. Id est, cum charitate.

Et spiritu mansuetudinis? Hoc addit, ut charitatis vocem restringat. Nam etiam in virgis & castigationibus charitati locus est, & esse debet. Ideo eam se charitatis partem vel speciem intelligere dicit, quæ in spiritu mansuetudinis cernitur, cum omnis ira, omnis severitas, omnis pœna & virga abest, cum omnia sunt dulcia, omnia læta, nihil amarum & triste. Spiritum mansuetudinis, Hebræa phrasi, ponit pro ipsa mansuetudine. Nam quibus rebus quasi afflati dici possumus, iisdem spiritus appellatio per eandem metaphoram convenienter tribuitur. Sic dicitur spiritus sapientiæ, timoris, fidei, & similia, & hoc loco spiritus iste mansuetudinis charitati conjungitur. Significat igitur apostolus, se utroque modo cum illis agere posse, & utro modo agat, in illorum esse voluntate. Si bene se gerant & ex Christianæ pietatis præscripto, summa se mansuetudine cum illis acturum, sin exorbitent, & castigari opus habeant, in promtu sibi virgam fore, eaque se non sua sponte, sed illis ipsis sic volentibus adversus ipsos usurum.

CAPUT V.

Vers. 1. Omnino auditur. Virgæ mentione facta commemorat enorme inter ipsos factum, ut doceat, se non frustra virgam illis comminari. *Omnino* ὅλως, quasi dicat, ut nequid celem.

Auditur. Id est vulgi rumoribus fertur.

In vobis. Id est, inter vos, qui Christi nomen istic profitemini.

Scortatio. Id est, illicitus concubitus. Solet enim scortationis vox, per synecdochen speciei, pro quovis illicito concubitu accipi.

Et talis scortatio qua neque in gentibus nominatur. Quasi dicat, nec communis illa inter gentes scortatio, quæ tamen a Christianis, sancto Dei populo longissime debet abesse.

Sed qua neq; in gentibus. Id est, inter gentes profanas,

Nominatur. Id est, narratur proinde nec auditur. Non negat apostolus esse inter gentes, sed negat vulgo ferri, ut si fit, valde occultetur propter turpitudinem ac fœditatem. Nam si qua exempla erant, vulgo nota non erant. Nec negat unquam nominatam fuisse, sed nominari, illo videlicet tempore. At iste Christianus etiam id imputabat, credo, quo se liberum & libertatis suæ gnarum esse ostenderet. Hinc infra scortationem haudquaquam ad libertatem Christianam pertinere docet cap. vi. 13. *Adeo ut uxorem quidam patris habeat.* Exprimit rem, quasi dicat, adeo nefanda scortatio, ut quidam ex vobis Christianis uxorem patris, seu novercam suam habeat, id est, ea pro uxore utatur. Rem turpem & inhonestam honesto sermone velavit.

Uxorem patris. Id est, quæ fuit uxor patris, patre jam vita functo, vel etiam quæ a patre divertit aut repudiata est, aut in patris thalamo hærens cum filio consuescebat. En sanctitatem vestram, ut ea inter vos Christianos perpetrentur, quæ etiam impuræ gentes horreant.

Vers. 2. *Et vos inflati estis.* Dicere poterant, quæ ab uno aliquo fiant, omnibus non debere objici. Ideo docet quo pacto & ipsi hujus criminis sese fecerint participes, quod scilicet, cum hæc inter ipsos fiant, illi inflati sint, id est, animo tumidi, studiis & factionibus inter se de gloria certent.

Et non potius. Intellige, quam ut inflaremini.

Luxistis. Id est, cum mœrore & luctu in ecclesiam convenistis.

Ut tollatur è medio vestrûm qui opus hoc fecit. Id est, ut excommunicetur. Solebat enim ecclesia in luctu esse quoties aliquem excommunicabat. Et sane merito, nam si eos qui secundum carnem moriuntur lugemus, quanto magis lugendi & deflendi sunt, qui secundum spiritum moriuntur. Sed Corinthiis fratribus, vana sua existimatione tumentibus, & vanæ laudis certamine occupatis, non vacabat aliorum crimina lugere, & ad purgandam ecclesiam animum advertere.

Vers. 3. *Nam ego.* Rationem addit ob quam illi hominem istum excommmunicare debuerint, a suo sumtam exemplo. *Nam*, inquit, *ego quidem tanquam absens corpore, præsens autem spiritu.* Particula *quidem* in apostoli verbis transposita est, cujus proprius situs erit si legamus,

Nam ego, tanquam absens quidem corpore, præsent autem spiritu. Id est, sed præsens spiritu. Δὲ pro ἀλλά, quasi dicat, nil refert quod corpore a vobis absim, sufficit si spiritu, id est, animo præsens sim. Animo enim, mente & cogitatione aliquis ibi potest esse, ubi corpus non est, præsertim in Prophetis, qui etiam longe dissita per spiritum divinum videre, & iis veluti interesse possunt, cujus rei exemplum in Elizæo & Gihezi legimus 2 Reg. v. 26.

Jam judicavi. Id est, decrevi et apud me constitui.

Tanquam præsens. Id est, non aliter ac si corpore vobis adessem.

Hunc qui sic. Id est, contra omne fas, omnem pudorem & honestatem. Exaggerat factum, ut decreti tam severi justitiam et æquitatem demonstret.

In nomine domini nostri Jesu Christi. Id est, auctoritate domini nostri Jesu Christi, qui id mihi juris dedit, ut nomen et auctoritatem suam, in rebus ad gloriam ejus et ecclesiæ salutem spectantibus, possim interponere.

Congregatis vobis & meo spiritu. Id est, in congregatione vestri, seu cum ecclesia vestra convenerit, cui etsi non corpus meum, tamen spiritus meus aderit. Merito congregationis meminit, quia in ecclesia excommunicatio fiebat. Apparet autem Corinthiorum ecclesiam, quamvis schismatis istis laboraret, nihilominus convenire solitam, et in ipsis conventibus studia ista partium exercuisse; quod et cap. xi. 17, 18, et seqq. expresse iis objicit apostolus.

Cum potentia domini nostri Jesu Christi. Quasi dicat, aderit et haud dubie potentia domini nostri Jesu Christi, quæ effectum dabit id quod ego in nomine ejus tum patrare decrevi. Locus hic docet, potentiam et consequenter providentiam Christi, ecclesiis adesse, quem et idcirco dominum nostrum hoc loco expresse appellat, ut istius rei causam et rationem insinuet. Et si Prophetæ per spiritum divinum dissitissimis in locis adesse possunt, quanto magis ipse Christus, qui *secundum spiritum sanctitatis*, quo scilicet a Deo sanctificatus est, filius Dei, id est, rex populi divini constitutus est Rom. 1.4. Etiam mens humana in somnis sola naturali facultate, dissitissima, imo et futura videt, aliquando et citra somnum.

Tradere hunc talem satanæ. Exprimit quid decreverit. Necdum enim tradiderat istum satanæ, sed id decrevisse se scribit. Tradebantur autem isti tales satanæ, sicut malefici tradi solent carnifici. Nam sicut carnifex nullum jus ac potestatem habet in maleficum & facinorosum, antequam in manus ejus a magistratu tradatur, sic neque satanas in hominem, præsertim Christi nomen professum. Porro is tantum aliquem satanæ tradere potest, cui satan hac in parte subjectus est, sicut carnifex subjectus est magistratui, id est, cui hac in parte adest Christi potentia, quæ satanam obsequi cogat: quæ res, quia pertinet ad miracula, ideo ecclesia id sibi arrogare non debet, ut aliquem satanæ tradat. Apostolicum hoc erat, qui divina Christi potentia instructi & hoc & alia miranda opera facere poterant. Sic idem Apostolus Hymenæum & Alexandrum a fide Christiana apostatas & blasphemos tradidit satanæ, ut discerent non blasphemare 1 Tim. 1.20. Ecclesiæ nihil amplius est juris, quam Christiano nomine indignos è medio sui tollere, id est, excommunicare, & ab apostatis, qui se ab ecclesia separarunt, vicissim sese separare. Cætera Christo committenda sunt, ad quem etiam preces ab ecclesia fundi fas est, ut quosdam, præsertim apostatas, blasphemos & persecutores, satanæ tradat, si id & gloriæ suæ et istorum ipsorum aut saltem aliorum saluti expedire videat, quæ excommunicatio preces ejusmodi adjunctas habens, vocabatur *anathema maran atha*, cujus et apostolus facit mentionem infra cap. xvi. 22.

In exitium carnis. Docet quo fine eum tradere satanæ velit, nempe eodem fine quo maleficus tradi solet carnifici, ut caro ejus perdatur, & consequenter ipse præsentem amittat vitam, quod satanas facit per morbos & varias corporis afflictiones acerbas, cujus rei specimen in Jobo videre est, citra mortem tamen. Nam eousque satanæ progredi permissum non fuit: at hic, ut & vita privet satanæ mandatur, ita tamen ut & ulteriori, quem statim apostolus addit fini, locus relinquatur, nempe,

Ut spiritus servetur in die domini Jesu. Non poterat istius hominis & caro exsors esse meriti exitii, & spiritus servari in die domini Jesu. Satanæ non traditus, aut saltem istius rei comminatione non perculsus, pœnitentiam non egisset, & tantum facinus ea qua par est animi contritione non deflevisset: ideo apostolus satius duxit carnem illius perire, quam spiritum in die domini Jesu; id est, maluit ut vita præsenti, quæ alioquin etiam per se interitura est, privaretur, quam vita illa immortali: maluit, inquam, ut caro ejus subjiceretur exitio, & spiritus ejus carni superstes servaretur, id est, non perderetur, & in ignem illum æternum conjiceretur, sed cælesti & spirituali corpore amiciretur ad æternę vitę adeptionem.

In die domini Jesu. Id est, illa insigni, qua veniet tanquam dominus & judex ad judicandum vivos & mortuos. In hac enim die & impiorum tam caro quam spiritus æternis afficientur pœnis, & piorum, quique vera animi pœnitudine, & morum emendatione, & divina castigatione priores eluerunt vitæ maculas spiritus, depositis vel abolitis carnis exuviis, cælestibus amicientur corporibus, & servabuntur ad vitam mortalitatis & omnis mali exsortem. Docemur hoc loco, pœnis quas in carne patimur expiari peccata, cum per eas peccasse nos agnoscimus & ex animo dolemus, tanto vero magis si pœnæ sint lentæ, & spacium nobis concedant emendandæ vitæ. Pertinent huc apostoli verba cap. xi. 30, 31, 32. Qui purgatorium extra carnem statuunt, hoc apostoli loco egregie refutari possunt. Docemur etiam carnis perditione non amitti salutem & vitam æternam, dummodo spiritus maneat carni superstes, & resurrectionem ex mortuis citra carnem fieri posse, imo & futuram esse ad vitam immortalem 1 Cor. xv. 50. Docemur denique spiritum non ante vitæ æternæ fieri participem, quam in die domini Jesu, quo mortui resurgent incorruptibiles, & vivi fient immortales, id est mortuorum spiritus cælestia induent corpora, vivorum autem superinduent, ut mortale absorbeatur à vita 1 Cor. xv. 52, 53, 54. 2 Cor. v. 2, 3, 4.

Vers. 6. *Non pulchra gloriatio vestra.* Epiphonema. Gloriabantur, ut apparet, Corinthii de sapientia, aliisq; donis divinis, & hinc captabant laudem & gloriam. Dicit igitur non pulchram esse ipsorum laudem, dum hominem inter se & in communione ecclesiæ fovent qui satanę sit tradendus. Gloriationem, καύχημα posuit pro laude vel gloria, per metonymiam causæ.

Nescitis quod parum fermenti totam massam fermentat? Quasi dicat, sapientiam jactatis, an ergo nescitis quod omnes sciunt? Similitudine docet unum aliquem probrosum & vitiosum hominem posse totam ecclesiam inficere, non minus quam paulum fermenti totam fermentet massam, proinde hinc argumentum capit,

capit, illos debuisse hominem istum excommunicare.

Vers. 7. *Expurgate igitur vetus fermentum.* Infert monitum, ut hominem hunc excommunicent. Quasi dicat, ejicite igitur vetus fermentum, id est, & hunc & quemvis alium veteribus moribus, Christiano nomine indignis, inquinatum hominem. Fermentum enim expurgari dicitur, quatenus ejicitur: sic & sordes expurgari dicuntur, quia sordium ejectione domus purgatur.

Ut sitis nova massa. Id est, novus populus, nova & sancta societas hominum, vitiosis & impuris hominibus carens, sicut Judæi, à quorum more exemplum sumit, ejecto omni quo utebantur fermento, novam & infermentatam conficiebant massam appetente festo Paschatis.

Sicut estis azymi. Rationem adfert moniti. Quasi dicat, quandoquidem estis azymi. Particula *sicut* hoc loco, ut & alibi sæpe, vim habet insinuandæ rationis & causæ. Dicit autem illos esse azymos, id est, sine fermento, quia esse debeant, quia hoc illorum officium, hæc obligatio & professio sit.

Etenim pascha nostrum &c. Probat Christianorum officium esse ut sine fermento sint, exemplo a Judæis sumto: quasi dicat, cum Judæorum pascha mactatur, Judæi sunt azymi & sine fermento: sic & vos Christiani, quia pascha nostrum, qui Christiani sumus, pro nobis mactatum est Christus, sine fermento esse debetis, & Judæi quidem sine corporali fermento, vos autem sine spirituali, id est, sine vitiis & vitiosis. Nam illorum pascha erat agnus propriè dictus. Nostrum autem pascha *est Christus*, Dei filius, per pascha Judæorum præfiguratus. Illorum pascha mactatur in memoriam illius paschatis in Ægypto mactati; nostrum autem pascha Christus, mactatus est pro nobis, id est, pro salute nostra, non secus ac illud pascha in Ægypto mactatum erat pro salute populi Israëlitici. Angelus enim Ægyptiorum primogenita trucidans, Israëlitarum domos transibat, quia postes earum sanguine paschatis signatę erant. Unde & agno illi nomen paschatis a transitu fuit impositum. At hæc salus temporaria erat, & tandem in mortem exibat; sed quam nobis pascha nostrum Christus attulit, in vita sempiterna consistit. Nam qui Christi sanguine signati sunt (signati autem sunt omnes qui in ipsum credunt) ex morte eripientur in vitam æternam. Unde etiam tanto tum Christi, tum Dei ipsius qui Christum dedit, beneficio obstricti sunt, si fructu illius potiri velint, ut vetus fermentum, id est, veteres mores prorsus ejiciant, & novis ac sanctis moribus penitus sese dedant.

Vers. 8. *Itaque feriamini &c.* Infert ex supra dictis convenientissimum monitum: quasi dicat, Judæi mactato paschate feriabantur toto octiduo: nos mactato nostro paschate Christo, ferias & festos dies agitemus toto vitę tempore, a sabbato ad sabbatum, omnes dies nobis sint sabbata & festa solennia; quę causa etiam est, ut præceptum illud de sabbato ipsum per se tanquam lucerna evanuerit ad solem perfectionis euangelicę. Nam pro uno festo die; omnes Christus vere festos & sacros fecit.

Non in fermento veteri. Id est, non per mores veteres, seu moribus veteribus indulgendo.

Neque in fermento malitiæ & nequitiæ. Id est, neque per fermentum, quod est malitia & nequitia, solita phrasi, per genitivum speciei vel differentiæ. Exprimit mores veteres, qui erant malitia & nequitia. Per malitiam, quia illi mox opponit sinceritatem, intelligit malitiam occultam, seu fraudes, per nequitiam, πονηρίαν, cui mox opponit veritatem, intelligit malitiam & injustitiam omnem. Sunt enim qui aperte male faciunt, sunt qui cum maxime fallunt, id tamen agunt ut viri boni esse videantur. Christiani & hanc & aliam omnem malitiam abjicere debent. Si quis oppositionem attendi non putet, malitia, κακία, iracundiam & iracundiæ effecta significare potest, πονηρία omnia alia mala facta, etiam citra iram & odium, quale erat hoc incesti factum, qui etiam infra ℣. 13 appellatur πονηρός.

Sed in azymis. Id est, per azyma *sinceritatis & veritatis:* id est, eadem qua ante phrasi, per azyma quę sunt sinceritas & veritas. Sinceritas est fuga omnis deceptionis & fraudis. Veritas continet omne id quod verum, id est, justum, rectum & honestum est. Sic veritatem injustitiæ opposuit infra cap. xiij. 6. Hic est verus modus, quo Christiani feriari semper debent, hæc illorum sunt azyma, hoc paschatis festum perpetuum.

Vers. 9. *Scripsi vobis.* Occasione excommunicationis istius incesti commemorat quædam sua verba de scortatoribus excommunicandis, ad Corinthios fratres scripta, quæ, ut apparet, illi de omnibus in universum scortatoribus scripta putabant.

In epistola. Nempe quam ante hanc a me accepistis.

Ut non commisceamini scortatoribus. Nempe conversatione & convictu, ut vos ab iis quam maxime separetis. Intelliguntur autem hoc loco in genere omnes qui concubitus illicitos exercent, quo sensu & supra ℣. 1 scortationis voce usus est.

Vers. 10. *Et non omnino.* Explicat sua verba, quasi dicat, & nullo modo, intellige *scripsi*, τοῦ κόσμου

Scortatoribus mundi hujus. Intellige similiter τοῦ κόσμου, ne commisceamini. Scortatores mundi hujus sunt qui nihil ad ecclesiam & nomen Christianum pertinent, mundus enim hic, id est, homines profani, quorum plenus est mundus, Christianę ecclesię opponuntur.

Aut avaris. Πλεονέκταις, intellige similiter τοῦ κόσμου *mundi hujus.* Addit scortatoribus & aliis vitiis pollutos. Solent scortatores & avari in scriptura conjungi, nam illi libidinis sunt avidi, hi lucri. Intelliguntur autem qui in commutationibus et contractibus et promissis fraudant alterum, præsertim qui lucro et numis satiari nunquam possunt.

Aut raptoribus. Qui aliena vi rapiunt: quibus et fures accensendi sunt, quorum illi aliena rapiunt invito sed non inscio domino, isti vero et inscio et invito, sicut avari non invito quidem, sed inscio et decepto.

Aut idololatris. Id est, ut ipsius vocis etymon docet, specierum et simulacrorum cultoribus, in quibus, si verum Deum repræsentant, et cælesti cultu afficiunt, contra secundum decalogi præceptum peccant; si alium a vero, peccant contra primum et contra secundum simul. Vir magni nominis H. Grotius nuper, et alibi et hoc ipso in loco docuit, secundo præcepto Christianos non obligari; docuisset sane eadem opera eosdem nec obligari primo. Neque enim minus contra Dei peccant majestatem, qui eum mortalibus effingunt formis, quam qui alium ab ipso cælestibus afficiunt honoribus. Solus enim Christus est in quo et per quem Deus cælesti cultu vult affici. Et cum et hic et alibi Christianis præcipiatur ut idola et idololatriam fugiant, quomodo secundo decalogi præcepto non obligari dicendi sunt, in quo nihil aliud vetatur quam idola et idololatria.

Alioquin deberetis certe ex mundo exire. Caussam adfert, cur verbis suis plane non significaverit, ne conversatione & convictu commisceantur cum scortatoribus, & aliis vitiosis mundi hujus. Nam alioquin, inquit, deberetis certe ex mundo exire, id est, ab hominibus hujus mundi vos separare, non minus, quam Judæi faciunt, qui ab omni familiaritate & convictu cum aliis gentibus abstinent: at hoc Christiani facere non debent, familiaritatem & convictum cum aliis hominibus servent, solis moribus sese ab iis separent, et pravis eorum actionibus non intersint. Sic Christianorum vita comparata esse debet, ut eos amare & imitari discant omnes alii homines, non odisse, & vicissim aversantes aversari ac fugere. In mundo & cum mundo Christianis manendum est, ut mundum Christo lucrifaciant. Mundus hic, ut & supra vs. 10, pro hominibus accipitur, & Christianæ ecclesiæ opponitur. Qui hæc Apostoli verba sic interpretantur, quasi necesse foret ut Christiani alium orbem quærerent, cum hic orbis scortatorum & aliorum vitiosorum hominum sit plenus, Judæorum refutantur exemplo, qui in eodem cum cæteris gentibus orbe, imo in eadem urbe manent, & tamen earum familiaritatem & convictum vitant.

Vers. 11. *Nunc vero scripsi vobis.* Docuit quo sensu plane non scripserit, nunc etiam quo sensu scripserit docet. Particula *nunc*, hoc loco non habet significationem temporis, quasi nunc aliud scribat priori contrarium, sed voces *nunc vero* significationem hic habent particulæ adversativæ *sed*, vel *atqui*, satis usitata phrasi tam Græcis, quam Latinis. Vide inter alia loca infra cap. VII. 14. XV. 20. & Hebr. XI. 16.

Ut non commisceamini, si quis qui frater nominatur, vel *nominabatur.* Nempe frater in Christo, seu Christianus. Solebant enim Christiani fratrum nomine sese invicem compellare. Non dicit, qui frater est, sed qui nomen habet vel habebat fratris: (utrumque enim significat participium ὀνομαζόμενος.) Nam vere fratrem esse in Christo, & simul esse scortatorem, aut avarum &c, una consistere non possunt.

Sit scortator, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus. Addit & alia vitia, ut hinc intelligamus eum, qui frater seu Christianus sit, nullo vitio infectum esse debere, & si sit, ferendum eum in Christiana communione non esse.

Maledicus, λοίδορος est qui morem habet conviciandi proximo. Vide supra cap. IV. 12.

Aut ebriosus. Qui potui indulgere solet ultra quam sobria mens permittit. *Aut rapax.* Intellige, *& sic de cæteris vitiis.*

Ut cum tali neque comedatis. Explicat quid sit cum talibus non commisceri, id nimirum, ut neque cum illis cibum capiamus, non quod cibus illorum sit impurus, sed quod illi sint impuri, qui Christi sanctissimum nomen professi, illud vitiis conspurcant & profanant. Nihil magis Christianæ ecclesiæ observandum est, quam ut sanctitatis existimationem apud omnes homines conservet, ideoque tales in sua communitate ferre non debet, qui ei labem aliquam adspergant. Docet Apostolus, neque hoc quod in familiaritate & consuetudine minimum est, cibum cum aliquo capere, istis exhibendum esse, & quia, ut diximus, non cibi eorum sed illi ipsi impuri sunt, ideo ubicunque sint, si id in nostra sit potestate, cibus cum illis sumendus non est. Hinc videmus excommunicationem esse omnem familiaris conversationis & convictus cum aliquo aversationem. Porro quia hoc apostolus non uni alicui, sed toti ecclesiæ præcipit, non unius alicujus arbitrio excommunicatio fieri debet, sed totius ecclesiæ sententia, quod & ipsa excommunicationis vox docet. Unde & mox omnibus in eos qui intus sunt judicium tribuit, & omnibus ut malum hunc ex seipsis tollant præcipit. Quærat hic aliquis, quid sit faciendum, si mundus iisdem quibus antea vitiis deditus Christianum nomen sumat, proinde tali excommunicationi locus non sit? Existimo si qui adhuc restent pii, eorum officii esse aliquam, si queant, in tam corrupta ecclesia, veram colligere ecclesiam & societatem in Christo sanctam, in qua hæc excommunicationis lex vigeat, quod & factum esse videmus.

Vers. 12. *Quid enim* etc. Nova ratione docet se de excommunicandis iis qui sunt extra, non loqui. *Quid mihi*, intellige, *juris est*, aut, quid ad me pertinet.

Et eos qui extra sunt. Nempe extra Christianorum ecclesiam & societatem.

Judicare? Id est, excommunicare. Neque enim excommunicatio potest esse sine judicio. Mihi sufficit, quod eos judicare & excommunicare possim, qui intus in ecclesia sunt.

Vers. 13. *Nonne eos qui intus sunt vos judicatis, eos vero qui extra sunt Deus judicat?* Quasi dicat, ex vobis ipsis exemplum & argumentum sumite, nonne vos ipsi judicatis eos tantum qui intus sunt? nempe in ecclesia, quod vero ad eos attinet qui extra sunt, nempe extra ecclesiam, hos Deo judicandos relinquitis, qui etiam illos judicat, id est, sententiam de iis fert, eamque executioni mandat. Idem ergo & de me censete, quod mihi in eos qui extra sunt judicium non arrogem.

Et tolletis. Concludit rem. *Et* hoc loco Hebr. phrasi pro *igitur*, supra cap. 2. 1. & VI. 2. 2 Tim. 2. 19. Sic & *tolletis*, futurum pro imperativo *tollite*,

Malum hunc. Id est, incestum istum, qui tam male & nequiter egit.

Ex vobis ipsis. Id est, ex medio vestri. Excommunicate & amovete scelestum, ne scandalo & dedecori sit ecclesiæ.

CAPUT VI.

Vers. 1. **A**Udet aliquis. Quasi dicat, non veritus Dei pœnas. Pergit in censendis inter ipsos vitiis, ut spiritus illorum altos quos gerebant contundat, & quam non frustra iis virgam comminetur ostendat.

Vestrum, qui Christiani & fratres estis.

Negotium habens ad alterum. Nempe christianum similiter, & fratrem.

Judicari apud injustos? Id est, apud profanos, qui omnes injusti sunt. Stultitiam simul istorum fratrum notat,

notat qui apud injustos judicari volebant, cum in judicibus maxime justitia quæratur.

Et non apud sanctos? Id est, Christianos, qui non tantum justi sunt, sed etiam sancti, quod amplius est.

Vers. 2. *Nescitis quod sancti* &c? Docet quanta sit sanctorum, id est, Christianorum dignitas.

Mundum. Id est, omnes gentes & populos, qui sunt extra ecclesiam.

Judicabunt? In Christi videlicet adventu, id est, damnabunt, assensu & facto suo, quod ipsi crediderint in Christum, mundus credere noluerit, eosque etiam hoc nomine persecutus sit. Nam sancti cum judice Christo in summa gloria erunt, & unum cum ipso reputabuntur; mundus autem universus stabit coram iis judicandus. *Et* pro *igitur.*

Si in vobis. Id est, per vos Christianos, *judicatur,* id est, judicabitur, per enallagen temporis, vel judicandus est.

Mundus. Universum humanum genus.

Indigni estis tribunalium minimorum. Κριτηρίων ἐλαχίστων. id est, judiciorum minimorum, per metonymiam continentis pro contento, judiciorum inter privatos de rebus minimis. Apparet istos qui ad profanos ibant judices, sanctorum judicia contempsisse, eosque pro tam dignis non habuisse, ut sese illorum subjicerent sententię.

Vers. 3. *Nescitis quod angelos judicabimus?* Id est, damnabimus, nempe nos Christiani. Quasi dicat, quod multo majus est quam judicare homines. Angelos nimirum malos, per synecdochen generis, qui itidem coram Christo & coram nobis judicandi stabunt, & per nos damnabuntur; quod nos homines Deo fuerimus obedientes, ipsi vero cum angeli essent, Deo sint adversati.

Nedum res hujus vitæ? Βιωτικά. Id est, nedum ut digni non simus de rebus hujus vitæ judicare? quid sunt res hujus vitæ comparatæ cum angelis? quas merito paulo ante res minimas dixit esse Apostolus.

Vers. 4. *Igitur tribunalia quidem de rebus hujus vitæ si habeatis.* Ex superioribus infert monitum, ut siquidem *tribunalia,* id est, judicia habeant inter se fratres.

Eos qui pro nihilo reputati sunt in ecclesia. Id est, minimos seu minimæ dignitatis, & qui cæteris comparati nihil sint in ecclesia, judices faciant.

Hos collocate seu *sedere facite.* Nempe tanquam judices, intellige, siquidem dignitas spectanda sit. Infimi in ecclesia tantæ sunt dignitatis ut sedere possint pro judicibus in causis ad hanc vitam spectantibus. Nihil fuerit opus, imo indignum sit hactenus, præstantes ac præcipuos in ecclesia viros ad hæc minima judicia adhibere.

Vers. 5. *Ad pudorem vobis dico.* Id est, dico hoc vobis, ut vos istius rei vehementer pudeat, quod sanctos contemnatis, & tanti non ducatis ut judices in causis vestris de rebus hujus vitæ sedeant, quorum sententiæ & decreto stetis.

Sic non est &c? Occurrit ei qui diceret, non hoc fieri contemtu sanctorum, sed quod non sint inter ipsos huic rei apti. *Sic,* inquit, seu *adeo non est in vobis,* id est, inter vos,

Sapiens, neque unus. Quasi dicat, nam vel unus sufficeret.

Qui poterit dijudicare inter fratrem suum? Intellige, & alium itidem suum fratrem. Exprimit quam sapientiam intelligat, id est, qui poterit jus & æquum inter utrumque dicere, ne ulli fiat injuria.

Vers. 6. *Sed frater cum fratre judicatur.* Nempe in foro publico, non intra fraternos parietes.

Idque apud infideles. Quasi dicat, si istic sederent fideles; tamen indignum erat fratres in foro publico inter se litigare & judicari; quanto indignius & turpius fratrem cum fratre, fidelem cum fideli apud infideles judicari, & sanctissimam Christi fidem infidelium sannis objicere?

Vers. 7. *Igitur.* Ex superioribus de iis pronuntiat sententiam.

Jam quidem omnino. Quasi dicat, jam quidem elabi nullo modo potestis quin teneamini,

Defectus. Nempe Christianæ pietatis & sanctitatis,

In vobis est. Multum vobis deest ad sanctitatem Christianam.

Quia judicia habetis vobiscum? Nempe in foro publico, idque coram infidelibus, de talibus enim judiciis agitur.

Quare non potius injuria afficimini? Nempe sine injuriæ persecutione & vindicatione. Nam injuriæ vindicatione tollitur injuria.

Quare non potius defraudamini? Itidem sine fraudis & damni illati vindicatione. Nam alioquin jam erant injuria affecti, jam erant defraudati, & ideo judicia ista habebant & exercebant inter se, quod injuriam & detrimentum pati nollent. Quærit igitur Apostolus, quid causæ sit, ut non potius injuriam & defraudationem patienter ferant, intellige, quam ut in jus alii alios vocent, & coram judicibus a Christi fide alienis, injurias suas disceptent? Significat apostolus, multo satius esse ut Christianus injuriam & detrimentum ab alio Christiano sibi illatum ferat, quam ut Christianus Christianum, frater fratrem hoc nomine ad judicem infidelem trahat, & coram illo litiget. Nam injuria affici & defraudari peccatum non est: at si Christianus Christianum publice accuset, & cum illo judicetur, quia id sine maximo Christianæ religionis opprobrio fieri non potest, magnum in se crimen habet. Injuriam & detrimentum illatum si pati malis, quam illius vindicatione Dei gloriam vituperiis hominum objicere, quia magnam continet virtutem, magnum etiam secum feret a Deo præmium, quo injuria & damnum illatum abunde compensabitur. Adde, quod impensæ litium & moræ, majus sæpe detrimentum adferunt, quam illud erat de quo causa fuit instituta. Quid dicam de tot molestiis, cursitationibus, inimicitiis, (quæ sæpe ex lite civili in judicium desinunt criminale) & tandem incerto judicii eventu? Quæ causæ faciunt, ut Christiani etiam ab extraneis illatam injuriam pati malint, quam jure et litibus cum illis experiri. Nimirum ex duobus malis minus malum eligendum est, adeoque etiam in bonum et virtutem vertendum. Occurrit Apostolus iis qui dicerent se injuria affectos et defraudatos esse, neque se alia ratione posse ad injuriæ et damni compensationem et reparatio-

nem pervenire. Porro, quia apostolus hoc loco injuria affici & defraudari tanquam diversa ponit, priori verbo intellexit injurias per vim illatas, posteriori, per fraudem & circumventionem, illæ etiam ad dignitatem referri possunt, hæ ad solas fortunas & facultates.

Vers. 8. *Sed vos injuria afficitis & defraudatis.* Quasi dicat, sed tantum abest ut injuria affecti & defraudati à juris persecutione abstineatis, ut *vos* inquam Christiani, non homines extranei, *profani* & a fide Christiana aversi, injuria afficiatis & defraudetis.

Et hæc fratres. Id est, & hoc qui fratres sunt. Neutrum pro communi, sic & infra ℣. 11, Christiani Christianos. Heu quantum nefas! Alienum hominem si Christianus injuria afficiat & defraudet, magnum crimen est, magna pietati & fidei Christianæ injuria: at si hoc faciat fratri, quanto majus crimen id erit? Ita triplicem in illis defectum notat, primum, quod jure persequantur suas injurias, secundum, quod ipsi injurias inferant, tertium, quod utrumque fratres inter sese faciant.

Vers. 9. *An nescitis quod injusti Regni Dei non erunt heredes?* Quasi dicat, nam si scitis, cur injusti estis? Docet quanto damno constabit injustis sua injustitia. Regni Dei exsortes erunt, immensi & infiniti boni propter rem levissimam, quam ex illatione injuriæ adepti sint.

Ne erretis. Errorem vocat, nempe mentis, si quis sibi Christianorum, quisquis tandem sit, & quæcunque alioquin illius sit dignitas, Regnum Dei despondeat, cum injustus sit, seu injuste cum proximo agat, nisi ex injusto justus fiat. Injustus autem est non tantum qui injuste agere solet, & in usu habet, sed etiam qui actum injustum commisit, idque se fecisse sciens, eum compensare negligat. Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, habet ecclesiæ dictum. Hinc Zachæus quadruplum restituere vult pro ablato, & ne quid injusti sibi per ignorantiam adhæreat, dimidium facultatum suarum dare pauperibus. Quamvis autem apostolus ab hoc errore cavendo Christianos monuerit, adeo tamen in illum delapsi sunt, ut se, quæcunque sit sua injustitia, per multos alios modos Regni Dei hæredes fore firmiter sibi persuadeant.

Neque scortatores. Addit & alios vitiosos. Omnium enim vitiosorum hactenus par est ratio. Deus sanctus est, ideo qui Regni ejus hæres esse velit, sanctus & ipse ut sit oportet. Per scortatores hoc loco intelligit eos qui se cum scortis miscent, & tanto magis ipsa scorta. Quibus accensendæ sunt omnes fœminæ citra vinculum matrimonii usum sui præbentes.

Neque idololatræ. De his vide cap. v. 10.

Neque mœchi. Mœchus est ex Christi disciplina, non tantum qui alienum matrimonium polluit; sed etiam qui polluit suum, alii se miscens fœminæ quam propriæ uxori. Sub Christo enim hactenus æquatum est jus uxoris cum marito, ut, sicut uxor thorum conjugalem violat si misceatur alii viro, sic & maritus, si misceatur alii fœminæ. Geminatur autem adulterii crimen, si utrinque sint conjugati. Porro in mœchis includuntur & adulteræ.

Neque molles. Id est, pathici.

Neque masculi concubitores. Scelus ἀρσενοκοιτῶν præcedentis.

Vers. 10. *Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces.* De his omnibus vide cap. v. 10, 11. Notandum autem est, cuilibet vitiosorum generi distincte Regni Dei hæreditatem negari, sicut & supra cap. v. 11. Quilibet vitiosus distincte excommunicationi subjicitur, ne quis putet unum vitium damnationi non sufficere. Ad cernendam Regni Dei hæreditatem una virtus non sufficit, necesse est ut omnes adsint; sed ad amittendam, unum vitium satis est. Sunt autem vitia quædam enormia, quorum unus actus vitiosum facit, scortatorem facit unus scortationis actus, & idololatram unus idololatriæ actus, et mœchum, et mollem, et draucum, et furem, et avarum, et maledicum, & raptorem suus quemque facit actus, quamvis unus.

Regni Dei heredes non fient. Nimirum, ut ex sequentibus intelligitur, nisi pœnitentiam agant, & ab omni ejusmodi actu penitus abstineant, quin & a quolibet alio actu vitioso, quantum in se est. Sic enim fiet, ut nec enormiter unquam peccent, nec in levioribus ullum peccandi usum & morem habeant.

Vers. 11. *Et hæc quidem eratis.* Hoc addit, ne quidam talium sibi ante fidem et baptismum conscii, in se ista dici, & se a regno Dei proscribi putarent. *Hæc*, neutrum pro communi, id est, hi, vel tales *quidam*. Non omnibus hoc objicit, sed quibusdam, *eratis*, nempe olim, ante fidem in Christum & baptismum.

Sed abluti estis. Quasi dicat, sed nunc amplius tales non estis. Abluti estis ab istis sordibus. Respicit ad baptismum; qui ablutionis istius erat professio & sacramentum.

Sed sanctificati estis. Aliquid amplius quam abluti; quasi dicat, non tantum a vitiis purgati, sed etiam sancti effecti, id est, omnibus virtutibus exornati, et Deo penitus dicati & consecrati estis. Non tam respicit apostolus ad factum ipsum, quam ad Christianæ religionis vim & efficaciam. Nam alioquin ex antecedentibus & sequentibus constat, illos omnes haudquaquam facto ipso tales fuisse: sed hæc ipsorum propria culpa erat. Sufficit quod possent & deberent ex ipsa professione & officio tales esse. Docemur hoc loco, quales Christiani post fidem & baptismum esse debeant, si regni Dei hæredes fieri velint, ne scilicet sibi, in vitiis hærentes, ob seram aliquam pœnitentiam, (quæ nec vera esse potest in iis qui se regni Dei hæredes fore putant, quamvis vitiis indulserint) aut ob Christi justitiæ imputationem et applicationem, aut ob alios aliquos ritus, et nescio quæ remedia, regni Dei hæreditatem despondeant. *Sectamini pacem cum omnibus & sanctificationem*, inquit auctor ad Hebræos, *sine quo nemo videbit dominum* Hebr. XII. 14.

Sed justificati estis. Id est, justi a Deo pronunciati estis. Consequens puritatis a vitiis, & sanctificationis justificatio, quæ a fide in Christum initium sumit, puritate et sanctitate, fidei fructibus, conservatur ac retinetur et continuatur. Hoc addit apostolus, ne quem Christianorum præterita, et ante fidem in Christum commissa crimina turbent. Jam ab illis liber pronunciatus est, quisquis ablutus et sanctificatus est:

est sed etiam nisi hoc sit, frustra se justificatum iri speret.

In nomine domini Jesu. Id est, per nomen domini Jesu.

Et in spiritu Dei nostri. Id est, per spiritum Dei nostri, *in* pro *per*, solito Hebraismo. Docet per quid tanta bona sint adepti. Primo per id quod in nomen Domini Jesu crediderint, illud profiteantur et invocent, hinc factum est ut ab omnibus vitiis abluerentur, et sancti fierent, et justi pronunciarentur. Nomen domini Jesu posuit, per metonymiam subjecti, pro fide in illud, et professione ac invocatione illius. Deinde per spiritum Dei nostri, quem Christus in nnmen suum credentibus, et baptizatis, et nomen suum profitentibus ac invocantibus, a Deo nostro acceptum largitur, cujus efficacia homines vitia deponunt et sancti fiunt, et consequenter justificantur: cujus justificationis etiam signaculum et arrhabo est spiritus iste Dei nostri, nempe spiritus ille seu afflatus sanctus, qui neutiquam Deus noster, sed Dei nostri dicitur, quia Deus noster est illius fons et origo, et auctor ac dator. Deum nostrum vocat Deum illum unum, rerum omnium creatorem, Deum et Patrem domini nostri Jesu Christi. Nec enim Christiani alium Deum habent. Nam Christus alius ab ipso Deus hactenus non est, quatenus ab ipso dominus effectus est, per quem et in quo se vult coli. Alioquin etiam Jesum etiam hoc loco Apostolus tanquam dominum, a Deo nostro aperte distinguit, nempe tanquam Christum, id est, unctum ab eo qui eum unxit, et Regem fecit, et tanquam Filium a Patre.

Vers. 12. *Omnia mihi licent*. Docuit apostolus quanta Christianorum debeat esse sanctitas, nominatim in abstinentia a scortationibus, contra quam, ne aliquis Christianam inferat libertatem, ostendit quæ illius sit ratio, & quousque non debeat extendi. Loquitur autem de quolibet Christiano sub sua persona.

Omnia mihi licent. Id est, omnium rerum a Deo creatarum usus mihi licitus est, non sum in istis lege Mosis circumscriptus, ex cujus servitute in libertatem me vendicavit Christus. Antiquavit hac in parte Christus Mosaicam Legem.

Sed non omnia conducunt. Hoc primum dicit Apostolus, ut libertati huic modum ponat, ne in licentiam degeneret: quasi dicat, verum quidem hoc est, omnia mihi licere, sed videndum tamen etiam est an omnia semper conducant. Nam si non conducant, si non sint utilia, imo noxia, si scandalum & offendiculum pariant, quamvis alioquin per se liceant, tamen ab hominibus sanctis & piis omittenda sunt: *Non omnia conducunt*. dicit, per μείωσιν, id est, multa sunt aliquando noxia, si iis utaris.

Omnia mihi licent. Repetit dictum, ut aliud adhuc frænum licentiæ injiciat.

Sed non ego in servitutem redigar ab ullo. Id est, ab ulla re: quasi dicat, omnia mihi serviunt, omnium usus est in mea potestate, sed non ego me in servitutem dabo ulli rei, ut mihi etiam ab illa abstinere, si velim & expedire videam, non liceat. Hæc enim esset in ipsa libertate summa servitus. In Græco elegans est παρονομασία inter ἔξεστι & ἐξουσιασθήσομαι.

Vers. 13. *Esca ventri &c.* Quia Apostolus in hac libertatis Christianæ ratione & explicatione ad ciborum usum respicit, idcirco de iis nunc agit, quasi dicat, quod igitur ad cibos vel escas attinet, verum quidem est, quod *esca*, nempe qualibet, natura sua *ventri*. Oratio elliptica, id est, referuntur ad ventrem ut ei serviant, eumque impleant.

Et venter, Id est, stomachus cum intestinis, *escis*. Id est, refertur ad escas, ut eis dominetur, & iis sese impleat, easque digerat, & sic jus est ventri natura sua in escas quaslibet.

Deus autem & hunc & has destruet. Quasi dicat, cogitandum autem simul est quid Deus & ventri & escis sit facturus, nempe quod & ventrem & escas sit aboliturus, & effecturus ne amplius extent, nempe in Christi adventu & hujus seculi fine. Unde consequitur ventrem & escas tanti nobis esse non debere, ut ventris & escarum causa, cuipiam offendiculum aliquod præbeamus, & gloriæ Dei obstemus, & sic libertate nostra in ciborum usu abutamur. Docemur hoc loco corpora in quibus resurgemus, & olim victuri sumus, non magis ventrem habitura quam tunc locus erit escis. Unde pari ratione consequitur, nec alia membra in corporibus illis futura, quorum tunc cessabit usus & officia. Caro certe & sanguis corpora illa non erunt, nam carnis & sanguinis natura est ut corrumpi possint infra cap. xv. 50, & supra cap. v. 5. Forma igitur & ratio & natura corporum illorum prorsus erit alia, quid attinet eandem esse materiam, & non multo præstantiorem, id est, spiritualem & cælestem? cap. xv, 40, 44, 45, 46, 47, 48, 49.

Corpus autem non scortationi. Venit ad scortationem, quam gentes non minus rem natura sua licitam putabant quam eiborum quorumvis usum. Atque hinc factum est ut Apostoli Actor. xv. 29 abstinentiæ ab idolothytis, a sanguine & suffocato, adderent abstinentiam a scortatione. Nihil dicunt de abstinentia a stupris, ab adulteriis, quia hæc omnes norant esse natura sua turpia, ideo & legibus prohibebantur: at scortationem quia tam liberam gentes putabant, quam idolothytis & sanguine & suffocato vesci, ideo abstinentiam a scortatione cum abstinentia ab istis conjunxerunt, aliam licet ob causam: ab istis quidem propter scandalum Judæorum; a scortatione vero propter naturalem turpitudinem. Nam idolothytis citra scandalum & per se licuisse vesci docet Apostolus 1 Cor. x. 27, 28, exceptis conviviis in idolorum templis ibid ℣. 20. Negat igitur Apostolus, Christianam libertatem eousque extendi ut scortari liceat: quasi dicat, venter quidem escis, *corpus autem*, intellige, tam viri quam fœminæ, *non scortationi*, id est, non refertur ad scortationem, ut scortetur & scortationi inserviat. Scortationem hic dicere maluit, quam scortum, ut tam virile quam fœmineum corpus includeret.

Sed Domino. Id est, ad dominum qui Christus est, refertur ut illi serviat.

Et Dominus corpori. Id est, refertur ad corpus, ut ei dominetur, idque suis usibus adhibeat. Ideo enim & Dominus est omnium, qui certe illud scortationis instrumentum esse non vult. Diceret aliquis, virum natura sua non minus referri ad fœminam & fœminam ad virum, quam ventrem ad cibos & cibos ad ventrem. Hoc quidem verum est, sed ad scortationem non pertinet. Virum et fœminam fecit Deus, at scorta et scortationem non fecit. Viro concessus est fœ-

minæ usus et fœminæ vicissim usus viri, sed interposità honesti conjugii et matrimonii lege. Vaga et promiscua inter homines libido, itemque scortatio natura turpis et fœda est, et humano genere indigna, eique valde noxia. Nam et conjugali societati, quæ maxime naturalis est, et liberorum educationi, et hominum inter se conjunctioni ac sanguinis propinquitati multum officit.

Vers. 14. *Deus autem &c.* Docuit quæ ventris et escarum conditio sit: nunc etiam docet quæ ipsorum futura sit conditio qui corpora sua Domino in servitutem dederunt; eadem nimirum quæ Domini, conditioni ventris et escarum prorsus opposita. quasi dicat, corpus quidem Domino et Dominus corpori.

Deus autem & Dominum suscitavit. Id est, ex mortuo vivum fecit.

Et vos suscitabit. Id est, ex mortuis vivos faciet, nihil vobis mors oberit ad vitæ æternæ adeptionem, sicut nec Domino obfuit. Non frustra hoc loco pro corporibus ipsos homines posuit, ne quis etiam ventres et alia membra, hujus mortalis vitæ usibus destinata, suscitatum iri, et sic Apostolum dissona et contraria loqui putaret. Nimirum docere voluit Apostolus corpora nostra hactenus resuscitatum et vivificatum iri, (quod alibi affirmat) quatenus nos ipsi resuscitabimur et vivificabimur, quod sine corporibus, licet materia et forma multo præstantioribus, haudquaquam fiet. Nam et illa eadem sunt quæ susceptione sunt eadem, quod in ipsis etiam hisce mortalibus nostris corporibus videmus.

Per potentiam suam. Ne quis ideo dubitet quod ea res omnes naturæ vires superet. Potest id Deus quod natura non potest, qui omnia quæ vult potest, & qui naturam ipsam fecit, qui etiam istius suæ potentiæ documentum & experimentum in ipso domino nostro jam dedit.

Vers. 15. *Nescitis quod corpora vestra membra Christi sint?* Confirmat quod dixit, corpus cujusque Christiani esse domino & dominum corpori: quasi dicat, optime scitis, aut saltem scire debetis, quod corpora vestra membra sint Christi, quæ Christus regat, & quibus tanquam suis membris utatur. Non tantum quod cujusque Christiani corpus unum sit membrum; (hoc enim respectu totius ecclesiæ dicitur, quæ ex multis Christianorum corporibus tanquam unum corpus conficitur) sed etiam quod cujusque Christiani membra Christi sint membra, corpus enim cujusque ex multis membris est compositum, quæ omnia non minus Christi sunt membra, quam ipsum corpus est Christi membrum in tota ecclesia. Nam apostolum sic corpora Christianorum considerare, ut cujusque Christiani distincte membra, Christi sint membra, sequens illatio docet.

Tollens igitur membra Christi faciam scorti membra? Loquitur in persona cujusque Christiani, & quærit an igitur deceat & ullo modo conveniat, ut ipse qui Christianus sit, & cujus membra Christi sint membra, ea tollat ac sumat, & faciat scorti membra? Id est, fœminæ quæ sui usum præbet mari, qui suus vir, honesto copulatus conjugio non sit, quæ si etiam pluribus vulget corpus pro mercede, seu meretrix sit, tanto turpior ac fœdior est.

Absit. Intellige, ut hoc faciam, & tantum scelus patrem, quod omnibus sacrilegiis multo fuerit atrocius.

Vers. 16. *An nescitis quod qui adglutinatur scorto, unum corpus est?* Quasi dicat, scitis optime, vel scire omnino debetis, ut modo ℣. 15. Confirmat eum qui se scorto misceat membra sua, proinde si Christianus sit, membra Christi facere scorti membra. Nam si is qui adglutinatur scorto, miscens se scorto, unum cum scorto corpus est, & consequenter unum se cum scorto corpus facit, etiam sua membra, ex quibus corpus compositum est, facit omnino scorti membra, ut pro iisdem cum scorto membris reputentur. *Erunt enim*, inquit, intellige scriptura. Confirmat in parenthesi quod asseruit, scripturæ testimonio. *Hi duo.* Nempe mas & fœmina corpora inter se miscentes. *In carnem unam.* Id est, caro una, Hebræa phrasi, pro una carne, pro uno homine reputabuntur.

Vers. 17. *Qui vero adglutinatur Domino, unus spiritus est.* Altera pars argumenti apostolici ex adverso. *Qui vero adglutinatur Domino.* Per fidem nimirum in Dominum, qui Christus est. Fides enim nostra in Christum gluten est quo adglutinamur Christo.

Unus spiritus est. Dominum opponit scorto, & spiritum carni. Dominus enim spiritus est non caro, proinde qui ei adglutinatur & ipse spiritus fit cum ipso unus, id est, ita suum spiritum seu animum cum domino conjungit, ac si unus & idem cum ipso esset, quatenus se totum illi regendum tradit, & consequenter omnia corporis sui membra illius membra facit. Sic amici dicuntur iidem, cor unum, anima una, propter constantem concordiam, amorem & perpetuum consensum. Est in hac loquendi ratione, partim metaphora, partim metonymia causæ pro effectu.

Vers. 18. *Fugite scortationem.* Docuit quam fœda et perniciosa res sit scortatio, nunc monet non tantum ab ea penitus abstinendum esse, sed etiam ab ea fugiendum, quippe quæ ubique instet et nos persequatur, inter media scorta et scortatores viventes, ubi scortari in morem abiit, nec pro vituperio ullo, sed pro laude potius habetur. Hoc inter profanas gentes fuisse adeo mirandum non erat, quam nunc mirandum & deplorandum est, idem fieri inter Christi nomen professos!

Omne peccatum quod faciat homo, extra corpus est. Instat adhuc & magis explicat scortationis fœditatem, ostendens ex superius dictis quid scortatio fœdum ac turpe præ omnibus aliis quibuscunque peccatis habeat.

Omne, inquit, *peccatum quodcunque faciat homo extra corpus est.* Non quod corpore non peragatur, sed quod animum tantum polluat, corpus non polluat, quippe quod omnes aliæ res per se puræ sint & a Deo creatæ, præsertim hominibus puris & per se sanctis, id est, Christianis, idque adeo, ut etiam infidelis vir per Christianam mulierem, & infidelis mulier per Christianum virum in conjugio, eorumque communes liberi sanctificentur. Unde & apostolus alibi mentem tantum & conscientiam pollui dixit eorum qui rebus utantur a Deo creatis, cum ipsi sint impuri & a fide in Christum alieni Tit. 1. 15. Ebrietate & intemperantia non polluitur corpus, quia vinum

&

& cibi res per se puræ sunt, sed polluitur animus qui iis abutitur; non furtum, non homicidium corpus polluit, nam forma, quæ sola facit furtum & homicidium, non materia, tota refertur ad animum non ad corpus. Nec idololatria corpus polluit: idolum enim nihil est in mundo cap. VIII. 4. Neque adeo dæmonum cultus ullum corpori inquinamentum adfert, omnis turpitudo in animo residet. Neque enim corpus miscetur cum dæmonio, sicut miscetur cum scorto. Animus miscetur cum dæmonio & qui illud colit unus spiritus est cum ipso, sicut qui Christum colit unus spiritus sit cum Christo ℣. 17. Eadem ratio est & aliorum omnium peccatorum.

Qui vero scortatur, in proprium corpus peccat. Id est, proprium suum corpus fœdat & polluit, quia nimirum nihil est per se impurum, & corpus inquinans præter scortum, sive sit privatum, sive publicum. Fœda res est mulier impudica, quæ corpus suum prostituit, sive per scortationem sive per stuprum, id est, ulli præbet qui vir suus non sit, honesto conjugio sibi copulatus. Solius legitimi matrimonii pretio apud honestos communitas corporis emitur.

Vers. 19. *An nescitis quod corpus vestrum templum est ejus qui in vobis est spiritus sancti.* Novum adfert adversus scortationem argumentum, quod etiam per eandem cum superioribus interrogationem proponit: quasi dicat, quid ulli vestrum in mentem venire possit, ut scortationem inter res natura sua licitas & indifferentes referat? An nescitis quod corpus vestrum templum sit ejus qui in vobis est spiritus sancti? Hoc sane non mente tantum intelligere, sed sensibus etiam ipsis percipere potestis.

Corpus vestrum. Id est, corpus cujusque vestrum.

Qui in vobis est. Proinde quem in vobis esse ipsi sentitis. An ergo corpora vestra spiritus sancti templa scortis applicare fas putabitis? Quid commune habet spiritus sanctus & templum ejus cum scortis? Hæc non tantum corporum vestrorum, sed ipsius etiam spiritus sancti indiguissima foret contumelia.

Quem habetis a Deo. Quasi dicat, proinde etiam Dei ipsius. Spiritus enim sanctus ex Deo est, & habetur a Deo, & vicem Dei in nobis implet, ideoque etiam illi templum tribuitur. Deus vos tanto munere affecit, & corpora vestra sui sancti spiritus, adeoque sui ipsius templa effecit, & vos ea fœdissimis scortis immergeretis? Cur vero non dicit Apostolus, qui est ipse Deus? Hoc enim hic dicere par erat, si verum erat. *Quem habetis a Deo.* Quasi dicat, qui etsi Deus ipse non est, tamen Dei spiritus et afflatus sanctus est, & non aliunde quam ab ipso Deo habetur.

Et non estis vestri ipsorum. Aliud contra scortationem argumentum, id est, & non estis vestri juris ulla ex parte, ut vobis pro arbitrio sive spiritu sive corpore liceat uti.

Vers. 20. *Nam empti estis pretio.* Causam adfert dicti. Qui pretio emitur, sui juris non est, sed in ejus est potestate a quo emptus est. Vos etiam empti estis pretio, nempe a Deo, ut in sequentibus exprimitur. Non est necesse ut verbum ἠγοράσθητε (empti estis) synecdochice accipiamus, pro acquisiti estis, cum adjecta vox τιμῆς (*pretii*) melius respondeat emptioni quam acquisitioni, & utraque conjuncta pleniorem efficiat metaphoram. Significat apostolus Deum sanguinem & vitam filii sui, nullo pretio æstimabilem, dedisse pro nobis, ut scilicet nos servaret, & sic vere servos (qui a servando dicuntur) ac mancipia sua faceret. Nam servandi nos causa filium Dei traditum in mortem esse, Christianis omnibus constabat. Hæc est ista nostri redemptio, hoc pretium pro nobis datum. Quod utrumque per metaphoram ac similitudinem dicitur. Nam nemo nos Deo vendidit, & vita ac sanguis filii Dei proprie loquendo pretium non est, sed superat & excedit omne pretium. Nec Deus in ullius aliûs gratiam sanguinem & vitam filii sui effundi passus est, præterquam in gratiam nostri et sui, non ut sibi debita nostra, (quæ condonavit omnia) solvi faceret; (qui inter alia in hoc ipsum filii sui sanguinem effundi voluerit, ut remissionem peccatorum sanciret, & se nobis ad ea condonanda penitus obstringeret:) sed ut ex morte filii sui gloriam consequeretur maximam; dum & filius tantam præstat patri obedientiam, & Deus pater pro tanta obedientia immensum filio suo confert præmium Phil. 2. 6, 7, 8, 9, 10, 11, et omnibus in ipsum credentibus vitam æternam Rom. v. 18.

Glorificate igitur. Infert conclusionem ex eo quod emti simus tanto pretio, id est, gloria igitur et laudibus Deum afficite, & ut ab omnibus gloria & laudibus afficiatur efficite.

Deum. Qui scilicet vos emit, quique nullum alium ex vobis servis & mancipiis suis capere potest usum, præter laudes & gloriam.

In corpore vestro & in spiritu vestro. Id est, per corpus vestrum & per spiritum vestrum, quicquid per corpus vestrum & per spiritum vestrum facere potestis, ex quo Deus gloriam consequatur, hoc facite, proinde ab omnibus peccatis, quæ spiritum contaminant, et a scortatione, quæ etiam contaminat corpus, penitus abstinete. Nam sicut per vestra sancta opera Deus consequitur gloriam, tum ex vobis ipsis, tum ex causa vestri ab aliis hominibus; sic ex vestris vitiosis actionibus et turpibus factis maxima redundat in Deum contumelia.

Quæ sunt Dei. Causam addit cur per utrumque, id est, corpus et spiritum, glorificare debeamus Deum, quia, inquit, utraque sunt Dei. Significat aliam esse rationem servitutis humanæ, aliam divinæ. In humana servitute animus est liber, quamvis corpus serviat; sed in servitute qua Deo sumus obstricti, animus æque servire debet quam corpus. Servavit, nimirum Deus, et animos nostros & corpora, ideo etiam utraque servituti suæ asseruit. Locus hic docet, non solo spiritu serviendum esse Deo, (quod satis esse putant, qui homines magis quam Deum timent vel respiciunt; credunt veritati, sed eam ore profiteri nolunt, aversantur animo idola, sed iis corpus inclinant:) nec solo corpore, id enim faciunt hypocritæ; sed utroque pariter, et spiritu et corpore, cum utrumque sit Dei.

CA-

CAPUT. VII.

Verſ. 1. *De us autem.* Reſpondet ad ea de quibus per literas ab eccleſia Corinthiorum interrogatus fuerat.

Quæ ſcripſiſtis mihi. Nempe ut ex ſeqq. apparet de cœlibatu, de matrimonio, de viduis, de virginibus, de idolothytis, de ſpiritualibus. Nam ad hæc omnia reſpondet, & ſuam de iis ſententiam exponit.

Bonum homini mulierem non tangere. Recte hic queſtionem de cœlibatu, poſt tractatum de ſcortationis fœditate argumentum, aggreditur.

Bonum homini. Intellige, eſt, nempe bonum abſolute, propter puritatis et ſanctitatis perfectionem, qualis & in ipſo Chriſto fuit, quæque habet peculiare apud Deum præmium, & propter multo minora quam in matrimonio incommoda Matth. XIX. 11, 12.

Mulierem non tangere. Σιμιῶς, per ſynecdochen generis, id eſt, ab uſu mulieris prorſus abſtinere. *Hominis* voce ſolum quidem hic deſignat virum, ut ex oppoſitione mulieris patet, ſed ex rei natura idipſum viciſſim intelligendum eſt de muliere, ſi abſtineat ab omni viro.

Verſ. 2. *Propter ſcortationes autem.* Id eſt, ſcortationum cauſa, ne ſcilicet quis in ſcortationem incidat, cujus, ut modo audiſtis, tanta fœditas ac turpitudo eſt. Sic dicimur remediis uti propter morbos. Scortationes dicit in pluratiuo, quia non unum aliquem, ſed unumquemque, ſive virum ſive mulierem intelligit. In ſcortationibus autem hoc loco comprehendit & adulteria, & quoſvis illicitos concubitus.

Quiſque ſuam uxorem habeat. Videlicet tanquam remedium contra mortem. *Suam.* Id eſt, ſuam propriam, honeſto matrimonio ſibi copulatam, non communem, nec alienam. Excluditur communicatio uxorum contra Stoicos, quæ turpior eſt ſcortatione ſimplici.

Et quæque ſuum virum habeat. Idem remedium datur & mulieri, id eſt, ſuum proprium ſimiliter virum habeat, non communem nec alienum. Excluditur polygamia, quam & ipſam Chriſtiana perfectio & ſanctitas, ſi ſub Chriſto, ſeu a Chriſtiano jam facto fiat, adulteriis annumerat Matt. XIX. 9. Videmus matrimonium, ſi cum caſto cœlibatu comparetur, eſſe bonum κατά τι, ſecundum quid, nempe tanquam remedium mali, ſed ipſum per ſe peculiare non habet in cælis præmium. Ipſum ſibi præmium eſt, quanquam etiam crux & afflictio eſt ℣ſ. 28. Videmus itidem neminem a conjugio arcendum eſſe, neminem votis eo adſtringendum, ſive ultro ſeſe debere adſtringere, nedum major affectatur caſtitas & puritas, fœdiſſimis locus detur ſcortationibus, quod, proh dolor! eveniſſe videmus, ut jure meritoque idem apoſtolus prohibitionem nuptiarum inter dæmoniorum dogmata retulerit 1 Tim. IV. 1, 2.

Verſ. 3. *Uxori vir debitam benevolentiam reddat.* Proinde etiam ſui corporis copiam faciat.

Similiter & uxor viro. Mutui enim ſunt hæc inter conjuges officii.

Verſ. 4. *Uxor ſuo proprio corpori non dominatur, ſed vir.* Rationem ſubjicit moniti. Hinc enim conſequitur uxori jus non eſſe ut corpus ſuum viro ſubtrahat.

Similiter vero & vir proprio corpori non dominatur, ſed uxor. Hinc viciſſim conſequitur nec viro jus eſſe ut corpus ſuum ſubtrahat uxori. Jam vero ſi non minus uxor dominatum habet in corpus mariti quam maritus in corpus uxoris, conſequitur etiam omnino ut non magis viro liceat plures habere uxores, quam uxori plures viros. Neque enim ſervo plures habere dominos licet. Sic hactenus æquata ſunt viri & uxoris a Chriſto jura.

Verſ. 5. *Ne defraudate vos invicem.* Denegando videlicet vobis invicem corporum copiam. Conjuges enim alloquitur.

Niſi quid. Intellige, a vobis fiat.

Ex condicto. Proinde ex mutuo conſenſu.

Ad tempus. Nempe breve, nam ubi conſenſus mutuus accedit iſtic nulla eſt defraudatio, cum ſui quiſque juris ſit dominus.

Ut vacetis jejunio & orationi. Amat jejunium caſtitatem, & oratio amat jejunium. Finem oſtendit iſtius inter conjuges mutui pacti. Loquitur autem de oratione quæ fiat tempore jejunii; quod in ſpirituali Chriſti diſciplina, ad certos & ſtatos dies non adſtringitur; ſed ab arbitrio cujuſque privatim, ſi privatum ſit, vel totius eccleſiæ, ſi publicum ſit, & ab incidentibus cauſis ac neceſſitatibus pendet. Neque enim res tam ſancta in ritum & cæremoniam apud Chriſtianos abire debet.

Et rurſus ſimul, ἐπὶ τὸ αὐτὸ Act. III, 1, *convenite.* Nempe peracto jejunio, & oratione, & tempore, de quo inter vos convenit elapſo, rurſus vos vobis mutuo reddite.

Ne tentet vos ſatanas. Id eſt, ad illicitum aliquem concubitum proritet, & ſuo potiatur conatu. Sic tentare accipit idem apoſtolus 1 Theſſ. III. 5. Nempe cum tentationis effectu, per metonymiam ſynecdochicam.

Propter incontinentiam veſtram, ἀκρασίαν, Notat in illis quod ſe non ſatis continere poſſent, ideoque ſatius eſſe ut ſecum ſint.

Verſ. 6. *Hoc autem dico.* Nempe de uſurpatione juris mutui.

Secundum veniam, vel *conceſſionem.* Id eſt, per veniam vel conceſſionem, κατὰ pro διὰ, concedendo id vobis, ſeu tanquam rem vobis a Deo conceſſam profero.

Non ſecundum imperium. Id eſt, non imperando, ſeu tanquam rem vobis a Deo imperatam trado, quaſi vobis aliter facere, & de jure veſtro ejuſque uſu decedere mutuo non liceat. Non videtur apoſtolus hoc tam de ipſo conjugio dicere, quod remedium adverſus ſcortationes eſſe vidimus ℣ſ. 1, quam de conjugali corporum uſu. Aliud enim eſt remedium adverſus morbum vel mortem in promtu habere; aliud remedio uti. Habere conſultum eſt; uti quid attinet ubi non eſt opus?

Verſ. 7. *Volo enim.* Id eſt, vellem enim, per enallagen. Rationem dicti adfert.

Omnes homines. Sive viros, ſive fœminas.

Eſſe ſicut meipſum. Id eſt, continentes & abſtinentes a rei conjugalis uſu, ex mutuo videlicet conſenſu conjugum, proinde non poſſum illis contrarium imperare. Paulo alioquin uxorem fuiſſe, ſed quæ una cum ipſo, ex quo factus eſſet apoſtolus, conſenſerit in

in mutuam castitatem, locus cap. IX. ℣. 5 arguit. Et alter ad Phil. IV. 3, ubi σύζυγε γνήσιε alloquitur, mulierum autem adjectio verisimile facit fœminam intelligi, id est, *Conjugem germanam*. Proinde non aliam, quam uxorem Pauli. Quam etiam merito rogat, ut parem officii vicem reponat istis mulieribus, quarum fidelem operam & auxilium expertum se dicit in Euangelio.

Sed quisque proprium donum habet ex Deo. Caussam addit, cur quamvis id vellet, id tamen non magis imperet quam ejus contrarium: quasi dicat, sed hoc imperari nemini potest, cum quisque proprium donum ex Deo habeat, id est, non eadem omnes habent ex Deo, tanquam omnium bonorum unico fonte.

Hic quidem sic, hic autem sic. Hic quidem, id est homo, sive mas, sive fœmina habet donum continentiæ, hic autem aliud aliquod habet donum, quamvis donum continentiæ non habeat. Videmus hic continentiam ab iis exigendam non esse, qui donum non habent continentiæ.

Vers. 8. *Dico autem innuptis*. Egit de conjugibus, nunc agit de iis qui in conjugio non sunt.

Innuptos, Ἀγάμοις vocat, tam eos qui semper sine nuptiis fuerunt, nempe viros, (nam de virginibus infra ℣. 25 agit) quam viduos.

Et viduis. Nempe mulieribus.

Bonum ipsis est. Nempe ob singulare a Deo præmium & multo minora incommoda ℣. 1.

Si maneant sicut ego. Id est, continentes ab usu rei conjugalis, proinde si conjugium non ineant, cum conjugibus soluti sint. Non sequitur Paulum viduum fuisse, non magis quam cœlibem aut viduam, cum tanto magis sese illis pro exemplo castitatis & continentiæ exhibere potuerit, quanto magis arduum est conjugem habenti re conjugali abstinere, quam non habenti, huic enim prius foret uxor ducenda.

Vers. 9. *Si vero sese non continent*. Id est, continere difficulter possunt. Effectum posuit pro causa, per metonymiam. Apostolus ergo non pro cœlibatus aut viduatus exemplo sese illis proponit, sed pro exemplo continentiæ.

Nuptias faciant. Ineant conjugium

Melius enim est nubere, quam uri. Non quod uri bonum sit; (malum enim est) sed quia in comparationibus boni & mali, non infrequens est hujusmodi locutio: perinde enim est atque si quis diceret, melius est remedium adhibere, quam ægrotare aut ex morbo mori. Etiam uri ægrotare est, & ex ustione in scortationem incidere est ex hoc morbo mori. Tristior autem est multo, animi ægrotatio & mors, quam corporis Conjugium adversus utrumque remedium est. *Uri* per metaphoram est vehementi cupiditate ad concubitum solicitari, quam sustinere fere tam difficile sit quam ustulationem. Quid ergo istis fiet qui homines ustioni subjectos arcent a conjugio, id est, animo ægrotos a remedio, quamvis in aperto sit, ægrotationem eorum in mortem animi, nempe scortationem, quam mors consequitur æterna, desinere?

Vers. 10. *Iis vero qui nupserunt*. Redit ad eos qui in conjugio vivunt, illisque non suum, ut antea, sed Domini præceptum tradit.

Denuntio non ego. Quasi dicat, antea quæ conjugibus dixi, ut sibi invicem conjuges conjugale præstent officium, ne sese defraudent, sed secum sint, & sui copiam sibi invicem faciant, mea erant denuntiata, non Domini, proinde, ut dixi, concessionis non imperii vim habentia, seu simpliciter & absolute obligantia.

Sed Dominus. Id est, Christus, quasi dicat, cui soli in salutem nostram jus est; nec Apostolis, nec ullis aliis hominibus, nec ipsi ecclesiæ concessum est, ut æternam ullius salutem suis astringat legibus, quippe quæ suæ potestatis non est, sed caput & Dominum habet Christum.

Ne uxor a viro se separet. Id est, divertat.

Vers. 11. *Si vero & separetur*. Id est, diverterit a viro. Ostendit non ita absolute divortium a Domino prohiberi, ut ei nullum omnino locum relictum esse velit, etiam in justissimis & æquissimis causis.

Maneat innupta. Quasi dicat, si causa sit justa, sit locus divortio, sed tamen absit, ut uxor, quæ a viro divertit, alteri nubat, maneat innupta.

Aut viro reconcilietur. Quasi dicat, hoc illi relictum est ut viro reconcilietur, id est, cum viro redeat in gratiam.

Et ne vir uxorem dimittat. Id est, repudiet, nisi forte uxor fidem conjugalem fregerit & sic uxor esse desierit, ut in hac Christi lege a Matthæo descripta videre est cap. V. 32. XIX. 9. Nihil hic Apostolus dicit de reconciliatione. Nam in tali repudio reconciliationi conjugali locus non est, & uxor hac de causa repudiata censetur pro mortua. Divertere ab uxore, viri non est, sed tantum uxoris a viro, nec repudiare virum, uxoris est, sed tantum viri uxorem.

Vers. 12. *Reliquis autem*. Id est, quorum alter conjugum extra Dominum & ecclesiam est, ut ex sequentibus patet.

Ego dico, non Dominus. Vice superiori contraria: Significat nimirum in eo quod sequitur absolute obligari, ut ei aliter facere non liceat, hoc enim solius Domini dictis & præceptis debetur.

Si quis frater. Id est, Christianus,

Uxorem habeat infidelem. Id est, non Christianam, sive Judæam, sive paganam.

Et ipsa consentiat habitare cum ipso. Nolit ab ipso divertere, quod Christianus sit factus.

Ne dimittat ipsam. Nempe per repudium, ne Christianus factus sit Judæa vel pagana muliere immitior & iniquior. Et tamen quia hoc non Dominus dicit, quis Christianum vel Christianam hac lege sic ausit adstringere, ut ei aliter facere sit nefas? si sibi cum infideli & impuro, conjugale nolit esse consortium, & tam

(D) arctam

arctam societatem? Nam superior Christi lex ad eos tantum conjuges pertinet, quorum uterque fidelis est. Cæterum si fidelem cum infideli in conjugio manere fas est, cur etiam illud inire absolute sit nefas? Nam lex Mosis, quæ vetabat conjugia inire cum vicinis illis septem populis idololatricis, & a Deo devotis, (nam de aliis id non legimus,) etiam inita dissolvi imperabat. Sed quia tale & tam dispar conjugium, multa secum trahit incommoda, ipsiusque salutis pericula, ideo hactenus jure meritoque inhiberi debet in Christianorum ecclesiis. Polygamiæ diversa ratio est, quæ cum per se & natura sua conjugali societati non bene respondeat, toleratur quidem in iis qui ante fidem in Christum polygami extiterunt, sed ut Christiani facti polygami fiant, a Christo non conceditur, vide supra ℣. 2.

Vers. 13. *Et uxor.* Nempe soror, seu Christiana.

Quæ habet virum infidelem. Sive Judæum, sive paganum.

Et ipse consentit habitare cum ipsa. Non vult eam repudiare.

Ne relinquat ipsum. Nempe per divortium: idem vice versa dicit Christianæ uxori quod dixit viro Christiano.

Vers. 14. *Sanctificatus enim est &c.* Rationem dicti sui addit, per prolepsin. Poterat enim vel uxor sancta seu Christiana, vel vir sanctus seu Christianus dicere, nolo cum homine profano & impuro corporis communionem habere, cui propter infidelitatem nullum est jus in ullas Dei creaturas, multo vero minus in corpus meum Deo sacrum, & per fidem in Christum ac spiritus ejus participationem sanctificatum. Quique proinde me faciat mœcham vel scortum cum ipse pro mœcho vel scortatore censendus sit. Amovet hanc objectionem Apostolus, & ait sive virum sive uxorem infidelem, sanctificari per fidelem conjugem.

Sanctificatus est. Id est, purus factus, hactenus ut ei jus sit in Dei creaturas, earumque usum, utque mœchi & scortatoris rationem non habeat.

Vir infidelis. Qui alioquin quod fidem in Christum Dei filium non habeat, impurus & pollutus est, nec ullum jus in Dei creaturas habet, præsertim ut sancto utatur corpore conjugis.

In uxore. Id est, per uxorem, nempe sanctam & Christianam, dum scilicet cum ea habitare consentit, ita fit, ut Deus illi, quia sanctæ uxoris societatem & cohabitationem non aversatur, in sanctæ uxoris gratiam, jus in creaturarum suarum ipsiusque sanctæ uxoris usum concedat. Cibi impuri dicebantur, quibus uti fas non erat: homines autem impuri dicuntur, quibus, ut cibis, aliisve Dei creaturis utantur, fas non est, quales sunt omnes idololatræ, & a fide in Christum alieni.

Et sanctificata est uxor infidelis. Vice versa eodem quo dictum est modo.

In viro. Id est, per virum, nempe fidelem & sanctum, dum cum illo habitare consentit.

Alioquin igitur nati vestri. Eos alloquitur qui infidelem conjugem habebant, cum ipsi fideles essent.

Impuri sunt. Quasi dicat, nam si hoc non est ut conjunx infidelis sanctificetur per conjugem fidelem, nati vestri impuri sunt, illegitimi, ex impuro quippe connubio, & tanquam ex stupro vel adulterio nati; proinde nec vitæ nec ullius rei a Deo creatæ jus habent.

Jam vero sancti sunt. Quasi dicat, atqui hoc non ita est, sed sancti sunt nati vestri, etsi non ex utroque, tamen ex alterutro fideli conjugum procreati. Sanctificatus igitur est & alter conjugum per alterum. Nam alioquin ex impuro conjugio sancti procreari non possent.

Vers. 15. *Si vero infidelis.* Sive vir, sive uxor.

Separatur. Ille per repudium, hæc per divortium.

Separetur. Id est, habeat sibi res suas, valeat.

Non subjectus est servituti frater aut soror. Id est, Christianus aut Christiana.

In his talibus. Id est, rebus, vel viris, & uxoribus; ut scilicet frater vel soror, infideli sese separanti adhærere cogatur, nec jus habeat alterius, idque cum fideli, conjugii: quasi dicat, alia res est inter fideles conjuges, quibus hæc non licent ut ℣. 10, 11, dictum est.

In pace autem vocavit nos Deus. Opponit fideles & Christianos infidelibus, quasi dicat, infidelis se separet, ut dixi, nos autem qui fidem in Christum habemus, in pace vocavit Deus, proinde conjugem infidelem nobiscum habitare volentem ne aversemur, ne nos ab infideli conjuge separemus, pertinet enim hoc ad pacem; cum ejus contrarium inimicitias, turbas & bella excitet.

In pace. Id est, per pacem, seu hac conditione ut pacem cum omnibus colamus, nullis inimicitiis, nullis turbis & bellis ullam causam & occasionem ullis hominibus præbeamus, quanto minus illis quîcum concordi conjugio etiam ante fidem in Christum devincti eramus? Non est fides in Christum discordiarum causa, sed pacis & concordiæ vera mater.

Vocavit nos. Nempe Christi fidem amplexos, *Deus*, ad Regnum videlicet suum & salutem æternam. Sic Petrus dixit Deum nos vocasse per gloriam & virtutem, id est, ea conditione ut gloriam & virtutem, seu gloriosam virtutem consectemur 2 Pet. I. 3. Sic recte quis dixerit, Deum nos ad vitam ęternam in omni sanctitate & pietate vocasse, id est, ea conditione, ut omni sanctitati & pietati simus dediti.

Si quis malit, *in pace*, alio Hebraismo, interpretari *ad pacem*, non repugnabimus, nisi quod vocati esse dicamur potius ad salutem æternam quam ad illius consequendæ media, etiam illo ipso in loco, ubi ad pacem vocati esse ab eodem Apostolo dicimur Col. III. 15. Pacis enim nomine beatitas illa sempiterna recte potest intelligi, tanquam bonum ac præmium respondens paci, ad cujus studium nos istic Apostolus hortatur. Quomodo & alter Apostolus Petrus, benedicere nos jubet maledicentibus: *Scientes*, inquit, *quod in id vocati simus, ut benedictionis hæredes fiamus* 1 Pet. III. 9. Nimirum pax debetur paci, & bene-

benedictio benedictioni. Porro dicto ad Colossenses loco, simili ratione loquitur Apostolus.

Vocati, inquit, *estis ad pacem, in uno corpore.* Id est, per unum corpus, seu unum corpus facti. Cæterum pronominis *nos* transpositio quædam, neminem turbare debet, quæ circa finem posita, naturalem situm habuit in initio. Nimirum *nos* conjunxit cum Deo, personas cum persona, cum dicere posset; nos autem (infidelibus oppositos) in pace Deus vocavit. Cujusmodi transpositionis ubique fere occurrunt, & mox sequitur exemplum, ℣. 17. Potest & hic esse sensus.

Nos autem in pace vocavit Deus. Id est, ita ut in pace simus. Similem phrasin habes cap. XVI. ℣. 11.

Vers. 16. *Quid enim scis uxor si virum servabis?* Novam rationem adjungit, ob quam Christiana separari non debeat a viro infideli, si is cum ea habitare consentiat. Nimirum quod per sanctam conversationem sanctæ uxoris vir possit servari, id est, ad fidem in Christum adduci, ex qua salus consequitur 1 Pet. III. 1. Servare enim recte dicitur omnis qui alteri salutis est aliqua causa. Proponit Apostolus interrogationem affirmative, quia simul intelligitur & negativa. Nam qui nescit an alterum servaturus sit, simul etiam nescit, an eum servaturus non sit? proinde conandum omnibus modis est ut servet, quem conatum etiamsi non sequatur effectus, qui in conantis non est potestate, at suum illi manebit illibatum præmium. Solent ejusmodi interrogationes indifferenter proponi.

Aut quid scis vir si uxorem servabis? Eandem machinam adhibet & viro.

Vers. 17. *Nisi.* Εἰ μή. pro *sed*, ut Joh. V. 19. XV. 4. Generale subjungit præceptum speciali, quasi dicat, sed quicunque futurus sit exitus, sive servet, sive non servet alter alterum, hoc vobis dico in genere omnibus,

Cuique sicut, inverso ordine, pro *sicut cuique impartitus est Deus.* Id est, sicut cuique Deus partem in vita dedit. Omnia Apostolus ad Dei providentiam & curam revocat.

Unumquemque sicut. Iterum inversus ordo, pro, *sicut unumquemque vocavit Dominus.* Id est, sicut unusquisque erat in vitæ suæ statu & conditione (malis moribus exceptis, quæ nullo in statu vitæ locum habere debent) cum vocaretur a Domino, id est, a Christo per Euangelium.

Sic ambulet. Id est, sic agat, Hebræa phrasi. Neque enim Christi religio in mundum venit, ut status & conditiones vivendi turbet, sed tantum ut malos mores & vitia ex unoquoque vitæ statu auferat, proinde nec venit ut conjugia dissolvat, sed ut ea, si per infidelem non steterit, fortius amicitia & concordia constringat.

Et sic in ecclesiis omnibus præcipio. Ne Corinthii putarent se solos gravari. Catholicum hoc erat præceptum.

Vers. 18. *Circumcisus quis vocatus est.* Exempli causa commode allegat circumcisos & præputiatos, cum hæc res soleret agitari inter Christianos ex Judæis & paganis conversos. Id est, vocatus est aliquis a Christo ad salutem, circumcisus existens.

Ne attrahi sibi curet. Intellige, ἐπισπάσθω præputium, signum Judaismi abolere volens ex corpore.

In præputio, id est, cum præputio, seu præputiatus existens, *aliquis vocatus est, ne circumcidatur.* Turbas enim utrumque istorum daret, & neutrum ad salutem quicquam pertinet. Ideo addit:

Vers. 19. *Circumcisio nihil est.* Id est, nihil valet in re salutis.

Et præputium nihil est. Eodem modo.

Sed observatio mandatorum Dei. Nempe per Christum datorum, quorum summa est fides per charitatem operans, nova creatura, ambulatio secundum spiritum, non secundum carnem. Intellige autem, *omnia potest, & sola valet apud Deum & Christum.* Docemur hoc loco fidem sine aliorum Dei mandatorum observatione nihil esse, & nihil valere. Nam si dicas: veram fidem sine aliorum Dei mandatorum observatione esse non posse, hæc quidem veræ fidei vis & efficacia est, etiamsi non semper hominum culpa sequatur effectus: sed profecto meritorum Christi applicatio vera fides non erit, quæ sine mandatorum Dei observatione non tantum datur; sed etiam nullam vim ad eam efficiendam habet, imo habet ad tollendam. Vera fides est Christi verbis credere, quibus affirmantur & asseruntur æterna ac cælestia bona bonis, & æterna mala malis & improbis. Hæc vere credita sola vim habent ut bonos & mandatorum Dei servantes efficiant.

Vers. 20. *Quisque in vocatione.* Id est, in vitæ statu & conditione, quæ vocatio dicitur, per metonymiam effecti, quod ex ea quisque vocari, id est, appellari & denominari soleat.

Qua vocati estis, pro, *in qua vocati estis.* Id est, in qua vos offendit vocatio per Christum facta. Est παρονομασία.

In hac maneat. Vitæ suæ statum & conditionem non deserat, quiete & pacate agat. Superiori exemplo iterum generale præceptum subjicit.

Vers. 21. *Servus vocatus es.* Id est, in servili statu versans vocatus es à Christo per Euangelium. Aliud exemplum generali regulæ subnectit.

Ne sit tibi curæ. Boni consule hanc tuam conditionem, non est ut ob eam animum despondeas & curis te dedas, noli ob tuam sanctam vocationem res novas moliri, & Christi fidem invidiæ objicere.

Sed si etiam potes liber fieri, magis utere. Addit hoc in parenthesi, ne videatur vetare ut servus libertatem sibi procuret, si licitis & honestis mediis possit. *Liber fieri*, id est manu mitti.

Magis utere. Id est, potius hac occasione & facultate utere, quam ut in servili maneas conditione.

Vers. 22. *Qui enim in Domino vocatus est servus &c.* Absoluta parenthesi causam reddit cur servus extra curam esse debeat quod servus

sit, quia, inquit, servorum & liberorum conditio æquata est apud Dominum, servi facti sunt liberi, & liberi facti sunt servi.

In Domino. Id est, per Dominum, qui Christus est. Addit hæc verba, ut Dominum servis opponat. Christus absolute vocatur Dominus, quia Dominus omnium a Deo factus est, non hominum tantum, sed etiam angelorum.

Vocatus est. Ad salutem nimirum per Euangelium, *servus*, id est, in servili conditione positus.

Libertus Domini est. Id est, manumissus est a vero omnium Domino, nempe Christo, vindicatus est in veram libertatem, a lege & damnatione, a vitiis omnibus, assertus est in jus filiorum Dei & cælestis hæreditatis. Sic Dominus iste manumittit servos a se vocatos & vocationi suæ parentes, id est, in se credentes.

Et qui liber vocatus est. Id est, liber & ingenuus statu ac conditione, vocatus est a Domino per Euangelium.

Servus est Christi. Nempe, pro vera libertate, quam a Christo accepit, factus est Christi mancipium, ut mandatis ejus in omnibus alacriter obtemperet, quæ sunt justitia, charitas, lege illa libertatis & regia comprehensa.

Vers. 23. *Pretio empti estis.* Alludit ad servos qui pretio solebant emi, & causam exprimit ob quam Christiani servi sint Christi. Iterum hoc cap. VI. 20 dictum hic inculcat, quia Christianis ea res alte debet esse infixa. Vide dicto loco.

Ne sitis servi hominum. Monitum ex hac emptione, tanto pretio & impendio facta infert. Monet ne Christiani sint servi hominum, in iis nimirum rebus quæ sunt contra mandatum aliquod Christi. Christum opponit hominibus, quamvis Regibus & Imperatoribus. Nam & isti homines sunt, aliorum hominum mortali conditione similes. Christus cælestis Dominus est, non caro, sed spiritus vivificus, quique in omnes dominos imperium habet æternum & absolutum, vivorum pariter & mortuorum judex. Hujus mandatum in ullius hominis gratiam transgredi fas non est. Officium nostrum est mori potius, quam aliquid facere contra Christum, qui talis est Dominus, ut mortuis vitam reddere possit, imo pro vita mortali vitam conferre immortalem. Empti simus quantovis pretio ab hominibus, at hoc conferri non potest cum sanguine Christi pretiosissimo, quem pro nobis fudit, ut nos sibi assereret.

Vers. 24. *Quisque &c.* Jam tertio præceptum hoc repetit, nec satis inculcare potest, quippe quod in eo plurimum esset situm, ne Christianæ religionis novitas ullas res innovaret præter mores, nec quicquam commoveret præter ignorantiam Dei, idololatriam, superstitionem, impietatem, & quicquid malorum ac vitiorum est. Satis hinc invidiæ Christianæ fidei erat, sed injustæ.

In quo. Id est, in quo vitæ statu, *vocatus est*, nempe a Deo vel Christo per Euangelium.

Fratres. Non enim alloquitur alios quam fratres, id est, Christianos, simul autem includit & sorores. Christianorum inter se sueta compellatio, charitatis symbolum & æqualitatis, dominatum in christianos quatenus Christiani sunt vetans, & omnes ex Deo genitos & Dei filios ac hæredes esse arguens, hactenus enim omnes fratres & sorores sunt, quatenus omnes communem Patrem habent Deum.

In hac maneat apud Deum. Id est, Dei factus domesticus.

Vers. 25. *De virginibus autem.* Venit ad virgines, interrogatus, ut ex responsione colligitur, an in virginitate perpetua servanda essent ℣. 37.

Præceptum Domini non habeo. Respondet ad quæstionem, se præceptum Domini non habere, proinde nullum Domini præceptum de eo esse ut virgines in virginitate perpetua conserventur, quippe qui libertatem conjugii cuique indulserit.

Sententiam autem do. Id est, dicam autem quid hac de re sentiam.

Tanquam misericordia affectus a Domino, ut fidelis essem. Causam addit cur sibi potestatem sumat dandæ hac in parte sententiæ. Particula *ὡς tanquam* hoc loco vim habet causæ, quasi dicat, quippe qui singulari misericordia affectus sum a Domino, ut scilicet fidelis essem, nempe per fidem in ipsum, qui me singulari sua erga me misericordia ad fidem in se adduxit. Designat admirabilem illam sui conversionem in Actis descriptam cap. IX. XXII. XXIV, & simul Apostolicum munus sibi demandatum insinuat. Ideo enim tanto miraculo tantaque misericordia a Christo conversus est, ut eum etiam Apostolum suum faceret 1 Tim. I. 12 & seq. sed tanta modestia agit, ut omnem suam Apostolicam dignitatem ad solam Domini misericordiam revocet.

Vers. 26. *Existimo igitur.* Exponit sententiam suam, talis ac tantus.

Bonum esse. Id est, commodum, utile, quid autem id sit, paulo post explicat causa prius inserta.

Propter præsentem necessitatem. Id est, propter multa adversa, quibus in hac præsenti vita premimur, nos inprimis Christiani. Nunquam enim in Christo Jesu pie vivere volentibus persecutiones desunt 2 Tim. III. 12. Neque Corinthiis ipsis sua defuit persecutio cap. X. 13, ea quæ necesse est ferre, recte necessitas vocantur.

Quod bonum sit homini sic esse. Exprimit quid existimet bonum esse, quasi dicat, *quod* inquam *bonum sit homini*, sive sit virgo, sive juvenis.

Sic esse. Id est, virgini sine viro, juveni sine uxore permanere. Minus enim necessitas feriet & affliget, id est, nec tam facile, nec tam valde solum, quam conjugi & liberis illigatum, quorum adversa æque sunt acerba, quam nostra propria.

Vers. 27. *Alligatus es uxori.* Alloquitur interrogando utrosque & uxoratos & uxoribus carentes, & doces utrosque, & primum uxoratos.

Ne quære solutionem. Id enim fas non est ℣. 11.

Solutus es ab uxore? Passivum pro neutro, Hebræo more, id est, cares uxore. Alloquitur enim nunc cælibes.

Ne quæras uxorem. Quasi dicat, si meæ sententiæ vis obsequi, mane cælebs & sine uxore, ne quæras alligari uxori cum liber sis. Non addit de virginibus, quia & virginum par est ratio.

Vers. 28. *Si autem & duxeris uxorem, non peccasti.* Hoc addit ne quis paria putet, quærere solutionem ab

ab uxore, et quærere uxorem. Illud enim peccatum eſt, hoc peccatum non eſt. Illud ne fiat, Chriſtus prohibet, hoc ne fiat, Apoſtolus conſultum putat.

Et ſi nupſerit virgo non peccavit. Idem docet de virgine.

Afflictionem autem carni habituri ſunt hujuſmodi. Quaſi dicat, non peccaverunt quidem, at afflictionem carni ſuæ ſunt habituri.

Hujuſmodi. Id eſt, qui duxerint uxores, et quæ nupſerint, ita ferente conjugii natura.

Carni. Tanquam afflictionum objecto, per res ad carnem ſpectantes, per adverſa conjugis et communium liberorum, morbos puta et mortes, et alia triſtia, ſine quibus vita humana non eſt. Jam ſi accedunt mores vel ex utraque vel ſaltem ex altera parte, ut fere fit, incommodi, ſi conjugium ſit diſcors, ſi inſuper urgeat inopia, quanta et hinc orietur afflictio? Si vero etiam ingruat perſecutio, cui verus Chriſti populus ſemper eſt ſubjectus, quis afflictioni carnis modus erit, marito de uxore, uxore de marito, parentibus de liberis, liberis de parentibus anxiis et ſolicitis, aut ab invicem divulſis? Ego ipſe qui hæc ſcribo quantis divexor carnis afflictionibus, ab uxore & liberis adverſariorum iniquitate divulſus, amiſſis etiam tribus filiis, quorum duo in captivitate Tartarica perierant, unus ab adverſariis ſæva morte peremptus eſt? An ullum in conjugio gaudium tantum eſſe poteſt, ut cum ejuſmodi malorum acerbitate comparari queat? Hoc in itinere Stetinum tendens ſcripſi, anno ſequente, Stetini, conjugem chariſſimam quam iſtic exilium meum ſecutam receperam, & ſenex, & exul, et a liberis omnibuſque meis longe remotus amiſi.

Ego autem vobis parco. Quaſi dicat, ego autem nollem vos affligi, et hæc cauſa eſt, ob quam, etſi peccatum non eſt conjugio copulari, ut tamen a conjugio abſtineatis, conſultum vobis putem.

Verſ. 29. *Hoc autem dico fratres.* Quaſi dicat, ſi ſententię meę de non ineundo conjugio, vel nolitis vel etiam non poſſitis obſequi.

Tempus contractum, intellige, *eſt.* Quaſi dicat, hoc ſaltem expendite & ſemper cogitate, tempus contractum eſſe, id eſt, breve admodum & conciſum eſſe vitæ noſtræ tempus. Singulis momentis mortem nobis imminere, & conſequenter judicium illud ultimum.

Reliquum eſt. Quaſi dicat, rerum naturam mutare non poteſtis, neceſſitati parendum eſt, hoc ſolum reſtat et reliquum eſt.

Ut. Hæc particula ad omnia ſequentia refertur membra.

Et qui habent uxores. Particula & hoc loco diſtribuendi vim habet, ut ex ſequentibus membris conſtat: hos *qui habent uxores*, primo loco ponit, quia de iis ſermo erat. Intelliguntur autem & vice verſa quæ maritos habent.

Tanquam non habentes ſint. Id eſt, ſimiles ſint non habentibus uxores. Qui uxores non habent, animum iis prorſus non adjiciunt: qui autem eorum ſunt ſimiles, animum iis non ita adjiciunt, ut earum amiſſionem æqua mente ferre non poſſint. Idem de maritos habentibus intelligendum eſt.

Verſ. 30. *Et qui lugent.* Hoc alterum eſt membrum, cui præcipue locus eſt in conjugio.

Tanquam non lugentes. Intellige, *ὡς μὴ ὦσι ſint* Id eſt, ſimiles ſint non lugentibus, moderate lugeant, cum ſcirent et ſciant breve eſſe & incertum cuique vivendi tempus.

Et qui gaudent. Tertium membrum eorum qui gaudent, quod etiam conjuges peculiari quodam jure ſibi vendicant.

Tanquam non gaudentes, intellige, *ſint.* Id eſt, ſimiles ſint non gaudentibus, moderate gaudeant, cum ſciant gaudia ſua mox præteritura.

Et qui emunt. Etiam hic matrimonii fructus ſolet eſſe, opes colligere, bona ac poſſeſſiones emere.

Tanquam non poſſidentes, intellige, *ſint.* Id eſt, ſimiles ſint iis qui nihil poſſident, animum ad poſſeſſiones ſuas non ita adjiciant, ut earum jacturam non facile ferre poſſint, cum ſciant vitam ſe ſortitos brevem, cujus amiſſione etiam opes amittendæ ſint, licet caſus aliquis ea ante mortem non auferret. Locus hic docet Chriſtianis, ſicut uxores & maritos habere, ſic & lugere & gaudere et opes acquirere, et poſſeſſiones emere ac poſſidere conceſſum eſſe, dummodo in his omnibus ea moderatione utantur, quæ homines vitam adeptos brevi perituram, et æternam unice ſpectantes deceat.

Verſ. 31. *Et qui utuntur hoc mundo.* Hoc imprimis divitum ac opulentorum eſt, uti hoc mundo, id eſt, hujus mundi voluptatibus, et quæ alia hic mundus habet bona.

Tanquam non abutentes, intellige, *ſint.* Id eſt, ſic utantur, ut abutentes ſeu mali utentes non ſint. Particula ὡς in hoc poſtremo membro non ſimilitudinem ſignificat, ſed modum ac rationem utendi hujus mundi, ſeu vitæ bonis, quæ ipſa per ſe mala non ſunt, quippe a Deo condita (ideo nec Chriſtianis vetita, quin imo ſoli Chriſtiani eorum utendorum jus habent:) ſed tantum eorum abuſus malus eſt.

Præterit enim figura mundi hujus. Rationem adfert ob quam mundo hoc abuti non debeamus.

Quia præterit. Id eſt, ſtabilis non eſt, brevi præteribit, per enallagen præſentis pro futuro.

Figura mundi hujus. Id eſt, hujus mundi bona, quæ figuram appellat, quia mundo huic figuram & ſpeciem conciliant, cæterum nihil habent in ſe veri ac ſolidi.

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa.

Cavendus igitur eſt illorum abuſus. Illis enim pereuntibus remaneret mala conſcientia, & pœnarum metus atque acerbitas.

Verſ. 32. *Volo autem vos ſine cura eſſe.* Nova ratione caſtum cælibatum & virginitatem commendat, tacite occurrens iis qui dicerent, ſe hac quam modo docuerit moderatione uſuros, et ſic nihil impedire quominus conjugium ineant.

Volo autem. Inquit, id eſt, vellem autem, per enallagen modi, ut ſupra ℣ſ. 7.

Vos ſine cura eſſe. Intellige de rebus ad hanc vitam ſpectantibus, quaſi dicat, obſtat adhuc aliquid aliud ineundo conjugio, nempe cura et ſolicitudo de rebus ad hanc vitam ſpectantibus, quæ conjugii comes eſſe ſolet, a qua liberos vos vellem eſſe, tanquam ab impedimento non exiguo rerum ſpiritualium & ad

ſalutem ſpectantium; nempe ſi id citra ſcortationis periculum queat eſſe.

Qui uxorem non duxit. Nempe quia ducere noluit nec vult, idque in animum induxit. Docet quantum hac in parte interſit inter non uxoratum et uxoratum.

Curat ea quæ ſunt Domini. Id eſt, Chriſti, totus in rebus Domini ſeu ad Dominum ſpectantibus occupatus eſt, nempe in precibus, in laudibus Domino dicendis, in piis et ſanctis lectionibus et meditationibus et ſermonibus et actionibus, quibus illius promoveatur gloria.

Quomodo placeat Domino. Id eſt, id tantum curat ut Domino placeat, nempe ea ſola curando quæ Domini ſunt.

Verſ. 33. *Qui vero duxit uxorem curat ea quæ mundi ſunt.* Id eſt, etiam ea quæ mundi ſunt, quæ mundus ſeu homines hujus mundi pro bonis habent, quæque etiam hujus vitæ bona ſunt, opes nimirum, honores, voluptatas & varias commoditates.

Quomodo placeat uxori. Id eſt, etiam uxori, non tantum Domino, nempe curando etiam ea quæ hujus mundi ſunt. Uxoribus enim placent viri ſolertes & navi in acquirendis hujus vitæ bonis, quippe quod ad uxores pertineat eorum communicatio ac ſocietas.

Verſ. 34. *Diviſa eſt & uxor & virgo.* Quod dixit de viris nunc etiam dicit de mulieribus, quaſi dicat, eodem modo differt etiam uxor & virgo, quo differt uxoratus a cælibe. Aliis in codicibus deeſt particula *&* ante vocem uxor, quæ tamen nexum orationis Apoſtolicæ facit evidentiorem.

Quæ non nupſit. Id eſt, virgo, quia ſcilicet non nubere & in virginitate permanere in animum induxit.

Curat ea quæ ſunt Domini. Id eſt, ea ſola.

Ut ſit ſancta. Nempe κατ' ἐξοχήν.

Et corpore. Id eſt, corpus habens a viro intactum.

Et Spiritu. Id eſt, animo, animum habens a cura rerum mundanarum plane vacuum, & totum in Domino defixum.

Quæ vero nupſit curat ea quæ mundi ſunt. Adminiſtra eſt viro in quærendis hujus vitæ bonis.

Quomodo placeat viro. Viris enim maxime placent uxores ſedulæ, & rem œconomiam bene curantes.

Verſ. 35. *Hoc autem ad veſtri ipſorum commodum dico.* Cavet Apoſtolus ne quis id quod dixit in perniciem ſuam vertat. *Hoc*, nempe quod de cælibatus & virginitatis laude ac commendatione dico, eo fine dico, ut id vobis ipſis conferat & conducat, nempe ad ſalutem. Commendare vobis ipſis per id volo, non ulla ex parte nocere. Nemo meis ſermonibus ad noxam ſuam abutatur.

Non ut laqueum vobis injiciam. Amovet a dictis ſuis contrarium τοῦ συμφέροντος, id eſt, ejus quod ipſis conferat & conducat. Non dico hoc eo fine ut vos capiam & perdam. Per metaphoram & metonymiam, id eſt, ut vos in ſcortationem & illicitos agam concubitus, dum affectatis cælibatum & virginitatem, cui pares non ſitis. Neque enim hoc vobis præcipio, aut a vobis ullo modo exigo, illibatam vobis ſemper conjugii relinquo libertatem. Ex his Apoſtoli verbis apparet, quam male & contra Apoſtoli, imo Chriſti ipſius diſciplinam faciant, qui votis ad cælibatum ac virginitatem perpetuam vel ſeipſos obſtringunt, vel ab aliis obſtringuntur & arcentur a conjugio. Laqueum hoc eſt injicere hominibus eoſque capere ac perdere, non ſervare, quod ſatis ſuperque experientia docuit ac docet.

Sed ad decorum. Amoto contrario, repetit illud commodum, τὸ συμφέρον, ad quod, ſeu, cujus cauſa hoc dicat, ejuſque duas facit partes. Una eſt, cum ait *ad decorum*, id eſt, ut decore agatis. Intelligit autem decorum κατ' ἐξοχήν. Nam & conjugium decorum eſt Hebr. XIII. 4. Sed caſtus cælibatus & virginitas res eſt magis decora, & ſanctitati Chriſtianæ magis conveniens ꝟſ. 1. Hanc igitur decentiæ & ſanctitatis perfectionem ſpectare ſe dicit Apoſtolus, nimirum ſi ad eam contendere velint vel etiam poſſint, nemini neceſſitatem illius imponendo.

Et bene aſſidendum Domino. Hæc altera illius συμφέροντος pars eſt. εὐπρόσεδρον, vel ut alii codices eadem ſignificatione legunt, εὐπάρεδρον τῷ κυρίῳ. Neutrum adjectivum ponit, more Græco, pro ſubſtantivo denominato. Senſus eſt, ut bene aſſideatis, id eſt, adhæreatis & vacetis Domino, nempe Chriſto, quod in conjugio tam commode fieri nequit, ut ꝟſ. 32, 33, 34 docuit. Simili ratione infra, eos qui vacant altari τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντας dixit.

Sine diſtractione, ἀπερισπάστως. Explicat iſtud εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ. qui in matrimonio vivunt, multis diſtrahi curis habent neceſſe, circa conjugem, circa liberos, circa rem familiarem: at qui cælibatum & virginitatem elegerunt, toti vacare poſſunt Domino, & Mariam illam imitari Luc. X. 39, 40, 41, 42.

Verſ. 36. *Si vero quis indecorum ſuper virgine ſua exiſtimat ſi ſit ſuperadulta.* Ὑπέρακμος, id eſt, ultra maturitatem provecta. Commendata tantopere virginitate, docet nemini tamen legem ſeſe ferre, ut virginem ſuam in virginitate contineat, quin imo ſi quis virginem habere, ultra maturitatem provectam, & ſibi & virgini dedecori putet, ſeſe haudquaquam obſtare quominus eam tempeſtive elocet. Solet enim probro duci ſi virgo maritum reperire non potuerit.

Et ſic oportet fieri. Nempe ut virgo nubat. Addit hoc, quia probrum illud minus curandum foret, præſertim ſi virgo non nupſerit, non quod non potuerit, ſed quod noluerit habere maritum.

Quod vult faciat. Id eſt, virginem nuptum det.

Non peccat. Nempe contra Chriſti leges.

Nuptias ineant. Nempe et is qui virginem ducturus eſt & virgo, per Chriſtum ejuſque leges id utrique licet.

Verſ. 37. *Qui vero ſtetit firmus in corde.* Ex adverſo etiam explicat ſententiam ſuam de eo qui contrarium faciat.

Qui ſtetit. Id eſt ſtat, per Hebraiſmum. *Firmus in corde.* Id eſt, in animo ſuo, de non elocanda nuptum virgine, nihil eum movet dedecus illud & probrum virginis ultra maturitatem provectæ, & in paterna domo conſeneſcentis.

Non habens neceſſitatem. Nempe ex parte virginis, cui parentes nubere volenti vim facere non poſſunt.

Poteſtatem autem habens. Pro, ſed poteſtatem habens, δ' pro ἀλλά.

De

De propria voluntate. Ut eam scilicet exequatur, virgine nimirum ipsa libere ac benevola & maturo judicio consentiente.

Et hoc judicavit. Id est, re bene deliberata & expensa decrevit.

Servare suam virginem. Ita nimirum ut eam nuptum non elocet.

Bene facit. Id est, non tantum similiter ut prior ille non peccat, sed etiam rem facit eximiam ✝. 1.

Vers. 38. *Itaque & qui nuptum dat.* Rem concludit de utroque, *bene facit*, quatenus scilicet non peccat.

Qui autem nuptum non dat, melius facit. Propter rationes nimirum supra dictas ✝. 26 & sequentibus ad ✝. 36.

Vers. 39. *Mulier vincta est lege.* Docuit de virginibus manentibus innuptis, tradit etiam, idque expressius quam supra ✝. 10, legem earum quæ nupsere.

Mulier. Nempe quæ nupsit.

Vincta est lege. Ne scilicet possit alteri viro nubere. Intelligit autem legem per Mosen latam, quam hac in parte Christus non tantum non solvit, sed etiam virum ea vinxit, ne possit alteram uxorem ducere ✝. 2, 4.

Quamdiu vivat vir ejus. Nempe fidelis, ut & mulier fidelis. Nam si infidelis sese separet, non subjectus est servituti in his talibus frater aut soror, ut dictum est ✝. 15.

Si vero dormiat vir ejus Id est, moriatur, per metaphoram Scripturæ consuetam. Mortui enim similes sunt dormientibus; quippe in die novissimo per Christum ex morte tanquam è somno suscitandi.

Libera est cui vult nubere. Id est libertatem habet ut cui velit possit nubere. Viri morte soluta est illa lege.

Tantum in Domino. Restringit libertatem illam fidelis viduæ nubendi cui velit, quatenus nonnisi in Domino, nempe Christo, id facere debeat, id est, in nubendo sese intra Christi leges & disciplinam contineat, Domini legibus et disciplinæ adhæreat, nihil adversus illam aut cum illa non conveniens faciat, extra Dominum non nubat, proinde nec extra Ecclesiam. Dominus, per metonymiam, ponitur pro disciplina a Domino tradita, vel per synecdochen, qua capite nominato, simul intelligitur et corpus.

Vers. 40. *Beatior autem est si sic maneat.* Ita ei libertatem cui velit nubendi concedit, ut nihilominus supra dictorum memor, beatiorem eam pronunciet, si sic, id est, in statu viduo maneat, tum propter eximium decorem, tum quod magis vacare possit Domino, et vitam agere multo tranquilliorem, qua de re in superioribus ab Apostolo actum est.

Secundum meam sententiam. Modeste, quasi dicat, sicut ego sentio.

Existimo autem quod & ego spiritum Dei habeam. Auctoritatem sententiæ suæ conciliat, sed eadem modestia. Non dicit simpliciter se Dei Spiritum habere, sed se id existimare, haud dubiis tamen argumentis, nec sibi soli Spiritum Dei arrogat, sed se et aliis hac in parte associat, et alios sibi: quasi dicat, si alii Spiritum Dei habent, cur non et ego Christi Apostolus eum me habere existimem? proinde sententia mea spernenda non est, nec tanquam alius vulgaris hominis accipienda, sed tanquam ejus qui Dei spiritum habeat, per quem Deus sapientiam & rectos de rebus sensus hominibus inspirat, nec mihi ullus alius qui Dei Spiritum habeat opponendus est. Notari debet Spiritum Sanctum ab Apostolo non Deum ipsum sed Dei Spiritum dici. Nec Apostolus aut ullus alius ipsum Deum, regem illum regnantium & Dominum dominantium, qui lucem habitat inaccessam, proprie loquendo in se habebat, sed habebat ejus Spiritum seu afflatum sanctum.

CAPUT VIII.

Vers. 1. DE *carnibus idolis immolatis.* Aliam nunc materiam aggreditur, nempe de idolothytis, de quibus agitabatur quæstio, an per se & absolute fas esset iis vesci.

Scimus quod omnes scientiam habemus. Id est, scimus nos omnes scire de idolothytis, quod iis vesci per se nullum peccatum sit. Intelligit autem Apostolus se & sui similes omnes, & Corinthiorum aliarumque ecclesiarum doctores, quique supra vulgus divinarum rerum notitia eminebant. Nam alioquin infra ✝. 7 dicit, non in omnibus esse hanc scientiam. Non frustra vero non simpliciter dixit, de idolothytis omnes scientiam habemus, sed scimus nos omnes scire seu scientiam habere. Nimirum quia erant qui scientia hac inflarentur, ut statim addit, eaque ad aliorum scandalum abuterentur. Nam qui modeste agunt, & scientia aliisque donis non efferuntur, videntur quasi dignitatem suam nescire. At eos qui ob scientiam suam aliaque dona divina superbiunt, scire dicimus quod scientia & aliis Dei donis præcellant. Loquitur Apostolus per communicationis figuram se quoque includens aliis, licet minime scientia sua inflaretur 2 Cor. XII. 7.

Scientia inflat. Egregia & utilis ex occasione parenthesis ad versum usque 4, id est, scientia inflare homines solet, non suo vitio sed ipsorum hominum.

Charitas autem edificat. Charitati tribuit quod hominum est charitate erga alios homines præditorum, quia nimirum charitas impellit & incitat ut ædificent, nempe alios homines, id est, iis omni ratione adjumento sint ad salutem, nec quidquam faciant quod iis causa possit esse peccati alicujus & exitii. Ædificationi huic opponitur dissolutio et destructio Rom. XIV. 15, 19, 20. Tacite dicit Apostolus scientiæ jungendam esse charitatem, quæ homini soliditatem indat, ne scientia infletur et superbe agat, sui tantum, et non multo magis aliorum, in adiaphoris rationem habens, et suæ cupiditati ac voluptati aliorum salutem, ipsamque Dei et Christi gloriam postponens.

Vers. 2. *Si vero quis existimat se scire aliquid.* Id est, si quis autem ob scientiam inflatur & superbe agit, per metonymiam causæ pro effecto. Nam qui scientia præditi modeste agunt, existimare videntur se nihil scire.

Nondum quidquam cognovit quomodo oportet cognoscere.

cere. Proinde nihil vere scit & cognovit, et plane inscius ac insipidus est. Ita enim quod quisquam cognoscit, oportet cognoscere, ne eo nomine inflетur & superbiat, ne alios contemnat, ut sciat se hoc Deo debere, suaque scientia sibi ad alios juvandos utendum esse, ut cogitet scientiam suam puerile quiddam esse veræ & divinæ scientiæ respectu cap. XIII. 9, 10, 11, 12, & ea quæ sciat nihil esse, si cum iis conferantur quæ nesciat. Hæc omnia qui ignorat, pro sciente stultus & rerum omnium ignarus est.

Vers. 3. *Si vero quis diligit Deum.* Commendat charitatem, sed pro hominibus reposuit Deum, eo ipso docens, charitatem erga homines, esse charitatem erga Deum. Homines enim qui diligit & ædificat, id est, eorum salutem omnibus modis promovet, & ab iis quæ sibi alioquin licita & jucunda forent, hoc fine abstinet, ipsum Deum in hominibus diligit, quos ad suam condidit imaginem & servari vult, & qui homines propter Deum diligit, ipsum Deum ut multo magis diligat, oportet.

Hic cognitus est ab ipso. Quasi dicat, quod omni humana cognitione & scientia multo melius & optabilius est. *Cognitus est*, pro cognoscitur, per Hebraismum, id est, probatur, amatur, & diligitur a Deo, per metonymiam causæ pro effecto. Nimirum dilectionem sui dilectione sua pensat Deus, quæ omnium bonorum fons est.

Vers. 4. *De esu igitur idolothytorum.* Absoluta tam necessaria parenthesi redit ad materiam propositam, de carnium idolis immolatarum esu.

Scimus quod idolum nihil (est) in mundo. Explicat illam scientiam, cujus meminit ỳ. 1. *Scimus*, inquit, *quod nihil est idolum.* Id est, Deus, quem gentes profanæ colunt per idola, per species, per simulachra & imagines. Significato tribuit significantis nomen, sicut & significanti tribui solet nomen significati. Nam & statua seu signum Jovis, Jupiter appellatur, sicut hic ab Apostolo Jupiter aut alius aliquis similis Deus, appellatur idolum & statua. Ponit autem Apostolus singulare pro plurali, seu genus pro omnibus individuis, id est, pro quovis quem gentes in idolis colebant, Deo.

In mundo. Id est, in rerum natura, nusquam extant gentium Dii. Hoc scire se & alios sui similes docet. Nempe quia istius rei causam noscebant, quæ erat, quod Dii gentium mortui erant homines, jam denati & in sua resoluti principia. Docemur hoc loco mortuos non esse. Nam quamvis principia illorum sint, ex quibus iterum a Deo restitui possint, ipsi tamen quamdiu sunt mortui non sunt, & qui eos colunt, adorant, invocant, vani sunt, & falsorum cultores Deorum, & idololatræ, si eos colant in idolis & simulachris, etiamsi Deorum nomen illis tribuere defugiant. Neque enim vitatione nominis effugient crimen, quod reipsa committunt. Tanto vero gravius peccant, si sanctos & Deo charos homines vita functos istius profanæ superstitionis objecta faciant, & sic pro maximo honore maxima afficiant contumelia. Ex hac porro scientia idolum nihil esse in mundo, consequebatur scientia de idolothytis, quod eorum esus reipsa nihil differet ab esu aliarum quarumvis carnium, & consequenter per se licitus & indifferens esset.

Et quod nemo Deus alius nisi unus. Absolute nimirum & subjective, seu κατ' ἐξοχὴν dictus, & consequenter divini ac religiosi cultus ex se ipso capax. Cujus rei causa est, quod unus tantum sit Deus a seipso, cæteri omnes qui Dii sunt, deitatem suam habent ab ipso, quam quia idolum ab ipso non habet, ideo ut nihil sit necesse est.

Vers. 5. *Etenim etsi sunt qui dicuntur Dii.* Confirmat quod dixit unum tantum esse Deum, per amotionem objectionis. Poterat enim aliquis objicere, multos esse qui dicantur Dii.

Sive in cælo. Ut angeli.

Sive super terram. Ut supremi judices. Nam & angelos in cælis, et summos judices in terris Deorum (Elohim) nomine appellare scripturis est usitatum.

(*Sicut sunt Dii multi & Domini multi.*) Etiam objectionem hanc fortiorem facit Apostolus per parenthesin, quasi dicat, nec tantum multi sunt qui dicantur Dii, sed etiam reipsa sunt Dii multi & domini multi, & rei ipsi plane congrue ac convenienter dicuntur non minus Dii quam domini. Addit hic dominorum nomen, ut sibi aditum ad Christum aperiat. Negat Apostolus eos per metaphoram aut æquivoce dici Deos vel dominos, et solum tantum Deorum & dominorum nomen habere, non etiam rem ipsam conveniente sibi sensu. Qui contra tendunt in Deum ipsum unum injurii sunt, quasi is Deorum non verorum (prout hæc veritas in illos cadere potest) & auctor & Deus sit. Appellatur enim Deus Deorum, & Deus altissimus. Eadem opera negent oportet etiam multos esse veros suo sensu dominos, quandoquidem Apostolus æque multos Deos esse dicit quam dominos, ut si domini sint multi etiam multi sint Dii, et si multi non sint Dii, neque etiam multi sint domini, proinde quatenus unus dominus non præjudicat multis veris dominis, hactenus neque Deus unus præjudicat multis veris Diis.

Vers. 6. *Nobis tamen.* Id est, Christianis. Ἀλλὰ hoc loco pro *tamen.* Præcessit enim εἴπερ *etsi.* Sic & vetus convertit interpres.

Unus Deus. Intellige, *est.* Quasi dicat, nihil hoc impedit quod fassus sum, multos dici & esse Deos ac Dominos. *Nobis tamen*, Christianis, *Unus est Deus.* Nempe absolute & subjective seu κατ' ἐξοχὴν dictus. Cæteris omnibus prædicative tantum, nec tam excellenti ratione, Deorum nomen tribuitur, nec ullus eorum divini ac religiosi cultus, (uno Christo excepto de quo mox,) capax est. Hinc est, ut nos Christiani unum tantum colamus, adoremus, invocemus & divinis honoribus inconspicuum, et a sensibus longe remotum, tanquam præsentem afficiamus Deum, quippe rerum omnium auctorem & conditorem. Itaque Deos multos dici & esse, sententiæ nostræ nihil obstat. Omnes enim illi ex gratia unius illius Dei Dii sunt.

Pater. Docet per appositionem quis sit unus iste Deus, Pater nimirum, quem nos Christiani absolute Patrem appellamus, primum quidem & præcipue Christi, deinde omnium nostrum in Christum credentium. Hæc Apostoli verba docent aperte, solum Jesu Christi Patrem Deum illum unum esse. Est enim vox Patris ad unum Deum designandum apposita, proinde non magis extra Patrem quam extra unum

unum Deum, unus dari potest Deus. Et sane unus Deus non minus unum singulare individuum significat quam Pater. Qui diceret unum esse Romanorum Imperatorem Cæsarem, profecto significaret præter Cæsarem nullum alium Imperatorem esse Romanorum: eademque vis est & omnium aliarum hujusmodi locutionum. Qui Filium nihilominus hic intelligi volunt, præter id quod diximus, etiam sequentibus Apostoli verbis refutantur, in quibus separatim agit de Filio, nempe Jesu Christo, eumque ab uno illo Deo manifeste distinguit, quod & res ipsa docet. Nam qui Pater non est sed Filius, quomodo unus ille Deus esse potest? qui nemini suam debet originem nullius esse potest Filius.

Ex quo omnia, ἐξ οὗ, intellige, *sunt*. Articulum addit, ut se de rebus loqui indicet Christianorum propriis, quo eadem & ad Jesum Christum referre mox possit, vide 2 Cor. v. 17, 18. Describit Patrem, ut causam indicet ob quam eum unum illum Deum nobis esse dicat, quia nimirum ex Patre non quædam tantum, sed omnia in nos Christianos promanarunt & promanant, tanquam ex primo fonte & auctore divina ac cælestia bona & munera. Nam de his solis Apostolum loqui, quæ nobis Christianis divinitus contigerunt, sequens comma docet, atque etiam id solum pro argumento adferri debuit, quod in aperto erat, nec ab ullo in dubium vocari poterat.

Et nos. Nimirum Christiani; unde apparet eum de rebus Christianorum propriis loqui.

In ipsum, intellige, *sumus*. Hoc consequens est prioris. Nam si omnia quæ nobis Christianis propria sunt, ex Patre sunt tanquam ex primo fonte & auctore, consequitur etiam, ut nos Christiani vicissim in ipsum, nempe Patrem, referamur, tanquam in ultimum finem ac scopum universæ pietatis Christianæ.

Et unus Dominus, intellige, ἡμῖν ἐστὶ, *nobis Christianis est*. Nempe absolute & subjective, seu κατ' ἐξοχὴν dictus, quippe ab uno illo Deo omnium Dominus factus, & ex ejus gratia ac dono divini honoris capax effectus Philip. 2. 9, 10, 11: quem proinde nos Christiani una cum Deo, & ad gloriam ejus colimus, adoramus, invocamus, ac divinis honoribus afficimus.

Jesus Christus. Declarat quis sit unus iste Dominus, Jesus nimirum Christus, qui ob hoc ipsum Christus, nempe Dei, appellatus est, quod unus iste Dominus a Deo factus sit. Idem enim in Jesu appellatio Christi significat quod unius istius Domini. Ideo Apostolus Petrus, *Certo sciat*, inquit, *universa domus Israëlis, quod Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis, fecit Dominum & Christum* Act. 2. 36. Qui unum illum Deum & unum hunc Dominum eundem putant, ii eadem opera licet Patrem esse Jesum Christum, & Jesum Christum esse Patrem dicant, & universam Apostolorum prædicationem, qua nobis unum Deum Patrem, rerum omnium creatorem, & unum Dominum ab ipso factum, seu Christum ejus annunciarunt, expungant.

Per quem omnia, intellige, *sunt*. Causam addit ob quam Jesum Christum unum hunc Dominum dicat, quia nimirum per ipsum, tanquam per causam mediam, a Patre, non quædam tantum, sed omnia in nos profecta sunt, quæ nobis Christianis sunt propria, ideo & hic dicuntur τὰ πάντα, non πάντα simpliciter.

Et nos per ipsum, intellige, *in Patrem sumus*. Consequens ex priori. Nam si omnia nobis per Jesum Christum tanquam per causam mediam contigere; sequitur etiam ut nos vicissim per ipsum, tanquam per scopum & finem intermedium, referamur in Patrem, id est, in Christum credamus, Christum colamus, adoremus, invocemus, Christo gratias agamus, laudes dicamus, ad Dei Patris gloriam, qui & Christi & Christianorum, quæque iis contigere bonorum omnium, & primus auctor est, & ultimus finis. Hic iterum videmus quantum discrimen sit inter unum Deum & unum Dominum, quamque Jesus Christus unus ille Deus non sit. Hinc est ut Jesus Christus non dicatur unus ille Deus, sed unus Dominus, titulo non tam augusto quam titulus est Dei, nec usquam vox Dei subjective & absolute de Christo usurpetur, sed tantum vox Domini. Refutat hic Apostoli locus eos qui Spiritum Sanctum tertiam unius Dei personam statuunt. Nam si unus ille Deus una tantum persona est, nempe Pater, nec Jesus Christus Filius, secunda unius Dei persona est, quis tertiæ personæ unius Dei relinquetur locus? & quomodo Apostolus illam reticere potuisset? Includitur quidem Spiritus Sanctus & in Patre, & in Filio, sed tanquam Patris & Filii divinissima virtus & afflatus, qui communicatur credentibus, non vero tanquam tertia ab iis proprie dicta persona, proindeque pertinet ad illa omnia, quæ ex Patre per Christum conferuntur credentibus. Docet præterea locus hic, Christianis fas non esse ullum alium cælestibus honoribus afficere, sive vivum sive mortuum, sive cælitem sive non cælitem, præterquam unum Deum Patrem, & unum Dominum Christum ejus: proinde qui angelos vel sanctos vita functos, vel Christi Matrem adorent & invocent, adversus Christi disciplinam & primum Decalogi præceptum peccare, & Deo æmulum inducere, quod de Christo dici nequit, qui non ab hominibus seu eorum decretis, sed ab ipso Deo Dominus omnium factus est, proinde in divino cultu pro uno eodemque cum Deo reputandus est, quatenus omnis Christi cultus referatur in Deum. Notari vero debet Apostolum non dicere, Christianis duos esse Deos, vel duos esse Dominos, ne quis duos summos & independentes intelligeret, sed unum Deum dixit & unum Dominum, ut illum doceret summum, hunc a summo dependentem et factum.

Vers. 7. *Sed non in omnibus* (est) *scientia*. Accedit ad ulteriorem tractationem de idolothytis: quasi dicat, ut revertar ad rem propositam, dixi nos scire idolum nihil esse in mundo, proinde carnes idolis immolatas nihil reipsa differre ab aliis carnibus: sed non in omnibus est scientia, non omnes rerum scientes sunt, non omnes etiam sciunt idolum nihil esse in mundo. Ἡ γνῶσις, cum articulo, nempe de qua supra dictum est ℣. 1, 4. Nam alioquin unum esse Deum Patrem, & unum esse Dominum Jesum Christum, omnes Christiani sciebant & scire debebant. Loquitur enim de Christianis, ut ex vers. 11, 12, 13 apparet.

Quidam autem. Pro, sed quidam, nempe Christianorum & fratrum. Est enim prioris confirmatio per affirmationem contrarii.

Conscientia idoli. Id est, conscientia ob idolum, per genitivum causæ, quod existiment idolum aliquid esse.

Usque nunc. Quamvis Euangelium non parvo jam prædicetur tempore.

Tanquam idolothytum manducant. Id est, non tanquam alias carnes sine ulla conscientia, sed tanquam carnes quibus vesci sit nefas, propterea quod idolis sint immolatæ.

Et conscientia ipsorum cum sit infirma. Id est, nondum ita roborata, ut nihil dubitet carnes idolis immolatas haud differre ab aliis carnibus.

Polluitur. Esu nimirum idolothyti. Quicquid enim ex fide non est, peccatum est Rom. XIV. vers. 23.

Vers. 8. *Esca autem nos non commendat Deo.* Addit hoc Apostolus, ne quis dicat, quid ad rem pertinet infirmorum istorum conscientia, suo malo & vitio sunt infirmi, cur ego non debeam ostendere conscientiam meam infirmam haud esse? Respondet Apostolus: *Esca autem*, ne quis id quod dictum est objiciat, *nos non commendat Deo.* Quasi dicat, si quem esca commendaret Deo, haberet causam escis utendi. Nunc vero res aliter habet.

Neque enim. Confirmat quod dixit, *si manducemus, abundamus.* Nempe in Dei gratia, nihil nobis ad Dei gratiam accedit, quod edamus idolothytum, aut alium aliquem certum cibum.

Neque si non manducemus deficimus. Nempe in Dei gratia, nihil nobis per id de gratia Dei decedet.

Vers. 9. *Videte autem.* Quasi dicat, hoc autem potius quam ut escis indifferenter utamini, *videte*, id est, providete, curate, operam unice date.

Ne quo modo. Id est, ne ullo modo, ulla ratione.

Potestas vestra hæc. Manducandi nimirum quosvis cibos, etiam idolothyta.

Offendiculum, πρόσκομμα. Id est, causa offendiculi, per metonymiam effecti. Intelligit autem peccatum & factum contra conscientiam, per metaphoram a corpore ad animum.

Fiat infirmis. Quorum conscientia adhuc est tenera, necdum ita roborata, ut idolothythorum manducationem rem indifferentem esse prorsus non dubitet.

Vers. 10. *Si enim aliquis videat te qui habes scientiam.* Explicat quo pacto scientia & potestas ista offendiculum fieri queat infirmis, conversa oratione ad fratrem scientia prædituum.

In idolio accumbentem. Nempe ad epulas invitatum ab idololatris, ad convivia in idolorum templis celebrari solita, ubi carnes præberi idolis immolatas res ipsa docebat, quibus conviviis ne sese adhiberi paterentur Christiani, scientiam istam de qua dictum est habentes, monendum erat.

Nonne conscientia ipsius cum infirmus sit. Id est, quamvis sit ac maneat infirmus, & adhuc dubitet an idolothytis vesci liceat.

Ædificabitur? Id est, erigetur & excitabitur, quæ enim ædificantur erigi solent.

Ad manducandum idolothyta? Id est, ad id ut sibi infirmus iste permittat manducationem idolothytorum, præsertim extra idolium. Magna enim vis exemplorum est, inprimis si veniant ab iis qui scientia præcellere videantur cæteris.

Vers. 11. *Et peribit qui infirmus est frater.* Docet quantum malum hinc secuturum esset, interitus nimirum ejus qui infirmus est fratris, id est, cujus conscientia etiam adiaphoris offenditur, quippe cum dubitatione & sine fide, contraque conscientiam edentis idolothyta, & sic peccantis: peccati enim consequens est interitus. Addit vocem fratris, ut crimen exaggeret, fratrem enim perdere gravius est crimen quam hominem simpliciter: quanto magis fratrem in Christo.

Super tua scientia. Id est, ex causa & occasione tuæ scientiæ.

Propter quem Christus mortuus est. Nempe ut eum ad se adduceret & servaret. Magis adhuc crimen exaggerat Apostolus: quasi dicat, peribit frater quem ut servaret Christus, diram mortem oppetiit, & tu ne illi pereundi causa sis, a carnibus idolis immolatis non abstinebis? Locus hic docet, fratrem pro quo Christus mortuus est, & consequenter electum, perire posse, atque adeo periturum esse, ni sibi diligenter à peccato caveat.

Vers. 12. *Sic autem peccantes in fratres.* Docet quantum malum etiam redundet in eos qui scientia sua fratribus causa sint & occasio pereundi: quasi dicat, dum autem hac ratione peccatis adversus fratres, perditionem nimirum iis afferentes,

Et verberantes ipsorum conscientiam. Id est, & dum verberatis, plagis afficitis, vulneratis ipsorum conscientiam. Conscientia enim verberatur & vulneratur, quoties adversus illam aliquid committitur. Proinde qui aliquid contra conscientiam suam committit, suam verberat & vulnerat conscientiam; qui autem istius rei causam & occasionem aliis præbet, verberat & vulnerat alienam.

Quæ infirma est. Causam adfert cur adiaphoris conscientia vulneretur, quia nimirum infirma est, & necdum robur suum, id est, scientiam certam est adepta.

In Christum peccatis. Hoc habetis inde emolumentum, Christum ipsum gravissima afficitis injuria, dum ei eripitis homines, idque fratres vestros, quos ipse vitæ suæ impendio & acerbissima morte sibi & saluti æternæ asseruerat. Unde quid consequatur, & quanta vos ultio maneat, facile perspicitis. Peribunt quidem illi, sed et vos certum manet exitium, qui fratribus exitii causa sitis. Hæc Apostoli verba significant Corinthios fratres eo per suam illam scientiam provectos fuisse, ut etiam in ipsis idoliis idololatrarum epulis accumberent. Facere enim eos id dicit, non tantum ut supra ꝟ. 10, quid secuturum sit, si faciant. Cæterum hic locus iterum docet, homines non perire propter æternam aliquam reprobationem et rejectionem eorum nominatim, sed propter suam propriam et aliorum culpam, quin imo Christum pro iis mortuum esse ut servarentur, atque adeo multos servasse, nisi ipsimet sibi et inter se causa perditionis exstitissent.

Vers.

Verſ. 13. *Propter quod.* Infert ex dictis concluſionem, eamque in ſua proponit perſona, ut ſuo exemplo Corinthios fratres & omnes alios doceat quantopere cavendum ſit a præbendo fratribus ſcandalo.

Si eſca. Qua ſcilicet veſcar.

Scandalizat. Id eſt, ad peccatum adducit & perdit.

Fratrem meum. Qui ſcilicet mecum credit Jeſum eſſe Chriſtum, proindeque in ipſum credit & nomen ejus profitetur, *meum*, inquam, fratrem, non alienum.

Non edo, οὐ μὴ φάγω. Per duplicem negationem, & per præſens, utrumque emphatice: quaſi dicat, abſit, abſit ut edam, protinus non edo ſine ulla dilatione *carnem.* Carnem dicit, quia de carne idolis immolata agebatur. Apoſtolus autem etiam cuilibet carni renunciat, ſi fratrem ſcandalizet, non carni tantum idolis immolatæ, qui ſolum requirebatur à Corinthiis, qui ſi carni, multo magis cuivis alii cibo, cum caro inter cibos præcipuo ſit loco. Non ſimpliciter eſcæ renunciat Apoſtolus, ſed eſcæ cuilibet quæ ſcandalizet.

In ſeculum. Non ad breve aliquod tempus, quod ut Corinthii facerent ſatis erat, ſed in ſeculum, proinde quoad vixero. Nam poſt hanc vitam nullus erit eſcis locus.

Ne fratrem meum. Quaſi dicat, cui omnem debeo charitatem, adeo ut etiam animam meam pro illo ponere Chriſti legibus obſtringar.

Scandalizem. Id eſt, in peccatum & æternum exitium præcipitem. Præſtat enim me carnem nunquam edere, quam fratrem meum, quia ego carne veſcar, perire: quæ profecto haud parva res fuerit, nec hactenus media & indifferens, quatenus parum interſit ſive fiat ſive non fiat, ſed quæ magnum & moleſtum onus contineat: proinde nonniſi excellentis & ultra communem Chriſtianæ charitatis menſuram ſit. Notandum autem eſt, tantam charitatem præcipue fratribus deberi, qui alioquin jam ſunt in via ſalutis, & aliis, de quorum per hanc charitatem ad Chriſtum converſione ſpes eſt, etſi præterea ex altera parte nihil etiam decedat aliorum ædificationi, nec ullum per id detrimentum Chriſtiana libertas, & conſequenter vera pietas & ſanctitas patiatur, quale erat in præſentia infirmorum à carnibus idolis immolatis abſtinere.

CAPUT IX.

Verſ. 1. NOn ſum Apoſtolus? Pergit Apoſtolus, & ſuo exemplo docet, libertate ac poteſtate utendum non eſſe cum aliorum aliquo ſcandalo. *Non ſum Apoſtolus?* id eſt, nonne ſum Apoſtolus? Chriſti legatum ſe eſſe affirmat, proinde jura ſibi Apoſtoli ſeu legati Chriſti competere.

Non ſum liber? Id eſt, nonne ſum liber? quaſi dicat, qui non tantum Chriſtianus ſum, ſed & inter Chriſtianos Apoſtolus, ac in primo Chriſtianorum ordine ſum poſitus? Libertatem intelligit Chriſtianam, qua Chriſtiani ab omni legis jugo & ab omnibus ritibus ac cærimoniis, & omni eo quod ſuapte natura ac per ſe honeſtum non eſt, exempti ſunt, ad id ſolum quod per ſe turpe & vitioſum eſt, vitandum, quod autem per ſe rectum ac bonum eſt, ſectandum adſtricti, quæ regia & libertatis lex eſt, cui ſcilicet etiam Reges & liberrimi quique ſubjecti ſunt, imo citra quam nullus eſt veræ libertatis locus, ſed turpiſſima vitiorum ſervitus.

Nonne Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi? Commemorat hoc tanquam rem neceſſariam ad munus Apoſtolicum. Apoſtoli enim debebant eſſe teſtes oculati Jeſum poſt mortem vivere, & conſequenter Chriſtum illum Dei ac Dominum noſtrum eſſe, cui etiam idcirco titulum hunc Chriſti Domini noſtri tribuit, præſertim quod eum viderit jam cæleſti gloria refulgentem, qua de re Act. IX. XXII. XXVI. Ponit autem hoc tanquam omnibus notum minimeque dubium. Nec ſane aliter tantus Jeſu adverſarius factus fuiſſet ejus Apoſtolus & præco.

Non opus, id eſt, nonne opus, *meum vos eſtis in Domino?* Effectum muneris ſui Apoſtolici exprimit, ipſos Corinthios ad Chriſti fidem converſos, ut ſe Apoſtolum eſſe oſtendat. Opus ſuum vocat Corinthios fratres, quatenus ipſius opera facti erant Chriſtiani.

In Domino. Hoc eſt, per Dominum, nempe Chriſtum, qui me tanta vi Spiritus Sancti inſtruxit, ut vos ad fidem adducerem, & prædicationem meam firmarem, ut Apoſtolum ejus oportebat, diviniſſimis & admirandis operibus. Itaque facta ipſa & effecta docent, me Apoſtolum eſſe Jeſu Chriſti Domini noſtri.

Verſ. 2. *Si aliis.* Id eſt, aliorum ſententia, qui meæ prædicationi adverſantur, & quos non converti.

Non ſum Apoſtolus ac certo vobis ſum. Id eſt, veſtra ſententia ſum Apoſtolus quos converti.

Signaculum enim, id eſt, confirmatio, per metaphoram, *mei Apoſtolatus vos eſtis*, à me ſcilicet converſi, *in Domino*, id eſt, per Dominum, qui niſi mihi ſuo Spiritu adfuiſſet, & me tam divina opera patrare feciſſet, & cujus ego niſi Apoſtolus eſſem, quo pacto vos convertere & Chriſti diſcipulos facere potuiſſem?

Verſ. 3. *Mea defenſio iis qui me dijudicant.* An ſcilicet ſim Apoſtolus, *hæc eſt*, quod ſcilicet vos & alios veſtri ſimiles per Dominum ejuſque ſpiritum ac potentiam ad fidem in ipſum adduxerim. Neque enim id ſine Domini virtute ac poteſtate facere potuiſſem. At ſi Apoſtolum ejus me eſſe mentirer, quo pacto mihi Dominus ſua virtute adeſſet?

Verſ. 4. *Num non habemus poteſtatem edendi & bibendi?* Superiora præfatus Apoſtolus, iis inædificat, & oſtendit ſe non minus quam alios Apoſtolos & Euangelii præcones poteſtatem habere edendi & bibendi.

Num non habemus? Id eſt, num non habeo? per enallagen pluralis pro ſingulari, ut ex ſequenti commate patet.

Poteſtatem. Id eſt, jus *edendi & bibendi*, intellige apud eos, quos prædicatione noſtra convertimus ad fidem, & quibus verorum ac cæleſtium bonorum cauſa fuimus? Cibumne & potum non mereamur apud eos, qui per nos & miniſterium noſtrum in jus æternæ vitæ à Deo adſcripti ſunt?

Verſ. 5. *Num non habemus.* Id eſt, ego non habeo: loquitur enim de re à qua ipſe ſolus abſtinebat.

Potestatem. Id est, jus è facultatem.

Sororem. Nempe in Christo.

Uxorem. γυναῖκα, non mulierem hoc loco: quod enim attinet mulierem dicere, postquam dixisset sororem, cum omnis soror sit mulier. Adde quod circumducere sororem quæ uxor non esset, indecorum fuerit, & suspicionibus ac criminationibus subjectum. Nam Christus non circumducebat sanctas illas & pias mulieres, earumve comitatu quemque onerabat, sed ipsæ ultro comites se addiderant Christo, ut ei de propriis ministrarent facultatibus, qui pietas impedienda haud erat. Nec uxorem dixisse sat erat: nisi enim soror, id est, Christiana simul fuisset, magnum attulisset impedimentum Euangelio, quod nimirum is qui alios ad Christi fidem convertere velit, suam uxorem convertere non possit. Ideo Apostolus in Episcopo requirit, ut domui suæ bene præsit, & liberos habeat fideles, quanto magis uxorem 1 Tim. III. 4. Tit. I. 6.

Circumducere. Nimirum in Euangelii prædicatione ex uno loco in alium, ut mihi prædicationis opi intento ministeria & officia exhibeat uxoria, & mecum simul alatur sumptibus eorum qui fidem amplexi sunt. Locus hic docet Paulo uxorem fuisse, sed ab eo non fuisse circumductam. Nam alioquin objici poterat, eum uxorem non circumducere, non quod id facere nollet, sed quod uxorem non haberet. Ducenda prius est uxor quam circumducenda. Nam si quis dicat, Paulum potuisse uxorem ducere. Hoc quidem verum est, sed hoc etiam dicendum erat, non illud, præsertim cum aliis de causis potuerit ab uxore ducenda abstinere, quam ne eam circumduceret. Apparet ab Apostolo cum ad Euangelii prædicationem a Christo vocatus esset, uxorem ipsa consentiente, apud ecclesiam aliquam collocatam fuisse, ut & eunuchum se faceret propter regnum cælorum, & ad illius annunciationem magis expeditus esset, & minus gravaret ecclesiam, & adversariis magnam criminationem subtraheret. Conjugem Pauli apud Philippensium ecclesiam, Apostolo tam charorum etiam vixisse, verisimile facit locus ad Phil. IV. 3. qua de re etiam diximus cap. VII. 7.

Sicut & reliqui Apostoli. Exemplo reliquorum Apostolorum vindicat sibi jus & potestatem circumducendæ uxoris. Unde constat cæteros Apostolos non tantum uxores habuisse, sed etiam secum circumduxisse, & ecclesiarum stipendiis & se & uxores familiamque suam sustentasse.

Et fratres Domini. Quasi dicat, faciunt hoc ipsius Domini, id est, Christi fratres inter Apostolos, neque hoc iis indignum est. Jacobus recensetur inter fratres Christi, puto consobrinos Matth. XIII. 55. XXVII. 56. Confer Joan. XIX. 25. Et Judas se dicit fratrem Jacobi Jud. ℣. 1. Ponuturque etiam inter fratres Christi dicto Matt. XIII loco. Jacobus item appellatur frater Domini Gal. II. 19. Qui Marco est, Jacobus minor Marc. XV. 40. Idemque credo est cum Jacobo, de quo Actor. XII. 17. XV. 13. XXI. 18.

Et Cephas. Id est, Petrus ipse, cur idem & mihi non liceat? Cepham od extremum & singulariter nominat, quod illius esset præcipua auctoritas. Clemens Alexandrinus Strom. l. III. *An etiam reprobant Apostolos?* inquit. *Petrus enim & Philippus filios procrearunt, Philippus autem filias quoque suas viris tradidit. Et Paulus quidem certe non veretur suam apellare conjugem, quam non circumferebat &c.*

Vers. 6. *Num solus ego & Barnabas.* Pro num nos soli, ego & Barnabas, per enallagum singularis pro plurali, *non habemus pietatem.* Id est, jus & licentiam, *non operari?* Nempe propriis manibus ad victum nobis comparandum. Ergo aliis Apostolis omnibus licebit ex Euangelio vivere, nobis non licebit?

Vers. 7. *Quis militat propriis stipendiis unquam?* Id est, militare tenetur, lectus nimirum ab Imperatore in militiam. Alio exemplo sibi & uxori & suis pietatem illam edendi & bibendi vindicat Exemplo nimirum militum, qui stipendia accipiunt ab iis quibus militant Nam & Euangelium prædicare dura militia est, & multo utilior ac salutarior omnibus, quam quæ secundum carnem dicitur

Quis plantat vineam, & ex fructu ejus non edit? Id est, edere jus non habet? Aliud exemplum, sic quis plantat ecclesiam, & jus non habet ut ejus facultatibus ad necessariam vitæ suæ suorumque sustentationem utatur?

Aut quis pascit gregem, & ex lacte gregis non edit? Aliud item exemplum. Sic quis pascit ecclesiam, quæ Christi grex est, & ex lacte, id est, facultatibus ecclesiæ non participat, id est, participandi jus non habet?

Vers. 8. *Num secundum hominem hæc dico?* Ne quis objiciat, hæc dici secundum hominem, id est, homines, singularis pro plurali, non secundum Deum. Hominum hanc esse consuetudinem ac morem, sed aliter se res habet in Dei consilio & lege.

Annon & lex hæc dicit? Etiam idipsum & legem nempe divinam dicere affirmat. Lex enim Mosis κατ᾽ ἐξοχὴν & per antonomasiam dicitur lex.

Vers. 9. *Nam in Mosis lege scriptum est, non obstrues os bovis triturantis.* Citat legis verba, quibus assertum demonstret. Vetabat lex, bovi trituanti os obstruere, quominus sumere posset ex frumento quod triturabat, eoque inter triturandum vesci.

Num de bobus cura est Deo? Ne quis dicat hoc ad boves pertinere non ad homines. Intelligit autem eam curam boum, ut homines iis pabulum suppeditent. Hactenus & boves curat Deus, quatenus & pro iis pabulum producit, sed ut pabulum præbeatur bovibus, hominum esse debet cura.

An propter nos, id est, homines, *omnino dicit?* Nempe Deus in lege sua. Ne scilicet homines fraudentur cibo & mercede quam meriti sunt. Exemplum istius rei dare Deus omnino voluit in bovibus, proinde non boum causa per se hæc lege prodi, sed hominum.

Vers. 10. *Nam propter nos scriptum est.* Alio scripturæ loco dictum confirmat. Nam, inquit, propter nos homines, non propter boves scriptum est.

Quod super spe. Id est, cum spe, fructus nimirum percipiendi, quæ non cadit in boves.

Debet arans arare, & triturans de sua spe. Id est, de fructu quem ex tritu ratione speravit, per metonymiam adjuncti pro subjecto, spes pro re sperata.

Participare super spe. Hæc postrema verba *super spe* trans-

transposita sunt, & proprium situm habent juxta triturantem.

Et triturans super spe. Id est, *cum spe*, fore nimirum ut etiam de pane ex frumento quod triturat participet. Nec enim omnis qui triturat cum ea spe triturat, fore ut etiam panem ex frumento quod trituravit edat. Ut si quis ex debito aliquo aut mercede conductus id faciat.

Verf. 11. *Si nos vobis spiritualia seminamus.* Loquitur de se in plurali, id est, dogmata de Deo & Christo ad spiritum pertinentia animis vestris inserimus, ex quibus æterna & cælestia vobis nascuntur bona.

Magnum, id est, magnum est.

Si nos vestra carnalia. Id est, ad carnem spectantia, frumentum puta, vinum, oleum, & similia.

Metemus? Pro metamus, per enallagen temporis & modi, id est, partem aliquam ex eorum messe capiamus. Hoc dicit, ne quis objiciat superiora exempla rei non convenire, siquidem Apostoli nullam operam impenderent rebus ad victum necessariis. Fatetur id Apostolus, sed docet ea quæ ipsi seminaverint illis spiritualia, sine comparatione majora esse carnalibus.

Verf. 12. *Si alii hujus potestatis in vos; ὑμῶν vestrûm*, per genitivum objecti, *participes sunt.* Id est, si alii doctores & ministri ecclesiæ vestræ, ea in vos utuntur potestate, ut vestra metant carnalia.

Non pro nonne *magis nos?* Apostolus nimirum, & ecclesiæ vestræ fundator?

Sed non usi sumus potestate hac. Hic jam docet, se sua potestate, quam sibi tot argumentis vindicavit, usum non esse, Corinthiis exemplum proponens, ne & ipsi semper sua utantur libertate & potestate, si magis intersit divinæ gloriæ & salutis aliorum, ea non uti.

Sed omnia sustinemus. Nempe omnia quæ inde proveniunt incommoda, & laborem manuum nostrarum & vigilias, dum noctu laboramus, ut interdiu Euangelio vacare possimus, & inopiam ac multarum rerum ad vitæ usus defectum, quæ certe omnia nos non premerent, si vestra uteremur copia.

Ne quod impedimentum demus Euangelio Christi. Dicerent enim adversarii, nos Euangelium prædicare gentibus, idque sine circumcisione & legis Mosaicæ ritibus, planeque solvere vim legis peccatores damnantis, ideo ut gentium perfruamur opibus, & laute vivamus: quæ si de nobis spargerentur, magnum impedimentum adferre possent Euangelio Christi, quominus prosperum haberet cursum, & pronis ubique susciperetur animis. Hoc igitur impedimentum ne demus Euangelio Christi, ipsi rerum omnium inopia & variis premi malumus incommodis.

Euangelio Christi dicit. Id est, Euangelio quod Christus nos prædicare jussit. Neque enim unquam gentibus, idque sine lege prædicaremus Euangelium, nisi auctore Christo. Quis enim tantam Dei gratiam non tantum annunciare, sed mente & cogitatione concipere queat, nisi ab ipso Christo instructus & missus?

Verf. 13. *Nescitis quod qui sacra operantur.* Id est, victimas cædunt, oblationes faciunt, & ea quæ huc pertinent administrant.

Ex sacro edunt. Id est, ex victimis & oblationibus. Alio adhuc argumento potestatem illam sibi adstruit. Quasi dicat, ego rem vere sacram, Euangelium, operor, id est, prædico, & totus circa illius prædicationem occupor, cur non etiam eorum qui sacra operatur exemplo, ex sacro, id est, ex Euangelio vivere mihi sit licitum?

Qui altari assident. Id est, perpetuo vacant, ab altari non recedunt, ne unquam oblationibus desint.

Cum altari participant. Id est, partem etiam accipiunt victimarum, sibi ab altari veluti, pro assiduo collatam ministerio, exceptis holocaustis. Sic qui Euangelio toti vacant, ex Euangelio etiam habere debent res ad victum necessarias.

Verf. 14. *Sic & Dominus ordinavit iis qui Euangelium annunciant.* Hunc ad ultimum cuneum adhibuit omnium validissimum, ipsius Domini, id est, Christi constitutionem, qua tamen non uti cuique sit liberum.

Ut ex Euangelio vivant. Exprimit hanc Christi ordinationem, ut scilicet ex Euangelii annunciatione victum suum habeant & sumant, quæ Christi ordinatio magis obligat eos qui per Euangelium convertuntur ad fidem & salutem, ut scilicet iis per quos conversi & tanta bona sunt adepti, de omnibus suis facultatibus communicent Gal. VI. 6, quam eos qui Euangelium prædicant, quibus non tantum liberum, sed etiam valde gloriosum est, si id sine Euangelii detrimento, imo maximo cum incremento fiat, ut ex propriis facultatibus vel manuum suarum labore vivant, quod Paulum fecisse videmus.

Verf. 15. *Ego autem nullo usus sum istorum.* Quasi dicat, quamvis Christus sic ordinaverit & mihi jus dederit istis omnibus quæ fideles habent ad vitam necessaria, utendi. Non sum usus vestro frumento, vino, oleo, veste, pecunia, ulla re vestra ad vitæ meæ sustentationem.

Non scripsi autem hæc ut sic fiat in me. Amolitur suspicionem. Poterat enim aliquis suspicari, Paulum hæc eo fine scripsisse, ut Corinthii in ipsius persona ordinationem illam & mandatum Christi exequerentur, ut scilicet illi de facultatibus suis communicarent, & in posterum aliter haberent & tractarent. Absit, inquit, ut sic fiat in me vel mecum. In aliis & cum aliis sic fiat per me licet, sed non in me nec mecum.

Bonum enim mihi magis. Confirmat quod dixit, id est, melius enim est mihi,

Mori. Id est, ut moriar,

Quam gloriationem meam ut quis inanem reddat, Pro, quam ut quis gloriationem meam; de prædicatio nimirum gratis & sine ullis ecclesiæ stipendiis Euangelio;

Inanem reddat. Quod fieret si a quoquam vel ab aliqua ecclesia pro Euangelii prædicatione stipendium acciperem. Loquitur autem Apostolus de regionibus Achaiæ, in quibus id maxime factu necessarium putabat, vide 2 Cor. XI. 10. Non frustra vero Apostolus hanc gloriationem tanti fecit. Erat enim cum maxima Dei gloria & incrementis Euangelii conjuncta. Ne quis existimet Apostolum vanæ gloriæ cupidum fuisse, & cupidiorem quam vitæ. Non

uam ille in hac gloriatione quæsivit gloriam, sed Dei, & quamplurimorum hominum salutem, qua de re ℣. 12.

Vers. 16. *Si enim Euangelium prædicem.* Rationem addit, cur tanti gloriationem hanc faciat, ut vitam contra non æstimet, per prolepsin. Poterat enim aliquis dicere, satis illum habere gloriationis ex ipsa Euangelii prædicatione. Negat hoc Apostolus.

Non est mihi gloriatio, inquit. Id est, non habeo ullam gloriandi causam ex sola Euangelii prædicatione. *Gloriatio* pro *gloriationis materia & causa*, per metonymiam effecti.

Necessitas enim mihi incumbit. Probat quod dixit, quia, inquit, non mea propria voluntate, sed necessitate urgeor ut Euangelium prædicem. At quæ necessitate coacti facimus, de iis non est ut gloriemur.

Væ autem mihi est. Quasi dicat, gloriatio mihi non est in eo quod Euangelizem. Væ autem mihi est, id est, gravis me manet pœna, per metonymiam effecti. Nam gravis pœna exprimit *Væ*, id est, gemitus & miserandas voces ac ejulatus.

Si non euangelizem. Essem enim Christo Domino meo refractarius, qui mihi tanto peccatori, & tanto suo adversario, & extrema omnia commerito, tantam exhibuit gratiam, ut me non solum ad fidem in se converterit, sed etiam Apostolatus tanto munere dignum censuerit. Essem igitur extreme nequam, si me voluntati ejus non subjicerem. Docemur hoc loco Paulum non suo proprio motu & instinctu, non impostura alicujus & lucri causa, sed divina necessitate compulsum Euangelium prædicasse, quæ nisi accessisset, nec voluntatem, nec facultatem, nec denique cogitationem ullam, ut Apostolus Christi esset, Paulus habuisset.

Vers. 17. *Si enim volens hoc facio.* Rationem adfert dicti, iterum per prolepsin. Poterat enim aliquis dicere: atqui Paule, te manet peculiaris merces, tanquam Christi Apostolum Matt. XIX. 28, aliosque Euangelii præcones Dan. XII. 3. Verum hoc est, respondet Apostolus, sed si volens hoc facio. *Si enim volens hoc facio.* Quod scilicet Euangelizem, id est, ita ut mihi liceret nolle sine pœna gravissima, & si in Euangelii prædicatione ultra mandatum aliquid facio, quod ad illius pertineat promotionem maximam.

Mercedem habeo. Nempe peculiarem, & quæ manet Apostolum ac Euangelii præconem. Præsens ponit pro futuro. Ponit se Paulus infra alios Apostolos & præcones Euangelii hactenus, quatenus illis Christus proposuerit & promiserit maxima & peculiaria præmia, se vero indignum putet ullo singulari præmio, sed tamen maxima pœna dignum eique obnoxium, si non prædicet Euangelium. Nimirum se primum esse peccatorem semper meminerat 1 Tim. 1. 13, 15, 16.

Si autem invitus. Id est, ita ut nisi faciam pœna me maneat gravissima, nec amplius quidquam faciam quam ad quod faciendum obligatus sum.

Dispensatio mihi est concredita. Id est, nihil aliud est in me, quam quod mihi dispensatio Euangelii sit concredita. Quæ vero in eo gloriatio est, quæ merces peculiaris, quod quis aliena dispenset, nihil in alterius bonum & commodum faciens & elargiens de suo?

Vers. 18. *Quæ igitur mihi est merces?* Ὁ μισθός, id est, illa singularis merces. Mercedem autem ponit pro causa mercedis, per metonymiam, id est, quid igitur est quod mihi peculiarem illam mercedem conciliare queat, ut dignus sim inter Apostolos & Euangelii præcones capere præmia?

Ut euangelizans sine impensa ponam Euangelium Christi. Hoc, inquit, solum restat ad peculiarem illam mercedem mihi conciliandam, *ut euangelizans ponam*, nempe in animis hominum, *Euangelium Christi*, non meum sed a Christo mihi commissum.

Sine impensa, ἀδάπανον. Ita ut nullam pro eo impensam faciant qui illud amplexi sunt, & per quod tanta & tam ingentia bona sunt adepti: ut inquam gratis per meam prædicationem tanta bona habeant, nullos in me sumptus faciant, nihil in victum & necessitates meas impendant, me ipso, dum illorum saluti inservio, meis manibus mihi victum & amictum parante. Hoc est quod me mercedis illius compotem possit efficere. Ideo mirum videri nemini debet, quod melius esse mihi duxerim mori quam hac gloriatione privari. Privari enim malo vita quam illo singulari præmio, illudque mihi melius esse, id est, minus malum esse (minus enim malum rationem habet boni) quam hoc, jure meritoque affirmo.

Ut non abutar potestate mea in Euangelio. Docet quo fine Euangelium sine impensa ponat, seu quid in eo sit tantum boni, ut singularem illam mereatur mercedem, ne, inquit, abutar potestate mea in Euangelio. Potestas ejus in Euangelio erat ex Euangelio vivere, ecclesiæ stipendiis una cum suis ali. Hac igitur potestate ne aliqua ratione abuteretur, id est, cum scandalo aliquo, etsi accepto tantum non dato, vel impedimento aliquo Euangelii uteretur, maluit prorsus non uti, & sic sibimetipsi suisque magnam facere injuriam, ne quisquam ex usurpato jure Apostolico sibi sumeret aut aliis adferret obstaculum ad salutem. Magna profecto res & tanto Apostolo digna.

Vers. 19. *Liber enim cum sim ex omnibus.* Rationem adfert tantæ suæ demissionis in privando se suosque hoc tanto jure & commodo, aliorum & promovendi Euangelii causa. Poterat enim aliquis dicere, non esse hunc verum potestatis in Euangelio abusum, si quis Euangelio inserviens ex Euangelio vivat, & si quod inde scandalum oriatur, non esse datum scandalum, sed tantum animo maligno assumptum et acceptum. Nihil refert, respondet Apostolus, hoc cum totius vitæ meæ plane convenit instituto.

Liber enim cum sim ex omnibus. Pro *ab omnibus*, ἐκ pro ἀπὸ, id est, nam cum nullius sim servus.

Omnibus meipsum servum feci. Quatenus scilicet apud me constitui omnium obsequi voluntati citra Dei offensam, et rebus in mediis.

Ut plures lucrifaciam. Docet quo fine voluntariam hanc inierit apud omnes servitutem, id est, ut plures ad fidem adducam, & sic eos Christo lucrer, per metaphoram. Mercatorem ago Christi, non mea capto lucra sed Christi, nec ea quæ hominum sunt mihi lucrari volo, sed ipsos homines Christo, ut ab illo vitam consequantur æternam, quasi dicat, non satis est mihi aliquos lucrari Christo, quam pluri-

mos

mos volo. Ideo nec quorundam tantum servum me feci, sed omnium, ut ex omnibus aliquos, proindeque tanto plures lucrifaciam.

Verſ. 20. *Et factus ſum Judæis.* Species aliquot exprimit eorum quorum ſervum ſe fecit, quamvis ab iis liber ſit. Et primum ponit Judæos, qui in Judaïſmo nati, in eodem perſeverabant.

Tanquam Judæus. Ita me iis eorumque inſtitutis attempero, quoties locus ac tempus eſt, atque ſi adhuc Judæus eſſem, nec fidem in Chriſtum eſſem amplexus, qui me ex Judæo Chriſtianum fecit, & liberavit ab omnibus Judaicis ritibus. Docet hoc inter alia Timothei circumciſio in gratiam Judæorum facta.

Ut Judæos lucrifaciam. Finem exprimit, Judæi enim alioqui in avertiſſent ſe a Paulo, ſi vidiſſent eum Judæum natum Judaicos ritus contemnere.

Iis qui ſub lege (ſunt.) Nempe Moſaica. Latius hoc patet quam Judæum eſſe, cum & proſelyti, & ex Judæis Chriſtiani, temporibus illis multi ſub lege eſſent, non quidem Dei, ſed ſua propria voluntate.

Tanquam ſub lege. Id eſt, tanquam is qui ſub lege eſt, intellige *factus ſum*: quaſi dicat, & ipſe legis ritus, à qua me Chriſtus manumiſit, in eorum gratiam, quoad per Dei gloriam & communem ſalutem licet, obſervo. Docuit hoc Pauli votum, tonſio capitis, purificatio cum aliis votum habentibus, oblatio Act. XVIII. 18. XXI. 26.

Ut eos qui ſub lege (ſunt) *lucrifaciam.* Eundem exprimit finem, putarent enim me à lege ideo apoſtatam eſſe, ne ritus ejus & inſtituta obſervem, atque pro lubitu meo vivam.

Verſ. 21. *Iis qui legem*, nempe divinam, *non curant*, τοῖς ἀνόμοις. Id eſt, Ethnicis. Tertiam ſpeciem exprimit.

Tanquam legem non curans, ὡς ἄνομος. Id eſt, tanquam Ethnicus. Converſor cum Ethnicis, cibum cum iis capio, nihil per ſe impurum duco eorum quæ Deus creavit in hominum uſum, circumciſionem ab illis non exigo, & ſimilia.

Cum non ſim legem non curans Deo, ſed legi deditus Chriſto, μὴ ὢν ἄνομος θεῷ, ἀλλ' ἔννομος Χριστῷ. Cauſam inſerit cur dixerit *tanquam legem non curans.* Cum in ritibus & cerimoniis vere non curaret legem, quia, inquit, *non ſum legem non curans Deo*, id eſt, quominus Deo in omnibus obtemperem,

Sed (*ſum*) *legi deditus Chriſto.* Id eſt, ut Chriſto in omnibus obtemperem. Utrobique finem exprimit *cui.* Significat Deum per Chriſtum perfectam & ſpiritualem tradidiſſe legem, in qua ritibus & cerimoniis nos exſolverit, cæterum veram ac ſolidam juſtitiam & ſanctitatem nobis præceperit. Itaque videri poterat Apoſtolus Ethnicis legem divinam non curare, quod non curaret Moſaicos ritus, ſed vere legem Dei curabat, & quidem multo magis quam Judæorum ullus, qui totis viribus curaret legem Chriſti, Moſaicâ longe diviniorem.

Ut lucrifaciam legem non curantes, ἀνόμους. Si enim viderent me eos averſari qui circumciſi non eſſent, cæteroſque legis ritus non obſervarent, me vero iis deditum eſſe, abhorrerent & ipſi à me, & prædicatione mea, non minus quam ab ipſis legis Moſaicæ ritibus & ſic eos non lucrarer Chriſto.

Verſ. 22. *Factus ſum infirmis.* Quartam ponit ſpeciem, infirmi erant qui fidem non habebant firmam in adiaphoris, ut in idolothytorum eſu & ſimilium.

Tanquam infirmus. Eorum infirmitati me attempero, abſtineo in illorum gratiam ab indifferentibus.

Omnibus factus ſum omnia. Enumeratis aliquot ſpeciebus, iterum genus ponit, non aliquibus tantum ſed omnibus, nec quiddam tantum omnibus, ſed omnibus omnia ſum factus: nihil eſt in quo me cuilibet non accommodem ex rebus mediis.

Ut omnino aliquos ſervem. Supra dixit, ut plures, nunc dicit, ut cum omnes non poſſim, omnino tamen aliquos ſervem: quaſi dicat, fieri enim non poteſt, quin tanto meo ſtudio, tanta contentione, & omnibus memet ſubmiſſione, non aliquos ſervem ex omnibus, id eſt, ad fidem in Chriſtum adducam, & ſic iis ſalutis auctor ſim. Exemplo ſuo docet Apoſtolus, quam in omnes formas circa res medias noſmet vertere ac convertere debeamus, prout requirit Dei gloria & aliorum ædificatio: qua in re id quoque ſpectandum eſt, ne dum aliquos offendere veremur, multo plures offendamus, aut Chriſtianam prodamus libertatem, quem Petri Apoſtoli fuiſſe lapſum docemur Gal. 2. 2.

Verſ. 23. *Hoc autem facio propter Euangelium.* Docet quo fine totum hoc quod dixit faciat. Hoc, inquit, facio propter Euangelium, id eſt, bonum nuncium de vita æterna, de regno cœleſti.

Ut particeps ejus fiam. Explicat quo pacto hoc faciat propter bonum nuncium, nempe *ut particeps* ejus fiat, id eſt, vitæ æternæ & regno cæleſti communicet. Nuntius ponitur pro re nunciata, per metonymiam adjuncti pro ſubjecto, ut ſpes pro re ſperata. Significat ſe omnibus ſervire in rebus mediis, per quas ſibi nec decedat nec accedat multum, non jam propter peculiarem illam mercedem, ſed propter commune vitæ æternæ bonum.

Verſ. 24. *Neſcitis quod qui in ſtadio currunt.* Occaſione tanti ſui ſtudii & contentionis in adipiſcenda vita æterna, monet Corinthios fratres eleganti ſimilitudine, ut & ipſi Chriſtianæ pietatis officio non perfunctorie defungantur. Poterat enim aliquis cogitare, nihil opus eſſe Chriſtiano homini tanto ad vitam æternam adipiſcendam labore, multo vero minus tanto Apoſtolo. Huic cogitationi pernicioſiſſimæ occurrens Paulus: *Neſcitis*, inquit, *quod qui in ſtadio currunt omnes quidem currunt, unus autem accipit brabæum*? Quamobrem vero? quia unus tantum ita cucurrit ut oportuit, ad brabæi adeptionem.

Sic currite. Quaſi dicat, proinde & vos ſic currite, id eſt, ſic Chriſtianæ pietatis officio defungimini.

Ut comprehendatis. Nempe brabæum æternæ vitæ. Non ſatis eſt currere in ſtadio, id eſt, Chriſtianum eſſe, & Chriſtianam pietatem exercere, ſed Chriſtianum eſſe & Chriſtianam pietatem ſic ut par eſt ac convenit exercere, requiritur.

Verſ. 25. *Omnis autem qui certat ab omnibus ſe continet.* Quaſi dicat, ut ſciatis exemplo certantium, quis

quis sit Christianæ pietatis verus ac legitimus modus, quæ conveniens ratio. Hæc nimirum, ut vosmet ab omnibus contineatis, id est, summa continentia agatis, proinde non tantum ab iis quæ per se turpia ac vitiosa sunt, sed etiam a rebus mediis, quoties Dei gloria & aliorum salus requirit, abstineatis, sicut ii qui cursu vel lucta certant, summa agunt continentia, ut vires & agilitatem corporis quam maxime augeant & conservent.

Illi quidem igitur ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptibilem. Vox *igitur* docet hoc inferri ex superioribus, quasi dicat, igitur si illi, nempe qui cursu vel lucta certant, ab omnibus sese continent, ut coronam accipiant corruptibilem, id est, ex arboris alicujus foliis consertam: quanto magis nos ab omnibus nosmet continere debemus, ut coronam accipiamus incorruptibilem, id est, vitam & gloriam & beatitatem corrumpi nescíam. Et si illi coronam corruptibilem & evanidam sine summa continentia non possunt adipisci, quanto minus nos, nisi eandem adhibeamus continentiam, æternæ vitæ coronam obtinere poterimus? Non paratur tantum bonum per luxuriem, mollitiem & delicias.

Vers. 26. *Ego igitur.* Admonitis fratribus redit ad seipsum, & dicit se eandem ob causam omni conatu certare, ne corona ista excidat.

Sic curro. Id est, Christianæ pietatis officiis defungor. Per metaphoram, ab iis qui cursu certant in stadio.

Tanquam non obscure, ὡς οὐκ ἀδήλως. Id est, tanquam ii qui ita currunt, ut eos vicisse obscurum ac dubium non sit. Nam qui ἀδήλως cucurrerant, corona frustrabantur.

Sic pugno non tanquam aërem verberans. Id est, non tanquam is qui pro adversario diverberat auras.

Vers. 27. *Sed contundo meum corpus.* Quasi dicat, qui meus est adversarius. *Spiritus enim concupiscit adversus carnem, & caro adversus spiritum. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæ velitis ea faciatis* Gal. v. 17. Contundebat Apostolus suum corpus seu carnem spiritui adversantem, dum eam abstinebat ab iis quæ contra spiritum concupiscebat, & ad illa exequenda vel patienda agebat, a quibus contra spiritum abhorrebat. Per hujusmodi actus caro contunditur, non per flagella illa, quibus superstitiosi in cassum & contra Dei legem discindunt sua corpora. Videmus enim post istiusmodi flagellationes, nihilo factos illos esse meliores, quin ideo sese flagellant, ut iterum licentius peccent.

Et in servitutem redigo. Effectus est consequens contusionis. Nam sicut antagonista crebris & continuis ictibus tandem in servitutem redigitur victoris, ut sese jam sine ulla repugnantia dedat ad illius arbitrium: sic etiam caro spiritui adversans, continua recte agendi consuetudine, ita tandem spiritûs fit serva, ut sese ei penitus submittat, & jussa ejus exequatur sine murmure.

Ne quo modo. Exprimit finem quem unice spectabat in hoc spirituali certamine. *Ne quo modo.* Qua ratione. Omnem rationem qua reprobus fieri queam sublatam volo.

Postquam aliis prædicavi. Nempe vitæ æternæ nuncium.

Ipse reprobus fiam. Id est, a Deo & Christo reprober, & sic vita æterna excidam. Ingens hæc esset mea calamitas, si postquam aliis mea prædicatione Dei gratiam & vitam conciliassem æternam, ipse ea indignus judicarer. Hinc docemur quanta cuique contentione, quanto studio & diligentia sit opus, quanto cursu, quanta carnis contusione & in servitutem redactione, id est, perpetua & continua sanctitate, continentia, patientia, omniumque confectatione virtutum, si ad æternam vitam velit pervenire; etiam quam falsum sit vel maxime electos, (inter quos haud dubie fuit Apostolus) nisi sibi diligenter caveant, non posse fieri reprobos. Neque Deus quenquam ante secula nominatim elegit præter solum Christum: fides in Christum & fide digna conversatio facit ut eligamur, illa durante durat electio, cessante cessat.

CAPUT X.

Vers. 1. **N**Olo autem vos ignorare. Quasi dicat, quippe rem vobis cognitu & consideratu dignissimam. Pergit in admonendis Corinthiis fratribus, ne sibi propter tanta quæ a Deo per Christum adepti sunt bona, salutem æternam despondeant, nisi simul sibi diligenter a peccatis caveant eaque vitent.

Fratres. Quippe mecum ex uno Patre Deo per fidem in Christum progeniti.

Quod patres nostri. Nempe nostrûm Judæorum majores qui ex Ægypto exiverant.

Omnes. Nullo excepto, quamvis eorum ingens esset multitudo.

Sub nube fuerunt. Nempe illa quæ eos texit & ab Ægyptiis divisit, ne ad Israëlitas possent accedere Exod. XIII. Ingens hoc erat Dei beneficium, quod omnibus fuit exhibitum: cui respondet peculiaris Dei cura circa omnes qui sunt in ecclesia Christiana.

Et omnes per mare transiverunt. Diviso nimirum Dei potentia mari & siccato fundo, undis dextrorsum & sinistrorsum instar muri consistentibus. Quantum & hoc erat Dei erga omnes beneficium! Cui respondet quod et nos Deus divina sua virtute permedium mare, id est, infinitam errantium multitudinem perduxerit ad ecclesiam Christi. Solet enim in Scripturis populorum multitudo maris undis & fluctibus comparari.

Vers. 2. *Et omnes in Mosem baptizati sunt in nube & in mari.* Ut alludat ad baptismum nostrum in Christum, initiationem Israëlitarum in Mosem per nubem & per mare, baptismum in nube & in mari appellat, per κατάχρησιν, cui maxime in comparationibus & allusionibus est locus. Populus enim nube contectus, & mare divisum ingressus, tanta Dei potentia conspecta, penitus auctoratus est Mosi, eumque pro duce sibi divinitus dato suscepit, ipsa scriptura teste, quæ hujus divini facti consecutum notans effectum, ait: *& credidit populus in Deum & in Mosem servum ejus* Exod. XIV. 31. Tanto autem allusio & comparatio ad baptismum qui fit in aqua, plenior est, quod etiam nubes ac mare sit aqua.

Respicit

Respicit igitur Apostolus, ut diximus, ad id quod omnes Christiani baptizati simus in Christum, eique per baptismum tanquam Domino & duci nostro auctorati simus.

Vers. 3. *Et omnes eundem cibum spiritualem manducaverunt.* Id est, manna, quod spiritualem appellat cibum, quia spiritualis cibi, quem nos Christiani manducamus omnes, erat figura, id est, sermonis divini quem Christus ex cælo a Patre detulit de vita æterna, deque gratia ac veritate Joan. I. 17. VI. 32, 35. Hoc enim sermone pascuntur & nutriuntur animi nostri ad omnem sanctitatem & vitam æternam. Manducamus autem hunc sermonem credendo. Neque enim aliter iste cibus manducatur

Et omnes eundem spiritualem potum biberunt. Id est, aquam ex petra profluentem, ut statim explicat, & dicti causam affert:

Biberunt enim, inquit, *ex spirituali quæ sequebatur petra.* Quasi dicat, cum ex spirituali petra biberent, etiam spiritualem potum bibebant. Sicut igitur petram illam in deserto spiritualem appellat petram, quod esset spiritualis petræ figura, sic & aquam illam quæ profluxit ex petra, spiritualem appellat potum, quod esset spiritualis potûs figura. Usitatum enim est figuras appellare figuratorum nominibus. Hoc autem loco tanto fit commodius, quod ad nos Christianos fiat allusio, qui spirituali vescimur omnes cibo, & spiritualem omnes bibimus potum, quam causam etiam fuisse vidimus, ut initiationem Israëlitarum in Mosen, appellarit Apostolus baptismum. Petra autem illa in deserto sequebatur Israëlitas, quatenus iis per desertum vadentibus profluentes ex se suppeditabat aquas, non secus atque si ipsa eos sequeretur, & illis ubique præsens adesset, eleganti metaphora. Nam & spiritualis petra Christianos ubique sequitur, licet ipsa semper sit in cælo, quatenus iis nusquam desunt spirituales aquæ, & omnia quæ ex illa uberrime promanant bona ac beneficia.

Hæc autem petra erat Christus. Nunc docet quam spiritualem petram hæc spiritualis petræ figura designaverit. *Erat*, inquit, *Christus*. Id est, erat Christi figura, qui spiritualis est petra. Usitatissimo tropo, quo figuræ nominibus appellantur figuratorum, ut paulo ante diximus. Ostensa spirituali petra qui Christus est, jam intelligimus etiam quis sit spiritualis potus quem Christiani bibimus omnes. Spiritus nimirum ille sanctus, qui ex Christo summa profluit abundantia Tit. III. 6, adeo ut flumina de ventre cujusvis qui in ipsum credit profluant aquę vivæ Joan. VII. 38, 39, et quam ipse dat aquam, fiat in quovis fons aquæ salientis in vitam æternam Joan. IV. 14. Nimirum sicut aqua viva & saliens reficit hominum corpora, sic Spiritus Sanctus reficit animos nostros in spem æternæ vitæ & in omne bonum opus, & sicut flumine abluuntur corporis sordes, sic per vim & efficaciam Spiritus Sancti abluuntur omnes sordes animi, imo homines regenerantur & renovantur penitus Tit. III. 6. Sicut autem petra illa in deserto non profudit aquarum vim antequam esset percussa, sic neque Christus Spiritus Sancti flumina, quam esset percussus & morte affectus, & consequenter in vitam revocatus, & cælesti coronatus gloria Joan. VII. 40. XVI. 7. Act. ij. 33.

Vers. 5. *Sed non in pluribus ipsorum acquievit Deus*; ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν. Accedit jam propius ad scopum Apostolus, quasi dicat, sed quamvis omnes illi majores & proceres nostri tanta essent a Deo adepti, quid hoc illos tandem juvit? *In pluribus eorum non acquievit Deus.* Id est, plures eorum improbavit & aversatus est, idque adeo, ut ex tanta illorum multitudine duo tantum essent qui sese ad extremum approbarunt Deo, tantum abest ut omnes in Dei gratia permanserint.

Nam prostrati sunt in deserto. Ex effectu docet Deum illis offensum & indignatum fuisse, quia prostrati sunt, a Deo nimirum, per varias diversis temporibus clades, prout sese dabat & offerebat illorum pervicax & inobediens animus.

In deserto. Et sic exciderunt terra illa promissa, in quam a Deo ducebantur per desertum.

Vers. 6. *Hæc autem typi nostri fuerunt.* Ne quis dicat, quid hæc ad nos? Attingit jam ipsum scopum Apostolus eorum quæ de patribus illis memoravit. *Hæc*, inquit, quæ scilicet patribus illis evenerunt a Deo vel bona vel mala, *typi nostri fuerunt*. Id est, nostrûm Christianorum, quatenus & populus ille Israëliticus typus ac figura fuit populi Christiani, & quæ populo illi contigerunt a Deo bona, typi ac figuræ fuerunt eorum quæ Christiani sunt adepti; similiter & quod populo illi evenit malum, ut prostratus sit in deserto, nec in terram illam promissam propter sua peccata sit ingressus, typus ac figura fuit ejus quod Christiano populo sit eventurum, si se populo illi similem, id est, inobedientem & contumacem adversus Deum gerat. Etiam desertum illud typus ac figura fuit præsentis seculi, & terra illa promissa Chanaan illius futuri.

Ne simus concupiscentes malorum. Docet illa non fuisse nostros typos hactenus, ut necesse sit eadem nobis quæ illis evenire mala, sed ut vitemus similia peccata, ne similibus involvamur malis. Typis illis præmonere nos & instruere voluit Deus, non prædamnare. Nam nec illi periissent in deserto si Deum peccatis suis gravissimis non offendissent. Illorum igitur exemplo discere nos vult ne simus concupiscentes malorum: quasi dicat, quid nos juvabit ex Ægypto hujus seculi liberatos esse, quid in Christum baptizatos, quid sermone cælesti pastos, quid Spiritu Sancto refocillatos, quid omnibus aliis divinis beneficiis per Christum affectos, si malorum simus concupiscentes? Per mala intelligit Apostolus omnia quibus nobis a Deo interdictum est, & quatenus interdictum est. Huc pertinent & carnes idolis immolatæ, si scilicet iis vescamur aliorum cum scandalo.

Sicut & illi, nempe patres, *cupiverunt*. Carnes nimirum, & pepones, et cucumeres Ægyptios, et in terram illam reditum ex qua Deus illos tanta potentia, tot signis et portentis eduxerat: quæ cupiditas illis male expetiit, et nobis expetet si eos imitemur.

Vers. 7. *Neque idololatræ sitis.* Id est, falsi alicujus Dei, aut simulacri ad Deum effingendum ab hominibus facti, cultores. Nam fuisse adhuc inter Corinthios fratres qui idololatriam nondum penitus excussissent, locus cap. V. 11 docet. Ad idololatriam

referri potest, ullius alius religiosus cultus præter unum illum Deum & unum illum Dominum ab ipso factum Christum. Qua de re supra cap. VIII. 6. Vide quam Christiani hujus Apostolici moniti prorsus immemores, idolis eorumque cultibus omnia sua templa replevere. Et tamen quod multo magis dolendum est, idololatras se negant esse, idque modis omnibus defendunt. Initium sanitatis est morbum agnoscere, & pœnitentię agnoscere peccatum, quod quia non fit, nulla pœnitentia, nulla sanitas speranda est.

Sicut quidam illorum, intellige, *fuerunt*. Quosdam opponit omnibus. Nam alioquin ex illis complura fuerunt idololatrarum millia.

Sicut scriptum est. Scripturæ testimonium de illorum idololatria adducit, rei de qua agitur valde congruum.

Sedit populus edere & bibere, & surrexit ludere. Nimirum postquam idolo operatus esset, ut habetur Exod. XXXII. 6. Sedit ad convivium idololatricum, & postquam epulatus esset ac bibisset vina libaminum, (quæ pars erat idololatrici cultus, Israëlitis enim ea bibere fas non erat Deut. XXXII. 38. Esth. XIV. 18. Levit. X. 9. Ideo & infra Apostolus ℣. 18 solum victimarum esum de Israëlitis commemorat;) surrexit ad tripudia & choreas, qui mos erat post sacrificia. Significat Apostolus ejusmodi convivia in idoliis partem esse idololatriæ. Instituebantur enim in honorem idolorum. Proinde tacite monet Corinthios Christianos, ut ab ejusmodi conviviis penitus abstineant, quod infra facit aperte ℣. 21, 22, si divinam iram velint effugere.

Vers. 8. *Neque scortemur.* Pergit in admonitione, se quoque includens, & eidem legi subjectum esse significans. Dehortatur a vitio gentibus communi, adeo ut et inter ipsos Christianos essent qui illud pro re media ducerent.

Sicut quidam ipsorum scortati sunt. Iterum *quosdam* opponit *omnibus*. Nam ex ipsa pœna quæ statim subjicitur, constat scortatorum istorum ex populo multa fuisse millia. Scortati autem sunt, quatenus cum mulieribus, quæ uxores legitimæ non erant, congressi sunt.

Et ceciderunt in una die viginti tria millia. Ex pœna tam atroci apparet, quantopere Deus scortationem detestetur, tot millia, idque uno die cecidisse. Quod vitium si in illo carnali populo tolerare non potuit Deus, quomodo feret in populo Christi nomen professo, qui totus esse debet spiritualis? Et tamen, proh dolor! scortorum & scortatorum inter Christianos plena sunt omnia, Unde nec mirum est, eos divinis actos judiciis, inter se cædes & strages hominum facere innumeras. Promiscuam exercent libidinem, promiscuis etiam cadant cædibus.

Vers. 9. *Neque tentemus Christum.* Jam variis interpretibus notatum est, in multis manuscriptis antiquis, & aliis codicibus, pro *Christo* legi *Deum*. Etiam Sclavonicus codex legit Deum, & Epiphanius existimat a Marcionitis pro Deo Christum insertum esse. Sed merito monuerit Apostolus, ne Christiani tentemus Christum, quippe cujus in nos divina sit potestas, ipsi tanquam Domino nostro cælesti a Deo collata, & cujus tentatio ita cum Dei conjuncta est tentatione, ut a Christianis nec Christus tentari possit quin tentetur Deus, nec Deus vicissim quin tentetur Christus. Deus autem in nos divinitus dominatur per Christum. Hinc infra idem monitum, licet aliis repetens & efferens verbis, Dominum, id est, Christum nominat ℣. 22. Est autem tentare Christum, sicut & Deum, divinam ejus potentiam, vel diffidentia, vel temeritate, vel indigno aliquo & contumelioso in ipsum facto provocare. Diffidentia provocabant Israelitæ Dei potentiam in deserto. Ut temerario facto Christus idem faceret volebat diabolus, Corinthii Christiani irritando Christum, dum illius mensæ & mensæ dæmoniorum, illius calici & calici dæmoniorum, indignissimo facto communicare audebant. Christianis constare debet satis superque de divina Christi potentia & suorum cura. Qui id agunt tam animi intentione quam vi facti sui, ut experiantur quid possit Christus, sive in bonam sive in malam partem, tentant Christum & in ipso Deum.

Sicut & quidam ipsorum tentarunt, intellige, *Deum*. Nam & supra Deus intelligitur qui tentatur in Christo: nam si dixit Apostolus: *neque tentemus Christum*, perinde est ac si addidisset, *& consequenter ipsum Deum*. Qui putant Christum hoc loco ab Israëlitis in deserto tentatum asseri, ii prius necesse habent demonstrare, Messiam seu Christum non solum jam tum fuisse, sed etiam Deum illum Israëlis esse, & ab Israëlitis illis habitum fuisse. Israëlitæ enim Deum suum, qui unus ille Deus est, nec ullum alium tentarunt, & se tentare sciverunt, Scriptura teste, ad quam sese refert Apostolus, ut ex sequenti pœnæ commemoratione manifestum est: nec quidquam aliud hîc de Israëlitis narrat, nisi quod in Scriptura proditum exstat. Illud igitur nisi prius demonstrent, recte hic intelligitur ipse Deus immediate. Christiani cum Christum tentant, simul tentant & Deum: sed Christiani tentant Deum in Christo, Israëlitæ tentabant sine Christo. Etiam in omnibus istis quæ Apostolus adducit exemplis, alia numero sunt omnia, quæ ad nos Christianos spectant, ab iis quæ ad Israëlitas spectabant. Nos non debemus concupiscere mala, illi concupiscebant pepones & cucumeres Ægyptios. Illorum idolum erat aliud quam nostri temporis idola. Alia erant illorum scorta quam quæ nunc sunt. Illi murmurabant adversus Mosen & Aaronem, nobis alii sunt adversum quos ne murmuremus ab Apostolo monemur. Verum est, inquies, hæc omnia numero diversa esse, genere tamen convenire. An igitur in hac loquendi ratione plus valebit unitas generis, quam Christi cum Deo unitas, qui omnem suam divinam a Deo potestatem accepit, eamque Dei nomine exercet in nos, nec tentari a nobis potest, quin tentetur a nobis ipse Deus? Ideoque cum in priori membro monemur ne tentemus Christum, perinde est atque si expresse moneremur ne tentemus Deum, & sic huic monito etiam subjicitur:

Sicut & illi tentarunt. Nempe Deum. Docet hic locus, si *Christum* posuit Apostolus, divinum Christi in ecclesiam imperium, & quod ecclesiam curet, illi numine suo præsens adsit, illius facta omnia cognoscat, illam pro meritis tractet, & suam declaret potentiam. Unde consequitur omnem illi cultum & honorem & adorationem & invocationem tanquam divino

divino & cœlesti Regi ab ipso Deo constituto a nobis deberi.

Et à serpentibus perierunt. Pœnam exprimit atrocem, quæ Israelitis ob Dei tentationem fuit irrogata, ne si nos idem faciamus, ullam a pœnis immunitatem speremus.

Vers. 10. *Neque murmurate.* Nempe adversus Dei & Christi servos, tentatio Deum ipsum & Christum proxime petit, murmuratio ministros ejus, & per hos ipsum Deum & Christum. Monet Apostolus ne Christiani rebus in adversis propter Christianam pietatem aut aliis de causis conflictantes, aut aliis aliquibus Christianæ pietatis officiis gravati, adversus duces suos murmurent, iis indignentur, & vocibus impetant asperis ac plenis impatientiæ. Ut omnia tolerent æquo animo & in omnibus sese divinæ Christi voluntati submittant, & curæ ac providentiæ permittant, certo confisi fore, ut tandem ex omnibus malis & adversis liberati, in cælesti illa patria æternum requiescant.

Durate, dicebat ille, & vosmet rebus servate secundis.
ô passi graviora, dabit Deus his quoque finem.
Tendimus in cælum, sedes ubi fata quietas
Promittunt.

Et perierunt ab exterminatore. Id est, ab Angelo illo, quem Deus Israelitis addiderat, ut in eos pro meritis vindicaret: quem credibile est etiam Ægyptiorum primogenita omnia interemisse. Pœnam addit murmurantium, ut nos a simili peccato absterreat. Qui parva mala & incommoda patienter ferre nolunt, & murmur nihil eos allevaturum opponunt, exterminationem sibi accersunt.

Vers. 11. *Hæc autem omnia*, id est, omnes istæ pœnæ, *typi contigerunt illis.* Ne quis cogitet, jam cessarunt istæ pœnæ, ista miracula, quibus populus ille rudis fuit coërcitus: ignis absorbens, aut terra dehiscens, aut serpentes igniti, aut exterminator Angelus. Fatetur Apostolus hæc omnia illis contigisse typos, id est, tanquam typos, per ellipsin particulæ similitudinis, Hebraica phrasi, typos inquam nostræ pœnæ, quæ in populo spirituali multo gravior erit, quam fuerant illæ in populo carnali.

Scripta autem sunt. Ne quis dicat, cur ergo scripta sunt, si nobis nunc nihil contingat istorum?

Ad admonitionem nostram, inquit. Ut scilicet nos per hæc admoneremur ad vitanda consimilia peccata.

In quos fines seculorum devenerunt. Id est, qui seculis in ultimis vivimus, & post quos nullus alius erit in terris Dei populus, cujus nos typi sumus, ut ex nobis tanquam ex sui suarumque rerum typis & figuris exempla & monita capiat. Christianorum enim temporibus & seculis veniet mundi finis, cui succedet novus ille mundus, novum cælum, nova terra, in quibus justitia habitat 2 Petr. 3. 13. In hoc seculorum & mundi fine pœnarum illarum antitypi, & figurarum illarum figurata, suum sortientur effectum, & justi quidem omnes in novum illum mundum, in quo justitiæ solius habitaculum est, transferentur, ubi nec mors erit, nec ulla adversitas, injusti autem omnes in ignem conjicientur æternum.

Fines. In plurativo dixit, pro fine, & *devenerunt*, per enallagen temporis, pro deventuri sunt. Nisi quis finem seculorum dici putet totum id tempus quod a Christi exortu ad finem fluit mundi, quia scilicet extrema sit pars seculorum.

Vers. 12. *Itaque qui existimat quod stet.* Concludit superiora, & ex illis infert hoc monitum, id est, qui existimat se salvum esse, procul se abesse a casu & interitu. Stare enim dicuntur qui salvi sunt, per metonymiam effecti.

Videat ne cadat. Id est, ne in Christi adventu pereat, & sic sua spe & existimatione multum frustretur. Proinde ita quilibet Christianorum agat, ut omnia peccata quam diligentissime & longissime vitet.

Vers. 13. *Tentatio vos non apprehendit nisi humana.* Apparet Corinthios fratres extra tentationem non fuisse, idolorum causa, quam ut aliquo modo declinarent, nunc hoc, nunc illud in gratiam idololatrarum faciebant, & præsertim cum idolum nihil esse scirent, ad epulas & sacrificia invitati, in idoliis accumbere solebant. Huic tentationi ne succumbant Corinthii fratres, monentur ab Apostolo.

Tentatio. Id est afflictio, per metonymiam effecti, quia per eam tentantur homines an possint ad peccatum adduci.

Non apprehendit vos nisi humana. Id est, nihil grave & insolitum & ultra communem hominum sortem patimini, exiguum & consuetum est hominibus omnibus quod vos affligit, hominum scilicet odia, convicia, subsannationes, insectationes. Quis talia non experitur etiamsi Christianus non sit? Homo sum, inquiebat ille, humani a me nihil alienum puto. Non est igitur ut istis quidquam commoveamini, & aliquid indignum Christiana pietate faciatis.

Fidelis autem est Deus. Ne quis dicat. At verendum est ne majora & graviora nos corripiant. Neque hæc majora quidquam vereamini, sed Deo confidite.

Fidelis est Deus. Fidem vicissim præstat suis sibique fidentibus, non deserit unquam suos.

Qui non permittet vos tentari supra quod potestis. Effectum exprimit fidelitatis divinæ: quasi dicat, novit ille virium vestrarum modum, supra hunc nunquam permittet ut vos tentemini & ullus suorum tentetur. Si quas permittit tentationes, eo fine permittit, ut vestra fides clarior evadat & spectatior, & præmium illam consequatur majus, non ut in tentatione succumbatis. Vestra hæc foret maxima culpa, si quod Deus facit vestro maximo bono, vosmetipsi in propriam perniciem vobis converteretis.

Sed faciet cum tentatione & exitum. Rem priorem per contrarii positionem declarat, id est, fecit vos tentari, permittendo nimirum ut tentemini, faciet & tentationis exitum ac finem lætissimum.

Ut possitis sustinere. Exprimit hunc exitum, quasi dicat, efficiet Deus ut possitis omnia sustinere, nulli tentationi succumbere, victores evadere, & pietatem constanter ad extremum, conservare, maxima vestra & Dei cum gloria. Hujus rei memores semper esse debent Christiani, et hac Dei fide in quibusvis tentationibus niti et sese solari.

Verſ. 14. *Propter quod.* Infert admonitionem ex dictis. *Propter quod*, nempe propter hanc Dei fidem, ejuſque effectum quem dixi.

Dilecti mei. Suum erga illos tam blanda compellatione teſtatur amorem, ut viciſſim etiam illorum amorem provocet, & ſic in amantium animo melius admonitionem ſuam defigat.

Fugite ab idololatria. Longe a vobis abſit ut idolis ſacrificetis, aut eorum ſacrificiis interſitis, ad eorum epulas & viſcerationes concurratis, eorum idolia frequentetis. Vide 1 Petr. IV. 4.

Verſ. 15. *Ut prudentibus loquor.* Prudentiam illi & ſcientiam jactabant. Igitur & Apoſtolus cum iis ut prudentibus & ſcientibus loqui ſe dicit, quo facilius illos per propriam illorum prudentiam & intelligentiam in hoc argumento de idolothytorum in idoliis eſu coarguat. Qui dicunt rationem eſſe repudiandam in percipiendis Euangelii myſteriis, hoc loco refutantur. Adeo enim ratione ad illa intelligenda eſt opus, ut ne hoc quidem quod dicunt, ſine ratione vel dici poſſit vel intelligi.

Judicate vos quod dico. En Apoſtolus auditorum judicio permittit quod dicit. An vero ſine ratione & judicio poterant judicare? An eos ſimpliciter & non adhibito in conſilium judicio dictis ſuis vult credere? Imo credere quod non intelligerent, aut non aliter quam falſum & contradictorium intelligerent? Nimirum non brutis animantibus, ſed hominibus ratione & mente præditis Deus miſit Euangelium.

Verſ. 16. *Poculum benedictionis.* Incipit proponere quod ipſorum tanquam prudentium permittit judicio. Intelligit poculum illud, in cujus ſumptione Deus & Chriſtus ſingulariter benedicitur, id eſt, laudatur, celebratur & gratiarum actionibus extollitur. Unde eadem ratione & Euchariſticum abſolute dicitur. Neque enim tum pro ſolo pane & vino Deus laudibus & gratiarum actionibus afficitur, ſed etiam pro carne & ſanguine, id eſt, pro morte Filii ſui, cujus commemorario panis & calicis iſtius uſu peragitur. Unde & ipſi Filio laudes & gratiarum actiones tribuuntur.

Quod benedicimus. Nempe nos Chriſtiani ſimul in ſacris conventibus. Benedici dicitur poculum, ſicut & menſa, id eſt, cibi & potus, per metonymiam continentis pro contento, cum iis appoſitis, antequam ſumantur Deus pro illis benedicitur, & ut hæc dona ſua nobis benedicat, rogatur.

Nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? Id eſt, nonne eſt cauſa ſocietatis ad ſanguinem Chriſti pertinentis ſeu ſanguini Chriſti ſacræ? Κοινωνία enim hoc loco ſocietatem ſignificat, ut ex ſequenti argumentatione ℣ſ. 17 manifeſtum eſt, & ſocietas pro cauſa ſocietatem efficiente, per metonymiam effecti ponitur. Nam calix ille in ſocietatem nos jungit ſanguini Chriſti ſacram. Per illum enim a nobis communiter & conjunctim, memoria ſanguinis ejus pro nobis ex corpore effuſi, & ad bibendum habilis effecti celebratur. Rem ſic ſe habere res ipſa loquitur, eamque fateri neceſſe habebant fratres Corinthii.

Panem quem frangimus. Pro panis quem frangimus, id eſt, fractum manducamus, per metonymiam antecedentis pro conſequente. (Unus enim tantum frangebat panem & cæteris fractum dabat ad manducandum, exemplo Chriſti.) *Quem frangimus*, inquit, nempe in eodem ſacro ritu ſimul & conjunctim nos Chriſtiani.

Nonne communio corporis Chriſti eſt? Id eſt, nonne eſt cauſa ſocietatis ad corpus Chriſti pertinentis, ſeu corpori Chriſti ſacræ, ad celebrandum illius pro nobis fracti & transfixi, lacerati & exanimati ac exſanguis facti memoriam?

Verſ. 17. *Quia unus panis, unum corpus multi ſumus.* Probat panem illum ſacrum ſocietatem efficere, id eſt, quia unus ſocietatis panis, unum ſocietatis corpus, ſeu quod idem eſt σύσσιτοι καὶ σύσσωμοι, companes ſeu companiones & concorpores.

Multi ſumus. Neque enim ab uno panis hic ſumebatur, ſed a pluribus ſimul Chriſtianis. Unum corpus & alibi vocantur Chriſtiani, hoc loco & unus panis, quia de pane agebatur. Nam ut unus panis ex multis granis, ſic ſocietas Chriſtiana ex multis Chriſtianis componitur.

Omnes enim ex uno pane participamus. Rationem adfert cur multos unum ſocietatis panem dixerit, & unum ſocietatis corpus ſeu companes & concorpores: quia, inquit, omnes, quotquot ſcilicet ſimul ſumus Chriſtiani, ex uno pane participamus, quod nos fecit companiones & concorpores, ſeu in unum ſocietatis panem, in unum ſocietatis corpus conjungit. Docemur hoc loco, Apoſtolicis temporibus non panem tantum, ſed & calicem in ſacro ritu uſurpatum fuiſſe, proinde uſurpari ſemper debere ab omnibus Chriſtianis. Docemur in eodem hoc ritu panem frangendum eſſe, & fractum ab omnibus ſumendum. Eſt enim hic ritus in commemorationem mortis Chriſti inſtitutus: proinde panis eſt ſignum memoriale, non vivi corporis Chriſti, ſed per crucis mortem exanimis & exſanguis facti. Quod ipſum docet, calicem ab hoc ritu amovendum non eſſe, qui ſanguinis Chriſti effuſi ſignum eſt memoriale ſeorſim. Docemur in hoc ritu panem manere panem, & quemlibet illius partem capere, non totum, proinde panem illum non aliter eſſe corpus Chriſti, quam quatenus illius eſt memoriale ſignum. Docemur ex hoc ſacro pane non unum aliquem ſolum participare debere, ſed omnes ſimul quotquot in uno loco ſunt Chriſtianos. Docemur denique eos qui ritum hunc ſacrum contemnunt & negligunt, ad unum ſocietatis Chriſtianæ panem & corpus non pertinere.

Verſ. 18. *Videte Iſraëlem ſecundum carnem.* Quaſi dicat, dedi vobis exemplum Iſraëlis ſecundum ſpiritum, qui ſumus nos Chriſtiani, videte etiam Iſraëlem ſecundum carnem, qui ſunt Judæi. Iſraël pro Iſraëlitis dicitur. Chriſtiani ſpiritualiter Iſraëlis ſunt Filii, propter fidei ſimilitudinem: Judæi carnaliter propter carnalem ex illo propagationem.

Omnes qui edunt victimas. Nempe in templo & coram altari.

Socii ſunt altaris? Id eſt, ſocii ſunt ad altare pertinentes? Negare hoc non poteſtis.

Verſ.

Verſ. 19. *Quid igitur dico?* Explicare incipit quid ſibi exemplis iſtis velit, quid ex illis inferat.

Quod idolum aliquid eſt? Id eſt, an hoc volo ex illis concludere idolum aliquid eſſe?

Aut quod idolothytum aliquid eſt? Id eſt, quod reipſa differat ab aliis carnibus? intellige, nequaquam id mihi volo, aut id dico.

Verſ. 20. *Sed quod quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, non Deo.* Exprimit quid ſibi velit, & quo allatis illis in exemplis ſpectet. Eo nimirum quod quæ gentes profanæ, ut veri Dei ignaræ immolant, dæmoniis immolent & non Deo: quaſi dicat, gentium quidem intentio eſt idolis & diis quos ſibi opinionis errore finxerunt, immolare: ſed quia dii iſti nihil ſunt, dæmonia ſeu mali ſpiritus eorum in locum ſeſe ingeſſerunt, Deo aſpernante profanorum hominum victimas, qui cum agnoſcant Deum eſſe, falſos Deos colere malunt quam verum, cujus immenſa divinitas & potentia ſeſe ubique ſenſibus eorum ingerit. Hinc erat ut apud idola miracula quædam fierent, malis illis ſpiritibus eorum auctoribus, quo tanto magis auctoratas ſibi gentes, juſto Dei judicio permittente, tenerent,

Nolo autem vos ſocios dæmoniorum eſſe. Quaſi dicat, ex eo quod dixi conſequitur illos qui edunt in idoliis victimas, quas dæmonia & mali ſpiritus fecerunt ſuas, ſibique vindicarunt, dæmoniorum eſſe ſocios, ſeu ſocios ad dæmones pertinentes. Illorum enim edunt victimas, ego autem nolo vos, qui Chriſto dicati eſtis, dæmoniorum eſſe ſocios. Atque hoc eſt ad quod exemplis illis collimavi.

Verſ. 21. *Non poteſtis.* Nempe per jus & fas.

Poculum Domini. Id eſt, Domino ſacrum, & celebrandæ ſanguinis ejus memoriæ dicatum.

Bibere, & poculum dæmoniorum. Id eſt, poculum ad dæmonia pertinens, ſeu quod dæmones poſſeſſione & uſurpatione fecerunt ſuum.

Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum. Eodem modo. Poculum autem ſumitur pro vino in poculo, & menſa pro pane menſæ impoſito, per metonymiam continentis, ſed menſam dixit, quia non aliter quam ab accumbentibus ad menſam, ſeu ſimul & conjunctim a Chriſtianis edendus eſt, ſicut & victimæ ſolebant edi in templo Dei & in idoliis. Negat autem Apoſtolus hoc poſſe, id eſt, licere fieri unquam, non tantum ſimul & uno eodemque tempore. Nam Chriſto cum dæmoniis nulla eſt communicatio, nulla ſocietas, proinde nec Chriſtianis fas eſt ut ullam unquam cum dæmoniis & malis ſpiritibus communicationem habeant, tantum abeſt ut unquam poculum illorum bibant, aut menſæ illorum aſſideant & participent.

Verſ. 22. *An irritamus Dominum?* Admiſcet ſe iis per figuram loquendi, ut rem duram mollius audiant: quaſi dicat, quid nobis volumus? aut quid agimus, cum in idoliis calicem dæmoniorum bibimus, & menſæ illorum accumbimus & participamus? an irritamus Dominum? Nam ego quidem nullum alium iſtius uſum rei video. Verbum παραζηλοῦμεν affectum exprimit viri qui uxorem vel ſponſam ſuam in alieno, & quidem æmuli ſui conſpicatur thoro. Zelator eſt Chriſtus, non patitur ſibi tantum dedecus & contumeliam fieri à ſuis. Nam Domini nomine Chriſtum intelligit. Hic locus iterum docet Chriſtum præſentem ſuis adeſſe, eorum facta omnia ſpectare, & in eos, ſi quid male faciant, ſevere vindicare.

Num fortiores ipſo ſumus? Stultitiam arguit Chriſtum ad iram & zelum provocantium. Quaſi dicat, ſi fortiores & robore validiores illo eſſemus, mirum non erat, nunc cum nihil ſimus ad illius vires & robur, quid inſanimus? Ita evicit Apoſtolus, neutiquam licere Chriſtianis ut in idoliis ad epulas idololatrarum accumbant, nec Corinthii, quia prudentes erant, aliter judicare poterant.

Verſ. 23. *Omnia mihi licent.* Iterum hic, ut cap. VI. 12, per mimeſin redarguit eos qui ſibi omnia licere dicebant.

Omnia. Nimirum quæ per ſe & natura ſua mala & turpia non eſſent, quale tamen non erat in idoliis accumbere. Redit enim Apoſtolus ad ea quæ natura ſua ſunt media. Verum hoc eſt, inquit, Apoſtolus;

Sed non omnia. Intellige, quamvis per ſe & natura ſua licita.

Conducunt. Id eſt, ſi fiant utilia ſemper ſunt & nobis & aliis, adeo ut ea quandoque omittere valde ſit bonum & utile.

Omnia mihi licent. Repetit dictum, ut illud magis explicet.

Sed non omnia ædificant. Hoc eſt quod dixit, *non omnia conducunt.* Quæ enim non ædificant, id eſt, ſalutem aliorum, & inprimis fratrum, non promovent, ſed illam deſtruunt, quamvis natura ſua media, valde non conducunt nec nobis qui ea facimus, nec aliis qui ea vident fieri.

Verſ. 24. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius eſt, quiſque,* intellige ἀλλ' ἕκαστος, *quærat?* Hoc addit Apoſtolus, ne quis reponat, ſed hoc meo cum commodo conjunctum erit, mihi ſatisfaciam. Nemo, inquit Apoſtolus, quod ſuum eſt quærat, id eſt, ſuum commodum, intellige in his talibus, quæ ſi fiant, exiguum tibi commodum adferant, alteri autem ſcandalum ſeu deſtructionem & perniciem; ſi vero non fiant, exiguam tibi cauſent moleſtiam, alteri autem ædificationem & æternam ſalutem. In his talibus nemo quod ſuum eſt quærere & ſectari debet, ſed quiſque quod alterius eſt. Neque enim hic commoda cum commodis et incommoda cum incommodis ullam comparationem habent. Hoc quod hic cuique præcipit, ipſe præſtitit. Vide infra vſ. 33. et cap. IX. 19 et ſequentibus.

Verſ. 25. *Omne quod in macello vænit.* Id eſt, quaſvis carnes quæ in macello væneunt, non quæ in idoliis apponuntur.

Edite. Regulam tradit de eſu idolothytorum extra idolia, et convivia illa in ſacrificiis gentium profanarum.

Nihil inquirentes. Nempe an carnes iſtæ idolis fuerint immolatæ nec ne?

Propter conſcientiam. Id eſt, conſcientiæ cauſa; verentes nimirum ne eam polluatis. Idolothyta enim poſtquam ex idolio in macellum delata ſunt, omnem illum ad dæmones reſpectum amittunt, non ſecus ac victimæ extra templum reſpectum ad altare, aut

(F 3) panis,

panis ille sacer & calix extra ecclesiam & sacrum illum ritum, respectum ad Dominum. Jam ista communia fiunt, & sacra sacramque societatem facientia desinunt esse.

Vers. 26. *Domini enim.* Id est, Dei. Adducuntur enim hæc verba ex veteri scriptura.

Est terra & plenitudo ejus. Causam adfert cur sibi nemo conscientiam facere debeat propter carnes illas quæ væneunt in macello, quia nimirum & terra & ea quibus terra repleta est Dei sunt, ad Deum tanquam ad suum auctorem & creatorem, qui ea condidit in usum hominum, pertinent, cum nullum amplius ad dæmones respectum habeant. Iis igitur uti & vesci quæ Dei sunt nullum est peccatum. Videant igitur qui ex usu donorum Dei peccata faciunt, & hominum adstringunt conscientias. Nam diebus jejunii a cibis delicatioribus abstinere, non peccatum ullum facit, sed natura jejunii, quod tamen & ipsum per se cuique liberum est, & cujusvis cibi esu finitur. At nunc jejunium factum est quod olim erat finis jejunii, & cum sese piscibus carnium aliisque etiam delicatissimis cibis, dummodo extra carnes terrestrium animantium, et vino ac potu replevere, jejunare et jejunasse dicuntur. Omnia invertit superstitio, et pro vero jejunio inanem nobis jejunii speciem induxit.

Vers. 27. *Si vero quis vocat vos infidelium.* Egit de carnibus quæ ex macello domum deferuntur cujusque Christianorum, et istic parantur: nunc docet quid hic sit faciendum Christianis si ab aliquo infidelium invitentur, non in idolium sed in privatam domum ad epulas.

Et vultis ire. Relinquit hoc cujusque voluntati ut ab infideli ad epulas invitatus eat vel non eat. Neque enim Christiani homines ipsos eorumque epulas vitare debent, sed hominum pravos mores et vitia. Ideoque si quis non satis sit firmus adversus vitia, quod tamen Christiano indignum est qui Christi spiritum habet, domi maneat potius, quam ad convivium progressus et sibi scandalo sit et aliis, contumeliamque faciat sanctæ Christi ecclesiæ.

Omne quod apponitur vobis. Quippe in privata domo, non in idolio, *edite*, edere vobis nullam ducite religionem.

Nihil inquirentes porpter conscientiam. Videant omnes vos haudquaquam esse superstitiosos.

Vers. 28. *Si vero quis dicat.* Nempe ex infirmis quibus idolothytis vesci crimen est, aut saltem dubium ne crimen sit.

Hoc immolatum est idolis, non edite propter illum qui indicavit. Quasi dicat, non propter rem ipsam, sed propter eum qui indicavit infirmum.

Et propter conscientiam. Nempe, ut statim explicat, non tuam sed illius. Ne scilicet te in sua conscientia tanquam hominem impium & irreligiosum condemnet, aut aliquo modo læsam a te conscientiam suam referat.

Domini enim est terra & plenitudo ejus. Quasi dicat, ut non liceat plenitudine terræ ad alterius offendiculum, & sic ad detrimentum gloriæ Domini abuti. Vel etiam, *Domini est terra &c.* Non idolorum. Argumento quo pugnabat pro edendis, cum nemo obstat, idolothytis, nunc pugnat cum aliquis infirmus obstat pro non edendis: quasi dicat, in hoc quem dixi casu abstinete ab idolothytis, ob eandem illam causam quod Domini sit terra & plenitudo ejus, ex qua Domini plenitudine, quia idolo carnes istas nullo jure & contra Deum asseri putat is qui idolum esse aliquid existimat, ideo ab iis abstinete, ne videamini aliquid cum idolo adversus Dei communionem habere, & quia non licet plenitudine Domini ullo modo abuti. Jam igitur in tali casu illa ratio. *quia Domini sit terra &c*, pugnat pro non edendis idolothytis, non pro edendis. Egregie Apostolus illam ipsam rationem hic attulit, ut eam in tali casu non tantum non valere, sed etiam in contrarium valere ostenderet.

Vers. 29. *Conscientiam autem dico non tuam.* Explicat cujus conscientiam intelligat quam modo nominavit. Non tuam, inquit, qui scis idolum nihil esse, & idolothytum nihil esse. Tua enim conscientia te non accusabit nec damnabit quod vescaris idolothyto.

Sed alterius. Nimirum illius qui tibi indicavit hoc idolothytum esse, infirmi fratris, cujus conscientia damnat idolothytorum esum.

Ut quid enim libertas mea judicatur ab alia conscientia? Rationem adfert cur ob alterius conscientiam ab idolothyti esu sit abstinendum. Loquitur autem per mimesin, persona sumpta ejus qui monitus sit hoc idolothytum esse, id est, quo enim fine, cuive bono *libertas mea*, quam habeo ad edendum idolothyta, *judicatur*, id est, judicari & damnari debet, aut causam dem ut judicetur ab alia conscientia? cur committam ut id fiat? Actus ponitur pro causa actus, ut & in sequenti commate videbimus.

Vers. 30. *Si vero ego gratia.* Id est, grato erga Deum animo.

Participo. Nempe ex cibis, ne quis dicat me Deo gratias egisse pro cibis, etiam proposito idolothyto, ideoque me nihil curare debere, quamvis sim admonitus idolothytum hoc esse.

Quid blasphemor? Iterum actus ipse pro causa actus, id est, ob quid causam & occasionem dem ut blasphemer, nempe ut audiam homo profanus, irreligiosus, in Deum contumeliosus, quodque aliorum conscientiam nihil curem nec reverear.

Pro quo ego. Per ellipsin, id est, *propter id pro quo ego gratias ago?* Nempe Deo, propter esum cibi, pro quo ego gratias egi Deo. An patiar ut idem ille cibus qui ex me gratias & gloriam attulit Deo, mihi blasphemiam afferat, quæ consequenter ex me in ipsius Dei contumeliam redundet? Absit ut hoc committam.

Vers. 31. *Sive igitur editis.* De edendo enim agebatur.

Sive bibitis. Bibitur enim etiam cum editur.

Sive quid facitis. Ne quis solas edendi & bibendi actiones hic intelligat, omnes intelligendæ sunt. Ex superioribus infert conclusionem monitoriam.

Omnia

Omnia in gloriam Dei facite. Id est, omnia eo fine facite, ut Deus ex omnibus actionibus vestris habeat gloriam, quod fiet si omnes vestræ actiones ab omnibus hominibus probabuntur et laudabuntur. Hæ enim laudes in Deum ipsum referuntur, cujus vos cultores esse profitemini. Pertinent huc verba Christi Matth. v. 16.

Vers. 32. *Sine offendiculo estote.* Dehortatur a re contraria: quasi dicat, nolite ullam offendiculi, id est, peccati causam præbere:

Et Judæis. Avertendi nimirum sese à Christiana religione: Quicquid in gratiam Judæorum facere vel non facere potestis salva Christiana pietate, hoc facite vel non facite.

Et Græcis. Id est, ethnicis omnibus, per synecdochen speciei; eodem quo Judæis modo.

Et ecclesiæ Dei. Id est, fratribus, seu aliis Christianis omnibus, qui soli vera sunt ecclesia Dei. Ecclesia dicuntur, quod evocari et convenire soleant ac debeant ad sermonem divinum audiendum, et omnia alia peragenda quæ in sacris istis conventibus Christus fieri præcepit. Monet ne cui ex fratribus causam et occasionem dent impingendi in Christianæ pietatis cursu, multo vero minus etiam à Christiana fide deficiendi.

Vers. 33. *Sicut & ego.* Exemplum suum iterum proponit, ut se non tantum hæc illis præcipere, sed et ipsum facere ostendat, et sic præceptum suum efficacius reddat.

Per omnia. Id est, secundum omnia, vel per omnia, ellipsis præpositionis, Græca phrasi, ut mox cap. sequenti ℣. 2. Intelliguntur autem omnia ex materia subjecta, quæcunque Christiana pietate salva fieri vel non fieri possint. *Omnibus*, id est, hominibus, & Judæis, & Græcis, & ecclesiæ Dei.

Placeo. Id est, me attempero & accommodo, per metonymiam effecti. Placent enim qui aliorum obsequuntur voluntati. Obsequium amicos &c.

Non quærens meum commodum. Quod scilicet talibus ex rebus in me secundum carnem redundare possit. Modum & causam ostendit superioris facti.

Sed multorum ut serventur. Exprimit hoc multorum commodum, nimirum æternam salutem: quasi dicat, id ago ut servem multos, & in illis me ipsum, non ut rebus in mediis & indifferentibus cupiditati meæ satisfaciam.

CAPUT XI.

Vers. 1. *Imitatores mei estote.* Exemplo suo proposito, monet ut se imitentur.

Sicut & ego Christi. Quasi dicat, nam & ego Christum Dominum meum imitor, qui adeo non quæsivit suum commodum, ut etiam acerbam mortem salutis nostræ causa oppetierit, quod Christi exemplum in hac ipsa materia commemorat etiam Rom. xv. 2. 3. Videmus quantopere fallantur, & suæ aliorumque saluti noceant, qui non tantum Apostolorum & Christi sanctitatem non imitantur, sed etiam negant quenquam illius imitatorem esse posse. Adæquare quidem Christi sanctitatem nemo potest, sed imitari quisque non tantum potest, sed etiam debet, si servari velit.

Vers. 2. *Laudo autem vos fratres.* Quasi dicat, hæc quidem vos moneo: laudo autem vos in eo,

Quod omnia. Id est, secundum vel per omnia, nempe vobis à me tradita, ut statim Apostolus sese explicat. Eandem ellipsin præpositionis paulo ante habuimus cap. x. 33.

Mei memores sitis. Fratrum appellationem crebro repetitam legimus, charitatis non aliorum in alios dominatus tesseram.

Et sicut tradidi vobis traditiones tenetis. Explicat superius. Hactenus sui per omnia eos meminisse dicit, & eo nomine laudat, quatenus traditiones suas tenebant, id est, observabant. Intelligit ea quæ ad externum in congregationibus decorem spectantia tradiderat, ut sequentia docent.

Vers. 3. *Volo autem vos scire.* Quasi dicat, ut tanto magis servetis ea quæ vobis tradidi de virorum adapertis, mulierum autem coopertis cum orant vel prophetant capitibus.

Quod omnis viri caput Christus est. Docet quo ordine ac serie omnis vir cum Christo, mulier cum viro, Christus cum Deo conjunctus & connexus sit. Quod ad virum attinet, *omnis viri*, inquit, nullo excepto etiamsi summus in terris sit Rex vel Imperator,

Caput Christus est. Id est, hoc habet Christus, nempe a Deo, ut super omnem virum habeat potestatem.

Caput autem mulieris vir. Id est, hoc autem habet vir similiter à Deo, ut super mulierem habeat potestatem. Hoc dicit ratione sexus virilis, qui semper est muliebri præstantior, non ratione ejus quod accidit. Neque enim semper vir mulierem habet, aut mulier virum, aliquando etiam mulier summum in regno aliquo, etiam supra viros omnes, habet imperium. Ideo nec Apostolus mulieris voci particulam *omnis* apposuit.

Caput autem Christi Deus, intellige, *est*. Hoc habet Deus, nimirum ex seipso, ut supra Christum habeat potestatem, quatenus nimirum Christus illius est, & omnem suam potestatem Deo debeat, nec illa unquam utitur aut uti potest contra Dei voluntatem, eamque etiam suo tempore, id est, salutis nostræ opere perfecto, Deo redditurus est 1 Cor. xv. 24, 28. Docemur hinc Christum non tantum Deum illum unum non esse, sed etiam Deum illum unum caput Christi esse, quod & ipsa Christi appellatio per se docet. Christus enim, id est, unctus, respectu dicitur illius qui eum unxit, id est, regem ac Dominum fecit. Qui hoc ad humanam Christi naturam referunt, recte faciunt. Sed dum simul Christum unum illum Deum esse dicunt, non tantum Apostolo, sed etiam sibi ipsis contradicunt: Apostolo quidem; quia dicere Christi caput esse unum illum Deum, est Christum unum illum Deum esse diserte negare: sibi autem, quia dum Christum hominem fuisse fatentur, eo ipso Christum Deum illum unum fuisse negant. Homo enim & Deus ille unus valde sunt disparata. Nam dicere, Christum esse hominem, quatenus est homo, & esse unum illum, quatenus est unus ille Deus, quid aliud est quam nugari, & id ipsum

ipsum pro responsione adferre quod contradictionis arguitur.

Vers. 4. *Omnis vir.* Ex hoc ordine rerum à se descripto, confirmat suam traditionem de virorum non velandis, mulierum autem velandis, cum orant vel prophetant, capitibus.

Omnis, inquit, *vir orans.* Ad Deum vel Christum vota & preces faciens. *Aut prophetans.* Id est, aut Dei & Christi oracula proloquens, per synecdochen speciei & generis.

Velato capite, κατὰ κεφαλῆς ἔχων, *super caput habens.* Intellige velamentum, subjectionis & servitutis signum.

Dedecorat caput suum. Id est, Christum, cujus decus & gloria in eo est quod habeat potestatem super liberos, id est, naturæ sexu nemini subjectos, quam Christi gloriæ notam tollunt, cum orantes vel prophetantes viri capita non aperiunt. Non prohibet Apostolus quominus aliis temporibus velata capita gerant, sed ne hoc faciant cum orant & prophetant, id est, cum Christum alloquuntur, vel Christi proloquuntur oracula. Et alioquin etiam viris consuetum est aperire capita cum alicui deferunt honorem. Locus hic docet Christianos dum orant ad Christum accedere. Quomodo enim dum orant dedecorarent Christum, nisi orando accederent ad Christum? At si orando accedunt ad Christum & per Christum ad Deum, cur non etiam, quoties volunt, orationes suas dirigunt ad Christum, id est, alloquantur ipsum Christum? Res enim eodem redit, & qui Christum orat, Deum ipsum orat in Christo.

Vers. 5. *Omnis autem mulier.* Quasi dicat, quod autem ad mulierem attinet, *omnis mulier*, nulla excepta,

Orans aut prophetans. Solebant enim etiam mulieres Spiritu Sancto afflari & prophetare.

Non velato capite. In signum scilicet subjecti sexus fœminei sexui virili.

Dedecorat caput suum. Id est, virum. Æquat enim se virili sexui, & subjectionis notam tollit, quæ saltem cum sibi res cum Deo est, vel Dei loquitur oracula, tolli non debuit.

Unum enim est & idem rasæ. Quasi dicat, perinde enim est atque si rasisset caput, quod certe signum foret æqualitatis & paritatis cum sexu virili. Vide cap. XIV. 34.

Vers. 6. *Si enim non velatur mulier.* Probat quod dixit. Nam si non velatur mulier, nempe caput, id est, si non est indecorum mulieri caput non velare,

Etiam tondeatur. Id est, nihil etiam prohibet quominus tondeatur, paria sunt ista natura sua.

Si vero turpe mulieri tonderi aut radi, veletur. Nempe caput. Velatio enim capitis apertius etiam est signum subjectionis quam coma.

Vers. 7. *Nam vir quidem non debet velare caput.* Nempe cum orat vel prophetat. Confirmat dictum, diversam hac in parte viri & mulieris ostendens esse rationem, ne quis objiceret, quid ergo prohibet, quominus & viri velent capita, cum non minus quam mulieres Christo subjecti sint.

Vir quidem, inquit, *non debet velare caput, cum sit imago & gloria Dei.* Id est, cum virilis sexus referat ac repræsentet Deum in omnia dominantem. Deus enim cum ipse sit inconspicuus, virum creavit, eique servire fecit universa, ut Dei creatoris sui majestatem referret. Quatenus autem Dei refert ac repræsentat majestatem, hactenus etiam est Dei gloria, id est, Dei gloriæ causa, per metonymiam effectus. Gloriam enim Deus maximam habet ex hac sui imagine, cum per eam agnoscatur supremus ejus in universa & in ipsum virum dominatus ac imperium.

Mulier autem gloria viri est. Id est, causa gloriæ viri, quod scilicet viro subjecta sit, quamvis alioquin cæteris omnibus creaturis dignitate præstet, & cui non minus quam viro cæteræ omnes creaturæ inserviant. Hoc igitur discrimen inter virum & mulierem facit, ut vir quidem orans aut prophetans velare caput non debeat, mulier debeat, & consequenter etiam vir tonderi vel radi possit, mulier non possit.

Vers. 8. *Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro.* Rationem adfert ob quam viro prærogativa ista tribuatur, quod scilicet vir sit imago Dei & gloria, mulier autem sit viri gloria, quia nimirum Deus in prima creatione viri & mulieris, non virum creavit ex muliere, sed mulierem ex viro, sic ut mulier viri quoddam sit auctuarium, vir principale opus Dei, mulier ex viro & propter virum. Mulier viro sui debet originem; non vir mulieri. Argumentum hoc valet in iis quæ sunt ejusdem generis seu cæteris paribus. Nam alioquin terra foret præstantior quam vir qui est ex terra, non terra ex viro.

Vers. 9. *Etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Causam exprimit propter quam Deus non ex muliere virum, sed ex viro mulierem creaverit, quia scilicet mulier viro tanquam principi socio in adjutorium creabatur.

Vers. 10. *Propter hoc debet mulier potestatem super capite habere propter Angelos.* Ex eo quod dixit rem suam infert, id est, debet habere signum potestatis, nempe in se, super capite suo, quod indicio sit capiti suo esse aliud superius caput, nempe virum. Potestatem posuit pro signo potestatis, per metonymiam causæ. Sic corpus Christi, sanguis Christi, Novum Testamentum in ritu eucharistico, pro signo memoriali corporis & sanguinis Christi & Novi Testamenti, & in ritu azymorum pascha vel transitus pro signo memoriali transitus, & multa alia similia.

Addit Apostolus, *propter Angelos.* Quod homines interdum naturæ leges moribus suis mutent, at coram Angelis semper sunt immutabiles, quorum Christiani rationem habere debent, si alii homines id quod naturæ consentaneum est, negligant. Locus hic docet Angelos esse spectatores humanarum actionum, præsertim inter Christianos, maxime vero cum orant vel prophetant, & in sacris eorum conventibus. Christus etiam de suorum Angelis meminit Matth. XVIII. 10 & Hebr. I. 14: ministratorii spiritus appellantur, quod in ministerium mittantur eorum causa qui salutis sint hæredes futuri. Nimirum in societatem & familiam & consortium adsciti sumus Angelorum per fidem in Christum Eph. III. 15. Hebr. XII. 22. Apoc. XXII. 9. Cavendum igitur est ne Angelos indecoris factis offendamus, in quorum conspectu versari solemus, quamvis homines ea indecora esse non existiment.

Vers.

Verf. 11. *Veruntamen &c.* Infert hoc ad mulierum folatium, quafi dicat, quanquam vero res ita fe habeat ut dixi. *Veruntamen neque vir fine muliere, neque mulier fine viro in Chrifto.* Id eft, & vir & mulier infiti funt Chrifto, per fidem nimirum in ipfum, proinde gratiæ divinæ funt ex æquo participes.

Verf. 12. *Sicut enim mulier ex viro.* Nempe in prima creatione orta eft.

Sic & vir per mulierem. Nempe in fequenti generatione oritur, & fic viri fequentes omnes poft Adamum mulieri debent ortum fuum. Caufam exprimit cur Chriftus pariter gratia fua complexus fit tam mulieres quam viros.

Omnia autem ex Deo. Pondus addit caufæ: quafi dicat, omnia autem, ut rei tanto majus pondus addam, & vir & mulier, & quod mulier fit ex viro, & quod vir fit per mulierem, & quod mulier fubjecta fit viro, Deum habent auctorem. Merito igitur etiam & vir & mulier pariter Chriftum Dei Filium habent fervatorem. Particula univerfalis *omnia*, ut femper, ex fubjecta materia intelligenda eft.

Verf. 13. *In vobis ipfis judicate.* Redit ad rem propofitam: quafi dicat, re in animum veftrum revocata etiam me tacente. Vide quam Apoftolus rationem & judicium humanum non tantum non arceat a judicandis fuis dictis, fed etiam illud pro fe fuifque dictis advocet. Qui rationis & judicii humani defugiunt examen, aperte dictorum fuorum veritati non fidunt. Veritas examinari cupit. Nam quanto magis examinatur, tanto folidior apparet.

Decorum eft, pro *decorumne eft*. Per ellipfin particulæ interrogativæ.

Mulierem non velatam. Nempe capitis refpectu, id eft, retecto capite. Nam de reliqui corporis velatione, tam in viris, quam in mulieribus, agere non erat neceffe.

Deo preces facere? Quafi dicat, & hac capitis retectione ac denudatione virili fexui femet æquare.

Verf. 14. *An nec ipfa natura docet vos.* Quafi dicat, fi nemo alius vos doceat, ipfa certe natura vos docet. Argumentum petit ex ipfius naturæ teftimonio.

Quod vir quidem fi comam alat dedecus ipfi eft? Quia hoc molle quiddam ac muliebre eft. Et tamen tot populi confuetudine naturam vicêre, & turpitudinem iftam fexûfque fui virilis dedecus & contumeliam non agnofcunt.

Verf. 15. *Mulier autem fi comam alat gloria ipfi eft.* Id eft, ornamentum ac decus. Et hæc quidem naturæ vis in mulieribus nufquam ut arbitror eft abolita.

Quia coma pro velamento data eft ei. Caufam adfert cur coma mulierem deceat, quia ipfa natura mulieri dedit comam pro capitis velamento, id eft, eo fine ut caput femper velatum habeat, & fic natura ipfa mulieri dux & magiftra eft, ut dum reliquum corpus tegit, etiam naturali capitis velamento, artificiale feu manufactum adjiciat.

Verf. 16. *Si quis autem vult contentiofus effe, εἰ 'ις δοκεῖ.* Solet verbum δοκεῖ aliquando accipi pro volo Matth. III. 9. Occurrit ei cui hæc non fatisfaciant, quique de his amplius difputare velit, & dicat fibi contrariam etiam in partem argumenta non deeffe, quibus doceat hæc non in hominum natura, fed in fola confuetudine fundamentum habere. Apoftolus primum talem hominem φιλόνεικον, amantem litium appellat, qui fuperioribus argumentis non cedat, & demonftrationes requirat ultra materiæ ipfius quæ tractatur naturam.

Nos talem confuetudinem non habemus. Addit rationibus auctoritatem, quafi dicat, fi quem rationes noftræ non movent, at moveat auctoritas. *Nos*, inquit, Apoftoli Chrifti, *talem confuetudinem non habemus*. Ut fcilicet mulieres cum orant aut prophetant, retectis capitibus effe patiamur.

Neque ecclefia Dei. Apoftolorum auctoritati addit ecclefiarum Dei auctoritatem, quæ cum omnes ab Apoftolis edoctæ confuetudinem hanc receperint, ut mulieres cum orant vel prophetant velatis fint capitibus, nemo unus ex Chriftianis fefe debet omnibus opponere. Et fiquidem hæc non natura fieri debere, fed fola confuetudine fieri dicat, cedat ecclefiarum Dei confuetudini.

Verf. 17. *Hoc autem præcipiens.* Nempe de velandis cum orant vel prophetant mulierum capitibus. Ad aliam tranfit materiam Apoftolus.

Non laudo. Quafi dicat, adhuc vos laudavi, fed in eo non laudo, id eft, per μείωσιν valde reprehendo. Videtur Apoftolus de Induftria laudem præmififfe, ut vituperationem æquiore fufciperent animo.

Quod non in melius fed in deterius convenitis. Nempe ad facra communia. Exprimit quid non laudet, imo valde vituperet, quod fcilicet non eo eventu conveniant, ut melior ipforum fiat ftatus & conditio, fed ut fiat deterior, dum fibi Dei & Chrifti judicia conventibus fuis magis magifque accerferunt ỷſ. 34. non autem illius confequuntur gratiam, qui Chriftianorum conventuum unicus debebat effe effectus. Particula, εἰς, *in*, hoc loco eventum notat non finem. Neque enim Corinthii finem hunc intendebant.

Verf. 18. *Nam &c.* Confirmat quod dixit, exponens quæ in fuis conventibus facris faciebant mala.

Primum quidem. Quafi dicat, hoc quidem primum eft, fed non folum, eft & aliud valde improbandum.

Convenientibus vobis. Id eft, cum convenitis.

In ecclefia. Ut oftendat fe de fanctis conventibus loqui, quibus ecclefiæ nomen apud Chriftianos factum eft proprium, quod Latine concionem fonat, id eft, homines Chriftianos ad audiendum Dei fermonem & alia facra officia obeunda concitos & evocatos.

Audio fciffuras in vobis, id eft, inter vos, *effe*. Hoc eft primum quod faciebat ut in deterius non in melius convenirent. Schifmatis enim & fciffuris Chriftianorum valde Deus & Chriftus offenditur. Chriftiani enim omnes unum effe debent Joan. XVII. 21.

Et partem aliquam credo. Quafi dicat, fi non omnia credo quæ mihi de fciffuris veftris dicuntur, attamen partem eorum aliquam credo. Oftendit quam nollet quidquam mali de illis credere nifi cogeretur. De quibus fciffuris quia cap. I fatis egit, nunc eas non exprimit.

Verf. 19. *Oportet enim & hærefes in vobis effe.* Caufam exprimit cur aliquid de fciffuris eorum credat, quia nimirum etiam hærefes, rem fciffuris deteriorem, inter eos oporteat effe. Intelligit autem Apoftolus non folam Corinthiorum ecclefiam, fed & alias Chriftianorum ecclefias, quod, proh dolor! eventus nimium docuit. Sciffuræ funt eadem

doctrinæ Christianæ sanitate manente orta dissidia. Hæreses autem sunt dogmata, sanam & ab Apostolis traditam doctrinam corrumpentia. Horum utrumque oportere dicit inter Christianos esse, non quod Deus velit ut sit, sed quod cum ea sit hominum malitia, Deus eam impedire nolit. Quo sensu & Christus dixit, oportet ut veniant scandala Matth. XVIII. 7. Luc. XVII. 1.

Ut probati. Finem exprimit istius divinæ permissionis, id est, ut in veritate & pietate constantes, per metonymiam effecti,

Manifesti fiant. Qui alioquin non apparerent, si nulla esset causa & occasio a veritate & pietate deflectendi. Schismata & hæreses probatio sunt in veritate & pietate constantis animi.

In vobis. Id est, inter vos, nempe Christianos. Hæc verba in fine posita sunt, quia ad utrosque & probatos & manifestos factos referri possunt. Nihil igitur mirum, si ecclesia Christi plena sit schismatum & hæresium, nos id agamus interim ut nos probatos esse ostendamus.

Vers. 20. *Convenientibus igitur vobis in unum.* Nempe ad celebrandam simul cœnam Domini: quasi dicat, igitur ut ulterius progrediar, & alterum exponam per quod in deterius non in melius convenitis.

Non est Dominicam cœnam edere. Nempe hoc quod vos facitis: quasi dicat, profitemini vos convenire ut Dominicam cœnam edatis eamque edere, sed hoc quod facitis non est Dominicam cœnam edere. Cœnabant Christiani simul, & hanc cœnam vocabant Dominicam, quod esset in honorem Domini, id est, Christi instituta, & ad imitationem illius cœnæ, quam cum suis celebravit discipulis illa nocte qua traditus fuit. Quas cœnas, quia simul contestandæ & exercendæ charitatis inter Christianos fiebant, agapas vocabant Christiani. Quia vero Christus ad cœnam illam suam, fractionis panis & calicis ritum in corporis & sanguinis sui sacravit memoriam, idem etiam Christiani Dominum suum imitati ad cœnas istas ritum hunc sacrum obibant. Curabant autem has cœnas Diaconi sumptibus ecclesiæ. Culpat igitur hic Apostolus Corinthios fratres, quod Dominicam cœnam non ederent convenienti ac competenti modo, & cœnam Dominicam ipsam deformarent.

Vers. 21. *Unusquisque enim.* Probat quod dixit, & vitium istud exponit. Intelligit autem unumquemque ditiorum fratrum, & qui habeat, ut sequentia docent.

Propriam cœnam præcipit. Quasi dicat, vos ad Dominicam cœnam, quæ communis omnibus debet esse, convenitis, & interim quisque ex vobis ditioribus propriam cœnam prius edit, quam Dominica & communis cœna incipiat.

In edendo. Intellige, cœnam Dominicam. Sic & infra ℣. 33: quasi dicat, hoc vobis liceret facere domi, sed ut id fiat in publica illa & Dominica cœna, in qua per ritum fractionis panis & calicis memoria mortis Christi communiter ab omnibus celebratur, ferendum non est.

Et hic quidem esurit. Nempe pauper et qui non habet.

Hic autem ebrius est. Nempe qui suam præcepit cœnam lautam & opiparam. Neque enim aliam in publicum adferri curasset. Exponit effectum istiusmodi propriæ cujusque cœnæ, valde indignum & indecorum, præsertim, in sacro Christianorum conventu, eoque ad cœnam Dominicam celebrandam instituto, ut dum alius adhuc nihil ederit, proinde nec biberit, alter jam ebrius sit. Eleganter autem esurienti opponit non saturum, sed insuper & ebrium, falsa quadam & ad pudorem excutiendum apta hyperbole. Nam si ditiores isti etiam ad ebrietatem usque propriis sese satiabant cœnis, idque in sacris ad cœnam Dominicam celebrandam Christianorum conventibus, tanto fœdius illorum esset crimen. Sed non videntur eousque turpitudinis fuisse prolapsi, illis præsertim in locis, in quibus ebrietas publice verebatur conspici, & Apostolus mox cum monet ut domi faciant quod in sacro conventu faciebant, edendi tantum & bibendi mentionem facit. Addit enim:

Vers. 22. *Num enim domos non habetis ad edendum & bibendum?* Probat Apostolus turpiter illos facere, per prolepsin, quasi dicat, nam si quis dicat cœnam illam publicam, & pro pauperibus potius quam pro se instructam, sibi non sufficere, ideoque sibi propria cœna opus esse, hoc eum non juverit. An enim domos non habetis privatas in quibus proprias vobis apponi curetis cœnas, & ad satietatem edatis ac bibatis? Non edendi & bibendi causa istuc convenimus, sed ut mortem Domini celebremus, & mutuam nobis contestemur dilectionem.

An ecclesiam Dei contemnitis? Quasi scilicet indignam, ut cum ea communem capiatis cœnam? At ecclesiam Dei contemnere & despicari, qua nihil in terris majus & augustius, & in qua contemnitur ac despicitur ipse Deus, quantum foret crimen!

Et pudefacitis eos qui non habent. Id est, pauperes Christianos, qui non habent unde sibi proprias cœnas in publicum adferri faciant: quasi dicat, nam non video qua alia de causa quam ex ecclesiæ Dei contemptu, & quo alio fine quam ad pudefaciendum pauperes, illisque suam exprobrandam paupertatem id faciatis? Egregiam sane rem & laude dignam pro contestatione mutuæ charitatis! Docet hic locus quam nos æqualiter cum cæteris Christianis gerere debeamus, & ad humilitatem eorum nos humiliare, ne videamur illos contemnere & pudefacere.

Quid vobis dico? Id est, dicam, per enallagen temporis, nempe ob hoc vestrum factum.

Laudabo vos? Quasi dicat, quod quidem libenter vellem, & cœperam.

In hoc non laudo. In aliis paratus sum laudare, at non in hoc vestro facto. *Non laudo,* pro valde vitupero, sed molliter & per μείωσιν, ut appareat acer quidem, sed tamen & blandus pater.

Vers. 23. *Ego enim accepi a Domino &c.* Causam adfert cur hoc illorum factum laudare non possit, imo vehementer improbet. Quam ut concludat, primum refert quid a Domino ad hanc rem de qua agitur spectans acceperit. Docet se hoc quod narraturus est, non ab aliis Apostolis aut discipulis accepisse, sed ab ipso Domino ex illius proprio ore, ut se Apostolum esse ostendat, & ritui fractionis panis tanto majorem auctoritatem conciliet, Dominique præceptum esse doceat.

Quod & tradidi vobis. Ne quis vestrûm ignorantiam aliquam prætexat. Mihi Dominus tradidit, ego vobis nomine Domini: ego a Domino accepi, vos a me.

Quod

Quod Dominus Jesus. Referre incipit id quod accepit a Domino, iisq; vicissim tradidit. Dicere poterat, *quod ipse*, nempe Dominus, sed maluit nomen ejus exprimere, ut quis sit iste Dominus appareat, Hebræa phrasi nominis pro pronomine, nempe eum esse Dominum Jesum hunc ipsum qui pro nobis mortem oppetiit.

In nocte qua tradebatur. Nempe a Juda in manus Sacerdotum & Seniorum populi Judaici, suorum adversariorum. Temporis circumstantiam notat, ex qua cœna & nocturna celebratio mortis Dominicæ ad lumina & candelas apud veteres primosq; Christianos.

Accepit panem. Nempe ad cœnam illam suam ultimam cum discipulis suis ante mortem suam, in qua edit agnum Paschalem Matth. XXVI. Luc. XXII. Fecit hoc Christus antiquo Judæorum more ac ritu in festis solennibus, in quibus paterfamilias ad finem solennis cœnæ cum gratiarum actione pro pane ac vino, & cum commemoratione divini beneficii, cujus celebratione solennis ille dies institutus esset, de communi pane decerpebat & distribuebat convivis: deinde & calicem cum vino porrigebat, ut omnes ex illo biberent. Hunc igitur morem imitatus est Christus, sed illum cœnam illam paschalem tum peragens, & commemorationem sui, qui verum est Pascha pro nobis mactatum, cujus sanguine servamur ab interitu æterno, & vitæ asserimur æternæ, jure meritoque & simul convenientissime convertit. Videmus panem in illa cœna communem a Domino Jesu fuisse acceptum. Unde igitur istæ tenuissimæ farinaceæ laminulæ orbiculatæ, figura Christi crucifixi signatæ? Nimirum, ut & alia multa, ex errore ac superstitione, quæ vix usquam major quam in hoc sacro ritu conspicitur.

Vers. 24. *Et postquam gratias egisset.* Nempe pro pane, panem enim acceperat. Mos erat in hoc ritu pane accepto gratias agere, sed Dominus Jesus nusquam panem sumpsisse legitur quin gratias ageret, vel quod idem est, benediceret, nempe Deo. Quod imitari debent non in hoc ritu tantum, sed ubique & semper Christiani, ut panem vel cibum ac potum sumpturi gratias prius agant ac benedicant. Sanctificatur enim cibus per gratiarum actionem & preces 1 Tim. IV. 4, 5.

Fregit. Nempe panem, ut quisque particulam de illo caperet.

Et dixit, accipite, edite. Nempe vos mei convivæ & discipuli.

Hoc meum est corpus quod pro vobis frangitur. Vel panem quem frangebat suum corpus esse dixit quod pro nobis frangebatur, (pronomine τὸ imitante genus nominis sequentis σῶμα) sicut mox calicem dicit esse suum sanguinem, seu novum Testamentum in suo sanguine: vel, eodem sensu, id quod cum pane fiebat, seu ipsum hunc fractionis panis ritum, corpus esse suum dixit: quasi dicat, hoc est mei corporis quod pro vobis frangitur memoriale signum. Usu enim receptum est ut signa memorialia nominibus appellentur earum rerum quarum sunt signa. Cujus rei exemplum in ipso Paschali ritu, quem tum obibat Christus, habemus. Nam & Agnus ille, & ritus ipse Agni, Pascha, id est, transitus appellatur, quod transitus illius in Ægypto signum esset memoriale, ad celebrandam divini illius beneficii memoriam, quod Angelus primogenita Ægyptiorum omnium occidens domos transiverit Israëlitarum. Sic hodieque eodem in argumento signa memorialia crucis Christi, licet hominum instituto facta, crux appellantur Christi.

Quod pro vobis frangitur. Id est, frangetur, per enallagen præsentis pro mox futuro. Frangi autem suum corpus dixit per κλᾶσθαι, pro lacerari, crucifigi, vita privari, quia respexit ad fractionem panis. Unde apparet fractionem panis in hoc ritu necessariam esse ad repræsentandam corporis Christi fractionem, & ritum hunc esse ritum repræsentativum mortis Christi, ut in signis memorialibus fieri solet. Omnia nimirum pulcherrime sibi respondent, panis refert corpus Christi, quia sicut panis vitam nobis adsert temporariam, sic corpus Christi vita privatum vitam nobis adsert æternam, fractio panis refert Christi corporis cruciatus & mortem, datio panis dationem qua Christus suum corpus pro nobis & sic nobis dedit, manducatio panis respondet manducationi qua nos Christi carnem manducamus & sanguinem bibimus, eo nimirum modo quo talis cibus manducari, & talis potus bibi potest, qua de re paulo post. Dum vero dicit corpus suum pro nobis frangi, caussam insinuat cur sui corporis memoriale signum nobis det, quia nimirum pro nobis frangendum erat, atque adeo fractum est, id est, maximo nostro bono, ut scilicet per Christi mortem & corporis ejus cruciatus, omnes qui credimus in Christum, a peccatorum nostrorum reatu liberemur & vitæ asseramur æternæ: qui effectus si locum non habet in omnibus, non id mortis Christi fit defectu, quæ efficax est ad omnes servandos, sed ipsorum propria culpa, quod non veniant ad Christum, nec credant in Christum, eique se mancipent. Merito igitur memoriale signum corporis sui nobis Christus dedit, quandoquidem pro nobis fractum est. Porro notari debet Christum hic corpus suum, quod tum quidem frangendum adhuc erat, sed mox in sequenti noctem illam die fractum, id est, cruci affixum, & sic sanguine & vita privatum est, nobis proponere. Ideoque etiam distincte a corpore sanguinem suum nobis proponit (quippe effusum ex corpore) per calicem, & Apostolus mox rem hanc explicans ℣. 26, mortis Christi simpliciter annunciationem hic fieri dicit. Sicut igitur mors Christi pridem præteriit, sic nec corpus Christi quod vita cassum sit, nec sanguis Christi qui ex corpore effusus sit, amplius est. Et tamen non aliter Christi corpus seu caro edi nisi Christo occiso, non aliter sanguis ejus bibi nisi effusus ex corpore potest. Ideo enim occidi se passus est Christus, ideo vitam pariter eum sanguine suo effundi, ut nobis carnem suam ad manducandum daret, & sanguinem suum ad bibendum. Hoc si notatum & observatum fuisset, ut sane debuit, quippe per se clarum & apertum, caruissemus nunc in hoc sacro ritu tot superstitionibus & absurdis, totque contradictionibus refertis transubstantationibus, & carnis Christi ubiquitatibus sen consubstantiationibus, & per panis manducationem inexplicabilibus Christi corporis manducationibus, suusque huic sacro ritu mansisset verus & a Christo institutus usus, quem ipse statim explicat. Tanto autem magis illa concidunt omnia, si Christus ipsum panis ritum seu fractionem & manducationem, corpus esse suum dixit. Solebant quidem veteres Christiani de pane & vino loqui, quod fiant corpus & sanguis Christi, sed id

hactenus tantum est verum, quatenus panis & vinum repræsentativa fiunt signa corporis & sanguinis Christi. Sicut & agnus fiebat Pascha, quatenus fiebat signum Paschatis repræsentativum: idemque evenit & in omnibus signis aliis etiam profanis. Sic lignum fiebat Mercurius, cum fiebat signum repræsentans & exhibens Mercurium.

Hoc facite in meam commemorationem. Convenienter plane signo memoriali: quasi dicat, panis hic & ritus hic signum est memoriale corporis mei quod mox pro vobis frangetur. Hunc igitur ritum diligenter observate & obite in meam commemorationem. At si vera essent quæ hodie de sacro hoc pane & calice, ritusque istius usu traduntur, quo pacto dixisset Christus usum istius ritus exponens: *Hoc facite in meam commemorationem:* et non multo magis dixisset, hoc facite in mei corporis manducationem? Quod Christus apud Joannem dicit, *panis quem ego dabo caro mea est* Joan. VI. 51, nihil pertinet ad panem hujus sacri ritus qui proprie dictus est panis: at Christus apud Joannem carnem suam per metaphoram appellat panem, comparans carnem suam pani illi quem Moses Israëlitis in deserto dederat: quasi dicat, Moses vestris majoribus dedit panem qui erat manna, ego vobis dabo panem qui est caro mea, quam certe in ritu illo non dabat, necdum enim erat occisus, sed eam dedit cum se occidi passus est: per mortem enim suam effecit ut caro ejus cibus fieret & sanguis ejus potus, id est, per mortem demum suam nobis vitam attulit æternam, sicut ipse ibidem addit, *quam* (id est, carnem meam) *ego dabo pro mundi vita.* Quem cibum comedere & potum bibere non aliter possumus, quam quatenus nos Christi morte, ab æterna morte liberatos, & vitæ æternæ assertos esse credimus. Nam sicut caro Christi cibus, & sanguis Christi potus improprie ac per metaphoram dicitur, sic non minus carnem Christi edere & sanguinem bibere, necesse est ut improprie & per metaphoram ac κατάχρησιν dicatur, ut in comparationibus solet. Dicit igitur Christus:

Hoc facite. Nempe fractum panem accipite, manducate, & ritum hunc obite, non nunc tantum, sed etiam inposterum, neque vos tantum, sed omnes quicunque sunt & futuri sunt mei discipuli.

In meam commemorationem. Exprimit quo fine ritum hunc obire & celebrare, & ipse mandet, & illi debeant, proinde ritus istius præcipuum ac principalem usum: quasi dicat, eo fine ut ritum hunc obeuntes me commemoretis quod pro vobis mortem oppetierim acerbam, me virgis cædi & cruci affigi & indignissimis modis tractari passus sim, proinde mihi gratias agatis pro tanto beneficio tantoque mei in vos amore, & omnia faciatis quæ cum tali commemoratione natura sua conjuncta sunt. Commemorationis usus iste docet præceptum hoc Christi spectasse simul in omne futurum tempus, quo in cælum profectus corpore nobiscum non versatur. Eos enim commemorare solemus, qui corpore inter nos non sunt. Ideo infra docet Apostolus sacrum hunc ritum inter Christianos duraturum donec veniat Christus ꝟ. 26.

Vers. 25. *Similiter & poculum.* Intellige, accepit & dedit, & bibere præcepit discipulis suis omnibus, ut addit Matthæus, Paulus autem tacite intellexit. Intelligitur autem continens cum contento, nempe cum vino. De gratiarum actione pro poculo seu vino, non addit, sed addit Matthæus XXVI. 27. Vide hinc quanta sit impietas & quantum sacrilegium calicis ex hoc sacro ritu ablatio! Nimirum non intelligebant, ut diximus, sanguinem hic designari ex corpore Christi effusum, sicut per panem designatur corpus Christi exsangue & exanime, ut sic mortis illius memoria celebrari hic possit. Si igitur illis fas fuit calicem auferre, solum panem relinquere, eodem jure liceat illis & panem auferre, solum relinquere calicem! En quo tandem erroris deveniant homines, ubi semel a via veritatis, & quæ secundum pietatem est doctrinâ, discessere!

Post cœnam. Id est, cœna solenni peracta, ut mos erat. Docemur hoc loco pietatis olim nihil interfuisse, ut ritus iste non jejuno & vacuo obiretur stomacho, cum Christus ipse post cœnam calicem hunc sanguinis sui præbuerit discipulis, & veteres Christiani in cœna Dominica, seu agapis illis idem sint imitati, quæ si nunc etiam apud Christianos essent in usu, ritum hunc sacrum similiter præcederent, non sequerentur.

Dicens. Intellige, postquam prius dixisset, ut poculum omnes ipso porrigente sumerent & biberent.

Hoc poculum Novum Testamentum est in sanguine meo. Similiter ut prius in pane. Causam his verbis exprimit Christus, cur poculum hoc sumi & bibi velit etiam inposterum ab omnibus suis discipulis, quia nimirum hoc poculum est signum memoriale Novi Testamenti seu Fœderis, quippe cum sit signum memoriale Christi sanguinis, quo Novum Testamentum seu fœdus est sancitum, & nobis secundum illud peccatorum remissio parta. Vinum autem in poculo repræsentat nobis sanguinem ex corpore eductum. Videmus hinc nihil in re ipsa differre, sive poculum dicatur Christi sanguis, ut habet Matthæus, sive dicatur novum Testamentum in sanguine Christi, ut habet Lucas, & hic Apostolus Paulus. Utroque enim modo perinde significatur poculum esse signum memoriale sanguinis Christi, nisi quod hoc modo etiam Novi Testamenti simul memoria expresse subjiciatur animis. Sicut igitur poculum istud non aliter est Novum Testamentum, quam quatenus est memoriale signum Novi Testamenti, quod sanguine Christi fuit sancitum: sic etiam non aliter est sanguis Christi, quam quatenus illius itidem est memoriale signum. Neque enim aliter Novi Testamenti memoriale signum est, nisi quatenus sanguinis Christi ad sanciendum Novum Testamentum fusi memoriale est signum. Vide quam hic iterum locum non habeat transsubstantiatio sanguinis in Novo Testamento, aut sanguinis Christi præsentia in, eum, & sub Novo Testamento, quamque bibendo calicem non bibamus inexplicabili modo Novum Testamentum. Omnia ista seclusa hîc sunt, proinde & cum panis dicitur corpus Christi, aut calix sanguis Christi, non minus excludi debent. *Novum Testamentum,* dicit, *in meo sanguine.* Elliptice, id est, per meum sanguinem sancitum, in pro per, vel cum, Hebræa phrasi. Christus enim suo sanguine & Deum & nos ad

servanda;

servandas novi Fœderis conditiones validissime devinxit, & peccatorum insuper remissionem fœdere isto comprehensam tanquam piacularis victima nobis peperit Matth. XXVI. 28. Luc. XXII. 20.

Hoc facite. Quia non expressit quid facere debeant cum poculo, addit, *quoties bibatis*, quibus verbis significat quod poculum istud bibere debeamus, & simul temporis & loci arbitrium in hoc ritu obeundo nobis relinquit, dummodo eum obeamus & servemus diligenter. Non frustra Christus locum & tempus indefinitum reliquit. Neque enim semper facultas est communicandi pro ista sacra symbola. Ut si quis versetur solus inter homines a fide Christi alienos, aut inter sectas, quæ nomen quidem Christi profiteantur, cæterum illos qui veriora de Christo ejusque dogmatis sentiunt, condemnent. Cum talibus enim communicare quid aliud fuerit quam abnegare id quod sentias, & eorum cum quibus sentis communitatem? Qui quidem veriora sentientes, quia solam retinent seu retinere debent fidem catholicam, quam omnes Christianorum sectæ veram esse agnoscant, pro sectariis habendi non sunt, præsertim si non ipsi ultro in partes secedant, sed ab aliis exigantur, ob id solum quod acatholica dogmata recipere nolint. Proinde nullum est periculum ne qui cum iis communicat, sectariorum sese faciat socium ac participem, imo nisi cum talibus communicet, ipse se faciat sectarium. Adde quod etiam cum malis & acatholicis communicare fas sit, dummodo inter eos malum & acatholicum tibi non esse, id est, & facere & profiteri liceat quod sanctum & justum & verum est. Quanto vero magis communitas eorum fugienda non est, qui etiamsi quædam adhuc retineant acatholica dogmata, tamen ob dissensum alios non damnent nec rejiciant, sed Christiana complectantur charitate, & sanctis motibus pietati diligenter studeant. Cæterum hæc verba, *quoties bibetitis*, ut & sequentia, *quoties ederitis*, significant ritum istum jam alioqui observari fuisse solitum, ex Judæorum nimirum, ut jam ante monuimus, consuetudine, ut necesse non fuerit observationem illius per se peculiariter præcipi, sed tantum juberi, ut quotiescunque ritus hic observaretur, jam alioquin observari solitus, toties a Christi discipulis observaretur in Christi commemorationem. Ritus autem hic à Judæis ad gentes per Christianos est traductus, & iisdem forte temporibus, quibus apud Judæos ab initio observatus, donec Christiani libertate sua usi, constituerent illi dies ac tempora quæ vellent & commoda judicarent. In iis enim quæ non facere nihil per se & natura sua turpe est, tempora & loca observari ex usu & commodo possunt, quo et pedes aliorum lavare pertinet.

In meam commemorationem. Eundem in calice finem & usum exprimit quem in pane, ut scilicet repræsentatum habentes, sicut in pane corpus suum pro nobis fractum, & vita ac sanguine privatum, sic in poculo vini sanguinem suum ex corpore eductum & effusum, commemorationem sui faciamus, quod nos tantopere dilexerit, tantamque rem nostri & salutis nostræ causa fecerit. Errant qui hic recordationem intelligi volunt: quis enim Christianorum non semper meminerit mortis Christi? Laudes hic intelliguntur, celebrationes, deprædicationes, gratiarum actiones, & significationes animi Christo æternum devoti.

Vers. 26. *Quotiescunque enim edatis panem hunc.* Causam exprimit cur utrobique dixerit Christus, hoc facite in meam commemorationem, quia, inquit, *quotiescunque edatis panem hunc, & poculum hoc bibatis, mortem Domini annunciatis*, id est, deprædicatis, celebratis, laudibus & gloria in cælum fertis, quod fieri non potest sine Christi ipsius commemoratione. Videmus igitur & pane & poculo nihil aliud significari quam Christi mortem, proinde & mortuum Christi corpus & sanguinem ex corpore effusum.

Annunciatis. Quia annunciare debetis.

Donec veniat. Docet quousque id durare debeat, ut quotiescunque ritum hunc obeant, mortem Domini annuncient: tamdiu, inquit, donec Dominus veniat, qui ubi venerit, tune alium panem edemus, & aliud poculum bibemus in regno Patris nostri, ubi nec commemoratione Domini erit opus, quem semper præsentem oculis nostris contuebimur, æternis & inenarrabilibus cum ipso perfruentes gaudiis. Nunc autem illius commemoratione, & mortis ejus annunciatione animos nostros consolemur & oblectemus. Notandum est Apostolum, cum exposuerit diligenter quid acceperit à Domino, & Corinthiis jam ante tradiderit, nullam fecisse mentionem communis Christianorum cœnæ, quæ huic sacro ritui præmittebatur, tanquam a Domino præceptæ. Unde apparet Domini præceptum non fuisse, sed ecclesiarum Christi laudabile institutum, & cœnæ illius Dominicæ voluntariam imitationem. Proinde tacite significat Apostolus cœnas illas Corinthiorum accessorium quiddam esse ad institutum Domini, longeque præstare ut prorsus cœnas illas communes omittant, quam earum occasione sacrum illum ritum a Domino mandatum profanent ac polluant.

Vers. 27. *Itaque qui edat panem hunc.* Exposito Domini mandato, nunc ex illo argumentum suum concludit, & docet quam male sibi consulant qui ritum hunc obeant indigne, proinde quam merito Corinthios fratres in eo non laudet, quod in hoc sacro ritu obeundo cœnas suas præcipiant. *Itaque*, id est, quandoquidem igitur sic se res habet, ut dictum est.

Qui edat panem hunc. Qui scilicet memoriale signum est corporis Dominici pro nobis fracti & vita privati, ab ipso Domino constitutum, & in cujus manducatione Domini commemoratio facienda est, & mors ejus annuncianda semper & usque ad Domini ipsius adventum.

Aut bibat poculum Domini. Quod scilicet ad Dominum pertinet, quippe ab ipso suæ commemorationi, & mortis suæ annuntiationi tanquam memoriale signum sanguinis sui fusi sacratum.

Indigne. Id est, indigno modo, nec ea qua par est religione, quod faciebant Corinthii, cœnas proprias præcipientes in ecclesia.

Reus erit corporis & sanguinis Domini. Intellige, *læsi & profanati.* Sic dicimus aliquem majestatis esse reum. Docet Apostolus panis istius & calicis contemptum, in ipsius corporis & sanguinis Dominici contemptum

temptum & contumeliam tendere. Merito, cum panis iste & calix corporis & sanguinis Dominici signum sit, idque non ab hominum profana superstitione inductum, sed ab ipso Domino corpori & sanguini suo sacratum. Signum Cæsaris si quis violet, reus violati Cæsaris erit, & hæc humana sunt, quanto magis qui signum corporis & sanguinis Dominici violet ab ipso Domino institutum, corporis & sanguinis Dominici reus tenebitur. Notetur autem hoc loco discrimen inter panem & calicem, & inter corpus & sanguinem Domini. Neque enim reum esse corporis & sanguinis Domini educeret Apostolus ex eo, quod panem hunc edendo & calicem bibendo annunciemus mortem Domini; sed ex eo quod panis transubstantiaretur in corpus, aut consubstantiaretur corpori Christi, si verum erat. Notetur panem edi & calicem bibi indigne posse, at carnem Christi edere & sanguinem ejus bibere nemo potest indigne; implicatur enim contradictio. Ideo & omni carnem suam edenti & sanguinem suum bibenti addicat Christus simpliciter & absolute vitam æternam Joan. VI. 54, 56, 58, per quæ non solum transubstantiatio, et carnis Christi ubiquitas, seu pani consubstantiatio, sed etiam quæ panis manducatione fiat, nescio quæ supernaturalis & incomprehensibilis carnis Christi manducatio penitus excluditur. Idem enim seu necessario conjuncta non possunt esse, quorum unum fieri queat etiam indigne, alterum fieri nequeat nisi tantum digne. Nam si dicas dignam ad hæc requiri manducationem, perinde est atque si aliquid ad salutem requiri dicas, ultra quod nihil ad eam requiratur amplius. Digne enim edere, id est, seipsum probare et dijudicare, et sic ex hoc pane edere, id omne complectitur quod ad salutem necessarium est ℣. 31. *Caro non prodest quicquam*, inquit, Christus, *verba quæ loquor vobis spiritus sunt & vita sunt* ℣. 63: docens qua in re consistat salutaris suæ carnis manducatio, nempe ut verbis suis et in se credamus, et sic credamus se pro mundi vita mortuum esse. Qua de re vide Comment. Joan. cap. VI. 53, 63.

Vers. 28. *Probet autem homo seipsum.* Docet quomodo igitur quisque ex hoc pane manducare debeat. *Probet*, inquit, *homo*, id est, quisque, Hebræ phrasi.

Seipsum. Id est, seipsum diligenter examinet, an vitam Christiano homine dignam agat, an mores et facta sua omnia cum præceptis Christi congruant, an nihil in se ab hoc sacro ritu discrepans sit?

Et sic ex hoc pane manducet. Quasi dicat, et postquam semetipsum quisque probaverit, tum demum ex hoc pane edat, qui sic comedit, digne comedit, hic rectus et legitimus modus est ex hoc pane manducandi: & qui tanta cum religione ad hunc panem et poculum hoc accedit, haud dubie simul in illius usu summa cum religione versabitur. Quid ergo, inquies, faciendum est illis qui in probatione et examine sui, delicta sua deprehendant, vel etiam sine probatione et examine sua delicta norint? Pœnitentiam agant, et culpam eoram Domino deprecentur, et vitam in posterum emendatam polliceantur, et sic ex hoc pane edant. Quid vero si pollicitis non steterint, et priora vitia continuent? Indigne manducabunt et bibent absque dubio.

Et ex hoc poculo bibant. Vides non tantum cuique Christiano ex hoc pane manducandum, sed etiam ex hoc poculo bibendum esse.

Vers. 29. *Qui enim edit & bibit indigne.* Causam adfert cur seipsum quisque probare debeat, antequam ex hoc pane manducet, et ex hoc poculo bibat. Nam, inquit, qui indigne manducat et bibit, id est, non eo modo quo dignum est, proinde qui seipsum non probat antequam edat et bibat,

Judicium. Id est, gravem pœnam, per metonymiam causæ,

Sibi ipsi edit & bibit. Per ἑαυτῷ ex respectu ad panem qui editur & calicem qui bibitur, id est, sibi accersit, quasi dicat, cum ipso sacro pane & calice edit et bibit sibi gravem pœnam. Præstat igitur, inquies, non edere et bibere, si quis indignum se sentiat. Imo vero præstat ut dignum se faciat, id est, peccatis valedicat, vitam Christo dignam instituat. At quamdiu hoc non facit, inquies? Neque sic judicium effugiet, quin imo gravius incurret. Perinde enim facit atque filius, qui sciens se patris iram & pœnam commeritum, fugitat patrem. An ideo pœnam evadet, & non potius hoc ipso graviorem pœnam faciet? Addit enim priori delicto aliud, & quidem majus, præsertim si illi pateat apud patrem venia, dummodo amplius non peccet. At hic mavult patrem fugere quam frugi esse filius. Etsi igitur panem hunc non edendo, & poculum hoc non bibendo, judicium non edet nec bibet, tamen ipsi comedetur & bibetur, id est, consumetur & perdetur à judicio. Ego certe nollem ut ecclesia quemquam abstineret ab hoc pane & calice sacro qui sit in ecclesiæ communione, ne judicium ac pœnam illius in se recipiat. An antem Christianorum ullus, cui fas erat cœnæ Dominicæ communicare, ab hoc sacro pane & calice arcebatur? An non eodem jure illum usurpabat quo ad cœnam illam communem accesserat? Et cui fas est quenquam prohibere, ne rem obeat à Christo omnibus mandatam? Indigne obibit, inquies. Ipse igitur viderit, & pro se Domino respondeat. Neque in Apostolorum scriptis quidquam legimus de abstinendis à panis & calicis istius communione iis qui adhuc sunt in communione ecclesiæ. Edat & bibat quisque, operamque det ut digne edat. Si indigne ederit & biberit, aut quia se indignum videat abstinuerit potius, quam dignum se fecerit, suo damno id faciat, quin hoc nomine castigetur etiam ab ecclesia, sique id facere perrexerit, ab illius communione arceatur. Neque enim Christianus est qui de pane hoc & calice Dominico sese abstinet, cujus usus non solum à Domino præceptus est omnibus, sed etiam communionis ac societatis Christianæ tessera est, ut supra docuit Apostolus: *Unus panis, unum corpus multi sumus: Omnes enim ex uno pane participamus* cap. X. 17.

Non dijudicans corpus Domini. Attexit causam asserti, quia nimirum is qui comedit indigne, corpus Domini non dijudicat. Merito igitur pro hac non dijudicatione corporis Dominici judicium sibimet ipsi edit & bibit. Si corpus Domini dijudicaret, quam scilicet sanctum fuerit, quam pretiosum, quam pro peccatis nostris morte fuerit affectum, idque etiam hoc

hoc fine ut & nos peccatis moreremur omnibus, etiam illius memoriale signum ab ipso Domino sacratum & institutum magni faceret, proinde dijudicaret semetipsum, ne indignus ad illius participationem accederet.

Vers. 30. *Propter hoc.* Nempe quod non dijudicetis corpus Domini, & sic indigne edatis & bibatis panem & calicem hunc sacrum.

In vobis. Id est, inter vos, qui Christi constituitis ecclesiam.

Multi debiles. Nempe viribus ac valetudine.

Et infirmi. Id est, ægroti & plane decumbentes.

Et dormiunt multi. Id est, mortui sunt, sed iterum à Domino tanquam ex somno excitandi, hęc enim Christianorum spes est. Intelligit autem mortuos ante naturæ tempus, pœna divina morte adfectos. Per gradus pœnas istas recenset Apostolus: debilitas prima est, hanc sequi solet morbus, morbum mors. Nimirum pro meritis quemque tractat Dominus, graviores pœnas gravius peccantibus infligens, & qui levioribus emendari nolunt, graviores addens pœnas, & si sit opus, etiam vita privans. Proprio Corinthiorum exemplo comprobat verum esse quod asseruit; tot debilitatum, tot morborum, tot mortium inter ipsos causam ad id revocans, quod corpus Domini non dijudicantes, indigne sacrum hunc panem ederent, & calicem biberent. Hoc non intelligebant Corinthii, quibus idcirco aperit oculos.

Vers. 31. *Si enim nos ipsos dijudicaremus.* Quam scilicet Christianè in omnibus agamus, quam secundum Christi præcepta vivamus.

Non judicaremur. Confirmat quod asseruit, propter hoc Corinthiis ista infligi qood non dijudicarent corpus Domini, quia, inquit, si nos ipsos dijudicaremus, nos inquam Christiani, (se quoque aliis admiscens omnibus) dijudicaremus autem si corpus Domini dijudicaremus. *Non judicaremur*, nimirum a Domino, & sic a pœnis istis essemus liberi. Pœnæ enim judicii sunt effectus. Dijudicat seipsum qui seipsum probat, ut supra dixit ℣. 28, qui diligenter mores suos examinat, vitia agnoscit, damnat, emendat, Dominum pro iis deprecatur, & vitam ad ejus voluntatem componit. Omnia enim in hac dijudicatione continentur quæ illius effecta sunt & esse debent, per metonymiam synecdochicam. Sic in peccatorum confessione includitur & pœnitentia & pœnitentiæ fructus. Solent homines hoc sacrum adituri, confessionem peragere peccatorum, & offensas mutuas deprecari, sed quid hoc juvat si nulla sequatur emendatio? si ad eadem relabimur vitia? si ob idipsum peccamus ut sit quod confiteamur? an hujus sacri panis & calicis commemoratio nos a judiciis Domini defendet, & non potius illis reddet multo magis obnoxios?

Vers. 32. *Dum judicamur autem, a Domino castigamur.* Docet quid fiat nobiscum cum judicamur & punimur, ne quis nostrum animum despondeat, & de gratia Domini suaque desperet salute.

Castigamur, inquit, *a Domino.* Castigatio pœnam quidem notat, sed quæ sit in bonum ejus qui punitur, non in malum.

Ne cum mundo condemnemur. Exprimit hoc bonum & castigationis Dominicæ finem. Significat Apostolus mundum, id est, homines qui sunt extra Christum ejusque ecclesiam damnatum iri, ad ignem nimirum & mortem æternam. Quamobrem vero, nisi propter opera tenebrarum & inobedientiam? Eph. v. 6. Dominus ergo suos castigat, ut ab operibus & moribus mundi abstineant, ideo punit suos debilitatibus, morbis & aliis calamitatibus, ut per hæc puniti resipiscant. Infert & mortem, ut temporaria morte peccata sua expient, neve longius viventes plura peccent, & in æternam mortem una cum mundo præcipitent. Vide Domini, qui Christus est, circa suos curam, vide amorem, imperium ac potestatem.

Vers. 33. *Itaque fratres mei.* Concludit hoc quod adhuc tractavit argumentum.

Cum convenitis ad edendum. Nempe sacrum panem, et consequenter ad cœnam Dominicam.

Alii alios exspectate. Propriam cœnam nemo præcipiat, communem exspectet.

Vers. 34. *Si vero quis esurit, in domo edat.* Nemo mihi esuriem hic obtendat, licebit domi, si quid in publica defuit cœna, sarcire.

Ne in judicium. Id est, pœnam, eamque gravem, per metonymiam causæ.

Conveniatis. Quæ certe non aberit, nisi vitium quod dictum est emendetis, & majori cum religione ritum hunc sacrum mortis Dominicæ celebretis.

Reliqua autem cum venero disponam. Nempe quæ ad ordinem pertinent ecclesiasticum. Nam in doctrina quæ fidei salutari sufficeret, nihil illis defuit.

CAPUT XII.

Vers. 1. **D**E *spiritualibus autem fratres.* Transit ad aliam materiam Apostolus. *De spiritualibus*, nempe hominibus, qui per spiritum, id est, afflatum loquuntur. Sic spiritualis vocem usurpat cap. XIV. 37.

Nolo vos ignorare. Nempe quod dicam et quod scire vestrum intersit.

Vers. 2. *Scitis quod gentes eratis.* Id est, homines profani, Dei veri ignari, qui absoluta gentium voce à Dei populo solent appellari.

Ad simulachra muta, prout ducebamini, abducebamini. Explicat quæ fuerit ipsorum conditio cum gentes essent, quod scilicet abducerentur ad simulachra mota, ut scilicet illa adorarent & colerent prout ducerentur, nempe ab aliis hominibus seducti & Dei veri ignaris, nunc ad hoc, nunc ad aliud simulachrum, nunc ad hunc, nunc ad illum Deum, simulachro suo non magis vocaliorem ac vivum, imo qui minus esset suo simulachro. Simulachrum enim est vel aurum, vel argentum, vel æs, vel lapis, vel lignum, vel alia aliqua materia, forma aliqua signata; sed Deus simulachro significatus nihil est in mundo cap. VIII. 4. Hanc præteritam illorum conditionem miseram præstruit tanquam fundamentum sequenti illationi. Vide vero quam deplorata fuerit conditio gentium; sed quis deplorare satis queat eos qui Christi nomen profiteantur, similiter ad simulachra muta prout ducantur

cantur abduci. Neque enim arbitror Christianorum simulacra gentium simulacris esse vocaliora, aut hæc illis magis muta. Nec quidquam refert quod Christiani simulacra Deo, vel Christo, vel Angelis, vel sanctis mortuis, seu vere, seu opinione sancti fuerint, faciant. Nihilominus enim omnia ista simulacra sunt muta, et Deus ne homines sibi ipsis, id est, suo arbitratu ac voluntate simulacra faciant ulla, quę adorent & quibus serviant, severa lege vetuit, quam in catechesibus eximere Decalogo sunt ausi (proh facinus!) simulacrorum & imaginum auctores ac defensores. Deus certe & Christus qualis nunc est, simulacro hominum manu facto exprimi non potest, ideo nec vult nec debet. At solus Deus per Christum adorandus & colendus est inconspicuus, nec ullis hominum sensibus expositus: solus enim omnibus & ubique & semper numine suo præsens adest, & animos omnium introspicit, omniumque rerum habet et notitiam et potestatem. Angelos qui colit inconspicuos, contra primum Decalogi peccat oraculum, quanto magis qui sanctos homines rebus exemptos humanis? quos qui adorant et invocant, quid differunt a profanis gentibus, quæ homines rebus humanis exemptos in numerum referebant deorum, iisque et simulacra & templa & religiones dicabant? Nos, inquiunt, non facimus illos Deos. Sive Deos sive divos faciatis, quid refert, cum eos cælestibus afficiatis religionibus? Merito id facimus, ajunt. Atqui cælestis religio nulli debetur nisi Deo, & si quem ipse velit ad ejus participationem evehere, si homines ipsi id ausint, magno piaculo, magno crimine se obstringunt. Doceant igitur cælitus promulgatum esse, ut ulli homines rebus humanis exempti cælestibus colantur religionibus, & non ab hominibus invectum & publicatum. Sancti fuerunt, inquis, tanto minus igitur per ejusmodi cultus profanandi erant.

Vers. 3. *Propter quod notum facio vobis.* Quasi dicat, hoc quod dixi de vestra priore conditione miseranda, tanquam fundamento præstructo,

Notum facio vobis. Id est, fundamento illi superstruens, tanquam rem certam minimeque dubiam vobis trado, vosque doceo:

Quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Jesum. Quasi dicat, an enim per Euangelium & doctrinam & spiritum Jesu ex tam miserando statu & ab idolis mutis ad vivum & verum Deum fuissetis conversi, si Jesus esset anathema, id est, res devota & detestanda, seductor scilicet & impostor? Unde cognoscere & pro certo scire debetis, quod nemo qui in spiritu Dei, id est, per spiritum seu afflatum Dei loquitur, dicit Jesum esse anathema, proinde omnem qui Jesum anathema dicit & damnat ac rejicit, per spiritum & afflatum Dei non loqui. Quid igitur de iis censendum qui Jesum nisi simul unus ille Deus sit, idolum esse dicunt si colatur & adoretur: idolum enim anathema est? At Jesum dicunt summum Deum. Quid tum, si honor iste non sit verus Jesu honor: cum & Jesus hominem significet ex Spiritu Sancto conceptum, & ex Maria virgine natum, & honorem ejus exprimens mox; ut & alibi Apostolus, dicat eum esse Dominum à Deo factum, Christum Dei, caput ecclesiæ à Deo datum. An ergo quia Jesum unum illum Deum esse dicunt, contumeliam eluent, qua Jesum secundum id quod vere est afficiunt, quique ob id ipsum tum summum Deum faciunt, quod illi suum verum honorem & cultum tribuere nolint. Cum igitur Jesum unum illum Deum esse dicere tendat ad id ut Jesus dicatur idolum & anathema, consequitur hinc neminem qui in Spiritu Sancto loquatur, dicere Jesum esse unum illum Deum. Et qui hoc dicit, hactenus eum unius illius Dei Christum seu unctum esse negat.

Et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto. Docuit qui per spiritum Dei non loquantur, nunc docet qui loquantur, nempe qui Jesum dicunt Dominum, id est, Christum Regem à Deo factum, proinde ex mortuis suscitatum, a dextris Dei in cælestibus collocatum, subjectis ipsi etiam Angelis & potestatibus & virtutibus. Hanc ipsam regulam tradit & Apostolus Joannes dignoscendis spiritibus 1 Joan. IV. 2. Loquitur autem Apostolus de spiritualibus, ut diximus ℣. 1, id est, de iis qui per spiritum seu afflatum loquuntur: quasi dicat, nemo eorum qui spiritu aliquo afflati loquuntur, potest in illo afflatu dicere Dominum esse Jesum, nisi per Spiritum Sanctum. Alioqui enim nullo miraculoso afflatu opus est ad hoc dicendum & profitendum iis qui veritatem hanc de Jesu ab aliis per Spiritum Sanctum loquentibus edocti sunt. Hactenus tamen & hi in Spiritu Sancto Jesum & Dominum dicunt, quatenus dicunt rem à Spiritu Sancto proditam. Neque etiam sequitur omnia alia quæ talis dicit, per Spiritum Sanctum dici, cum fieri possit, ut etiam citra Spiritus Sancti afflatum loquatur. *Dominum Jesum*, id est, Dominum esse Jesum, per ellipsin verbi substantivi, sicut & *anathema Jesum*, id est, anathema esse Jesum. Dominus à Deo factus, & super omnia evectus, ac benedictus in secula, opponitur anathemati. Vides omnes illos qui Jesum confitentur Dominum vel per Spiritum Sanctum loqui, vel loqui rem a Spiritu Sancto proditam, nec posse quenquam hoc loqui nisi in spiritu, vel ex Spiritu Sancto. Spiritus Deo adversarius nunquam hoc suggeret hominibus, quo agnito & credito diaboli regnum penitus evertitur, qui etiamsi vellet id facere, ut sibi fidem præstrueret ad fallendum in aliis, non permitteret Deus. Vides Spiritum Sanctum non id suggerere Jesum esse unum illum Deum, sed esse Dominum ab ipso factum, seu, quod idem valet, esse Christum Dei, universo contestante Euangelio, & Spiritus Sancti prædicatione, a qua adeo alienum est Jesum esse unum illum Deum, ut qui hoc profiteatur, hactenus certe Jesum neget esse unius illius Dei Christum, & ab ipso factum Dominum. Proinde qui spiritus hoc loquitur, Spiritus Sanctus esse non potest. Nam quid attinuit aut opus fuit Jesum facere Dominnm qui ipse unus ille Deus sit? imo qui id fieri potuit? Secundum humanam naturam, inquies. Id equidem verum est, sed dum hominem esse Jesum statuis, eo ipso unum illum Deum esse negas. Non nego, inquis. Ais ergo Jesum esse unum illum Deum & non esse, hominem esse & rursum nnn esse. Secundum distinctas, inquis, naturas. Tu igitur & leonem dic esse equum, & equum leonem, & tenebras lucem, & lucem tenebras, & quid non contra-

contradictorium secundum distinctas naturas. Sed factus sit Deus ille unus homo, & homo unus ille Deus, quod tamen quid sit nemo intelligit: profecto ex quo homo unus ille Deus factus est, ut Dominus a Deo distinctus, & a dextris ejus sedens constitueretur opus non habuit, imo nec constitui potuit. Nos igitur maneamus in Apostolica veritate, & Jesum confiteamur Dominum ab uno illo Deo factum, qui tamen alius ab ipso Deus non est, quia absolute & subjective seu κατ' ἐξοχὴν non dicitur Deus, sed omnem suam divinitatem ab ipso habet ad gloriam ejus. Non tantum Christus unus Dominus, sed nec quod multi Dii sint, uni illi Deo quidquam præjudicat, quia omnes illius sunt, ab ipso facti sunt, & ab ipso dependent cap. VIII. 5, 6. Videmus etiam Spiritum Sanctum non tantum a Deo distingui, quatenus Dei dicitur esse spiritus, non ipse Deus, sed etiam quod & ipsum spiritus docet nomen, Dei afflatum constitui, quo homines afflati proloquantur Dei oracula. Cum hæc scriberem, allatus est liber recentium quorundam prophetarum, quem ubi inspexi, vidi prophetas istos dicere Deum esse unum & trinum. Unde concludere licuit spiritum hunc ex Deo non esse, qui non dicat Jesum esse Dominum a Deo factum, quique Deum nobis inducat Spiritui Sancto, Prophetis & Apostolis incognitum. Et tamen is qui prophetarum istorum triuno (ut ipse loquitur) volumini, quod triunum Deum referat ac repræsentet, præfationem præmisit, tam stolidos ac væcordes fore nos putavit, ut existimaverit nos istorum somniis ab Apostolica veritate seduci posse. Egregii prophetæ, quorum prophetiæ post rerum eventus in lucem sunt editæ, & cum vix editæ essent, & aliquid porro futurum prædicerent, statim pro iis eidem isti laudatori apologia scribenda fuerit, quod eorum prædictiones in contrarium cecidissent.

Vers. 4. *Divisiones autem donorum sunt.* Postquam docuit omnes spiritu afflatos, qui Jesum dicant Dominum, in Spiritu Sancto loqui, proinde Spiritu Sancto, non spiritu Deo adverso, vel diaboli vel mundi, vel antichristi afflatos esse; nunc docet diversa esse dona spiritualia. *Divisiones autem donorum sunt.* Intellige, quamvis idem sit Spiritus Sanctus, ne quis ex donorum diversitate colligat non omnes habere eundem spiritum.

Divisiones donorum sunt. Per duo substantiva, pro divisa vel diversa & differentia sunt dona. *Idem autem spiritus.* Intellige, qui hæc omnia dona efficit & adfert. Dona spiritualia refert Apostolus ad spiritum, quia per spiritum & afflatum divinum a Deo & Christo conferuntur hominibus, proinde spiritui tribuuntur tanquam medio per quod, ut ℣. 7, 8, 9 aperte dicetur. Spiritus autem idem dicitur in toto. Nam alioquin Spiritus Sanctus distribuitur Heb. 2. 4, & cuique datur Spiritus Sancti portio: Apostolis datæ sunt Spiritus Sancti primitiæ, quarum portionum respectu *spiritus* dicuntur in pluratívo. *Spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur* cap. XIV. 32. *Probate spiritus an ex Deo sint. Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum qui in carne venit, ex Deo est* 1 Joap. IV. 1, 2. Sic, verbi causa, aër est idem, aqua est eadem, ignis est idem in toto, quamvis non in partibus.

Vers. 5. *Et divisiones ministeriorum sunt.* Hoc addit, ut ostendat non magis ex diversis donis colligendam esse diversitatem spiritus, quam ex diversis ministeriis spiritualibus & ecclesiasticis (nam de talibus loquitur) diversitatem Domini.

Et idem Dominus. Quasi dicat, quamvis diversa sint ministeria. Intelligit autem Christum Dominum illum unum, nobis a Deo datum, qui Jesus est, ut paulo ante docuit ℣. 3, ad cujus gloriam omnia ista ministeria referuntur.

Vers. 6. *Et divisiones operationum sunt.* Alio exemplo instat, id est, & divisæ ac differentes sunt operationes, intellige, miraculosæ & naturæ vires supergressæ, quæ scilicet ab Apostolis aliisque Christianorum fiebant.

Idem autem est Deus. Intellige, quamvis operationes miraculosæ non sint eædem, sed inter se differentes ac divisæ.

Qui operatur omnia. Nempe ista miraculosa.

In omnibus. In quibus videlicet aliquid admirandum conspicitur. Intelligit Apostolus unum illum Deum, Jesu Christi Domini nostri Patrem, ad quem merito omnia in omnibus refert, tanquam primum auctorem. Eleganter & congrue Apostolus, cum eundem spiritum, eundem Dominum, eundem Deum commemorare vellet, dona ad Spiritum Sanctum retulit, cum & ipse sit donum, ministeria ad Dominum, ex vi relatorum, operationes admirandas & supra naturam, ad Deum, quia ille solus est supra omnem omnium naturam, quippe auctor omnium et omnia in omnibus, & in ipso Christo Domino nostro operans. Hic Habemus τὴν ἁγίαν τριάδα, sed qualem Apostoli tradiderunt. Vides hic Spiritum Sanctum distingui a Deo, vides eum nec Domini nec Dei titulo insigniri, et ut ex ℣. 3 et 7, 8, 9, ipsaque spiritus appellatione manifestum est, Dei afflatum esse significari. Vides Jesum Dominum appellari a Deo distinctum. Vides Deum qui omnia in omnibus operatur, solum Patrem dici, proinde Patris nomine apud Apostolos Deum illum unum, quantus quantus est, designari, Filii nomine designari Christum et Dominum ab illo factum, Spiritus Sancti nomine divinissimum ejus afflatum, eumque Patri et Filio merito adjungi, quod sit vicaria vis Filii, quæ discipulis ejus infusa operetur omnia quæ velit Filius.

Vers. 7. *Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Quasi dicat, quamvis idem spiritus omnibus detur, tamen non omnibus datur eadem spiritus manifestatio. Manifestat quidem se spiritus in omnibus qui eum accepere, sed non eodem modo. *Unicuique*, inquit, *datur*, nempe a Deo vel Christo, *manifestatio spiritus*, id est, divinum donum, per quod spiritum alicui inesse manifestum fit, per metonymiam effecti.

Ad utilitatem. Id est, prout & illi ipsi qui spiritum accepit, & aliis utile est, quod Deus & Christus Spiritus Sancti dator & dispensator novit optime. Hæc igitur est causa ob quam etiamsi omnes eundem habent spiritum & afflatum divinum, non tamen omnes eadem vel paria habeant dona, sed diversi diversa, alii majora, alii minora. Utilitatem hic spectat

Deus & Christus tum singulorum tum omnium.

Vers. 8. *Nam huic quidem* &c. Probat rem ita se habere ut dixit, ex effectu, enumerans diversa dona diversis per Spiritum Sanctum a Deo & Christo collata.

Huic quidem, inquit, *per spiritum datur*. Nempe a Deo & Christo. Vides quod proprie loquendo non spiritus det dona cælestia, sed Deus & Christus per spiritum, id est, dando & communicando alicui Spiritum Sanctum, qui communicatus dono aliquo hominem beat.

Sermo sapientiæ. Per duo substantiva pro substantivo cum adjectivo, sermo sapiens, de rebus videlicet divinis, loco & tempori & aliis circumstantiis omnibus, ipsique rei aptus, accommodatus & valde efficax, quales fuerunt conciones Petri, Pauli & aliorum Apostolorum in Actis descriptæ: qualis fuit sermo ille Pauli coram Felice Actor. XXIV, & ad Regem Agrippam Actor. XXVI. Quod donum non frustra primo posuit loco: nihil enim illo dari posse videtur homini præstantius.

Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
dixit ille,
Quam ut sapere & fari possit quod sentiat?

Alii autem sermo cognitionis. Id est, sermo tradens cognitionem profundiorum videlicet mysteriorum divinorum, quod donum in Paulo præsertim Apostolo illustre fuit.

Secundum eundem spiritum. Intellige δίδοται, *datur*, id est, per eundem spiritum. κατὰ pro διὰ. Nisi quod hæc loquendi ratio, *datur secundum spiritum*, ut & sequentes, *datur in spiritu*, clarius adhuc docent Spiritum Sanctum esse medium per quod ista dona a principe causa, qui Deus & Christus est, dantur.

Vers. 9. *Alteri autem fides*. Non simpliciter fides in Christum, quæ Spiritus Sancti communicationem antecedit. Neque enim Spiritus Sanctus communicatur ullis nisi in Christum credentibus Actor. 2. 38. Eph. 1. 13. Sed fides illa qua ingentia patrantur miracula, qua Moses divisit mare, qua ex petra percussa elicuit aquæ flumina, qua Josue stare fecit solem, qua & montes transferantur, & mortui suscitentur, & omnia fiant quæ nullis naturæ viribus fieri possint, qua Petrus & Joannes hominem illum qui ex utero matris claudus fuerat sanarunt Actor. III, Petrus Tabitham mortuam suscitavit Act. IX, & Paulus aliique Apostoli stupenda opera fecerunt, id est, Deus ipse potentia sua immensa fide illorum secundum suam promissionem provocatus fecit, quæ fides merito donum Dei per Spiritum Sanctum dicitur, quia in nemine potest esse, præsertim efficax, nisi Spiritus Sancti accedat operatio in homine sequaci. Ad hanc fidem excitat Christus Apostolos Marc. XI. 22, 23, 24, 25.

In eodem spiritu. Id est, per eundem spiritum, intellige, datur.

Alii autem dona sanationum. Id est, dona quæ sunt sanationes, per genitivum differentiæ vel speciei. Ideo in plurativo dixit *dona*, quia sicut morbi multi sunt, & venena, aliaque sanitati noxia, sic & multæ sanationes sunt, de quibus ipse Dominus Marc. XVI. 17, 18.

In eodem spiritu, intellige, *datur*. Spiritus enim qui in illis erat, faciebat ut solo contactu sanarent. Hic idem spiritus exiverat ex Christo ad sanandam mulierem illam fluxu sanguinis continuis duodecim annis laborantem Marc. V. 30, imo & ad sanandos omnes qui Christum tangebant Luc. VI. 19. Subinde spiritum eundem Apostolus inculcat, ut differentibus donis præditi, scirent tamen eodem se præditos esse spiritu, & sic unitatem inter se conservarent.

Vers. 10. *Alii operationes potentiarum*. Id est, potentes, per duo substantiva pro substantivo cum adjectivo. Potentes autem dicuntur, quod divina potentia singulariter in illis appareat. Latius hoc patet quam sanationes miraculosæ. Nam eum Paulus Elymam Magum cæcitate percussit, non sanaverat illum, sed nihilominus potentem operationem in illo peregerat. Ad has potentes operationes & dæmonum pertinet ejectio.

Alii autem prophetia. Id est, futurorum quorum necdum ullæ apparent causæ prædictio, occultorum patefactio, remotiorum notitia, veterum Prophetarum interpretatio, & mysteriorum divinorum cognitio, quod donum a sermone cognitionis distinguitur, quia non omnes pariter effari poterant quæ sciebant.

Alii autem dijudicatio spirituum. Id est, peculiaris quædam ad spiritus dijudicandos, an ex Deo sint, dexteritas.

Alteri autem genera linguarum. Id est, ut linguis loquatur variis quas nunquam didicit. Linguis enim tribuuntur genera. Unde dicimus, quod genus linguæ? Ponitur autem lingua pro sermone, per metonymiam causæ.

Alii autem interpretatio linguarum. Id est, id ut linguas varias, quarum intellectum nunquam didicerat, vernacula lingua reddat, quamvis ipse variis linguis loqui non possit. Hæc tot dona inter varios distribuebat Deus, ut alter alterius indigeret opera, & sic omnes in unum corpus coalescerent, & mutuo inter se devincirentur amore; quamvis essent etiam nonnulli omnibus istis donis instructi, quales erant Apostoli: id enim illorum munus exigebat.

Vers. 11. *Omnia autem hæc operatur unus & idem spiritus*. Quia in posterioribus aliquot, id est, quatuor donis non addiderat ea dari per spiritum, idcirco in genere subjicit, quod omnia hæc quæ numeravit, unus & idem operetur spiritus & afflatus divinus, ut qui donis differunt, & alii aliis præstant, unitate spiritus & afflatus divini sese solentur. Operatur autem tanquam medium per quod Deus operatur vers. 6.

Dividens seorsim cuique sicut vult. Quia verbis istis operatio spiritus exprimitur, ideo necesse est, ut intelligantur eo sensu qui medio & afflatui divino per quem Deus operatur, conveniat: quasi dicat Apostolus, ita spiritus unus idemque operatur hæc, omnia, ut non cuilibet det omnia, sed ex omnibus istis dividat ac distribuat singulis sicut vult. Qui ex verbis istis colligunt Spiritum Sanctum personam esse divinam, proinde ipsum Deum, haud considerant non ex verbis istis colligendam esse Spiritus Sancti naturam, sed ex Spiritus Sancti natura verborum

borum istorum intellectum petendum esse. Spiritum Sanctum ipsum Deum esse clarissimis & disertissimis Scripturæ verbis constare debet. An enim multis quæ personæ non sunt, distributio tribui non potest, quod per illa persona distribuat? An dicere non possumus Dei manum vel providentiam nobis omnia distribuere? An non natura nobis varia distribuit? Annus ipse nonne nobis distribuit varia munera, & vere, & æstate, & autumno, & hyeme? Sic quia persona per oculum videt, per aurem audit, per os & linguam loquitur, nonne dicimus oculum videre, aurem audire, os & linguam loqui, & similia plurima? Scripturæ ipsi nonne tribuitur quod prævideat, quod loquatur, & quæ non alia quæ personarum sunt propria? Et quis enumeret omnia hujus generis alia? Quid igitur mirum, spiritui tribui quod distribuat, quia per illum, & illum distribuendo Deus & Christus omnia spiritualia dona distribuant? Voluntatem etiam tribui iis quæ personæ non sunt, per elegantem metaphoram, vel Christus ipse docet, cum ait, *Spiritus*, (ventum intelligens) *flat quo vult, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat & quo vadat* Joan. III. 8: & Jacobus voluntatem tribuit impetui navem dirigentis Jacob. III. 4: & Petrus voluntatem Dei velle dixit I Petr. III. 17. Quoties per prosopopoëiam loquimur, toties voluntatem tribuere possumus iis quæ personæ non sunt. Qui dixerit manum Dei seorsim cuique distribuere varia dona sicut vult, rectissime dixerit. Idem & de Spiritu Sancto recte dicitur, qui in distribuendis cælestibus donis manus est Dei & Christi, quique in nobis locum ac vicem Dei & Christi occupat, quippe sanctissimus ejus afflatus. Quis non intelligat, nisi qui nolit, Christum apud Joannem de Paracleto, (qui Spiritus est Sanctus,) invitatum comparatione sui Joan. XIV. 16, per prosopopoëiam loqui? Quo & ipsum Paracleti spectat nomen. Spiritum enim Sanctum talem personam inducit, quæ haudquaquam ipse Deus sit, quippe quæ *a seipsa non loquatur, sed loquatur ea quæcunque audiat*, & propterea, *omnem veritatem loquatur, quod a seipsa non loquatur, sed ea quæcunque audiat loquatur* Joan. XVI. 13, aut cum Christus dicit: *non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* Matth. X. 20, aut cum Spiritum Sanctum distinctum ab Apostolis testem inducit Joan. XV. 26, 27, aut cum Apostolis interpellare eum dicit pro sanctis, gemitibus inenarrabilibus Rom. VIII. 26, 27, aut clamare in cordibus nostris Abba Pater Gal. IV. 6, quis non perspicit figuratum in his esse loquendi modum, cum Spiritus Sanctus nonnisi hominum ore locutus & testatus sit de Christo, nonnisi hominum cordibus seu animis suspiret, interpellet, clamet. Unde Apostolus alibi nos ipsos clamare dicit Abba Pater in spiritu, id est, per spiritum Rom. VIII. 15. Ibidem eundem spiritum spiritui nostro attestari dicit quod simus filii Dei. At quomodo attestatur nisi per nostram propriam mentem & cogitationem? Et si persona proprie dicta esset, isque Deus ipse, an interpellaret pro nobis? an pro nobis gemeret & suspiraret? Et quem alium obsecro clamaret Patrem, si ipsemet Deus ille unus esset? Similem huic nostro locum habemus Act. 2. 4: *Et impleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui peregrinis linguis, sicut spiritus dabat illis eloqui.* Atqui spiritus iste divinus erat afflatus ℣. 2, quo impleti sunt omnes, quatenus quisque ex illo tantum hausit quantum capere potuit, quique etiam in specie ac forma divisarum & flammantium linguarum ipsis visus est. An vero hæc in personam proprie dictam cadunt? Quomodo igitur dedisse dicitur eloqui pro suo arbitrio ac voluntate, nisi improprie? Et miremur Christum, postquam ante suam mortem de Spiritu Sancto tanquam de Peracleto & Magistro vicem suam obituro locutus esset, & post resurrectionem iterum se cum a Patre missurum promitteret, cum jam ascensurus esset in cælum mandasse Apostolis ut discipulos facerent, eosque in nomen Patris, qui unus ille Deus est, & Filii, qui ipse is est, & Spiritus Sancti, Paracleti istius & Magistri, baptizarent, non quod is ab Apostolis, multo vero minus a Patre & Filio persona distinctus esset, sed quod Apostoli Spiritu Sancto afflati docerent, & sic constaret Christi doctrinam Spiritum Sanctum habere auctorem, non homines, qui ideo plures erant, ut eos ab uno spiritu regi constaret. Non igitur ex talibus locutionibus inferendum est Spiritum Sanctum esse proprie dictam personam, ipsumque Deum. Quid enim ex talibus loquendi modis non concluderemus, quorum non scripta tantum sacra, sed & profana omnia tam scripta quam dicta plena sunt? Cur loci antecedentia non considerant, in quibus Apostolum de Spiritu Sancto tanquam de divino afflatu loqui omnia docent, ut ostendimus? Cur tam repente divinam personam ex illo faciunt, & non potius figuratum loquendi eumque usitatissimum modum agnoscunt? Cur non meminerunt longe plura de Spiritu Sancto dici, quæ personæ divinæ, ac ne personæ quidem ulli competunt? Cur inquam non meminerunt, eum virtutem ex alto nominari, eum effundi, aut ex illo effundi, eum in partes dividi, distribui, exstingui, Prophetis subjici, & secundum plures Prophetas plures spiritus appellari, dici eum arrhabonem futuræ hæreditatis, signaculum in diem redemptionis, eum nondum fuisse quia Jesus nondum esset glorificatus, eo homines ungi, & quæ non alia in sacris literis de Spiritu Sancto affirmari? Ut et mox infra loquitur Apostolus nos in uno Spiritu baptizatos & potatos esse? ℣. 13. Quis vero sic de persona proprie dicta loquatur, ut eam aquæ in qua baptizemur & potui quem potemus assimilet? An vero & ipsius Joannis Baptistæ discipuli interrogati, num Spiritum Sanctum accepissent, ne quidem se audivisse an Spiritus Sanctus sit, respondissent? An Christus ipse sufflans in discipulos dixisset, accipite Spiritum Sanctum? Neque enim Christi afflatus ille alius opinor fuit quam sanctus & divina virtute imbutus, qui etiam in illorum sermonibus, Christo in cælum recepto, protinus sese prodidit, cujus deinde exundantem copiam in die Pentecostes acceperunt cælitus à Christo in se effusam. Cur Christus dixisset, nemo novit Filium nisi Pater, & Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare, si Spiritus Sanctus distincta à Patre & Filio persona proprie loquendo esset, & idem qui Pater & Filius Deus? Cur idem in Patris &

in sui cognitione vitam æternam sitam esse dixisset, omissa tertia Spiritus Sancti proprie dicta persona? Cur solum Patrem diem judicii scire dixisset, semotis ab istius diei notitia & hominibus & Angelis & ipso Filio? an tertiæ istius personæ non meminerat? Aut cum se coram Patre & sanctis Angelis confessurum dicit eos qui se confiterentur coram hominibus, an debuerunt Angeli nominari, & tertia Spiritus Sancti persona omitti? Quod & aliis fit in locis, in quibus inter enumerationem omnium cælestium, imo & terrestrium personarum, nulla fit mentio Spiritus Sancti tanquam proprie dictæ personæ. Nec mirum: est enim vel insita Dei virtus, vel ex Deo profecta & aliis communicata. Spiritui Sancto tribuitur quod ea quæ Dei sunt norit, quod scrutetur Dei profunda, sed simul ab ipso Deo distinguitur, & cum spiritu hominis qui in homine est confertur, & ex Deo esse & communicari hominibus dicitur; proinde spiritus hactenus ea quæ Dei sunt novisse dicitur, quatenus illa Deus novit per spiritum suum, sicut & spiritus hominis novit ea quæ sunt hominis, quatenus illa novit homo per spiritum suum, hactenus profunda Dei scrutatur, quatenus homines per spiritum quem ex Deo acceperunt, illa scrutantur, qua de re pluribus egimus supra cap. 2. 10, 11. Qui Spiritum Sanctum divinam proprie loquendo personam ipsumque Deum esse dicunt, vel unum proferant ex universa Scriptura locum quo diserte Deus sit dictus? An rem tantam ex consequentiis aut loquendi modis, qui omnes rectissime divino competunt afflatui, volunt adstruere? Scripturane quæ nihil aliud loquitur quam Deum, eum qui Deus sit, aperte & semper non dixisset Deum? Quam hoc absurdum foret, ut sciremus eum qui Deus sit Deum esse, oportere ut id ex consequentiis & certis loquendi modis Scripturæ disceremus? Tanto vero magis, quod longe frequentius, ut dictum est, Scriptura iis loquendi modis de Spiritu Sancto utatur, ex quibus illum non tantum divinam personam proprie loquendo ipsumque Deum haud esse, sed ne personam quidem ullam esse luculenter appareat. Sed quid mirum homines deserta semel veritate magis magisque ruere in devia, qui si verum Dei Filium agnovissent, vel potius in illius cognitione permansissent, nunquam tertiam hanc unius Dei personam induxissent. Hæc igitur ut concludamus, Apostoli verba de Spiritu Sancto dicta sunt eo sensu, qui divino afflatui conveniat, proinde per metaphoram & per figuratam locutionem, qua instrumento tribuitur actio causæ principalis, aut qua in modum personæ inducitur qui persona non est, quippe qui in nobis instar ipsius Dei & Christi sit, cujusque operationes omnes & donorum divisiones à Dei & Christi voluntate dirigantur. Itaque Spiritus Sanctus distribuit cuique sicut vult, quia Deus per ipsum distribuit sicut vult, sic gladius Dei interimit quem vult, quia Deus per illum occidit quem vult, oculi aspiciunt quo volunt, pedes eunt quo volunt, manus faciunt quod volunt, lingua loquitur quæ vult, & similia multa, manus etiam dicuntur oculatæ, credunt quod vident, quia hæc omnia facit causa principalis, cujus instrumenta sunt oculi, pedes, manus, lingua. Significat Apostolus ita Spiritum Sanctum omnia operari, ut in diversis operetur diversa, & in his hæc non illa, in illis non hæc sed illa, & agat ad similitudinem eorum qui dona sua cuique seorsim distribuunt sicut volunt, ut omnes quidem habeant omnia, sed non quilibet omnia, & ut quisque habeat id quod illum habere suorum donorum auctor & distributor voluit.

Vers. 12. *Sicut enim corpus unum est.* Merito hoc fieri docet Apostolus, similitudine sumpta a corpore, cui eleganter comparat ecclesiam Christi.

Et membra habet multa. Omnia autem membra corporis unius quamvis sint multa, unum sunt corpus, sic & Christus. Id est, sic & Christi corpus, quod est ejus ecclesia ℣. 27. Christus ponitur pro suo corpore, per synecdochen totius metaphoricam. Intelligitur enim corpus Christi mysticum & improprie dictum. Christus etiam pro Christianis non minus recte dicitur, quam Israël pro Israëlitis: quasi dicat Apostolus, sic & ecclesia Christi unum sociale corpus est, & multa habet socialia membra, seu Christianos multos diversis donis instructos & usibus diversis aptos. Omnia autem hæc membra quamvis sint multa, id est, omnes autem Christiani quamvis sint multi & diversis instructi donis, usibusque diversis apti, unum sociale corpus sunt.

Vers. 13. *Etenim in uno spiritu.* Probat omnes Christianos unum corpus esse. Quia, inquit, *nos omnes*, nempe Christiani, *in uno spiritu*, nempe sancto,

Baptizati sumus. Tanquam in flumine. Spiritus Sancti copiam & abundantiam notat. Hinc idem Apostolus Spiritus Sancti lavacrum dicit, quem Deus effudit in nos abundanter per Jesum Christum Servatorem nostrum Tit. III. 6. Et Joannes Baptista de se & de Christo, *Ego*, inquit, *baptizo vos in aqua, sed qui post me venit, baptizabit vos in Spiritu Sancto & igne* Matth. iij. 11. Quasi dicat Apostolus, tantam copiam Deus per Christum Spiritus Sancti in nos profudit, ut in illo tanquam in flumine baptizati & mersi fuerimus. Vide hic loquendi modum de Spiritu Sancto, qui an de persona proprie dicta, & quæ Deus ipse sit, usurpari queat, cuivis sobrio judicandum relinquo. Ad dona hic confugere non datur, agitur enim de uno eodemque spiritu, non de solis donis quæ varia sunt & multiplicia. Et si hoc & aliis locis similibus Spiritus Sanctus, quæ persona sit divina ipseque Deus, intelligi non potest, nulla causa erit ut usquam intelligatur, cum omnia alia loca non minus quam iste de divino accipi possint afflatu.

In unum corpus. Id est, ut unum simus corpus, ut in unam societatem omnes coëamus, ideo in uno spiritu baptizati & mersi fuimus. Hic unus spiritus in unum corpus ac societatem conjungere & unire nos debet, ut alii aliorum membra simus, & pro suo quisque dono alii aliis inserviamus. Notetur hic aliquem baptizari posse in id quod persona non est. Sic & Joannis Baptistæ discipuli dicebant, se in baptisma Joannis baptizatos esse, id est, ut illius essent sectatores. Notetur & vis phraseos baptizari in aliquem, esse baptizari ut ejus sectator & discipulus sis. Notetur & baptizari non esse leviter aut aliquatenus adspergi, præsertim baptizari in aqua, sed esse in aqua mergi, & sic totum ablui, atque hunc debere

esse

esse baptismi ritum integræ puritatis symbolum.

Sive Judæi sive Græci, sive servi sive liberi. Quasi dicat, nihil refert quod alii simus Judæi gente, alii Græci, alii conditione servi, alii liberi, omnes in uno spiritu sine discrimine sumus baptizati, omnes etiam unum corpus, una societas, una ecclesia debemus esse. Duas tantum gentes & duas conditiones hic nominavit; (alibi plures nominat.) sed, per synecdochen, omnes intellexit. In Christo Jesu omnes sunt unus, & omnia in omnibus Christus Gal. III. 27, 28. Col. III. 11. Non attenditur ad hæc discrimina in Christi ecclesia, una fides, unum baptisma, unus spiritus, unus Dominus, unus Deus & Pater omnium, una spes & hæreditas spectatur.

Et omnes in unum spiritum. Id est, in uno spiritu. Εἰς pro ἐν usitate, idque redundat, utrumque Hebræa phrasi.

Potati sumus. Quasi dicat, non tantum omnes in uno spiritu baptizati, & sic illo largissime profusi in eoque mersi sumus, sed omnes illo potati sumus. Transivit hæc cælestis aqua penitus ad animas nostras, non in solis exterius hæsit corporibus, qua animæ nostræ potatæ & repletæ sunt, adeo ut hæc aqua facta sit in animis nostris fons aquæ salientis in vitam æternam Joan. IV. 14. Intellige autem ἓν σῶμα, *in unum corpus.* Cum autem istius cælestis aquæ tanta sit vis, tanto magis per illam omnes in unum corpus conjungi debemus. Hic iterum vide modum loquendi de uno Spiritu Sancto. An vero persona proprie dicta bibi dicitur unquam ab omnibus, eo nimirum sensu, ut quilibet partem illius hauriat, sicut Spiritus Sancti cœlestis istius aquæ quisque partem hausit, & spiritui animæque suæ conjunctam habet?

Vers. 14. *Etenim corpus non est unum membrum.* Rationem affert ob quam omnes in uno spiritu baptizati eoque potati sumus in unum corpus, quia scilicet, si corpus esse debuit, unum esse membrum non debuit, sed multa, proinde etiam non unus aliquis in spiritu baptizari & illo potari debuit, sed multi, adeoque omnes qui corpus erant constituturi.

Sed multa. Scilicet est, membra, id est, ex multis membris constituitur, non ex uno.

Vers. 15. *Si dicat pes.* Ex eadem hac similitudine occurrit porro illis qui tristentur & animum despondeant vel indignentur, quod non æque præstantia dona sint adepti quam alii, & sic aliis invideant. *Si dicat pes quia non sum manus:* Quasi dicat, quæ me præstantior est.

Non sum ex corpore? Id est, *ideo non sum ex corpore*, per ellipsin particulæ illativæ: quasi dicat, frustra me corporis membrum putem. Introducit pedem, ut & aurem in sequentibus loquentem, ad majorem emphasin, ut fieri solet in ejusmodi Apologis, inter quos erat & insignis ille Menenii Agrippæ de ventre & aliis corporis partibus, quo populum Romanum a secessione reduxit in urbem, & senatui reconciliavit.

Non propter hoc non erit ex corpore. Id est, non propter hoc quod manus non sit, non erit membrum corporis idque valde necessarium. Erret vehementer si propterea se corporis membrum esse non existimet, & sic vel tristetur, vel suæ sorti succenseat & manui invideat. Ostendit male pedem argumentaturum esse, si ex eo quod manus non sit concludat se membrum non esse corporis.

Vers. 16. *Et si dicat auris, quia non sum oculus, non sum ex corpore, non propter hoc non erit ex corpore?* Quod in pede ad manum collato monstravit, etiam in aure monstrat ad oculum comparata. Oculus enim aure videtur nobilior. Hac similitudine docet eos qui in ecclesiæ corpore pedis non manus, auris non oculi rationem habent, id est, minus præstantia quam alii Spiritus Sancti dona sunt adepti, idcirco corporis Christi quæ ecclesia est membra non esse, eaque valde utilia & necessaria, ideoque nihil ob id animo turbari debere.

Vers. 17. *Si totum corpus oculus, ubi auditus?* Docet quam hoc absurde fieret si omnes idem donum haberent quod cæteris videretur præstantius, id est, si omnium corporis membrorum quodlibet esset oculus, *ubi esset auditus?* Usum exprimit auris, eumque valde necessarium; atque haud scio an visu utiliorem & magis necessarium, cum magis per auditum animus excoli possit disciplinis, & inprimis Christi notitia quam per visum. Fides enim est ex auditu, inquit idem hic Apostolus. At auditus instrumentum est auris. Si igitur auditus in corpore debuit esse, debuit etiam & auris esse.

Si totum corpus auditus, id est, auris, *ubi olfactus?* Id est, instrumentum olfactus, qui itidem corpori & ad sanitatis conservationem, & ad recreationem valde utilis & necessarius est. His occurrit Apostolus, qui si non prima adepti sint dona, attamen proxima primis habere se debuisse existiment, si non sint oculi, at aures saltem ut essent æquum fuisse.

Vers. 18. *Nunc vero Deus.* Quasi dicat, nunc vero non sic Deus egit, ut totum corpus esset oculus vel auris.

Sed posuit membra, unumquodque ipsorum in corpore sicut voluit. Id est, posuit in corpore membra diversa ac varia, & unumquodque eorum sicut voluit, id est, quod voluit esse oculum fecit oculum, quod aurem fecit aurem, quod manum manum, quod pedem pedem, & sic in cæteris omnibus. Sic & in ecclesiæ corpore varia & diversa posuit membra, unumquodque ipsorum sicut voluit: quem voluit esse Apostolum fecit Apostolum, quem Prophetam Prophetam: eodem modo in reliquis membris, quale quemlibet membrum esse voluit tale ipsum fecit.

Vers. 19. *Si autem essent omnia unum membrum.* Quasi dicat, si autem non sic fecisset Deus ut fecit, omnia membra unum essent membrum, puta oculus vel auris.

Ubi corpus? Id est, ubi esset corpus quod ex diversis & multiplicibus constat membris?

Vers. 20. *Nunc vero.* Quasi dicat, non ita se res habet, ut omnia membra unum sint membrum, sed contrario modo.

Multa quidem membra, intellige, *sunt*, *unum autem corpus*, intellige, *est*. Ex multis membris compositum.

Vers. 21. *Non potest autem oculus* &c. In eadem perseverans similitudine docet eos qui præstantia

dona consecuti sunt, nullo jure contemnere posse & negligere minus præstantia adeptos. *Non potest autem oculus*, intellige, quamvis sibi videatur præstantior. *Non potest*, intellige ullo jure ac veritate. Nam quæ nobis contraria sunt, ea facere non posse dicimus. Nam alias in hac similitudine ponitur oculos & reliqua membra posse loqui.

Dicere manui: non indigeo tui. Quantos enim usus corpori præstat manus, qui etiam in oculos redundant.

Aut iterum. Quasi dicat, rem eandem explicando.

Caput pedibus. Quasi dicat, quamvis caput sit summum in corpore, pedes imum, caput omnibus aliis præstet membris & emineat, pedes reliquis omnibus subjecti sint.

Non indigeo vestri. Intellige χρείαν ὑμῶν, *non potest dicere.* Quam enim capiti male esset sine pedibus? Sic & præstantissimis in ecclesia membris male esset sine iis quibus minora & non æque præstantia sint dona.

Vers. 22. *Sed multo magis quæ existimantur membra corporis infirmora esse, necessaria sunt.* Quasi dicat, non tantum hoc verum non est, ut membra quæ minus existimantur præstantia non sint necessaria, sed etiam multo magis sunt necessaria quam quæ existimantur præstantissima, verbi causa, quod oculus inter membra præstantius, & tamen podex magis est necessarius quam oculus?

Infirmiora dixit, pro minus præstantibus, per metonymiam causæ. Infirmiora enim minus solent esse præstantia. Nec frustra existimari dixit infirmiora seu minus præstantia esse, quia plus sæpe in talibus valet existimatio & opinio quam res ipsa.

Vers. 23. *Et quæ existimamus inhonoratiora esse corporis.* Docet quomodo agamus cum membris, quæ putamus inhonoratiora in corpore esse, ut eadem ista similitudine doceat, quomodo erga fratres, quibus minor tributus a Deo videatur esse honor, gerere nos debeamus, id est, quæ corporis membra minus honoris à natura adepta esse censemus.

Iis honorem abundantiorem circumponimus. Intellige, quam aliis membris, quæ putamus ab ipsa natura magis esse honorata. Sic faciei & manibus honoratissimis membris nullum accessorium circumponimus honorem, at reliquum corpus ejusque membra contegimus, non tantum ad necessitatem sed etiam ad honorem & dignitatem.

Et indecora nostra. Id est, quæ habemus natura sua in corporibus nostris indecora.

Decorem abundantiorem habent. Intellige quam ea quæ per se decora sunt in corpore nostro. Habent autem nostro studio & cura, dum ea decore contegimus.

Vers. 24. *Decora autem nostra*, ut facies, ut manus, *opus non habent.* Intellige, ut ea condecoremus.

Sed Deus contemperavit corpus. Id est, omnia illius membra inter se coæquavit.

Deficienti. Nimirum naturali decore.

Abundantiorem dans honorem. Intellige, quam illi quod natura decorum est. Ita enim paria sunt reddita inter se membra, dum illud naturalem decorem habet, artificialem non habet, hoc artificialem habet quamvis naturalem non habet. Deo tribuit etiam illa quæ instinctu naturæ & per artem fiunt, quale est inhonestiores corporis partes contegere, quia & ars a Deo est, & materia in qua exercetur ars, quæ hominum artificio fieri non poterant, ut animalia, herbæ & similia, hæc Deus ipse fecit, sed quæ ab hominibus fieri poterant, ad ea facienda hominibus intellectum dedit, & manum & materiam. Equum, verbi causa, cum homo facere non potuit, sed potuit facere currum, illum ergo Deus fecit, hunc homini faciendum reliquit. Triticum fecit Deus, sed homo ex tritico facit farinam & panem. Lanam Deus fecit, sed homo ex lana facit vestem, & sic in omnibus. Ex Deo tamen sunt omnia, sive quæ natura fiunt, sive quæ per artem ad hominum usum.

Vers. 25. *Ut non sit scissura in corpore.* Si nimirum unum membrum esset honoratum, alterum sine ullo honore. Inæqualitas enim nimia scissuras, id est, seditiones & secessiones facit hominum inter se consociatorum.

Sed idem. Id est, sed ut idem, particula τὸ αὐτὸ intellecta.

Pro se invicem solicita sint membra. Id est, ut commune inter se bonum curent, & societatem ament mutuam. Idem enim curant qui commune bonum curant, diversa curant quorum quisque neglecto alio sibi tantum privatim consulit ac prospicit.

Vers. 26. *Et sive patitur unum membrum, simul patiuntur omnia membra.* Effectum exprimit istius mutuæ membrorum inter se solicitudinis, ex æqualitate illa & contemperatione membrorum provenientis.

Sive glorificatur. Id est, honoratur, ornatur. *Unum*, membrum.

Simul gaudent omnia membra. Cujusque membri sive malum sive bonum, omnia membra ad se revocant & suum esse putant.

Vers. 27. *Vos autem estis corpus Christi.* Intellige, ne quis dicat, quid hæc ad nos quæ fiunt in corpore? Maxime pertinent hæc ad vos Christianos qui conjunctim omnes estis corpus Christi, non vulgare aliquod corpus, sed Christi corpus, cujus caput est ipse Christus, corpus & societas omnium sanctissima.

Et membra ex parte. Id est, & particulatim quisque vestrum membra estis istius corporis. Talis igitur & inter vos æqualitatis contemperatio debet esse, talis amor, talis concordia, tale in commune studium, communia debent esse vestra & mala & bona.

Vers. 28. *Et hos quidem posuit Deus in ecclesia.* Enumerat diversa ecclesiæ membra, ut ecclesiam corpus, quemlibet autem in particulari membrum esse appareat. *Et hos quidem.* Quasi dicat, non omnes.

Posuit Deus in ecclesia. Id est, constituit tanquam membra in corpore.

Primum, id est, primo loco, *Apostolos.* Id est, homines ab ipso Christo immediate ad prædicandum Euangelium missos, id enim vox Apostoli significat; proinde resurrectionis & vitæ ejus post mortem oculatos testes, ac præ cæteris omnibus virtute Spiritus Sancti instructos. Locus hic docet Apostolos

los officii dignitate pares inter sese fuisse, nec ullum inter ipsos fuisse Papam, cui cæteri tanquam suo capiti subjecti essent. Si enim tale aliquod caput inter Apostolos fuisset, quod in eos & consequenter in ecclesiam universam dominatum haberet, an illius hoc loco mentionem Apostolus omittere potuisset? Tanto vero magis, si etiam ultra Apostolos caput istud omnibus ad mundi finem seculis duraturum erat? Unde igitur hoc inter Episcopos caput enatum est? Unus est ecclesiæ Dominus & caput & sponsus ac maritus Christus, qui nullum hactenus vicarium habet nec habere potest. Qui hoc sibi arrogat, & ecclesia quæ se illi ut tali subjicit, eumque admittit, viderint quid agant.

Secundo Prophetas, pro *hos vero*, ὓς δὲ, *secundo Prophetas*. Per ellipsin particulæ distributivæ. Præcessit enim οὓς μὲν, idque etiam ut intelligatur, scopus requirit Apostoli, qui est docere alios non esse Prophetas, sed alia aliqua ecclesiæ membra: proinde & in sequentibus membris eadem distributiva particula debet intelligi. Prophetis secundum post Apostolos locum tribuit, quod illi post Apostolos maximam rerum divinarum notitiam haberent. Unde etiam in ecclesiæ fundamento conjunguntur Apostolis Eph. 2. 20.

Tertio Doctores. Qui scilicet ea quæ ab Apostolis & Prophetis didicerunt aliis proponunt & exponunt, quorum in numero etiam Euangelistas includit Eph. IV. 11.

Deinde virtutes, δυνάμεις, potentias. Id est, opera stupenda, quæ potentias appellat, per metonymiam causæ, quod ad ea patranda maxima requiratur potentia. Intelligit autem simul & ipsos homines per quos opera ista patrabantur, per metonymiam effecti. Vide quam non tantum Prophetis sed etiam Doctoribus postposuerit Apostolus stupenda opera. Nimirum utiliora præposuit speciosioribus, ut & Corinthios fratres hac in re sapere doceret. Vide cap. XIV.

Post, dona sanationum. Quinto loco ponit sanationes miraculosas & solo contactu. Dona sanationum dixit, ut supra ℣. 9, pro donis quæ sunt sanationes, per genitivum speciei vel differentiæ. Simul & hic intelligit ipsos homines miraculose sanantes, per metonymiam effecti, vel habentes dona sanationum, ut ℣. 30 loquitur, per metonymiam adjuncti.

Opitulationes. Sexto loco, per eandem metonymiam, designat homines opitulantes, Diaconos ut arbitror. Nam & hoc officium requirebat singulare Spiritus Sancti donum. Unde septem illi Diaconi eliguntur ex viris Spiritu Sancto & sapientia plenis Act. VI. 3, 5.

Gubernationes. Septimo loco significantur homines gubernandæ ecclesiæ idonei, eadem metonymia effecti pro causa. Gubernant ecclesiam qui ecclesiæ semper adsunt auctoritate & consilio, ut jam salvam & incolumem ac bene constitutam præstent, & rebus in dubiis prudenter expediant, quod etiam peculiare Spiritus Sancti donum erat.

Genera linguarum. Ultimo loco ponit hoc donum, quod Corinthii fratres ambibant inter prima, ut ex cap. XIV videre est. Intelligit linguas diversorum generum, & consequenter homines donum hoc habentes ut varii generis linguis loquerentur, aut saltem eas interpretarentur, quamvis eas nunquam didicissent.

Vers. 29. *Num omnes Apostoli? Num omnes Prophetæ? Num omnes Doctores? Num omnes potentiæ?*

Vers. 30. *Num omnes dona habent sanationum? Num omnes linguis loquuntur? Num omnes interpretantur?* Intellige haudquaquam. Docet hæc omnia diversos inter Christianos esse divisa, ut non omnes sint vel Apostoli, vel Prophetæ &c, sed aliqui tantum horum singula, & sic alii hoc sint, alii aliud, alii hæc habeant dona, alii alia, ut fit in membris corporis, quorum quodque suam habet peculiarem operationem Rom. XII. 4, ubi etiam eandem tractat ecclesiæ cum corpore comparationem. Hæc omnia eo pertinent, ut Christiani intelligant sic omnino fieri debuisse, quo alii aliorum indigentes ope, in mutuam societatem & amorem conspirent.

Vers. 31. *Ambite autem dona præstantiora.* Quasi dicat, cum omnia dona nemo vestrûm habere possit, hoc vobis liberum est, ut minora adepti dona, ambiatis majora & præstantiora. ζηλοῦτε, per metonymiam causæ, pro ambite. Zelus enim seu affectus ille quo posteriores esse nolumus, causa est ambitus qui in Christianis sanctus est: neque enim in vana tendit, neque ut alium bonis aliquibus dejiciamus, sed ut & nos iis potiamur. Ambiuntur autem hæc dona non apud populum & homines, sed apud Deum & Christum, precibus ac votis ardentibus & sanctis moribus.

Et adhuc, id est, insuper, *secundum excellentiam*, id est, excellentem, *viam*, intellige, dona præstantiora consequendi, *vobis monstro*, nempe in sequentibus. Charitatem intelligit, quæ vere excellens via est. Nam non tantum via est excellentissima divina dona consequendi, sed etiam ipsam salutem æternam, adeo ut etiam omnibus spiritualibus donis, & aliis Christianæ pietatis partibus, fide nimirum ac spe, multo sit præstantior.

CAPUT XIII.

Vers. 1. *Si linguis*, id est, sermonibus, per metonymiam causæ, *hominum*, intellige omnium, *loquar*, nempe quoties velim & opus sit. Quia charitatem in sequentibus commendat, & omnibus spiritualibus donis anteponit, hinc apparet viam istam excellentem, quam se monstrare dicit, charitatem esse.

Et Angelorum. Quasi dicat, non hominum tantum. Angelorum linguas dicit, non quod Angelorum aliquæ sint linguæ; (linguæ enim in futuro seculo etiam in hominibus cessabunt ℣. 8) sed si essent. Loquitur per sermonis excessum quendam, & ad homines comparate. Loquuntur quidem etiam Angeli, cum speciem sumunt hominum aut hominés alloquuntur, sed humanis vocibus. Apostolus autem dicit, etiamsi loqueretur linguis Angelorum propriis, & ab hominum linguis & sermonibus distinctis, si nimirum essent ῥητά, tamen in cælis dari hominibus ἄρρητα docet locus 2 Cor. XII. 4.

Charita-

Charitatem autem non habeam. Id est, benevolum erga homines affectum cum ejus effectis. Neque enim charitas esse debet, aut etiam esse potest, si vera sit, simulata, sterilis.

Factus sum as sonans. Id est, sicut æs sonans, æri sonanti similis, per ellipsin particulæ similitudinis, Hebræa phrasi. Intelligit tubam aut aliud aliquod instrumentum musicum ex ære factum.

Aut cymbalum tinniens. Eadem phrasi, id est, aut cymbalo tinnienti similis. Docet si charitatem non habeat, quamvis omnes linguas, non humanas tantum sed etiam Angelicas, si darentur, haberet, iisque loqueretur, nihil aliud in se laudari posse, quam voces & sonum seu sermonem, tantundemque hac ex re utilitatis & emolumenti, quod ad salutem æternam attineat, se sensurum esse, quantum æs sonans vel cymbalum tinniens quod sonet vel tinniat. Charitas igitur est illa excellens via, quam se monstrare Corinthiis fratribus dixit. Ita Apostolus a speciosis & sonoris Corinthios fratres ad vera ac solida bona vocat. Eleganter autem de seipso potius quam de aliis & hic & in sequentibus loquitur, ne aliis facere videatur injuriam, cum tamen quilibet exemplum ejus ad se revocare debeat, & cogitare, si hoc in tanto Apostolo verum sit, quanto magis quolibet in alio?

Vers. 2. *Et si habeam Prophetiam.* Ad alia progreditur Spiritus Sancti dona, & idem de iis pronunciat. Prophetia donum ingens erat Spiritus Sancti, & ipso per se linguarum dono præstantius. Ideo & Prophetas secundo post Apostolos loco collocari vidimus cap. XII. 28: quid autem hoc donum contineat, statim explicat.

Et sciam mysteria omnia. Prophetia igitur in scientia mysteriorum seu arcanorum, nempe Dei, posita erat. Apostolus autem prophetiam in summo gradu accipit, nempe pro scientia omnium Dei mysteriorum. Et tamen neque hanc effecturam ait ut ipse sit aliquid, si charitatem non habeat: quanto minus igitur id efficiat prophetia, quæ infra hunc summum gradum longe subsistat.

Et omnem cognitionem, intellige, *habeam.* Ita ut nihil usquam sit quod me lateat.

Et si habeam omnem fidem. Tertium commemorat Spiritus Sancti donum, fidem admirabilium operum effectricem, de qua cap. XII. 9, qua scilicet credimus Deum ad dictum aut factum aliquod nostrum ingens aliquod miraculum patraturum esse, quæ fides ut vera non vana sit, nemini potest inesse nisi per inspirationem Sancti Spiritus, & consentientem huic inspirationi cujusque animum. Nam animo repugnante fides hæc nulli inerit. *Omnem fidem*, dicit, propter plurima quæ fidei hujus esse possint objecta. Nam aliud atque aliud objectum, aliam atque aliam numero requirit fidem.

Ita ut montes transferam. Quasi dicat, ita ut non tantum alia miraculosa opera per fidem faciam, sed etiam montes per eam ex uno loco in alium transferam, aut in profundum maris dejiciam. Accepit hoc Apostolus ex ipsius Christi verbis Marc. XI. 23. Etiamsi vero loquatur Apostolus de fide per quam patrantur miracula, tamen multo magis id intelligendum est de fide per quam Christiani reddimur, qua scilicet ex Dei verbo credimus datum nobis a Deo per Christum iri vitam æternam, &, quamvis interea moriamur, etiam ex morte resuscitatum nos iri ad capessendam vitam æternam, dummodo malis operibus valedicamus, & charitatem in omnes exerceamus. Res enim ipsa docet, hanc fidem, charitatis conditionem annexam habentem, nisi in charitatem & conditionis annexæ executionem abeat, non fore etiam ad afferendam nobis vitam æternam efficacem. Itaque cum fidei justificatio & salus adscribitur, semper id cum secuturæ charitatis & sanctitatis conditione intelligitur, si nimirum post auditum Euangelium, & causam habendæ fidei præbitam, vita etiam ad mores emendandos suppeditet. Nam opera quæ à comparanda nobis justificatione excluduntur, partim opera significant ante fidem Euangelio adhibitam facta, partim etiam opera per fidem & post fidem facta, quatenus nullius opera tanti sint & tam perfecta, ut iis debeatur ex Lege justificatio, nisi summa Dei accederet gratia, justitiam imputantis ob fidem sibi habitam, & pro virili cujusque, per charitatem & bona ac sancta opera, idque longe ultra Legem litarali sensu exercitam. Atque hac ratione pulchre conciliantur Scripturæ, quarum aliæ hominem ex operibus justificari negant, aliæ affirmant. Utrumque enim verum est, sed alio atque alio sensu. Nam qui simpliciter & quocunque sensu bona opera excludunt a causis salutis, Scripturæ contradicunt universæ, & egregio compendio tollunt omne serium & ardens bonorum operum studium, quod tamen omni sua gratia per Euangelium patefacta nobis inserere Deus voluit 1 Tim. 1. 5. Tit. 2. 14. III. 8.

Charitatem autem non habeam. Proinde charitatis opera non faciam.

Nihil sum. Quasi dicat, etiamsi montes transferam, & admiranda alia faciam opera omnia, tamen nihil sum. Nimirum & diabolus miracula facere potest, sed quia malus est, & charitatem non habet, nihil est, quia nihil futurus est. Vere omnia nihil sunt quæ aliquando interitura & nihil futura sunt. Talia omnia & Salomon vanitatem vanitatum esse dixit. Significat Apostolus nihil sibi fidem omnem, miracula omnia, ad salutem æternam profutura, si sibi charitas & bona opera desint. Præstant igitur hactenus charitatis opera miraculis omnibus. Nec immerito. Miracula enim Dei sunt opera: at Deus ad obtinendam a se salutem requirit a nobis nostra. Huc pertinet & ipsius Domini dictum Matth. VII. 22, 23.

Vers. 3. *Et si erogem in cibos pauperum* (ψωμίζω) *omnia quæ habeo.* Miraculis seu Dei operibus addit & sua, eaque valde ardua, & tamen docet, neque hæc si ea faciat & charitatem non habeat, sibi prodesse. Quisque sua diligit, nec iis facile se privat, ut ea concedat & quidem omnia aliis, præsertim pauperibus, a quibus nullam compensationem speret, ipse vero interea proprio labore vitæ necessaria sibi quærat. Ideo qui hoc faciat arduum & præclarum, & ab ipso Christo laudatum & imperatum opus, faciat ad habendum in cælis thesaurum Luc. XII. 33, cui & in adolescentis illius exemplo singulare præmium in cælis proposuit Matth. XIX. 21. Quod & Pharisæos

risæos facere jussit ad purganda delicta Luc. 12. 41.

Et si tradam corpus meum. Aliud opus commemorat magis adhuc quam prius arduum, Magnum est tradere suas facultates in pauperum usum: at majus est tradere suum corpus, & illo sese privare. Corpus enim cuique gratius est quam facultates quæ sunt propter corpus, & quo amisso facultates nullius sunt usui.

Ut ustuler. Quasi dicat, non tantum ut eo priver leviori aliquo modo, sed etiam ut eo priver per ustulationem, & sic per maximos cruciatus. Non intelligit autem temerariam & stultam traditionem, qualis Gymnosophistarum fuit, sicut nec temerariam & inutilem omnium facultatum abjectionem, sed hanc quidem ut vidimus in pauperum usus, illam autem pro Christo, pro veritate divina, pro justitia.

Et charitatem non habeam. Nempe post istud utrumque patratum opus. Unde intelligitur traditionem istam corporis ad ustulationem sic intelligendam esse, ut eam non sit effectus consecutus. Alioquin enim omnia huic operi delicta donarentur. Sed si quis erogatis in pauperes omnibus facultatibus, & proprio etiam corpore tradito, ut pro Christo ustuletur, Dei tamen providentia conservatus supervivat, & charitatem tantis operibus reliquo vitæ tempore non superaddat.

Nihil juvor. Intellige ad salutem. Ideo cum tantis operibus præmia in cælis singularia promittantur, hoc cæteris, ut ajunt, paribus intelligi debet, sic nimirum ut tantæ fidei tantisque operibus conformis etiam in posterum adsit erga omnes charitas.

Vers. 4. *Charitas longanimis est.* Post tantam charitatis commendationem explicat illius naturam, & docet quantarum virtutum sit mater, ut mirum non sit eam tantopore commendari, & simul ut intelligatur quid ista charitas in se contineat, & continere debeat.

Longanimis est. Charitati longanimitatem ac sequentia omnia tribuit, vel per prosopopoeiam, vel quod charitas faciat ut homo longanimis sit, & sic in cæteris quæ sequuntur omnibus. Ita charitati tribuitur quod homini proprie competit propter charitatem. Μακροθυμεῖ, procul a se arcet iram & furorem, tarda est ad iram. Nam quos amamus, iis non libenter nec facile irascimur ac indignamur. Et amoris affectus contrarius est affectui iræ. Amor vult prodesse, ira vult obesse & lædere, quæ tamen si charitate sit temperata, lædit & obest ut prosit. Docet Apostolus homines irasci faciles seu iracundos charitatem non habere, proinde nihil esse.

Benigna est. Χρηστεύεται, benigne agit & affectu & effectu: benignitas apparet in vultu, in sermonibus, in actionibus omnibus. Recte benignitatem longanimitati conjunxit, quia iracundi & irati benigne non agunt. Vere quos amamus, in eos & benigni sumus. Quid enim charitate benignius? quid suavius? quid amore amabilius?

Charitas non æmulatur, ὐ ζηλοῖ, Affectum notat pravum erga æmulos laudis & dignitatis. Hunc affectum procul arcet charitas, quæ aliorum laudes & incrementa ducit pro suis, & in eorum quos complectitur gratiam, etiam de suis laudibus ac dignitate libenter concedit. Sub hoc zelo & invidia recte intelligitur.

Charitas non agit perperam, ὐ περπερεύεται. Solent enim perperam agere qui zelo pravo ducuntur, dum scilicet aliorum laudibus & dignitati & incrementis obstant. Hoc charitas non facit, quæ potius aliorum laudes & dignitates & commoda promovet quantum potest.

Non inflatur. Id est, non superbit, non se præfert aliis propter aliqua Dei dona & dignitatem. Nam qui tales sunt, eos inflatos & tumidos dicimus. Charitas enim omnia, si quæ præ cæteris habeat, in eorum usus convertit, & habere se credit. Ideo nescit quid sit tumere & alios contemnere. Servit omnibus, neminem despicit.

Vers. 5. *Non agit indecore.* Solent inflati indecore agere, dum alios contemnunt, nec eum quem par est aliorum respectum habent. At charitas sicut ab omni fastu longissime abest, sic & ab omni indecora actione, quæ contemptum alterius aliquem sapiat, vel aliquem possit offendere, omnia decenter agit, ut omnibus placeat.

Non quærit sua. Charitas erga nos ipsos quærit sua: sed charitas erga alios quærit aliena, non sua, id est, aliorum ædificationem, salutem, commoda. Nimirum charitas erga alios, de qua hic agitur, charitatem erga nos ipsos ita temperat ac moderatur, ne nostra commoda quæramus aliorum cum incommodis, nec ita nobis prosimus ut aliis noceamus, aut salutem nostram procuremus ut aliorum negligamus vel impediamus.

Non exacerbatur, ὐ παροξύνεται. Id est, controversias, si quæ sunt, placide tractat, non patitur sese ad contentionis fervorem & acerbitatem adduci.

Non cogitat malum. Nempe alteri, ut fieri solet ex acerbis contentionibus. Charitas semper innoxia est, & non tantum à repræsentatione, sed etiam a cogitatione nocumenti alicujus alienissima. Si alicui non facit bene, certe non facit nec cogitat male.

Vers. 6. *Non lætatur super iniquitate.* Id est, non tantum ipsa nihil iniqui facit, sed etiam non lætatur si quid iniqui fiat ab aliis, si quis ab aliis injuria afficiatur: non dicit, ô quam bene huic homini factum! omnem iniquitatem a quocunque & in quocunque exercitam tristi & dolente animo accipit.

Gaudet autem cum veritate. Rem priori contrariam facit charitas. Veritatem inducit gaudentem Apostolus, cum scilicet aliquid sit verum, id est, justum, rectum, bonum. Veritas enim hic iniquitati seu injustitiæ opponitur, sicut supra malitiæ cap. v. 8. Charitas igitur gaudente veritate & ipsa gaudet, id est, gaudet super omnibus vere dictis & juste factis. Scit enim injuste facta hominibus esse mala, vera autem & recta hominibus esse bona. Charitas autem omnia aversatur quæ hominibus mala sunt. Cupit enim ac desiderat quæ hominibus bona sunt.

Vers. 7. *Omnia tegit.* Quæ scilicet detecta noxam alicui possent adferre, quamvis meritam.

Omnia credit. Quæ scilicet aliquis de se pollicetur, vel alii de aliquo narrat bona. Nam quæ volumus ea libenter credimus. Charitas enim vult & cupit ut omnes boni sint, ideo & libenter id credit.

Omnia sperat. Nempe bona de aliis, etiamsi pollicitationibus vel etiam narrationibus delusa sit, non protinus inposterum adhuc fore melius desperat.

Omnia sustinet. Si omnis spes destituat, superare tolerantia & patientia, qua tanquam scuto omnia adversa, omnes injurias excipit, ne animum ad ultionem & mali pro malo redditionem solicitent.

Vers. 8. *Charitas nunquam excidit.* Commendat charitatem & omnibus donis Spiritus Sancti præfert ex eo quod nunquam excidat, nempe ex rerum censu, id est, semper maneat & duret, etiam in futuro seculo vers. 13. Verbum præsentis temporis contiouationem notat perpetuam. Homines quidem moriuntur, & per mortem fit quædam charitatis in illis pausa, sed vita recepta reviviscet in illis & charitas, quæ cum vita æterna durabit & ipsa in æternum.

Sive autem prophetiæ, destruentur. Contrariam rationem dicit esse donorum Spiritus Sancti, quorum quædam insignia enumerat, ut ex iis ratio sumatur de cæteris.

Sive. Quasi dicat, nihil refert. *Autem.* Quasi dicat, charitas non excidit, Prophetiæ autem excident, id est, rerum futurarum & occultarum annunciationes.

Destruentur καταργηθήσονται. Id est, evanescent, passivum pro neutro, cessabunt, ut mox de linguis dicit.

Sive linguæ, Id est, sermones omnes.

Cessabunt, sive cognitio. Ne quis hanc saltem mansuram dicat, etiamsi omnes linguæ, & consequenter etiam prophetiæ cessent.

Destruetur. Etiam hæc evanescet & cessabit. Loquitur de futuro seculo, in quo nec prophetiis, nec linguis, nec cognitione quæ nunc est, locus erit: at charitas eadem vel maxime vigebit in futuro seculo, licet alia tum illius erit operatio, & futuro illi seculo accommodata. Intelligit autem Apostolus cognitionem rerum, inprimis divinarum, quæ in hoc seculo habetur, & per Spiritum Sanctum hominibus communicatur. Nam ut ex sequentibus intelligitur, cognitio in genere & absolute non tantum non cessabit in futuro seculo, sed tum demum vera erit. Jam vero si hæc cessabunt in futuro seculo, multo magis cessabunt sanationes & alia miracula.

Vers. 9. *Ex parte enim cognoscimus.* Rationem adfert cur dixerit cognitionem destructum iri, quod alioquin paradoxum videatur. Ubi enim major locus erit cognitioni quam olim in seculo futuro? Ob hoc ipsum, inquit, cognitio quam nunc habemus & habere possumus, destruetur & evanescet, quod in locum illius succedet vera & solida cognitio, quæ præsentem hanc abolebit.

Ex parte cognoscimus. Id est, non cognoscimus res perfecte & in solidum.

Et ex parte prophetamus. Quasi dicat, sicut non cognoscimus res perfecte & solide sic neque eas perfecte & solide enunciamus. Neque enim plus esse potest in enunciatione quam in cognitione & scientia.

Vers. 10. *Quando autem venit perfectum.* Id est, perfectio, cognitionis nimirum. Neutrum pro substantivo, more Græco: quasi dicat, quando autem veniet perfecta & solida rerum cognitio, quod in futuro fiet seculo.

Tunc quod ex parte. Intellige *est*, cognitio nimirum imperfecta nec solida.

Destruetur. Id est, abolebitur & evanescet, sicut sole veniente lucerna.

Vers. 11. *Quando eram parvulus.* Exemplo rem illustrat hac ipsa in re, id est, in cognitione & ejus enunciatione.

Quando eram parvulus. Νήπιος hoc loco non prorsus infantem, sed jam balbutientem notat. Ideo vetus interpres bene vertit parvulum. Exemplum sui proponit Apostolus, sed eadem & omnium est ratio.

Tanquam parvulus loquebar. Balbutiebam.

Tanquam parvulus sapiebam. Sicut parvuli sapiunt.

Tanquam parvulus cogitabam. Eas habui cogitationes quales parvuli habent.

Quando autem factus sum vir. Quando parvulus esse desii, & non tantum in puerum, in adolescentem, in juvenem, sed in virum ætate & intellectu plane maturum adolevi,

Destruxi ea quæ parvuli, intellige, *fuerunt.* Id est, ea quæ parvuli fuerant, & illud loqui, illud sapere, illud cogitare, penitus evanuerunt omnia, adeo ut neque meminerit quisquam suum illud loqui, & sapere & cogitare. *Destruxi,* κατήργηκα. *evanescere feci;* sibi tribuit quod naturæ est in quolibet.

Vers. 12. *Videmus enim nunc per speculum.* Rationem adfert ob quam præsentem cognitionem parvulorum cognitione comparaverit, quia, inquit, *nunc*, id est, in hoc seculo,

Videmus. Nempe animo & cogitatione res divinas;

Per speculum. Id est, tanquam per speculum, ellipsi Hebraica particulæ similitudinis: quasi dicat, videmus res divinas non ipsas sed earum tantum imagines. Neque enim ipsarum splendorem mens nostra in hoc mortali corpore posset capere. Speculo nunc habemus opus, quod nobis imagines tantum quasdam rerum divinarum, ipsiusque Dei & Christi referat.

In ænigmate. Id est, tanquam in ænigmate, eadem ellipsi. Aliam similitudinem apponit: quasi dicat, sic videmus res divinas tanquam in ænigmate, cujus solutionem nobis seculum illud futurum & nostra virilis ætas adferet. Quibus ænigma propositum est, vident quidem rei occultæ similitudinem quandam, sed rem ipsam non vident nisi dissoluto ænigmate.

Tunc autem. Id est, in futuro seculo, *tunc*, opponit præsenti, *nunc.*

Faciem ad faciem, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, intellige *videbimus.* Quasi dicat, non per speculum videbimus Dei & Christi faciem, sed *faciem ad faciem*, Id est, facie faciei opposita, sic στόμα πρὸς στόμα. 3 Joan. ℣. 14. *Nunc cognosco ex parte.* Nempe Deum & res divinas, non cognosco perfecte & in solidum.

Tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Nempe a Deo & Christo qui me perfecte novit. Deus & Christus me perfecte novit, ego etiam aliquando Deum & Christum & res divinas perfecte cognoscam.

Vers. 13. *Nunc autem manet.* Quasi dicat, per-

fecta

fecta cognitio olim erit in futuro seculo, nunc autem in hoc seculo

Manet fides. Manere nunc fidem dicit, quia manere debet, & illi locus est in hoc seculo. *Fides*, qua Euangelio credimus.

Spes. Quam ex fide Euangelio adhibita concipimus de vita æterna.

Charitas. Quæ ex fide oritur, & partim spem generat, partim a spe generatur. Quanto enim charitas est major, tanto & spes certior, vicissim etiam, quanto spes certior, tanto & charitas ardentior. Charitas nimirum erga omnes homines, de qua egit, & quam supra sic descripsit, ut omnium virtutum sit compendium, quamque & alibi Legis impletionem esse dicit Rom. XIII. 8, 9, 10.

Tria hæc, intellige, *manent.* Quia manere debent, ut diximus, in hoc seculo omnia. Hæc tria tantum commemorat, quia omnes virtutes ad illa referuntur tanquam ad virtutes cardinales.

Major autem istorum charitas, intellige, *est.* Id est, major quam fides & spes, non tantum sejunctim, sed etiam spe & fide conjunctim. Vide charitatis præstantiam, & an charitas excludenda sit a causis salutis, quamque nihil nobis ad salutem prodesset ipsa per se fides & spes, nisi utrique accederet & charitas! non quia veram fidem necessario sequatur charitas, sed quia etiam charitas suam peculiarem vim habeat efficiendæ salutis 1 Joan. III. 14. Egregie Jacobus exemplo Abrahami Deo credentis & Isaacum offerentis, & sic justificati, adducto, *vides*, inquit, *quod fides cooperabatur operibus ejus.* Quasi dicat, non sola operabatur justificationem, sed cum operibus simul, & ex operibus fides consummata est, seu perfecta reddita, ne scilicet in comparanda justificatione inefficax esset cap. 2. 22. Est quidem ea veræ fidei vis ac natura, ut charitatem generet, quis enim Deo credens se vitam æternam adepturum esse si proximum diligat, non totum se charitati & dilectioni proximi daret? sed tamen quia res hæc laboriosa est, fieri potest ut homo laborem fugiat, & magis moveatur præsenti labore quam olim futuro bono. Ideo ad fidem charitas requiritur tanquam promissioni divinæ apposita conditio, ut ejus impletione consequamur salutem. At qui fidem apprehensione & applicatione meritorum Christi definiunt, non mirum est quod charitatem & omnem in vita moribusque sanctitatem a causis salutis arceant; sed hoc est mirum quod talem fidem sine charitate & bonis operibus esse non posse dicant, com inter talem fidem & charitatem aliaque bona opera omnia, nullum aliud fit, nisi forte solius grati aoimi vinculum: at hoc quam sit infirmum ac debile quis non videt? præsertim si etiam citra grati animi officium salus possit consistere, & applicatio meriti Christi non minus hanc labem quam omnes alias possit eluere. Rem sic se habere quotidiana testatur experientia. Nam cum omnes fidem istam habeant, vix quisquam est qui habeat charitatem. Veræ quam diximus fidei & ad charitatem promovendam efficacissimæ non semper nec in omnibus succedit conatus, quid statuendum erit de ista fide, quę multo plus virium habet ad id, ut qui ea præditi sunt, negligant charitatem, quam, ut eam summo studio consectentur: cum longe magis expeditam rationem adipiscendæ salutis habere se putent, quam ut per charitatis maximos labores, eosque nihil ad salutem profuturos, quin obfuturos etiam, semet fatigent? Deus misereatur hominum, ut tandem quid sit vera fides, & quæ sit vera ratio consequendæ salutis, quæque sit illa salutaris Dei gratia quæ per Christum omnibus hominibus affulsit, intelligant. Sed nimirum tenebras magis amant quam lucem, quia operibus tenebrarum dediti sunt. Et hinc sunt tanta Dei judicia, tot cædes & bella, pulsa prorsus charitate. Nimirum mercedem quam oportuit erroris sui, & aversi a luce veritatis & doctrinæ quæ secundum pietatem est animi, in seipsis recipiunt. Majorem autem, id est, præstantiorem dicit charitatem quam est fides & spes, respiciens ad id quod dixerat ℣. 8, charitatem nunquam excidere. Nam in futuro seculo nec fidei nec spei locus erit: at charitati semper erit, fides cessabit, ubi Deus quæ promisit præstiterit. Nec spei locus erit, præsentibus bonis omnibus. At Deus est charitas, & omnes qui cum Deo vivent, charitas eruor. Habet & hoc charitas præ fide & spe quod nos Deo similes reddat, quod fides & spes non facit.

CAPUT XIV.

Vers. 1. *Sectamini charitatem.* Post tantam charitatis commendationem hortatur Christianos ut eam consectentur, id est, in omnibus suis actionibus observent, neque eam sibi ullo modo elabi & effugere patiantur, tanquam rem ad salutis consecutionem prorsus necessariam.

Ambite spiritualia. ζηλοῦτε, idem verbum quod supra cap. XII. 31 in eadem admonitione. Post adhortationem ad sectandam charitatem, monet eos ut ambiant spiritualia, nempe dona, id est, ut ea quærant cum zelo seu æmulatione quadam, sed sancta & charitatis plenissima, proinde omnis invidiæ & obtrectationis vacua, qua scilicet habere cupimus quæ habent alii, sed quod habeant, non dolemus. Quæruntur enim & ambiuntur spiritualia dona apud Deum, non apud homines: ideoque non malis artibus, sed sanctissima tatione ac modo, per assiduas & ardentes preces ℣. 13, & inprimis per charitatem. Illi enim demum dignos se reddunt cælestium bonorum, id est, spiritualium donorum, qui quammaxime charitate abundant. Ideo & prius ad sectationem charitatis hortatur quam ad quærenda spiritualia, quippe quod charitas via sit excellentissima, ut cap. XI. 31 dixit, eorum assequendorum. Et charitas pertinet ad necessitatem, spiritualia dona ad utilitatem & ornatum. Ideo ut illam sectemur jubet, hæc ut ambiamus monet. Charitas enim nostri officii est, spiritualia dona divini sunt arbitrii & dispensationis. Sine charitate salvi esse non possumus, sine spiritualibus donis in ecclesia ornati & eximii. Cæterum vocem ζηλοῦτε infra ℣. 12 exprimit per ζηλωταί, quærite.

Magis autem ut prophetetis. Docet quod donum magis quam ulla alia debeant ambire.

Magis. intellige, quam alia spiritualia.

Ut prophetetis. Ut Prophetiæ donum, id est, occultarum rerum, inprimis arcanorum Dei ad salutem spectantium cognitionem habeatis, quam sermone vernaculo exponatis in ecclesia.

Vers. 2. *Qui enim loquitur lingua*, intellige, *exotica.* Causam in specie adfert, ob quam Prophetiæ donum magis debeant ambire quam linguarum.

Unde apparet Corinthiis præ cæteris donis linguas maxime placuisse, quod speciosa res esset linguis loqui peregrinis. Monet igitur Apostolus, ut speciosis præponant utilia.

Non hominibus loquitur. Qui scilicet linguam exoticam non intelligunt: ideo hominum respectu perinde est atque si nihil loqueretur.

Sed Deo. Qui linguas omnes intelligit. At Deus sine cujusquam locutione sua novit arcana, hominibus loquendum erat non Deo, ut ea homines cognoscerent.

Nemo enim audit. Id est, cum intellectu, ita ut perinde sit atque si nihil audiret. Causa ponitur pro effectu, per metonymiam. Audimus enim ut intelligamus.

Spiritu autem. Id est, per spiritum divinum, illo actus, abrepta simul mente humana.

Loquitur mysteria. Non suæ mentis lingua, sed exotica & ab eodem spiritu dictata: quasi dicat, res quidem egregias loquitur, *mysteria*, id est, arcana, nempe Dei, sed sine ullo auditorum usu. Vide Spiritum Sanctum esse medium quo homines acti loquuntur, non divinam personam seu Deum ipsum.

Vers. 3. *Qui vero prophetat*. Docet ex adverso quam prophetare sit res utilis. *Qui vero prophetat*, id est, sua mente a Spiritu Sancto ducta & illustrata, proinde & suo sermone vernaculo loquitur.

Hominibus loquitur ædificationem. Id est, ea per quæ homines ædificantur, per metonymiam effecti. Intelligit ea per quæ in fide Christi confirmantur & proficiunt.

Et exhortationem. Id est, ea per quæ excitantur ad omne opus bonum.

Et consolationem. Id est, ea per quæ solatia maxima capiunt in afflictionibus & animi ægritudine, omnia per eandem metonymiam.

Vers. 4. *Qui loquitur lingua*, nempe *exotica*. Discrimen adhuc ostendit inter loquentem exotica lingua & inter prophetantem.

Seipsum ædificat. Ne quis putet rem prorsus inanem esse lingua exotica loqui. Non quidem est inanis, sed usus istius rei solum intra loquentem consistit, seipsum ædificat non alios. Hinc colligitur eos qui spiritu acti lingua loquebantur peregrina, ipsos linguam eam intellexisse, & ex iis quæ loquebantur, fructum & ædificationem accepisse.

Qui autem prophetat ecclesiam ædificat. Quasi dicat, non seipsum tantum sed totam ecclesiam. Solebant enim Prophetæ in ecclesia & concione Christianorum loqui ℣. 23, 26, 29.

Vers. 5. *Volo autem omnes vos loqui linguis*. Quasi dicat, hoc autem non eo fine dico quod nolim vos omnes linguis loqui: volo & cupio.

Magis autem, intellige *volo*, *ut prophetetis*. Nempe omnes. Idem & Moses olim dixerat: *Utinam omnis populus prophetet*.

Major enim est qui prophetat quam qui loquitur linguis. Caussam adfert dicti & voti sui, proprium illorum commodum. *Major*, id est, præstantior, quippe utilior ecclesiæ.

Excepto nisi interpretetur. Exceptionem adjungit dicto, significans se exceptum velle eum qui simul habeat & interpretandi donum, ut sermonem quem lingua peregrina per Spiritum Sanctum loquutus erat, per eundem spiritum lingua interpretetur vernacula.

Ut ecclesia ædificationem habeat. Talis enim simplici Propheta major esset. Nam supra prophetiam haberet & linguarum & interpretationis donum: prophetat enim & is qui linguis loquitur, quia loquitur mysteria ℣. 2, & magnalia Dei Act. 2. 11.

Vers. 6. *Nunc autem fratres*. Quasi dicat, absente interpretatione seu sermonis intellectu.

Si veniam ad vos linguis. Nempe peregrinis, vobis ignotis, *loquens*. Seipsum adducit in exemplum.

Quid vos juvabo? Quam utilitatem ex me habebitis?

Si vobis non loquar. Cum scilicet veniam.

Aut in revelatione. Id est, per revelationem, exponendo vobis lingua vernacula quam revelationem a Deo & Christo habuerim. Sic Petrus revelationem sibi factam exponit Act. XI, & Paulus XXII. XXVI.

Aut in cognitione. Id est, per cognitionem, exponendo vobis cognitionem mysterii alicujus divini.

Aut in prophetia. Id est, per prophetiam, annunciando vobis rem aliquem futuram. Vocem enim prophetiæ strictius hoc loco videtur accipere, cum præcesserit cognitio.

Aut in doctrina? Id est, per doctrinam, docendo vos Christianæ pietatis officia, quæ omnia fiebant non exotica lingua, sed cuique vernacula.

Vers. 7. *Enimvero inanimata vocem dantia*. Etiam ab ipsis inanimatis vocem dantibus exemplum & argumentum sumit rei de qua agitur.

Sive tibia, sive cithara. Nominat quædam inanimata sonum edentia, idemque intelligendum de cæteris similibus.

Si distinctionem sonis non det. Id est, modulationem. Tibiæ vel citharæ tribuit quod homo facit per tibiam vel citharam. Eadem phrasi tribuitur Spiritui Sancto quod homo facit per Spiritum Sanctum.

Quomodo cognoscetur id quod tibia canitur aut citharizatur? An sit hymnus, an nænia, an alia aliqua cantio.

Vers. 8. *Etenim si incertam vocem tuba det*. Illustrat quod dixit exemplo tubæ: *si incertam vocem*, ἄδηλον φωνὴν, vocem quæ non intelligatur quid sibi velit.

Tuba det. Iterum tubæ tribuitur quod est hominis per tubam.

Quis præparabitur. Id est, præparabit se, passivum pro reciproco.

Ad bellum? Si nimirum non intelligat belli signum esse tuba datum. Bellum tubæ conjunxit, quia tuba bellicum est instrumentum.

Vers. 9. *Sic & vos*. Similitudini propositæ rem de qua agitur applicat, *per linguam*, tanquam instrumentum naturale.

Nisi manifestum, εὔσημον. Id est, qui rem bene manifestet, & ita significet ut ab omnibus intelligatur.

Sermonem detis, quomodo cognoscetur, ab auditoribus

toribus nimirum, *quod dicitur*? Nemo intelligit quid dicatur:

Eritis enim in aëra loquentes. Id est, aërem tantum diverberabitis vocibus, sed auditorum animos significatu rerum non implebitis.

Vers. 10. *Tam multa*, vel *tot*, indefinite, id est, innumera ferme: *ut puta*, εἰ τύχοι, idem valet quod Latinum *verbi*, vel *exempli causa*. Sic cap. xv. 37.

Instat adhuc Apostolus, *genera vocum*. Id est, vocabulorum: quasi dicat, non tantum tam multæ sunt voces & vocabula, sed tam multa vocum & vocabulorum genera, nomina, pronomina, verba &c: vel genera vocum distinguit secundum genera linguarum.

Sunt mundo. Id est, populis & gentibus in mundo.

Et nullum. Id est, nullum genus, *earum*, id est, vocum.

Mutum, ἄφωνον. Id est, carens est significatu. Nam φωνὴ vere est ἄφωνος, vox muta & sine voce, si nihil significet. Tantundem enim efficit in animo quantum si muta, id est, nulla esset.

Vers. 11. *Si igitur.* Ex eo quod dixit infert argumentum, *nesciam vim vocis*, id est, vocis significatum: quasi dicat, nihil refert quod vox significationem suam habeat, si ego significationis istius sim ignarus, nihilominus mei respectu nullam habebit significationem, & erit mihi φωνὴ ἄφωνος vox muta.

Ero loquenti Barbarus. Quod scilicet suam linguam non intelligam.

Et qui loquitur mihi Barbarus, intellige *erit*. Quod loquatur lingua mihi ignota. Græcus textus habet pro *mihi* ἐν ἐμοί, per pleonasmum particulæ ἐν, Hebræo more.

Vers. 12. *Sic & vos.* Quasi dicat, imitantes vocum omnium naturam.

Quandoquidem sectatores estis. ζηλωταί, sectatores cum zelo & æmulatione.

Spirituum. Id est, ut spirituum fiatis participes. Spirituum dicit in pluralivo, propter plures Spiritus Sancti portiones: quasi dicat, Spiritus Sancti plurium portionum, & consequenter plurium spiritualium donorum, Sic Elisæus olim duas tertias spiritus Eliæ sibi petiit, cum totum petere non auderet, & plus tamen quam dimidium illius habere cuperet. Hic vide an Spiritus Sanctus divina persona ipseque Deus sit. Non effugiunt qui spirituum voce dona sola dicunt intelligi. Nulla enim est causa ut id dicant, nisi præconcepta sua opinio. Quis vero Deos dicit, dona Dei significans? At æque fuerit absurdum spiritus dicere, cum velis sola spiritualia dona designare, si Spiritus Sanctus divina persona seu Deus ipse sit?

Ad ædificationem ecclesiæ quærite ut abundetis. Nempe in Spiritu Sancto & ejus donis. *Ad ædificationem ecclesiæ*, ut scilicet ecclesia inde habeat ædificationem, proinde non linguas peregrinas ambite, ex quibus nulla redundet ad ecclesiam utilitas.

Vers. 13. *Propter quod.* Nempe propter ædificationem ecclesiæ, *qui loquitur lingua*, nempe peregrina. Docet ex superioribus quid faciendum sit illi qui donum linguarum habeat.

Oret ut interpretetur. Id est, oret ut etiam interpretandi donum habeat. Ostendit modum consequendorum plurium donorum & majorem Spiritus Sancti copiam. Is vero est oratio, nimirum ad Deum & Christum, vel ad Deum per Christum.

Vers. 14. *Si enim orem lingua.* Nempe peregrina. Rationem adfert moniti.

Spiritus meus orat. Id est, Spiritus Sanctus qui est in me orat, quem idcirco etiam suum dicit, quod sibi sit datus & suæ sit possessionis. Nam Spiritum Sanctum intelligi, non spiritum naturalem, propter rem ipsam qua de agitur distinctio spiritus istius a mente cujusque docet.

Mens autem mea sine fructu est. Id est, nullum adfert fructum auditoribus: spiritus enim sanctus rapit secum mentem meam in sermonem exoticum, & antea menti meæ incognitum, qui non intelligitur ab auditoribus. Spiritui tribuitur oratio, tanquam medio per quod, seu quo acti oramus. Sic Rom. VIII. 26, 27. Hic iterum vide, an Spiritus Sanctus divina persona & Deus ipse sit? An Deus orat cum nos oramus? An Deus medium est quo acti oramus Deum?

Vers. 15. *Quid ergo est?* Quasi dicat, quid ergo hic faciendum est?

Orabo spiritu, orabo autem & mente. Quasi dicat, utrumque faciam. *Orabo spiritu*, id est, Spiritu Sancto impulsus & actus in sermonem & verba mihi antehac ignota.

Orabo autem & mente. Id est, mente a Spiritu Sancto non abrepta in sermonem ignotum, sed tantum ducta & illuminata, verbis loquente propriis & auditoribus notis ac vernaculis, hoc autem fiebat ab iis qui donum interpretandi linguas habebant.

Psallam spiritu, psallam & mente. Orationi qua vota & desideria nostra exponimus Deo & Christo, psalmum seu canticum addit spirituale, quo Deus & Christus laudibus extollitur, & beneficia ejus celebrantur. Loquitur autem Apostolus de orationibus & psalmis publicis seu in ecclesia: nam privatim cuique licebat orare & psallere solo spiritu. Deus enim omnes linguas intelligit, qui per spiritum suum facit ut nos iis loquamur easque intelligamus.

Vers. 16. *Alioquin si benedicas spiritu.* Rationem adfert per apostrophen, cur non spiritu tantum, sed & mente orandum ac psallendum sit in ecclesia.

Benedicas. Nempe Deo & Christo. Intelligit hic & vota & laudes.

Spiritu. Proinde lingua peregrina.

Qui implet locum idiotæ. Id est, qui sedet inter idiotas, proinde idiota est, homo nullius alius linguæ gnarus, nisi suæ propriæ seu vernaculæ.

Quomodo dicit amen. Ecclesiæ more, publicam orationem hac voce comprobantis.

Super tua gratiarum actione. Id est, absoluta tua gratiarum actione. Hic iterum includit omnia, & preces seu vota, & psalmos & benedictiones. Omnia enim hæc solent esse conjuncta.

Siquidem quod dicis nescit? Qui aliquid debet approbare, necesse est ut prius intelligat quid sit. Et tamen sunt qui nos credere jubent quæ nemo in-

telligat. Vide vero quam immemor sit Romana ecclesia istorum Apostoli verborum, quæ omnes orationes, cantiones, benedictiones, gratiarum actiones lingua peragit peregrina, & idiotis, qui maximam ecclesiæ partem faciunt, ignota.

Vers. 17. *Nam tu quidem bene gratias agis.* Confirmat rem per prolepsin: quasi dicat, nam si mihi regestas, te bene Deo gratias agere, verum quidem hoc est;

Sed alter non ædificatur. Id est, nullus eorum qui linguam non intelligunt. Docemur hoc loco in ecclesia omnia fieri debere non tantum ad Dei & Christi gloriam, sed etiam ad hominum omnium ædificationem. Ideoque lingua utendum esse in omnibus communi & vulgari.

Vers. 18. *Gratias ago Deo meo, quam omnes vos magis linguis loquens.* Suum illis exemplum proponit, qui magis quam illi omnes linguis loqueretur: nempe quia pluribus quam ullus Corinthiorum, ut Apostolum omnium gentium decebat. Hoc autem donum ita commemorat, ut Deo gratias pro illo agat, non sibi laudem inde sumens, sed Deo tribuens.

Vers. 19. *Sed.* Intellige, quamvis omnibus vobis linguarum dono præcellam,

In ecclesia. In credentium congregatione. Nam inter eos qui nondum credant locus esse posset linguarum miraculo, ut adducantur ad fidem. sicut factum erat in festo Pentecostes, præsentibus diversarum linguarum hominibus.

Volo, id est, malo, *quinque verba*, πέντε λόγους. Vox λόγος, pro verbo, per synecdochen totius pro parte,

Per mentem meam loqui. Id est, mente mea per spiritum non abrepta in verba exotica, sed tantum ducta & illuminata & suis propriis utente verbis.

Ut & alios, non tantum meipsum, per spiritum loquens, *instituam, quam decies mille verba.* Μυρίους λόγους, iterum λόγος, ut supra pro verbis. *In lingua*, id est, per linguam, intellige peregrinam. Meum igitur exemplum imitamini.

Vers. 20. *Fratres ne pueri sitis sensibus.* Admonet Corinthios sub amabili fratrum nomine, ne sint pueri, id est, similes pueris.

Sensibus. Id est, intellectu & judicio. Loquitur enim de sensibus animi. Vere enim puerilis erat judicii lingua velle loqui peregrina, & quam nemo intelligat in ecclesia sine ullo interprete, & hoc donum Prophetiæ præferre. Ambitio hæc erat vanissimæ gloriæ, pueris potius quam maturi judicii viris congrua.

Sed malitia parvuli estote. Id est, parvulis similes, ut sitis sine malitia, id est, sine fraude, sine noxa.

Sensibus autem. Nempe mentis, intellectu ac judicio.

Perfecti estote. Id est, perfectis hominibus, qui jam ad maturitatem pervenerunt similes, qui de rebus recte ferunt judicium, & quid cuique præstet norunt.

Vers. 21. *In Lege scriptum est.* Etiam ex Lege sumit argumentum. *Quod in aliis linguis & in labiis aliis loquar populo isti.* Citat verba Dei apud Esaiam XXVIII.11, quæ in Lege scripta dicit, quia vocem Legis, per synecdochen partis, accipit pro sacris libris omnibus, quod & Christus fecit Joan. x. 34, & haud dubie usitatum fuit.

Dicit igitur Deus, se *in aliis*, id est, peregrinis, *linguis & in labiis aliis*, id est peregrinis. Sermones intelligit peregrinos, per metonymiam causæ pro effecto. Linguis enim & labiis loquimur, & *in* ponitur pro per, vel etiam Hebraico idiotismo redundat.

Loquar populo isti. Nempe per Prophetas & Apostolos meos.

Et neque sic. Id est, tanto conspecto miraculo, ut linguis loquantur peregrinis idiotæ, qui linguas istas nunquam didicerant, nec una tantum loquantur, sed variis pro varietate gentium & auditorum. Evenit hoc in die Pentecostes Act. 2.

Exaudient me. Id est, dicto audientes mihi erunt. Non credent, non facient quod ipsis prædicabitur.

Dicit Dominus. Unus ille Deus, nomine tetragrammato, quod Græci Veteris Testamenti interpretes reddunt voce *Domini.*

Vers. 22. *Itaque linguæ in signum sunt.* Ex citatis Dei verbis infert argumentum, linguas nempe peregrinas, *in signum*, id est, signum esse, eodem quo paulo ante Hebraismo. Miraculum intelligit, ex quo cognoscere debeant Dei esse oracula quæ dicantur.

Non credentibus. Quid enim opus est signo iis qui jam credunt? Fine posito, cessant media.

Sed non credentibus. Intellige, signum sunt, ut scilicet tanto miraculo adducantur ad habendam dictis fidem, cæterum ut & ipsi suam linguam audiant,

Prophetia autem. Id est, profundiorum Dei arcanorum enarratio lingua propria.

Non iis qui non credunt. Neque enim illa caperent Cap. 2. 14.

Sed credentibus. Qui principiis Christianæ doctrinæ jam crediderunt, & hactenus spirituales facti sunt. Hinc igitur concludi vult Apostolus peregrinis linguis in ecclesia credentium locum non esse, sed Prophetiæ locum esse.

Vers. 23. *Si ergo conveniat ecclesia tota simul.* Ex dictis infert quam futurum sit absurdum si omnes in ecclesia linguis loquantur.

Omnes. Nempe qui in ecclesia loquantur, alii post alios, *linguis*, nempe exoticis, *loquantur: ingrediantur autem*, nempe in ecclesiam, ad quam cuilibet patere solet accessus, cum Dei verbum prædicatur & Deo laudes dicuntur, aut preces ad Deum funduntur.

Idiota. Id est, homines suæ tantum vernaculæ linguæ gnari.

Aut non credentes. Intellige Euangelio. Docet quales idiotas intelligat, nempe non credentes. Nam credentes, quamvis idiotæ, tamen eos insanire non dicerent.

Non dicent. Id est, nonne dicent, *quod insaniatis*? Sicut evenit Apostolis in die Pentecostes ab illis qui linguam aliquam non intelligebant Act. 2. Videntur enim insanire, qui verbi causa Græcis audientibus, Arabice iis loquantur sine interprete, quo enim fine?

Vers. 24. *Si autem omnes prophetent.* Docet è contrario quanta futura sit ædificatio, *si omnes*, nempe quotquot loquantur alii post alios,

Prophetent. Id est, occulta hominum prodant. Idem enim spiritus qui Dei arcana patefaciebat, etiam hominum patefaciebat arcana facta: ut in Christo & Apostolis & veteribus Prophetis videmus Joan. IV. 39. Act. v. 3. 2 Reg. v. 26.

Ingrediatur autem qui non credit, intellige Euangelio, *aut idiota.* Docet qualem non credentem intelligat, nempe idiotam. Nam si non sit idiota, sed linguæ gnarus peregrinæ, idem etiam per linguam peregrinam in eo consequeretur effectus qui sequitur.

Redargui-

Redarguitur ab omnibus. Qui scilicet loquuntur. Docet quid fiat a prophetantibus lingua loquentibus vernacula, id nimirum ut infidelis aut idiota redarguatur ab illis ob sua facta clandestina.

Dijudicatur ab omnibus. Nempe loquentibus Prophetis, id est, qualis sit ostenditur, per metonymiam causæ. Hic enim dijudicationis est effectus.

Vers. 25. *Et sic occulta cordis ejus.* Consequens prioris. *Occulta cordis ejus*, id est, occulta facta, quorum cor tantum ejus erat conscium.

Manifesta fiunt. Nempe omnibus hominibus.

Et sic cadens in faciem adorabit Deum. Ulteriorem effectum notat. Nesciet quo se vertat occultis suis Dei spiritu patefactis. Negare non poterit, ideo se reum agnoscet, & summa cum animi contritione procidet in faciem, & Deum rerum omnium conscium adorabit, eique gloriam dabit, veniam delictorum petet.

Annuncians. Id est, publica confessione prædicans.

Quod Deus vere in vobis. Id est, inter vos Christianos, nimirum, *est*, vere vobis Christianis adest per spiritum suum, per quem vobis rerum occultarum notitiam largitur. Hunc effectum videmus in Samaritide illa Joan. IV. 39. Ita per prophetiam & Deus consequitur gloriam, & ecclesia Christiana pro Dei ecclesia agnoscitur, & infidelis ad fidem adducitur, & idiota ædificatur.

Vers. 26. *Quid igitur est fratres?* Ut supra ℣. 15. Infert quæstionem ex superioribus, quasi dicat, quid igitur hic consilii, aut quid facto est opus?

Cum convenitis. Respondet ad quæsitum. *Cum convenitis*, inquit, nempe vos fratres in ecclesiam.

Quisque vestrum psalmum habet &c. Id est, aliquid istorum habet, vel psalmum, vel doctrinam, vel linguam &c, per ellepsin particulæ distributivæ. Similem locutionem habuimus cap. I. 12. Non habet quisque hæc omnia, sed quisque habet aliquid ex istis omnibus.

Psalmum habet. Id est, canticum aliquod a Dei spiritu inspiratum.

Doctrinam habet. Quam in ecclesia proponat, vel de mysteriis Dei, vel de moribus Christianis.

Linguam habet. Nempe peregrinam a Spiritu Sancto dictatam.

Revelationem habet. De rebus scilicet futuris aut abditis.

Interpretationem habet. Nempe linguæ exoticæ per Spiritum Sanctum.

Omnia ad ædificationem fiant. Exprimit quomodo sese in omnibus istis gerere debeant, nempe sic ut omnia fiant ad ecclesiæ & cujusvis qui sit in ecclesia ædificationem, proinde ut omnia proponantur lingua omnibus communi. Ex iis enim quæ non intelliguntur nulla potest esse ædificatio.

Vers. 27. *Sive lingua quis loquitur.* Docet quomodo se gerere debeat qui lingua peregrina loquitur in ecclesia, ut inde consequatur ædificatio. Particula *sive* distributionem notat, quæ in sequenti membro de Prophetis non exprimitur sed intelligitur.

Secundum duo, κατὰ δύο. Id est, duo loquantur, *aut plurimum tres*; id est, aut tres ad summum.

Et per vices, ἀνὰ μέρος. Ne simul loquantur.

Et unus interpretetur. Id est, semper sit aliquis interpres, qui uno locuto lingua peregrina interpretetur ejus sermonem.

Vers. 28. *Si vero non sit interpres taceat in ecclesia, sibi autem loquatur & Deo.* Proinde tacite. Nam tacite loquens a se potest intelligi & a Deo.

Vers. 29. *Prophetæ autem.* Quasi dicat, quod autem ad Prophetas attinet lingua loquentes omnibus communi, quæ altera distributionis illius ℣. 27 significatæ pars est.

Duo aut tres loquantur. Quasi dicat, sufficit duos aut tres ad summum loqui, ne ultra modum detineatur concio seu ecclesia, & obruatur rerum multitudine.

Cæteri, nempe Prophetæ, *dijudicent.* Docet quid alii Prophetæ debeant facere si plures sint quam duo vel tres in ecclesia.

Dijudicent, inquit, an ea quæ dicantur vere sint divini spiritus oracula. Non enim omni spiritui credendum est, sed probandi spiritus an ex Deo sint, & qui se Prophetas Dei dicunt, an vere sint tales cap. XII. 3. 1 Joan. IV. 1. 1 Thess. V. 21. Ita habebunt & alii Prophetæ quod agant, etiamsi non loquantur. Docemur hoc loco nihil temere arripiendum esse, sed omnia cum probatione & dijudicatione suscipienda. Nam si jam traditis & confirmatis Dei oraculis, præsertim illi doctrinæ fundamentali Jesum esse Christum & Dominum a Deo factum non respondeant, rejicienda sunt.

Vers. 30. *Si vero alii*, nempe præter eum qui loquitur, *revelatum fit.* Videlicet aliquid a Spiritu Sancto ut id proferat in publicum.

Sedenti. Intellige inter Prophetas ad populum docendum, proinde Prophetæ, & consequenter ipse loqui cœperit.

Primus. Id est, qui primo loco locutus est.

Taceat. Det locum sequenti. Docet Prophetas non debere simul loqui, sed unum post alium, & alterum alteri locum dare dicendi. Plures enim simul audire possunt, sed plures simul loqui non possunt, nisi in confusione & tumultu. Docemur uni Prophetæ non omnia revelari, proinde unum Prophetam alteri debere cedere, & locum dicendi dare, nec illi obstrepere, multo minus contradicere. Ubi enim hoc est, ibi regnat non Dei spiritus sed invidia, æmulatio, ambitio, & vanissimæ laudis amor ac studium, per quæ ecclesiam discerpi & lacerari necesse est, quod proh dolor! nimium nunc experimur, dum illi qui antecesserunt, soli omnia scivisse & sibi revelata fuisse videri volunt, nec sequentibus cedunt, ut per eos in divinarum rerum cognitione proficiant.

Vers. 31. *Potestis enim.* Rationem reddit cur nolit Prophetas simul loqui. *Nam*, inquit, *potestis. Καθ' ἕνα, unus post alium omnes prophetare.* Ut minime sit necesse plures simul loqui, ne quis putet sibi non fore prophetandi locum.

Ut omnes discant. Aliquid scilicet in rebus divinis.

Omnes admoneantur. Seu exhortationem accipiant, nempe ad faciendum officium Christianæ pietatis. Quod certe non fieret si plures simul loquerentur & alter alteri obstreperet. Neque enim

omnes

omnes scire possint quid in ista confusione dictum esset a quolibet. Exprimit finem prophetandi, eum nimirum esse, ut omnes discant, omnem adhortationem accipiant. Hinc igitur videmus qui Prophetas agant in ecclesia, ii nimirum qui docent, qui exhortantur.

Vers. 32. *Et spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur.* Hoc addit ne quis dicat, cur deberem alii cedere, cum & ego spiritum Dei habeam, & spiritu Dei sic agar ut meæ potestatis non sim? Debes, inquit Apostolus, alii Prophetæ cedere, si spiritum Propheticum habes. Nam spiritus Prophetarum Prophetis aliis subjiciuntur, cedunt illis, locum dicendi lubenter dant, non obstrepunt illis, non contradicunt, sciunt illorum spiritum secum esse unum & eundem spiritum, quin etiam suis Prophetis subjiciuntur. Non sic suos agunt Prophetas, ut suæ potestatis non sint, nec tacere possint si velint. Non agunt in furorem suos Prophetas, hoc dæmoniaci spiritus faciunt. Spiritus sacrosanctorum Prophetarum pacati sunt, tranquilli, placidi. Qui linguam habebat, certe Spiritum habebat Sanctum, & tamen tacere jubetur in ecclesia, si nullus adsit interpres ℣. 28. Ut igitur taceret, & consequenter spiritus ille linguæ, in sua erat potestate. Docemur hoc loco multos dici spiritus secundum numerum Prophetarum, nempe quia unius Spiritus Sancti multæ sunt portiones inter Prophetas distributæ. Docemur etiam spiritus istos Prophetis subjectos esse, quod utrumque de donis ipsis, multo vero minus de persona divina quæque Deus ipse sit, dici non potest. Relinquitur ergo Spiritum Sanctum divinum esse afflatum Prophetis communicatum, cui utrumque istorum recte competit.

Vers. 33. *Non enim est seditionis Deus sed pacis.* Probat quod asseruit: quasi dicat, nam si spiritus Prophetarum Prophetis non essent subjecti, Deus, qui spiritus istos Prophetis immittit & inspirat, esset seditionis ac tumultus, per genitivum effecti, id est, seditionem ac tumultum procuraret in ecclesia, quod procul abest a Deo.

Sed pacis. Similiter per genitivum effecti. Sed procurat pacem, quia pacis amator est maximus. Hinc videmus seditionum & dissensionum & tumultationum auctores in ecclesia nequaquam Dei spiritum habere, & illos solos Dei spiritu agi, qui pacis auctores sunt, pacem spirant & spectant, proinde tolerant & tolerandos esse docent errantes (citra errorem tamen, quo Jesus negatur esse Christus, aut præceptum ejus aliquod tollitur & violatur:) & sola catholica temporum & locorum omnium proponunt dogmata, quæ Christiani omnes vera esse judicant, quæque disertis Scripruræ verbis tradita sunt: difficiliora loca vel secundum clarissima Christianæ religionis principia clarissimis Scripturæ verbis prædita interpretantur, vel si cui hæc interpretatio non sufficiat, Deo id relinquunt, qui suo tempore revelabit omnia. Ut autem eorum interpretationem recipiant, quæ nullis apertis Scripturæ verbis firmetur, imo illis contraire videatur, nullo se jure cogi posse putant. *Quotquot*, inquit Apostolus alibi, *perfecti sumus hoc sentiamus, & si quid aliter sentitis, & hoc Deus vobis revelabit. Verumtamen ad quod pervenimus, eadem regula incedamus, idem sentiamus* Phil. III. 15, 16.

Sicut in omnibus ecclesiis sanctorum. Id est, Christianorum. Exemplo Chistianarum omnium ecclesiarum docet Deum esse pacis non seditionis, tacite monens ut & Corinthiorum ecclesia illarum ad exemplum sese conformet in omnibus, quo argumento & supra cap. XI. 16 usus est, & mox utitur ℣. 36.

Vers. 34. *Mulieres vestra in ecclesiis taceant.* Novum præceptum tradit similiter ad ecclesiam seu conventum publicum Christianorum pertinens. Apparet autem etiam prophetides mulieres intelligi. Nam si linguam habens cum nullus est interpres in ecclesia tacere jubetur ℣. 28, nulla causa est ut & mulier in ecclesia prophetet, cum id extra ecclesiam facere possit, nec Deus ipse adstruat qnod indecorum sit.

Non enim permittitur ipsis loqui. Nempe a Deo & Christo, intellige in ecclesia, proinde nec spiritu Prophetico instruuntur a Deo, ut non permissa agant. Idem & quod sequitur docet.

Sed subjici. Intellige debent, nempe maritis. Cum igitur subjectionem opponat locutioni in ecclesia, & prophetides non minus subjici debeant maritis quam aliæ mnlieres, consequitur neque prophetides jus habere loquendi in ecclesia. Nisi quis viduarum aliam esse rationem dicat: sed & viduæ, quamvis viris non subjiciantur quia viris privatæ sunt, tamen mulieres non desierunt esse, id est, ejus sexûs qui virili sexui natura subjectus est. Opponit autem subjectionem, quæ debetur ob sexum, locutioni in ecclesia, quod mulier loquens in publico et in ecclesia virili sexui semet æquare, & sui sexus veluti oblita esse, imo in virum auctoritatem quandam sumere videatur.

Sicut & Lex dicit. Quasi dicat, non tantum Christi disciplina quæ Lege perfectior est, sed & Lex jubet, ut mulier viro subjecta sit. Lex autem id dicit Genes. 2. Nam Legis nomine, per synecdochen partis, significantur omnes libri veteres Scripturæ sacræ, ut & ℣. 21. præsertim libri Mosis, in quibus Lex descripta est.

Vers. 35. *Si vero aliquid discere volunt.* Quasi dicat, docendi in ecclesia jus non habent, 1 Tim. 2. 12, si vero discere aliquid volunt, non in ecclesia discendi loquantur causa.

Sed in domo proprios viros interrogent. Quasi dicat, non in ecclesia & in publico viros alienos interrogent.

Turpe est enim mulieribus in ecclesia loqui. Quia scilicet id & sexui & pudori mulierum est contrarium, quod non minus in viduis & prophetissis locum habet.

Vers. 36. *Num à vobis sermo* Dei, id est, Euangelium, *exivit? aut ad vos solos devenit?* Apparet Corinthiorum ecclesiam id ausam, ut permitteret & linguis loqui absque interprete, & Prophetas ordine non observato, & mulieres etiam in ecclesia loqui. Hoc illorum ausum reprehendens & increpans quærit, *num ab illis sermo Dei exiverit?* Quasi dicat, ut a vobis aliæ ecclesiæ capere debeant exemplum tanquam ab ecclesiarum matrice?

Aut

Aut ad vos solos pervenit? Quasi dicat, ut non debeatis vos aliis conformare ecclesiis? Quid vobis tantum præsumitis, ut nec Apostolorum institutis, nec aliarum ecclesiarum exemplis vosmet submittatis?

Verf. 37. *Si quis videtur Propheta esse.* Nempe inter vos, *aut spiritualis.* Id est, spiritum Dei habens.

Cognoscat quæ scribo vobis quod Domini sint mandata. Quasi dicat, proinde idem dicat quod ego. Non submittit hæc Apostolus alicujus Prophetæ aut spiritualis censuræ & judicio, an sint Domini mandata, sed cum ipse Apostolus esset, & divino spiritu præ cæteris instructus, vult ut & quilibet alius qui Propheta sit, aut Spiritu Sancto præditus, rem ita se habere agnoscat & dicat: non futurus alioquin verus Propheta nec spiritualis si aliter sentiat & doceat.

Verf. 38. *Si vero quis.* Nempe Dei spiritu non præditus,

Ignorat. Videlicet hæc quæ scribo vobis Domini esse mandata.

Ignoret. Maneat in sua ignorantia, siquidem non vult sapere, & ignorantiam habeat pro pœna.

Verf. 39. *Itaque fratres.* Concludit hunc tractatum de spiritualibus donis.

Ambite ut prophetetis. Quippe præstantius quam alia sunt donum.

Et loqui linguis nolite prohibere. Si nimirum interpres adsit.

Verf. 40. *Omnia decenter & secundum ordinem fiant.* Nempe eo decore & ordine qui in superioribus descriptus est, qui linguis loquuntur habeant interpretem, qui si non adsit sileant in ecclesia, non loquantur autem linguis in ecclesia multi, nec loquantur simul: qui prophetant similiter nec multi nec simul prophetent, alii aliis cedant, altero loquente prior taceat: mulieres in ecclesia in summo sint silentio ac verecundia.

CAPUT XV.

Verf. 1. NOtum autem vobis facio fratres. Quasi dicat, ut ad aliud argumentum veniam.

Euangelium quod prædicavi vobis. Perstringit Apostolus Corinthios fratres, significans opus esse ut illis Euangelium semel prædicatum & ab iis susceptum denuo prædicet & notum faciat. Verendum enim erat, ne illud quidam everterent. Illud igitur repetit, & tanquam solidissimum ponit fundamentum, ad refutandos eos qui inter ipsos negabant mortuorum resurrectionem. Quid Euangelii a se prædicati nomine intelligat ṽf. 3 & seqq. declarat.

Quod & accepistis. Nempe a me, illud vobis per prædicationem meam tradente, id est, cui credidistis.

In quo & stetistis, ἑστήκατε. Id est, statis, per enallagen præteriti pro præsenti Hebraicam, cui etiam adhuc creditis & adhæretis.

Verf. 2. *Per quod & servamini.* Id est, cui credendo & servabimini, per enallagen præsentis pro futuro.

Quo sermone prædicavi vobis, si retinetis. Id est, si retinetis, nempe animo & memoria, quo sermone prædicavi vobis, per transpositionem vocum *si retinetis.*

Quo sermone. Id est, quas res. Sermo ponitur, per metonymiam adjuncti occupati pro subjecto occupante.

Nisi frustra credidistis. Nam ἐκτὸς in Græco redundat: quasi dicat, servabimini haud dubie per fidem Euangelio adhibitam, eo excepto, nisi frustra credidistis, deserendo nimirum fidem, vel etiam frustraneam & otiosam habentes fidem, quæ non exeat in charitatem & omnis generis sancta opera.

Verf. 3. *Tradidi enim vobis.* Per explicationem eorum quæ ipsis tradiderit confirmat superiora.

In primis. Id est, inter prima & præcipua. Significat se nolle recensere omnia etiam prima ac præcipua a se tradita, sed quædam tantum ex primis ac præcipuis ad rem præsentem spectantia.

Quod & accepi. Nempe ab ipso Domino. Non tradidi vobis mea aut hominum aliorum commenta, sed ab ipso Domino, qui Christus est Dei Filius, accepta.

Quod Christus mortuus est pro peccatis nostris. Hoc unum est quod vobis tradidi, Christum nimirum Dei Filium mortuum esse, non minus quam omnes alii homines moriantur. Unde certe consequitur Christum non fuisse nec esse unum illum Deum simul & hominem. Alioquin enim nullo modo æque mori potuisset quam alii homines. Morti enim suæ adeo supervixisset ut semetipsum posset ex mortuis suscitare, frustraque mors ejus commemoraretur ut ex morte nostra similem ad vitam speraremus reditum, quod hic facit Apostolus. Neque sane apparet quo fine Christus simul unus ille Deus credatur esse, nisi ad obscurandam, aut potius elidendam veritatem de Christo vero homine, vera illius morte, resurrectione, exaltatione, in Sacerdotem, Regem, Judicem unctione, & ad Christi sanctissimam religionem multis contradictionibus involvendam, & omnem lucem ex Sacris literis tollendam: ita ut mirum non sit exinde omnes errores in ecclesia profectos, & tandem etiam religionem omnem ex multorum animis pulsam, & atheismum invectum esse. Docet autem Christum pro peccatis nostris mortuum fuisse, id est, ut esset victima pro peccatis nostris & mundi totius, & sic ut omnis qui credat in ipsum non pereat propter peccata sua, sed habeat vitam æternam propter Christi mortem Joan. III. 16. Unde etiam tanto magis apparet, Christi personam vere fuisse mortuam. Talem enim mortem oppetere necesse fuit eum qui pro peccatis omnium est mortuus.

(K) Secun-

Secundum scripturas. Docet hoc quod Christus Dei Filius pro peccatis nostris sit mortuus, convenienter Scripturis antegressorum Prophetarum factum esse, quod & Christus ipse docuit Luc. xxiv. 26, 27. Ideo nullam causam habebant Judæi ut morte illius scandalizarentur: quin potius causam habebant maximam ut in ipsum crederent, quo a peccatis liberarentur.

Vers. 4. *Et quod sepultus est.* Ut scilicet eum vere fuisse mortuum constaret.

Et quod excitatus est. Ex morte videlicet ad vitam.

Tertia die. Quia ut longius in sepulchro & in morte detineretur, ad mortis ostendendam veritatem, nihil erat opus. Excitatus autem est ex morte, ut regnum sibi destinatum à Patre capesseret.

Secundum scripturas. Docet & hoc in Scripturis prædictum fuisse, ut Christus excitaretur ex morte tertia die, & sic scripturas Prophetarum cum Apostolorum Euangelio egregie concordare. Vide Act. 2. 31. III. 18, 24. IV. II. X. 43. XIII. 33, 34, 36, 37. XXVI. 22, 23. Jonas Propheta typus istius rei fuit illustris Matth. XII. 40.

Vers. 5. *Et quod visus sit Cephæ.* Id est, Petro tum adhuc viventi & testanti, intellige, tradidi vobis, tanquam oculato & indubitato testi resurrectionis ejus futuro. Mulierum non meminit, quod illarum in testimonio non soleat haberi ratio.

Deinde illis duodecim. Plerisque tum adhuc viventibus. Neque enim unus sufficiebat testis. Sufficiunt duo vel tres, sed Christus plenum numerum testium quadruplicavit, ut tanto certior esset illorum fides. Intelliguntur autem duodecim illi discipulorum omnium præcipui, perpetui Christi comites, Apostoli ejus ad omnes gentes futuri, sanctissimæ vitæ, divinissimis Spiritus Sancti donis instructi, qui etiam pro testimonio resurrectionis Christi innumeris laboribus & calamitatibus & morti truculentæ semet objecerunt. Duodecim dicit, solita appellatione, non habito respectu ad id quod unus ex illorum numero Judas excidisset, in cujus tamen locum alius postmodum surrogatus est Act. I. 26.

Vers. 6. *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul.* Ne quid ad fidem resurrectionis ejus deesset. Tot enim homines simul falli nulla ratio permittit. Fratres appellat ob Christianæ fidei consortium.

Ex quibus plures manent, nempe in hac vita, *usque adhuc.* Nempe ad illud tempus quo hæc scribebat Apostolus, ex quorum adhuc superstitum ore proprio resurrectionis Christi testimonium peti poterat.

Quidam vero etiam obdormiverunt. Ex illis quingentis, id est, vita functi seu mortui sunt, propter similitudinem mortis cum somno, præsertim in Christianis & sanctis hominibus.

Vers. 7. *Deinde visus est Jacobo.* Alphæi scilicet, qui tum adhuc supervivebat, de quo in Actis cap. XV, & in epistola ad Galatas, insigni viro & Apostolo.

Deinde Apostolis omnibus. Credo præter illos duodecim, præcipuos. Vide quot quantisque testibus oculatis, & quam diversis temporibus adhibitis, munita sit resurrectionis Christi fides.

Vers. 8. *Ultimo vero omnium.* Id est, post omnes alios testes oculatos.

Tanquam abortui visus est & mihi. Ad extremum suiipsius testimonium commemorat, idque summa cum animi demissione & humilitate. Ultro prævenit eos qui se indignum & inidoneum dicendo ducerent testimonio. Fatetur indignitatem suam, sed tamen simul significat illibatam testimonii sui veritatem. Quomodo vero & quando visus fuerit ipsi Christus, narratur Actor. IX. XXII. XXVI.

Vers. 9. *Ego enim sum minimus Apostolorum.* Rationem adfert cur se ἐκτρώματι seu abortui comparet, quia sit minimus Apostolorum? Nam & illi qui per abortum & ante tempus projiciuntur, minores aliis esse solent. Hinc & Senatorum minimi dicebantur abortivi.

Quod non sum dignus vocari Apostolus. Quasi dicat, adeo minimus ut non sim dignus vocari Apostolus. Magis adhuc similitudinem explicat. Nam & abortu editi digni non solent esse ut vocentur homines, quippe naturalem maturitatem in matris utero non adepti, nec naturæ ordine progeniti, sed vi quadam ejecti, sicut & Paulus non eo modo quo cæteri Apostoli edoctus & generatus est, sed cælestissima quadam vi in Apostolum protrusus & propulsus.

Propterea quod persecutus sum ecclesiam Dei. Causam exprimit ob quam se tantopere humiliet, ne quis eum in ipso Apostolico munere cæteris Apostolis imparem fuisse putet. Semet indignum tanto munere & nomine dicit, non suum munus aliorum Apostolorum munere indignius. Indignum autem se & munere & nomine dicit Apostolico, & tanti criminis, quo nullum atrocius fuerit reum, ideo quod persecutus sit ecclesiam Dei, id est, Christi discipulos, qui soli ecclesiam Dei constituunt. Qua de persecutione legimus Act. VII. & IX. XXVI. 9, 10, 11. 1 Tim. 1. 13, 15. Dum autem tantam suam profitetur culpam & indignitatem, eo ipso tanto magis asserit testimonii sui de Christi resurrectione veritatem. Quomodo namque ex tanto persecutore factus esset non solum Christianus sed etiam Apostolus, nisi Christum vidisset, & ab ipso munus accepisset Apostolicum, quod sine divinissimis donis geri & administrari non poterat? Illene fidem Christi prædicasset, & propter illius prædicationem omnibus calamitatibus & mille mortibus semet objecisset, qui alios ob hanc ipsam fidem atrocissime persequebatur, nisi oculis propriis convictus Christum vivere & in cælis regnare cognovisset, utque fidem in ipsum prædicaret ab ipsomet missus esset?

Vers. 10. *Gratia autem Dei.* Docet qui igitur factum sit ut Apostolus fieret?

Gratia, inquit, *Dei.* Id est, summa Dei erga me misericordia & singularissimo favore. Quam Dei & Christi gratiam celebrat etiam & extollit, causam

causamque illius indicat dicto 1 Tim. 1. 14, 15, 16 loco.

Sum quod sum. Id est, Apostolus; sed rem ipsam maluit dicere, Apostoli nomen ex humilitate & prædictis convenienter subticere.

Et gratia ejus in me. Quod scilicet me tantum peccatorem & ecclesiæ suæ persecutorem ad Christum converterit, & Apostolum fecerit.

Inanis non fuit. Id est, suo fructu & effectu non caruit.

Sed abundantius illis omnibus, nempe Apostolis, *laboravi.* Exponit quo pacto gratia Dei erga se non fuerit inanis, quatenus nimirum abundantius laboraverit quam omnes alii Apostoli, non puto simul sumpti, sed quam quilibet eorum seorsim, quatenus plura fecit itinera, plura adierat pericula, plura perpessus sit, plures ad Christum converterit quam ullus alius ex omnibus Apostolis. Ita cum se infra omnes Apostolos dejecisset, iterum ad asserendam Apostolatûs sui auctoritatem supra omnes sese extollit.

Non ego autem. Iterum dictum suum moderatur & modestiæ ac humilitatis viam pergit, non se id fecisse dicens, non sibi hoc tribuens, id est, non suis viribus. Neque enim ullius hominis vires sine divina ope tantæ fuissent.

Sed gratia Dei quæ mecum, intellige, *est.* Gratia Dei, favor ejus qui mecum est, id est, quem mihi perpetuo exhibet, quique me semper comitatur, hoc fecit. Ex hoc favore & gratia, & alacritas, & vires omnes ad tantos labores mihi suppeditatæ sunt, & meis laboribus tanti contigêre successus. Deo igitur omnis debetur gloria, non mihi, quod ipsum argumentum est me Dei Apostolum esse. An enim mecum esset Dei gratia? an tantum potuissem laborare & perficere? Notetur autem hominum labores & opera hominum esse negari & Dei gratiæ tribui, non quod ea hominum non sint simpliciter, id enim contradictorium foret, sed quod ea homines nullo modo possent præstare, nisi Dei gratia accederet, & in illorum effectione multo potiores haberet partes. Sic Christus dixit: non vos estis loquentes, sed spiritus Patris mei qui loquitur in vobis. Doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me Patris. Opera quæ ego facio, non sunt mea sed Patris. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit Patrem & similia. Notetur & ei quod persona non est, tribui actiones personæ, quia medium est per quod persona operatur. Sic Spiritui Sancto sæpe tribuuntur actiones personarum, quia & Deus & homines per Spiritum Sanctum multa operantur.

Vers. 11. *Sive igitur ego, sive illi.* Nempe Apostoli omnes. Redit ad institutum, id est, ad Euangelii commemorationem, & docet sive se sive alios omnes Apostolos, idipsum quod dixit prædicare.

Sic prædicamus. Nempe sicut exposui, Christum esse mortuum, sepultum, resuscitatum, a tot testibus visum.

Et sic credidistis. Quippe prædicatione nostra & tantis testimoniis convicti.

Vers. 12. *Si vero.* Nunc ad eam rem Apostolus venit, cujus causa Euangelium repetiit, nempe ad refutandos quosdam inter Corinthios Christianos qui resurrectionem mortuorum dari negabant.

Christus prædicatur. Nempe tanta cum efficacia & testimoniis, quibus nemo probus queat refragari.

Quod ex mortuis suscitatus sit. Nempe a Deo Patre suo.

Quomodo dicunt quidam in vobis. Id est, inter vos Christianos, qui Euangelio credidistis.

Quod resurrectio mortuorum non est. Id est, non datur, tanquam res contradictionem implicans, quæ natura sua fieri nequeat, ut scilicet semel mortuus iterum vivat: quasi dicat, si hoc dicerent a fide alienis Christiana, mirum non erat: ut vero hoc dicant iis qui crediderunt Euangelio, nullum modum, nullam rationem video ÿ. 13.

Si enim resurrectio mortuorum non est. Quasi dicat, si enim verum dicunt, & resurrectio mortuorum non datur:

Neque Christus excitatus est. Nam resurrectionem mortuorum non dari, & Christum ex mortuis excitatum esse, contradictoria sunt.

Vers. 14. *Si autem Christus non est excitatus.* Postquam docuit resurrectionem mortuorum non dari, & Christum ex mortuis excitatum esse sibi invicem contradicere, nec simul posse consistere; nunc docet quæ secutura essent absurda si Christus non esset excitatus, ut Christi resurrectione stabilita tollat & evertat illud dogma, resurrectionem mortuorum non esse.

Vana igitur, id est, falsa, *prædicatio nostra.* Quasi dicat, hoc consequetur nostram prædicationem esse falsam. Prædicavimus enim Christum ex mortuis suscitatum esse. At qui fieri potest ut non mei tantum unius, sed nostrum omnium prædicatio, tot divinissimis operibus confirmata, vana sit & falsa? Num igitur non tantum nos omnes, sed & Deus ipse prædicationem nostram confirmans, mendacii est arguendus?

Vana autem & fides vestra. Quasi dicat, quæ ex prædicatione nostra est orta, rei vanæ & falsæ credidistis, ac turpiter vos decipi passi estis.

Vers. 15. *Invenimur autem & falsi testes Dei.* Quasi dicat, non tantum autem invenimur deceptores vestri, sed etiam *falsi testes Dei*, id est, de Deo, per genitivum objecti, sic 1 Petr. 1. 11 *spiritus Christi in Prophetis*, significat spiritum de Christo, qui Christum habuit pro principali objecto.

Quia testati sumus contra Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, siquidem igitur mortui non resurgunt. Quasi dicat, sicut isti dicunt. Probat omnes se falsos testes esse Dei, si verum sit quod isti dicant. At quæ nostra foret insania adversus Deum falsos testes agere? Ita non tantum adversus homines, sed etiam adversus Deum ipsum peccaremus? Cui bono, & qua spe obsecro? Falsum igitur est quod isti dicunt, cum testimonium nostrum sit verum. Notandum est Apostolos neutiquam testatos esse Christum semel suscitasse ex mortuis (quo testimonio profecto totum

(K 2)

totum ſuum Euangelium evertiſſent) ſed quod Deus Chriſtum ſuſcitaverit ex mortuis. Neque enim dicunt ſe falſos eſſe teſtes adverſus Chriſtum, ſed adverſus Deum, quod Chriſtum ſuſcitaverit, ſi verum ſit mortuos non reſurgere.

Verſ. 16. *Si enim mortui non excitantur.* Rationem adfert conſequentiæ, id eſt, ſi mortuos excitari unum eſt ex contradictoriis.

Neque Chriſtus excitatus eſt. Proindeque nos ſalſa teſtati ſumus & teſtamur adverſus Deum quod Chriſtum excitaverit.

Verſ. 17. *Si vero Chriſtus non eſt excitatus.* Docet quid adhuc ſecuturum ſit, ſi Chriſtus non ſit excitatus.

Fruſtranea eſt fides veſtra. Qua creditis Jeſum excitatum ex mortuis, & Chriſtum factum, proinde qua creditis in ipſum. *Ματαία*, id eſt, inutilis, nullius uſus, nullius effectus in re ſalutis. Supra dixit *vana, κενή*, quatenus eſſet rei vanæ & falſæ. Nunc exprimit conſequens, quod eſſet nullius uſus & effectus in re ſalutis. Quam enim ſalutem adferret ſalſa fides, & in eum qui mortuus non ſit excitatus ex mortuis?

Adhuc eſtis in peccatis veſtris. Exponit quam eſſet fruſtranea, quia illis ſcilicet non imputaretur ad juſtitiam, & ſic quamvis crederent Jeſum eſſe ſuſcitatum & eſſe Chriſtum, & crederent in ipſum, nihilominus eſſent in peccatis ſuis, id eſt, neutiquam a peccatorum ſuorum liberati reatu. At hoc abſurdum eſt, cum Spiritum Sanctum acceperint tanquam arrhabonem futuræ hæreditatis, & illo obſignati ſint in diem redemptionis Eph. 1. 13, 14.

Verſ. 18. *Igitur & qui obdormiverunt in Chriſto, perierunt.* Aliud ex priori infert de mortuis in Chriſto, fore nimirum ut & qui obdormiverint, id eſt, mortui ſint, ut ſupra ℣ſ. 6,

In Chriſto. Id eſt, in fide Chriſti, per metonymiam ſubjecti occupantis pro adjuncto occupato, perierint, quippe in falſa mortui fide, nec unquam ex mortis excitandi ſomno, ſi Chriſtus ipſe non ſit excitatus. Videmus Chriſtum haudquaquam Deum illum unum eſſe. Nam etiamſi ut homo mortuus ut homo non fuiſſet excitatus, tamen ut Deus ille unus ſervare nos poſſet. Videmus etiam mortuos, niſi ſuſcitentur ex morte, nihil eſſe. Nam ſi animæ corporibus ſuperſtites aliquid agere, & cæleſtibus affici gaudiis poſſunt, & Chriſti anima juvare nos potuiſſet, & noſtræ animæ gaudiis fruerentur æternis citra reſurrectionem.

Verſ. 19. *Si in vita hac ſperantes ſumus in Chriſto tantum.* Probat abſurdum eſſe ut qui ſperent in Chriſto pereant: quaſi dicat, ſi hoc tantum habemus, ut in hac vita in Chriſto ſperemus, ſine ullo iſtius ſpei noſtræ fructu & effectu poſt hanc vitam, ut inquam ſpe vana nos ludamus, quod certe eſſet ſi Chriſtus non viveret, at non viveret ſi non eſſet excitatus ex mortuis. Spes autem hæc oritur ex fide de Chriſti reſurrectione, quæ ſi vana ſit, etiam ſpem eſſe vanam oportet.

Miſerrimi omnium hominum ſumus. Quid enim miſerius quam vana ſpe deludi, & iſtius vanæ ſpei cauſa extrema quæque perpeti? quod nobis Chriſtianis eveniret. At hoc abſurdum eſt, ut homines optimi, ſanctiſſimi, innocentiſſimi, omnium etiam peſſimorum eſſent miſerrimi & calamitoſiſſimi. Virtus certe non amplius bonum eſſet. Bona enim dicitur, quod iis qui illam ſectentur bene ſit. Vitium dicitur malum, quod vitio deditis male ſit; at hic omnia forent contraria.

Verſ. 20. *Nunc vero Chriſtus reſuſcitatus eſt ex mortuis, primitiæ eorum qui obdormiverunt factus eſt.* Quaſi dicat, nunc vero hoc falſum eſt nos omnium hominum eſſe miſerrimos, & hoc tantum habere ut in hac vita in Chriſto ſperemus, poſt hanc vitam nihil ſimus. Chriſtus enim ſuſcitatus eſt ex mortuis, primitiæ eorum qui obdormiverunt factus eſt.

Primitiæ. Videlicet in reſuſcitatione ex mortuis, primus omnium mortuorum ſuſcitatus eſt ad vitam immortalem & æternam.

Eorum qui obdormiverunt, intellige ex ℣ſ. 18 *in Chriſto.* Proinde qui Chriſti ſunt ℣ſ. 23. Loquitur enim Apoſtolus de reſuſcitatione beata, non ad ignis ſupplicium æternum, ſed ad vitam æternam. Non ſunt autem a reſurrectione beata excludendi qui ante Chriſtum obdormiverunt in fide in Deum Chriſti Patrem, ſed hac in parte cum omnibus in Chriſtum credentibus computandi. Fides enim in Chriſtum nos ſervat, quia eſt fides in Deum. Per Chriſtum enim credimus in Deum, qui Chriſtum ſuſcitavit ex mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides & ſpes noſtra in Deum eſſet 1 Petr. 1. 21. Sed Apoſtolus contentus eſt nunc de ſolis in Chriſtum credentibus loqui, quorum evicta poſt mortem vita facile judicium eſt de cæteris omnibus piis qui ante Chriſtum obdormiverunt. Comparat Apoſtolus eos qui obdormiverunt ſanctos meſſi cuidam magnæ, ex qua Deus Chriſtum tanquam primum omnium manipulum demeſſuit, & ſic reliquam omnem meſſem ſanctificavit, id eſt, omnibus aliis ſanctis qui obdormiverunt jus beatæ reſuſcitationis fecit. Ideoque ſicut primitias demeſſas & Deo conſecratas ſequebatur omnium frugum meſſis, ſic reſuſcitationem Chriſti ſequitur reſuſcitatio omnium qui obdormiverunt. Eodem ſenſu Chriſtum ex mortuis primogenitum appellat idem Apoſtolus Col. 1. 18, quod Chriſtus primus quidem ex mortuis a Deo genitus ſit ad vitam immortalem, ſed cui in eadem generatione ſucceſſuri ſint alii multi Dei filii, ut Chriſtus ſit primogenitus inter multos fratres Rom. VIII. 19. Vides Apoſtolum omnem, & Chriſti mortui, & eorum qui obdormiverunt in Chriſto, vitam & beatitatem referre ad reſurrectionem, quæ ſi non eſſet, actum eſſet de vita & beatitate mortuorum: ut merito Chriſtus ex verbis illis Dei, quibus ſe Abrahami, Iſaaci & Jacobi Deum, iis jam pridem vita functis appellat, reſurrectionem illorum evicerit, quod ſcilicet Deus eorum qui mortui ſint, niſi aliquando reſuſcitentur, Deus eſſe non poſſit. At hoc falſum foret ſi mortui citra reſuſcitationem viverent, & cæleſtibus fruerentur voluptatibus. Hinc idem Apoſtolus jam pro Chriſto moriturus, juſtitiæ coronam illam quæ vita continetur immortali, nunc quidem ſibi repoſitam eſſe, ſed in illo die a juſto judice Chriſto datam iri, ſimulque omnibus apparitionem ejus diligentibus dixit 2 Tim. IV. 8. At enim, inquis, qui moriuntur in Chriſto protinus beati ſunt, cum Chriſto ſunt, apud Dominum

habitant,

habitant, in paradyso sunt, requiescunt a laboribus suis, & opera illorum sequuntur eos. Certe quia ad vitam immortalem resuscitandi sunt, & mortis illud interstitium, mortuorum, imo & Dei respectu, nihil est. Mortui enim non sentiunt, & apud Deum mille anni sunt sicut dies unus, & dies unus sicut anni mille 2 Petr. III. 8.

Vers. 21. *Quoniam enim per hominem mors*. Rationem adfert ob quam Christum dicat primitias esse factum eorum qui obdormiverunt, id est, Christum sua resurrectione aliis resurrectionem attulisse. *Nam*, inquit, *quoniam per hominem mors*. Intellige, in homines venit, quippe qui peccato suo morti obnoxium se fecit, amisso in perpetuum vivendi privilegio, & sic eidem conditioni posteros suos, qui omnes homines sunt, subjecit.

Etiam, quasi dicat, merito etiam, *per hominem resurrectio mortuorum*. Quippe qui obedientia sua adeptus est ut ex morte resurgeret ad vitam immortalem, & sic idem beneficium propagavit in omnes qui in ipso moriuntur. Nam si malum, id est, mors, communis facta est per unum hominem multis, quidni etiam bonum, id est, resurrectio ex morte ad vitam per unum hominem communis fieret multis? An enim Deus severior est quam benignior? Imo nihil magis decuit Dei bonitatem & clementiam, quam ut per hominem inductam mortem, per hominem inducta tolleret ex morte resurrectio.

Vers. 22. *Sicut enim in Adamo*. Id est, cum Adamo, quia per Adamum & Adami delicto,

Omnes moriuntur. Quippe ex ipso nati. Confirmat per declarationem quod dixerat.

Sic in Christo. Id est, cum Christo, quia per Christum & Christi obedientiâ: nam Christi potentia, qua vivificandi sumus, in hac similitudine non attenditur. Recte autem Christum opponit Adamo, tanquam hominem homini, & ultimum Adamum seu secundum hominem primo vs. 45.

Omnes. Nempe qui in ipso moriuntur.

Vivificabuntur. Id est, ex morte revocabuntur in vitam eamque immortalem, quæ vere vita est. Unde apparet mortuos non vivere, sed victuros esse. Vides Christum hominem esse, proinde Deum illum unum non esse. Disparata enim inter se contradictorie opponuntur. Et si simul Christus unus ille Deus esset, omnis a Christo ad nos elideretur consequentia, id est, non sequeretur, quia is qui non tantum homo sed etiam unus ille Deus est, resurrexit, ergo etiam nos resurgemus; aut quia ille resurgere potuit, ergo etiam nos poterimus, & sic unicum resurrectionis nostræ fundamentum penitus everteretur.

Vers. 23. *Unusquisque autem in suo ordine*, intellige, *vivificatur*. Quia dixit omnes in Christo vivificatum iri, occurrit objectioni, Christum jampridem vivificatum esse, sed præter Christum adhuc neminem. Verum hoc est, inquit, sed hoc ideo fit, quod ad alios ordo nondum pervenerit. Qui verborum istorum cum superioribus nexus facit, ut *in Christo* potius interpretandum sit *cum Christo*, quam per Christum, quamvis res eodem redeat, proinde & *in Adamo*, interpretandum sit cum Adamo; nam ordo iste continet etiam Christum ipsum. Additur enim:

Primitiæ Christus. Exponit hunc ordinem: Christus primus omnium vivificatus est, quia per ipsum omnes alii vivificandi sunt, & in ipso istius rei exemplum ad spem suam firmandam habere debuerunt.

Deinde qui Christi (sunt.) Qui in ipsum tanquam ex morte vivificatum & Christum factum credunt, ad ipsum pertinent, in ipso vivunt, in ipso moriuntur.

In adventu ejus. Igitur ante adventum ejus nemo. Ubi Christus venerit cum Patris sui gloria, tum demum tanget ordo eos qui Christi sunt, ut etiam vivificentur, idque per ipsum Christum. Quo tempore etiam qui invenientur vivi, mortem non experti, fient immortales vs. 52, 53. Hactenusque etiam & isti vivificabuntur, non quidem ex mortuis, sed ex mortalibus immortales facti. Docemur hoc loco sanctos vita functos nondum aliter vivere, nisi quatenus in Christi adventu vivificandi sint: proinde qui eos invocant, non tantum superstitiose agere, sed etiam Dei legem, qua se solum religiose coli jussit, violare, dumque etiam eorum imagines adorant & colunt, idololatriam exercere.

Vers. 24. *Deinde finis*, intellige, *erit seculi hujus*. Docet post pios & mortuos & mortales in vitam immortalem, per adventum Christi assertos, seculi demum istius venturum finem. Id ipsum docet prolixe Petrus Apostolus 2 Epistola III. 7, 10, 11, 12, 13: quasi dicat Apostolus, nemo mundi finem expectet ante illorum qui Christi sunt vivificationem. Tum demum erit finis mundi.

Quando tradet, intellige Christus, *regnum Deo & Patri*. Quia hæc traditio regni Deo & Patri, cum seculi hujus consummatione, & piorum in cælestem patriam & regnum introductione, tanquam proximum consequens erit conjuncta. Docet nos hic locus; 1. Christum Deum illum unum non esse. An enim regnum traderet alii? 2. Deum illum unum solum Patrem esse, quandoquidem vox Patris ad declarationem ejus adjicitur. 3. Christum habere regnum ex Dei gratia. Ideo enim illud Deo tradit, quia id a Deo accepit, ut ad auctorem suum redeat. Christus enim regnum accepit a Patre piorum causâ, ut eos regat, defendat, ex morte eripiat, in cælestem patriam deducat, mundum hunc cum omnibus impiis aboleat, quo Deus & suam gloriam tanto magis amplificaret, & pios omnes tanto certiores redderet suæ salutis: quibus omnibus perfectis, quid aliud restabit quam ut regnum tradat Deo & Patri, a quo illud ad hæc perficienda acceperat. Intelligitur autem regnum non felicitatis & dignitatis, sed regnum supremæ in omnia potestatis. Nam regnum felicitatis & dignitatis nunquam tradet Christus, quin potius istius regni pios omnes participes faciet, quemque pro suo modo: ipse vero tanquam Filius unicus, tanquam ecclesiæ maritus & Servator semper in hoc felicitatis & dignitatis regno primas ac præcipuas obtinebit partes. Nec obstat Apostolo Scriptura, qui Christum super domum Jacob regnaturum dicit in secula Luc. I. 33. Hoc enim de domo Jacob, proinde de regno Christi ad hoc seculum spectante dicitur, quod profecto tamdiu durabit quamdiu secula erunt, nec finis istius regni seculo hoc durante fu-

turus est: quo sensu etiam Christus in secula Sacerdos esse dicitur, & Sacerdotium habere ἀπαράβατον & æternum. Nam in altero illo seculo Sacerdotio, sicut nec peccatis, ullus erit locus.

Quando destruet omnem principatum. Docet quando Christus traditurus sit regnum Deo & Patri. *Quando* nimirum *destruet*, id est, perdet & abolebit,

Omnem principatum. Id est, omnes principes & Angelorum & hominum, intellige, Christo & Christianis inimicos & adversantes.

Et omnem potestatem. Id est, omnes potestatem in alios habentes, quamvis forte non summam nec principem.

Et virtutem. Δύναμιν, id est, δυνάμεις, quibus magnæ sunt vires, magna potentia. Abstracta ponuntur pro concretis. In istorum autem destructione & perditione comprehenduntur simul omnes illorum subjecti, qui iis in oppugnando Christo & Christianis operam navant & addicti sunt: sicut & cum Christo quatenus oppugnatur, intelligendi sunt omnes Christiani.

Vers. 25. *Oportet enim ipsum regnare.* Probat Scripturæ testimonio Christum non ante regnum traditurum Deo & Patri, quam aboleat prius omnem principatum & potestatem & virtutem sibi adversantem.

Oportet ipsum, id est, Christum, *regnare.* Loquitur de regno Christi quod exerceat in hoc seculo, de regno supremæ potestatis in omnia.

Donec ponat omnes inimicos sub pedes suos. Proinde donec destruat omnem principatum & potestatem & virtutem inimicam. Tum demum enim destruuntur inimici, cum sub pedibus jacent victoris, seu scabellum fiunt pedum Regis in throno sedentis, cui sunt adversati. Sed hac similitudine major est in Christo veritas, qui penitus tollet & perdet omnes suos inimicos ut nulli sint amplius. Citatur hoc testimonium ex Psal. cx, ubi Deus Christum alloquens dicit, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ubi primum Apostolus *regnare* substituit pro *sedere à dextris Dei.* Merito. Christus enim ita jussus est a dextris Dei sedere, ut istius seculi respectu, in quo multos habet inimicos, simul regnet ad eorum destructionem quo suos liberet. Nam sedere, idque tam honorato loco, quo nullus esse possit honoratior apud Deum, non otium aliquod significat, sed summam dignitatem ac thronum vere regalem, quod & scabellum pedum evincit thronis Regum apponi solitum. Non frustra vero maluit Apostolus hoc modo loqui, quia Christus dignitatis & gloriæ respectu etiam in futuro seculo à dextris Dei sedere non desinet. Deinde, cum in Psalmo Deus subjecturum se Christo dicat inimicos, Apostolus Christum ipsum eos sibi subjecturum affirmat. Nimirum quia utrumque reipsa idem est. Neque enim Deus ulli Regi ita subjicit inimicos ut ipse interea otiosus sit & nihil agat, quorsum enim regnum à Deo accepisset? sed quatenus id perficiendi vis omnis à Deo est. Sic & Davidi, Christi secundum carnem patri & typo, Deus omnes inimicos sub pedes dedit, quatenus ut eos David debellaret effecit 3 Reg. v. 3.

Vers. 26. *Ultimus inimicus destruitur mors.* Hæc verba addit, ne quis dicat, ergo quando Christus devicerit & destruxerit omnes inimicos, tradet regnum Deo & Patri, & finem faciet mundo: non igitur opus erit ut prius mortuos resuscitet, quid enim hoc ad destructionem inimicorum facit? Imo vero multum facit, inquit Apostolus. Mors enim destruitur, id est, destruetur, per temporis enallagen præsentis pro futuro.

Ultimus inimicus. Id est tanquam ultimus inimicus (per ellipsin particulæ similitudinis, more Hebræo:) piorum omnium, qui ultimum cuique piorum nocumentum adferre solet, proinde & maximum: vitam enim aufert. Non igitur mundo finis erit, nec Christus regnum Deo & Patri tradet, quam & mortem devicerit & destruxerit, suis ex morte liberatis & immortalibus effectis.

Vers. 27. *Omnia enim subjecit sub pedes ejus.* Confirmat quæ dixit, per prolepsin. Poterat enim aliquis objicere, nimium verba illa Psalmi extendi, & ad illa etiam quæ personæ non sunt referri, cum tamen neque vox *omnium* extet in Psalmi cx verbis. Respondet Apostolus, hoc merito fieri, cum alibi, nempe Psal. VIII. 8 scriptum sit, Deum omnia subjecisse pedibus Christi, neque ullam causam apparere, cur ea quæ universaliter sint dicta, non etiam universaliter debeant intelligi. Hæc verba Psal. VIII. 8 dicta sunt de homine primo, sensu literali, sed mystico & recondito sensu, proinde multo perfectiore, referuntur ad secundum hominem & ultimum Adamum Christum, qui quanto primo homine Adamo factus est excellentior, tanto etiam hæc omnium subjectio respectu illius major est & amplior, imo cum omnium factus sit excellentissimus, & tantæ dignitatis quanta nemini major à Deo conferri queat, necesse est ut & omnium illi facta subjectio maxima sit & amplissima, adeo ut nihil ab ea sit eximendum: proinde neque mors ipsa, quæ si Christi pedibus non subjiceretur, & sic tandem ab ipso perderetur, immane quantum deesset & Christi potestati ac regno, & piorum beatitati ac saluti! Sunt autem Christi pedibus subjecta etiam bona omnia: nam & in hæc potestatem habet absolutam. Verum aliter exercet potestatem in bona, aliter in mala; in illa quidem ut ea donet ac largiatur, & ut bonis ac sibi charis bene sit; in hæc vero ut ea tandem aboleat & perdat.

Quando vero dicit. Nempe Scriptura Psal. VIII. 8.

Quod omnia subjecta sunt. Intellige, Christi pedibus.

Manifestum, intellige, *est, quod excepto eo qui subjecit ipsi illa omnia.* Τὰ πάντα, nempe quæ hic sunt intelligenda. Addit hoc Apostolus, ne quis cavilletur: Ergo etiam Deus ipse subjectus est Christo, si vox *omnia* sit adeo universaliter accipienda. Haudquaquam, inquit, manifestum enim est ex ipsa re, illum qui subjecit Christo omnia, excipiendum esse: Nempe Deum illum unum, qui semper manet altissimus, nec ulli unquam vult ac potest esse subjectus, ut ita intel-

intelligi hic debeant reliqua omnia præter unum illum Deum, proinde nec mors hic sit excipienda.

Verſ. 28. *Quando autem ſubjicientur ipſi*, nempe Chriſto, *illa omnia.* Id eſt, reliqua omnia, ſic nimirum ut nihil reſtet illi non ſubjectum, nullus reſtet inimicus, inimicis omnibus devictis & perditis, mundo etiam iſto ſublato, & piis omnibus in alterum illum mundum deductis.

Tunc & ipſe Filius ſubjicietur illi qui ſubjecit ipſi illa omnia. Docuit Chriſtum regnarurum donec ponat omnes inimicos ſub pedes ſuos. Nunc iterum repetit quod hoc perpetrato tradirurus ſit regnum Deo & Patri, tantumque abeſſe ut Deus inter illa omnia quæ Chriſto ſubjecta ſunt comprehendi debeat, ut etiam Filius rebus iis perfectis, quarum cauſa tantam in omnia poteſtatem accepit, ipſi ſubjiciendus ſit.

Et ipſe Filius. Id eſt, Chriſtus: quaſi dicat, qui regnum habet in omnia.

Subjicietur. Tradito nimirum regno.

Et qui ſubjecit ipſi omnia. Id eſt, Deo & Patri, ſcilicet illum hoc pacto deſcribere maluit quam ſimpliciter nominare, ut cauſam iſtius ſubjectionis Filii exprimeret. Unde enim Filio ſubjecta ſunt omnia, niſi quia Deus & Pater ejus ſubjecit illi certum in finem omnia, idque ſic ut ſeipſum illi non ſubjecerit, ſed ſemper maneat altiſſimus. Oportet igitur ut Filius finem illum adeptus, redeat & ipſe ad Dei ac Patris ſui ſubjectionem, cum Filius natura ſubjectus ſit Patri. Quid ergo, inques, an Filius nunc non eſt ſubjectus Patri? Hoc ex mente Apoſtoli & re ſubjecta intelligendum eſt, quantus ſcilicet Filius nunc ad ſalutis humanæ peragendum & perficiendum opus, ſummam & ſine provocatione in omnia poteſtatem obtinet & exercet, quam opere illo perfecto deponet, & Deo ac Patri tradet. Nam quatenus ex Patre & ipſe eſt, & ex gratia illius omnia habet, & ſecundum voluntatem ejus poteſtatem ſuam omnem exercet, & non ultra quam ad tempus a Patre definitum exerciturus eſt, & Patris majeſtatem ſupra ſe agnoſcit, & illius nomine regnum ſuum adminiſtrat, & omnia quæ Chriſto ſubjecta ſunt, eo ipſo Deo ſunt & manent ſubjecta, hactenus etiam nunc ſubjectus eſt Patri. Unde cap. XI. 3. III. 23 & Deus dicitur eſſe Chriſti Deus & caput, & Chriſtus dicitur eſſe Dei. Ipſaque vox Chriſti, id eſt, uncti Dei, eam quam diximus ſnbjectionem deſignat. Vides Chriſtum omnia à Patre habere, & quantus quantus eſt, Dei opus eſſe. Vides Filium ſubjectum iri Deo & Patri ſuo: quomodo igitur unus ille Deus eſt? Secundum humanam naturam inquis. Sane ſic eſt. Nam homo eſt, non Deus ille unus. Eſt, inquis, & unus ille Deus, & homo. An ergo Deus ille nnus eſſe unquam deſinet? Non deſinet inquis, ſed regnum quod ut homo accepit, Deo & Patri tradet, & hactenus ei ſubjicietur. At quo alio regno opus habeat, quid illi ab aliquo ſubjici poſſit qui unus ille Deus ſit? & quæ ſubjectio in eum unquam cadat? Nam etiamſi dato ſibi à Patre regno ſe abdicet, (cui tamen dando nullus in ipſo locus erat) Deus tamen ille unus eſſe nunquam deſinet. Et ſi hæc abſolute & ſimpliciter vera non ſunt de Filio, cur ſimpliciter & abſolute de illo enunciantur? Nihil enim de aliquo ſimpliciter & abſolute poteſt affirmari quod ei ſimpliciter & abſolute non competat, idque ſecundum illam ipſam naturam quæ in enunciatione ſit expreſſa, ut hic ſit, ubi de Filio iſta dicuntur, qui illis qua Filius unus ille Deus eſt, ſi Filio qua Filius eſt non conveniant. Hac enim ratione aliquid dicitur quod ex parte tantum ſit verum, multo vero majori ex parte, imo abſolute loquendo ſit falſum. Adde quod aliquem ſimul eſſe & hominem & unum illum Deum tam verum ſit, quam contradictoria ſimul eſſe vera, cum homo & Deus ille unus opponantur ſicut homo & non homo, unus ille Deus & non unus ille Deus.

Ut ſit Deus omnia in omnibus. Finem exprimit in quem & ipſe Filius ſubjicietur ei qui ſubjecit ipſi omnia, poſtquam Filio ſubjecta erunt omnia, ut nullus ſuperſit inimicus, ac ne præſens quidem mundus.

Ut, inquit, *ſit Deus omnia in omnibus.* Id eſt, ut Deus ipſe per ſe omnia gubernet & regat, non amplius per Filium. Vides hic Filium diſtingui a Deo: vides Deum eſſe omnia, etiam in Filio, nec Filium quidquam habere, ac ne eſſe quidem niſi ex Dei beneficio & gratia, hactenuſque parem illius eſſe conditionem aliis cum omnibus.

Verſ. 29. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Digreſſus aliquantum etiam ad reſurrectionis conſequentia, rei tanto magis firmandæ cauſa, redit ad argumentum de reſurrectione, quam dari confirmat etiam illorum teſtimonio qui pro mortuis baptizabantur. *Alioquin*: quaſi dicat, ut ad propoſitum revertar.

Quid facient qui baptizantur pro mortuis? Id eſt, qua cauſa? quo fine? Sic enim ſolet in ejuſmodi interrogationibus uſurpari particula τί vel quid, ut & mox uſurpatur bis. Erant qui baptizarentur pro mortuis, qui fide in Chriſtum ſuſcepta morte præventi baptiſmum ipſi ſuſcipere non poterant. His vicario baptiſmo quidam ferebant opem. Nec enim pro omnibus baptiſmum inibant mortuis. Ideo nec dicit Apoſtolus ὑπὲρ νεκρῶν, ſed ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, certos mortuorum deſignans.

Si omnino mortui non reſurgunt? Id eſt, ſi nulli mortui reſurgunt, ſi mortuos reſurgere eſt ἀδύνατον.

Quid & baptizantur pro mortuis? Id eſt, quo fine, qua cauſa baptizantur etiam pro mortuis? quaſi dicat, non tantum pro ſe, (particula & paulum tranſpoſita, niſi particula & redundet,) ſi mortuorum nulla datur reſurrectio? Hinc apparet mortuorum omnes opes in reſurrectione ſitas eſſe. Alioquin enim dici poſſet, ut mortuorum animabus citra reſurrectionem omnem bene eſſet. Cæterum non dicit Apoſtolus baptiſmum pro mortuis medium eſſe aliquod legitimum & efficax, (neque enim ipſe illud uſurpabat:) ſed tantum oſtendit eos qui etiam pro mortuis baptizantur nihil dubitare de mortuorum reſurrectione, proinde juſtas de illa non dubitandi cauſas habere, alioquin enim nunquam hanc ſubirent moleſtiam, ut etiam pro mortuis baptizari ſe ſuſtinerent, quis terræ viſcera rimaretur, ſi non daretur in illis aurum invenire? quis naves fabri-

caret

caret, & se fluctibus committeret, si non daretur maria transire? Quis alas sibi facit ut in aëre volitet, cum talis in aëre volatus homini non detur?

Vers. 30. *Quid & nos periclitamur omnem horam?* Id est; qua causa, quove fine? *Et nos.* De se loquitur in numero plurativo, ut apparet ex sequentibus. Sed eadem est ratio in aliis Apostolis & Pauli similibus.

Periclitamur. Quasi dicat, quod multo plus est quam baptizari pro mortuis, ut alii faciunt. Tacite negat id se facere, & sic mortuorum quidem resurrectionem probat, cæterum factum istud supervacaneum esse significat, cum credentes in Christum per solam fidem serventur, si quominus baptizarentur per ipsos non steterit. Latro certe cruci suffixus & in cruce mortuus, sine baptismo servatus est. *Periclitamur*, de vita nimirum.

Omnem horam. Singulis pene momentis. Consequens prædicationis Euangelii notat, perpetua vitæ amittendæ & mortis adeundæ pericula, quæ tandem etiam Apostolo ab adversariis veritatis illata est. At quo fine & cui bono id facimus, si vita amissa & morte adita, mortui non resurgunt? An ergo tam stulti sumus, ut nisi certissima resurrectionis argumenta & documenta haberemus, nosmet continuis vitæ periculis & mortibus objiceremus? Iterum excluditur beatitas animarum citra resurrectionem ex mortuis.

Vers. 31. *Quotidie, καθ' ἡμέραν, morior.* Id est, quotidie sum in præsentissimo moriendi periculo, per metonymiam effecti pro causa. Undique mihi propter Euangelii prædicationem imminentibus capitalissimis Christi & Euangelii hostibus.

Affirmo per nostram gloriationem, νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν. Est modus jurandi Græcis. Sic Genes. XLII. 15, 16, *νὴ τὴν ὑγίειαν Φαραώ*, ita sit salvus Pharao. Hoc modo & Paulus: ita sit vera gloriatio nostra, quam verum est nos quotidie mori. Multum enim in eo situm erat ut crederent Corinthii fratres Apostolum singulis diebus in morte propter Euangelii prædicationem versari.

Quam habeo in Christo Jesu. Exprimit quam gloriationem notet, eam nimirum quam habeat in Christo Jesu, id est, in eo quod Christi sit servus: quasi dicat, tam hoc verum est me quotidie mori, quam verum est me in Christo Jesu gloriari. Puto Apostolum de sua, seu de communi loqui gloriatione Christianorum, non de Corinthiorum tantum: ideoque in antecedentibus verbis legendum esse *ἡμετέραν* non *ὑμετέραν*, *nostram* non *vestram*.

Domino nostro. Causam insinuat cur glorietur in Christo Jesu, quia est Dominus nostrûm omnium, & id quod dicitur esse, nempe Christus ille Dei, cujus pedibus omnia à Deo subjecta sunt, & mors ipsa ℣. 26, 27.

Vers. 32. *Si secundum hominem cum bestiis pugnavi Ephesi.* Id est, pugnavissem, per enallagen Hebraicam. Si mihi soli relictus fuissem, divina non contectus providentia, ut fieri solet illis qui humano more pugnant cum bestiis, proinde si occidissem, per metonymiam synecdochicam, ubi causa tantum ponitur, sed simul & effectus intelligitur. Intelligit autem inconditam illam & concitatam adversum se multitudinem, quæ omnibus bestiis terrior ac truculentior est, per metaphoram. Qui plebis Ephesinæ furor adversus Paulum describitur Actor. XIX, quo in furore Paulus desperaverat de vita 2 Corinth. 1. 8, 9, 10.

Quæ mihi. Intellige, in frustà, à plebe furente bestiarum more discerpto ac lacerato, *utilitas*, intellige, esset.

Si mortui non resurgunt? Vides hic iterum animarum beatitatem in cælestium gaudiorum censu positam post mortem citra resurrectionem non dari. Diceret enim aliquis: imo vero Paule, maximum haberes emolumentum anima tua cælestibus perfruente gaudiis citra ullam resurrectionem! Hanc Philosophiam, ut apparet, non intelligebat Apostolus.

Edamus & bibamus. Docet quid faciendum sibi & aliis sit resurrectione mortuorum sublata. Edamus, inquit, & bibamus, id est, perfruamur vitæ præsentis bonis ac voluptatibus, per synecdochen partis. Moderate tamen ac citra neglectum temperantiæ aliarumque virtutum, sine quibus non datur ulla vera hujus vitæ bonorum perfruitio, quod & docuit Epicurus.

Cras enim morimur. Id est, nam singulis diebus mors nobis imminet, post mortem autem nulla voluptas erit, intellige, si mortui non resurgant. Et sane qui mortuus est vivus esse non potest, nisi quatenus Deo vivit, id est, à Deo in vitam revocandus est.

Vers. 33. *Ne errate.* Id est, ne vos patiamini à fide resurrectionis abduci aut vobis persuaderi, citra resurrectionem dari mortuis aliqua vitæ cælestis bona ac præmia, aut homine mortuo nullam ei vitam aliam superesse. Maximus enim hic foret error.

Corrumpunt mores bonos colloquia prava. Causam superioris moniti exprimit: quasi dicat, nam colloquia prava, qualia sunt eorum qui mortuorum negant resurrectionem, corrumpunt bonos mores, id est, bonas sententias, & bonis sententiis, quæ ad bonos mores plurimum conducunt, corruptis, etiam ipsos bonos mores. Sola enim honestas invalida est ut homines semper in officio contineat, præsertim in Christiana sanctitate, nisi certissima resurrectionis accedat fiducia.

Vers. 34. *Evigilate.* Nimirum ex somno præteritarum opinionum, & inprimis istius opinionis, nullam dari resurrectionem ex mortuis.

Juste. Id est, sic ut somnum penitus excutiatis, & de mortuorum resurrectione nihil dubitetis.

Etiam non peccate. Nempe non credendo prædicationi Euangelii: quasi dicat, sicut evenit illis, qui adhuc somno sopiti sunt aut adhuc semisomnes sunt, ne Deo resurrectionem promittenti diffidite, quod gravissimum peccatum est.

Ignorantiam enim Dei quidam habent. Causam adfert moniti: quasi dicat, non frustra moneo. Sunt enim quidam inter vos qui Dei habent ignorantiam. Unde enim hæc resurrectionis quibusdam negatio ℣. 12, nisi ex Dei ignorantia? vel quia Deum ignorant esse, quamvis eum profiteantur ore, vel quia ignorent ejus voluntatem ac potentiam. Hinc & Christus Sadducæis resurrectionem impugnantibus:

erratis.

Erratis, inquit, non cognoscentes Scripturas neque potentiam Dei Matth. XXII. 29.

Ad pudorem vobis dico. Id est, hoc dico ut vos istius rei pudeat, esse nimirum inter vos Christi nomen profitentes quosdam qui Deum ignorent. Dari tales alibi mirum non est, sed inter Christianos locus illis non debebat ullus esse.

Vers. 35. *Sed dicet quis*. Firmata resurrectionis fide, inducit aliquem, quisquis sit, contra disputantem.

Quomodo resurgunt mortui? Id est, quis modus dari potest ut mortui qui vivere & esse desierunt iterum & sint & vivant?

Quali vero corpore venient? Loquitur ille tanquam de re præsenti, quæ affirmatur esse certo futura: quasi dicat, quod si mortui venient & redeunt, necesse est ut in aliquo corpore veniant. Quali autem obsecro corpore? an eodem quo præditi erant? an alio? an simili? an dissimili?

Vers. 36. *Insipiens*. Redarguit hæc objicientem, in quibus tamen omnia continentur quæ contra mortuorum resurrectionem objici queant. Sic & ille impius qui dicit in corde suo, non est Deus, appellatur insipiens & stultus Psal. XIV. 1. Et cum hæc objiciens mera sapientia sibi videatur uti, audit insipientis appellationem, eamque meritissimam. Nam id posse fieri divina potentia negat, quod ipsemet in natura quodammodo fieri singulis annis videt & experitur. Negat primum eum qui fit mortuus iterum divina poteutia posse vivere, quæ magna insipientia est.

Tu. Quasi dicat, tu ipse, ne longe exempla petamus.

Quod seminas. Quod mittis in agrum, puta triticum, aut aliud aliquod granum.

Non vivificatur. Id est, non fit gramen nec culmus, res vivens & viva.

Nisi moriatur. Id est, esse desinat, corrupto priore ejus antequam vivificaretur corpusculo. Loquitur de eo quod fit per naturam. Nam si supra naturam per divinam potentiam momento granum mutaretur in gramen & culmum, vivificaretur citra mortem. Sic & homo mortalis, si naturæ partes aliquæ in eo debeant esse, non fit immortalis, quæ vera vivificatio est, nisi moriatur & esse desinat, priore ejus corrupto corpore, tantum abest ut mors ad illius vivificationem impedimentum aliquod adferre valeat divinæ potentiæ. Mors igitur via est ad vitam, & corpus solvitur prius ut locum det sequenti meliori. Hinc dici solet, corruptionem unius esse generationem alterius. Nec refert quod spiritus grani non fit sine aliquo corpore, hoc enim naturaliter requiritur, & ad illius conservationem, & ut ex uno corpore naturali formetur aliud corpus naturale. Unde nec in grano talis est mors, ut spiritus grani separetur ab omni corpore, si granum vivificari debeat. Sed quod natura non potest in mortuis, quorum spiritus separatur a corpore, hoc Deus naturæ auctor & natura major potest, ut spiritum a corpore separatum sua divina conservet potentia, eumque per resurrectionem seu vivificationem futuram novo conjungat corpori. Nam in mortuis, qui adhuc revixerunt, etiam in ipso Christo, spiritus reversus est ad pristinum corpus, unde scriptum legimus de Elia: clamavit Elias ad Dominum, & ait, revertatur obsecro anima pueri hujus in viscera ejus: & audivit Dominus vocem Eliæ, & reversa est anima pueri intra eum, & revixit 3 Reg. XVII. 22. Hinc fit ut morituri spiritum suum Deo commendent, quod & Christus ipse fecit. Sicut igitur granum non vivificatur, id est, non fit gramen & culmus, nisi prius moriatur, sic neque mortalis homo fit homo immortalis, nisi prius mortale corpus deponat, quod si fiat citra mortem, mutatio est hominis mortalis in immortalem, si per mortem, locum dat resurrectioni mortui in vitam immortalem.

Vers. 37. *Et quod seminas non corpus quod oriturum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici aut alicujus cæterorum*. Nunc etiam secundam objectionis illius partem insipientiæ coarguit eodem exemplo grani: quasi dicat, & ut ad alteram objectionis partem veniamus, quid opus est quærere quo in corpore venturi sint mortui, an in eodem, an in alio, an in simili, an in dissimili? & hinc nescio quos nodos velle nectere, cum res sit in aperto. Nam quod seminas, non corpus quod oriturum est seminas, non seminas gramen vel culmum, sed nudum granum, orituro corpore haudquaquam amictum.

Ut puta tritici aut alicujus cæterorum. Intellige, seminum, ut sequenti commate additur. In specie granum tritici nominat, aut aliud quodcunque cæterorum seminum animo subjicit. Sicut igitur corpus culmi quod oriturum est non est corpus nudi grani quod seminas, longe illud ab hoc præstantia differt, sic neque corpora in quibus reviviscent & venient mortui, ea sunt corpora in quibus mortales vixerunt, & quorum corruptione mortui sunt, sed illa longe istis sunt præstantiora. Nimirum si mortuus ad hanc præsentem vitam resurgere debeat, necesse est ut animus ad pristinum revertatur corpus: sed ut resurgat ad multo meliorem & immortalem vitam, oportet ut animus ad multo melius ac præstantius corpus veniat. Quam rem in sequentibus egregie pertractat & explicat Apostolus. At corpus tamen culmi ex corpusculo grani oritur, inquies? quid tum? non tamen propterea illud ipsum est corpus, quin potius ob id ipsum aliud ac diversum, quod unum ex alio fit ortum. Adde materiam novam quæ accessit ex terra, cujus respectu exiguum quoddam est illa materia qua constabat grani corpusculum. Et in culmo quidem materiam inesse grani mirum non est, cum spiritus grani sine corpore non sit, & corpusculum grani cum orituro corpore principiis conveniat: at spiritus mortuorum ab omni corpore separatus est, & ex sequentibus Apostoli verbis manifestum est futura corpora ex cælo fore, non ex terra: quid igitur attinet, ut cælestibus illis corporibus terrestrium istorum corporum materia, toto genere ab illorum materia ac principiis differens, maneat admixta? Non enim propterea magis eadem forent corpora. Nam corpore aliquo in cineres redacto, quod ex iisdem cineribus formabitur, præsertim si multo plus aliunde accedat materiæ, aliud erit a priore corpus.

Vers. 38. *Deus autem illi dat corpus*. Nempe nudo grano, eique prius mortuo, Deo tribuit quod natura facit, quia Deus est auctor naturæ, ut hinc intelligamus eundem Deum, quod facit per naturam,

(L) etiam

etiam facere posse, atque adeo facturum esse, supra naturam, ut scilicet homini mortali & mortuo det novum corpus, priore multo etiam præstantius, & in quo vivat perfectius.

Sicut voluit. Intellige, dare, ab ipso creationis rerum omnium principio. Voluntatem ejus secutus est & perpetuo sequitur effectus, ut nihil etiam in mortuis de voluntatis ejus effectu dubitemus. Dabit nimirum Deus & mortuis corpus sicut volet, & quale iis dare constituit. Potest hoc facere & facit per naturam in seminibus, poterit etiam facere & faciet supra naturam in mortuis.

Et unicuique seminum proprium corpus. Ostendit quam dives sit Deus in variandis corporibus. Quis enumeraverit diversas seminum species? quis item enumeraverit diversas corporum species, quæ singulis seminum speciebus sunt propriæ? Notat hoc Apostolus, ut doceat esse Deo facultatem præter hæc mortalia corpora dandi hominibus & alia corpora longe diviniora.

Vers. 39. *Non omnis caro.* A seminum corporibus tam variis, ut varietatis eorum numerus iniri vix possit, etiam in ipsis corporibus carneis eandem ostendit varietatem ac multiplicitatem. *Non omnis caro*, nempe in genere,

Eadem caro. Intellige, specie, tanto vero minus numero. Nam & quæ specie sunt eadem, numero tamen sunt alia.

Sed alia quidem caro est hominum. Negationem prioris illustrat & confirmat per positionem contrarii: quasi dicat, sed alia quædam est species carnis hominum.

Alia autem caro pecudum. Intelligit omnia animalia terrestria, quæ cum homine terræ semper sunt affixa, quorum item diversas inter se species, & consequenter carnes, quis enumeraverit?

Alia autem piscium. Et istorum rursus quot sunt genera, proinde & genera carnium?

Alia autem volucrum. Quæ itidem sicut ipsæ innumeris inter se distant speciebus, sic & illorum carnes. Quis non miretur tantam Dei in producendis istis omnibus, tamque multiplicem sapientiam? & negabimus Deum homini mortali, quique sit mortuus, dare posse corpus novum, homine æque dignum ac prius, imo etiam multo priore dignius? Sique spiritum rerum conservare potest in seminibus eorumque receptaculis, ut in novis & eximiis prodeant corporibus, quanto magis idem præstare potest spiritibus eorum qui moriuntur, suæ divinæ curæ & providentiæ & omnipotentiæ commendatis? efficereque ut in multo pulchrioribus mortui revertantur corporibus, & sic iterum sint qui esse desierant. Resurgunt quodammodo parentes in filiis per naturam, cur in seipsis proprie resurgere non possint per divinam naturâ majorem potentiam?

Vers. 40. *Et corpora cælestia, & corpora terrestria.* Intellige, sunt, per ellipsin consuetam verbi substantivi. Etiam aliud longe remotius corporum genus commemorat, corpora distribuens in cælestia & terrestria. Valde opportune: cum paulo post dicturus sit, & mortuis cælestia fore corpora in resurrectione ℣. 47, 48, in terrestribus corporibus non tantum seminum & herbarum & animalium omnium quæ enumeravit, sed eorum etiam quæ anima carent vegetativa corpora continentur.

Sed alia quidem cælestium gloria. Quasi dicat, sed quamvis in genere corporum conveniant, multum tamen inter se cælestia & terrestria corpora differunt.

Cælestium quidem corporum alia est gloria. Id est, pulchritudo & decor, proinde & ratio ac natura.

Alia autem terrestrium. Habent & hæc suam gloriam, suam pulchritudinem & decorem, sed alium. Ideo mirum non est si etiam in resurrectione alia sit futura gloria corporum in quibus mortui resurgent, alia istorum in quibus ante mortem vixerunt.

Vers. 41. *Alia gloria solis.* Etiam ipsis cælestibus inter se corporibus aliam atque aliam esse gloriam dicit. *Alia gloria*, id est, splendor ac pulchritudo *solis*,

Et alia gloria lunæ. Quasi dicat, & lunæ est sua propria gloria, suus splendor proprius, non idem qui solis.

Et alia gloria stellarum. Intellige, non tantum à sole & luna, sed etiam inter se.

Stella enim a stella differt in gloria. Confirmat quod dixit, etiam stellarum inter se aliam atque aliam esse gloriam, quia alia ab alia differat.

In gloria. Id est, in splendoris magnitudine & claritate, quæ omnia eo adducit Apostolus, ut ostendat quam varia & multiplex etiam in cælestibus corporibus sit, sicut gloria, sic & ratio ac natura.

Vers. 42. *Sic & resurrectio mortuorum.* Explicata similitudine de seminato grano, deque diversis ac multiplicibus corporibus, eorumque consequenter diversa ac multiplici gloria, nunc ad similitudinem istam applicat mortuorum qua de agitur resurrectionem: quasi dicat, sic se habet resurrectio mortuorum, seu res in resurrectione mortuorum, quod quo pacto & quatenus intelligi debeat, sequentibus explicat, cum addit:

Seminatur. Nempe corpus, de corporibus enim agitur ℣. 35, & Apostolus ipse in sequentibus addit corpus ℣. 44, cujus etiam respectu sequentes qualitates insunt. Consequenter tamen etiam ipse homo seminari intelligitur, sicut & suscitari. Seminari dicit corpus & consequenter hominem, cum scilicet nascitur, de ortu enim hic agitur, non de morte ac sepultura, ut ℣. 44 videbimus, respiciens ad similitudinem grani, quia cum homo nascitur intrat in mundum, sicut & granum cum seminatur intrat in terram. Nam ut homines appellantur semen mulieris, semen Abrahami, Davidis &c, & homines dicuntur seri, dicuntur sati.

In corruptione. Id est, cum corruptione, corruptibile natura sua, ut apparet ex sequenti oppositione.

Suscitatur. Nempe in resurrectione, post hominis mortem, suscitatur postquam fuerit mortuum. Suscitatur, inquit, in præsenti, pro suscitabitur, rem veluti oculis exponens. Suscitari dicit non resurgere: homo enim resurgit. Nam & homo proprie loquendo moritur: corpus suscitatur, quod etiam de iis dicitur quæ producuntur nova Luc. 1. 69. Joan. VII. 52 & alibi. *In incorruptione.* Ἐν ἀφθαρσίᾳ, id est, natura sua corruptibile, & sic longe quam fuerat aliud, sicut & grani corpus suscitatur longe quam fuerat aliud.

Vers.

Verſ. 43. *Seminatur in ignominia.* Ἐν ἀτιμίᾳ, in pro cum, cum vilitate & cum ignominia, quippe cum certis partibus pudendis & ignominioſis, quæ idcirco & tegere oportet.

Suſcitatur in gloria. Id eſt, cum gloria, jam claritate, ſplendore radiabit ſicut ſol, nihil habens pudendum ac vile.

Seminatur in infirmitate. Id eſt, infirmum, invalidum, imbecille, quod facile fatigari, morbis affici, ab innumeris externis lædi & tolli poteſt.

Suſcitatur in potentia. Id eſt, maximæ potentiæ, nulli fatigationi, nullis injuriis obnoxium.

Verſ. 44. *Seminatur corpus animale.* Hic addit expreſſe corpus, ut appareat & in ſuperioribus corpus intelligi.

Corpus animale. Id eſt, quod animali convenit, rei quidem viventi, ſed a reſpiratione & a cibo & potu aliiſque externis vitam capienti, variis organis ad vitam, ad motum, ad ſenſum præditæ, proinde corpus craſſum ac terreæ molis.

Suſcitatur corpus ſpirituale. Id eſt, quod ſpiritui convenit, qui vitam in ſeipſo habet, nullis ad eum externis indigens adminiculis, nec corpore organico ac craſſæ molis, proinde corpus ſine ulla mole terrea. Ex hac quam videmus apodoſi, ad protaſin ſuperioris ſimilitudinis ab ipſo Apoſtolo relata, patet Apoſtolum id agere, ut oſtendat: Primo, quod ſicut granum ſeminatum in terram, & deinde mortuum vivificatur ac reſurgit: ſic etiam homo in mundum ingreſſus, & in eo vivens, ac deinde mortuus vivificabitur ac reſurget. Secundo, quod ſicut granum reſurgit in alio corpore, ſic & hominem reſurrecturum. Tertio, quod ſicut granum ſeminatur, corpus habens vilius, ſuſcitatur corpus longe præſtantius, ſic & homo naſcatur corpus habens vilius, homine autem mortuo ſuſcitetur corpus longe præſtantius. Unde conſtat Apoſtolum non alio fine de tam multiplici corporum diverſitate eorumque gloria locutum eſſe, quam ut diverſitatem corporum eorumque gloriam in quibus mortui reſurgunt, a corporum diverſitate & gloria in quibus mortales vivunt ac moriuntur, exemplis aſtrueret. Sunt qui putent Apoſtolum in exemplis corporum cæleſtium, ſolis, lunæ ac ſtellarum, inter ſe lucis gloria differentium, reſpexiſſe ad diverſos in vita futura gloriæ gradus. Sed hoc ex apodoſi non colligitur, in qua ea tantum enumerantur quæ omnibus qui reſurgent ex æquo erunt communia. Nec Apoſtoli ſcopus eſt diverſitatem gloriæ inter pios in futura vita, ſed ſimpliciter piorum reſurrectionem aſſerere. Nam Apoſtolum de reſurrectione piorum hic loqui manifeſtum eſt, idque ſcopus Apoſtoli requirit, ut ex ℣ſ. 18, 19, 20 & ſeqq. apparet. Et piorum reſurrectione ſtabilita ad capeſſenda cæleſtis vitæ præmia, ſua ſponte conſequitur & reſurrectio impiorum ad ſubeundas æterni pœnas ignis; cum Chriſtus vitam poſt mortem prædicaverit, non tantum juſtis ad beatitatis æternæ perfruitionem, ſed etiam injuſtis ad punitionis æternæ perpeſſionem. Porro non tantum ex iſta apodoſi, ſed etiam ex ipſa protaſi ſimilitudinis manifeſtum eſt, ſeminari in Apoſtoli verbis non eſſe ſepeliri. Sepelitur enim homo poſt mortem, ut granum, unde Apoſtolus metaphoram hanc ſumit, ſeminatur ante mortem, & ſeminatum demum moritur: ſic & homo prius ſeminari intelligendus eſt, deinde mori, proinde ſeminatio hominis non de morte ſed de ortu illius debet intelligi. Nec granum ſeminari debet emarcidum & ſuo ſpiritu caſſum, (neque enim exoriretur & fructum ferret) ſed vigens ac vividum. Corpus denique ſepelitur non corruptibile ſed jam corruptum, nec inhoneſtum tantum eſt cum ſepelitur, ſed etiam non vivum. Et hominis cadaver quis adhuc dicat infirmum, aut anima jam amiſſa animale?

Eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale. Hoc addit dictum ſuum veluti confirmans, ne quis neget dari corpus aliquod ſpirituale: quaſi dicat, ſicut corpus eſt animale, ſic eſt corpus ſpirituale. Per ellipſin particulæ ſimilitudinis in priori membro, in poſteriori particula & ponitur pro ſic, ut infra ℣ſ. 49, utrumque Hebræa phraſi.

Sic & ſcriptum eſt. Scripturæ teſtimonio confirmat rem ita ſe habere ſicut dixit.

Factus eſt primus homo. Quaſi dicat, perinde & conſequenter omnes ex illo prognati.

Adam. Declarat appoſitione nominis quis primus iſte ſit homo.

In animam viventem. Id eſt, anima vivens, Hebræa phraſi. Porro anima vivens Hebræis animal ſignificat. Anima enim per ſe non vivit, ſed animal. Et in Hebræo eſt Nepheſch, corpus: corpus autem vivens ſeu animal corpus habet animale, & ſic etiam ex Scriptura verum eſſe apparet ſeminari & dari corpus animale, per quod ſcilicet animal reſpirat, loco movetur, alitur, ſentit, aliud ſibi ſimile generat, & operationes ſuas exercet. Hoc Scripturæ teſtimonium ſumptum eſt ex Gen. 2. 7.

Ultimus Adam. Chriſtum intelligit, quem Adam appellat, quia & ipſe homo fuit. Adam enim Hebræis hominem ſignificat. Ultimum autem, ut eum primo homini opponat tanquam ſecundum, uti mox 47 dicitur, ſed ſimul & ultimum novi hominum generis auctorem & ſatorem, quippe hominum quæ non animalia ſint futuri, ſed ſpiritus vivifici, proinde quibus nullum aliud hominum genus dari poſſit perfectius, & ſic ulterius.

In ſpiritum vivificantem. Id eſt, ſpiritus vivificans, eadem phraſi, intellige ἐγένετο, factus eſt. Loquitur de Chriſto glorificato, nam ante glorificationem & Chriſtus erat anima vivens. Neceſſe igitur eſt ut per corpus factus ſit ſpiritus, quandoquidem cum corpus haberet animale ſpiritus non erat. Datur ergo & corpus ſpirituale. Factus autem eſt Chriſtus non tantum ſpiritus, ſed etiam ſpiritus vivificans: quia non tantum ipſe in æternum vivit, quæ ſpirituum quædam natura eſt, ſed etiam aliis vitam æternam conferendi vim habet, quippe ſecundus & ultimus Adam, id eſt, hominum in æternum viventium progenerator ac parens. Et Adam quidem quia mortales generabat, ideo & in alios vim generandi tranſmiſit, ut qnia ipſi perpetuo vivere non poſſint, generis ſui propagatione vitam in aliis conſervarent: at Chriſtus quia æternos & immortales generat, idcirco ſolus ſpiritus vere vivificans factus eſt. Hoc poſterius de Chriſto non citat Apoſtolus ex ſcriptura, ſed ſimpliciter aſſerit ex Euangelio. Diſputare de corporibus, an ſcilicet corpus hoc animale, & corpus illud ſpirituale idem numero ſit corpus, ſupervacaneũ

 puto,

puto, cum res ipsa loquatur, ea & naturis & qualitatibus & temporibus (prius enim animale, deinde spirituale, ut statim addit Apostolus) quin & materia, ut mox ℣. 47 & seqq. docemur, a se invicem differre. Sive autem quis dicat corpus spirituale ex corpore fieri animali, addita cælesti materia, (cælestem enim materia adfuturam sequentia docent Apostoli verba) sive corpori animali successurum spirituale corpus ex sola cælesti constans materia, quod ad corporum istorum unitatem attinet, perinde est aut exiguum refert. Neque enim solius materiæ unitas, multo vero minus unius ejusdemque materiæ ad aliam & novam, eamque toto genere diversam, ac multo copiosiorem materiam aliqua admixtio, aliter quam successione idem cum priore corpus facit. Nec est ut dicas etiam hominem qui sit animal, & hominem qui sit spiritus hominem mortalem & immortalem, cælestem ac terrestrem alium atque alium, nec aliter quam successione unum & eundem fore. Nam omnis ista diversitas & differentia ex corpore alio atque alio oritur: cæterum spiritus & mens una eademque manet, in cujus unitate unitas hominis consistit. Corporis differentia qualitatibus tantum differentem facit hominem, cum corpus hactenus tantum ad hominem constituendum faciat, quatenus animæ domicilium est, & operandi instrumentum. Ipsum hominis mortalis corpus in perpetuo quodam consistit fluxu, quatenus quia a calore naturali absumitur, iterum per nutrimentum reparatur, & tamen unus idemque manet homo, an si quis per morbum aliquem vel inediam totum amittat corpus, & iterum morbo vel inedia liberatus ad pristinam redeat corporis habitudinem, alius erit homo numero? Cur igitur cedente corpore animali, & succedente spirituali, alium numero credamus esse hominem, & non unum eundemque, sed multo quam ante perfectiorem ac diviniſſimum, seu pro anima vivente spiritum in seipso vitæ fontem habentem, pro mortali immortalem, pro terrestri cælestem?

Vers. 46. *Sed non primo spirituale.* Intellige ἐστὶ πρῶτον, corpus est: quasi dicat; est igitur hoc verum dari corpus animale & dari corpus spirituale, & hoc illo præstantius esse, sed quod ad temporis ordinem attinet, non primo esse spirituale in homine, ne quem turbet quod non statim in homine factum sit corpus spirituale.

Sed animale. Intellige, corpus est primo.

Deinde spirituale. Sane merito, homines enim animales ac mortales, sive vivant sive moriantur, semen sunt immortalium, seu ex quo immortales oriantur & fiant. Deus ab imperfectiori tendit ad perfectius. Par fuit ut homo prius fieret animal, deinde, si Deo sese præberet obsequentem, fieret spiritus.

Vers. 47. *Primus ex terra terrenus.* Persequitur comparationem utriusque hominis, id est Adami & Christi, ut hinc magis doceat qualia simus habituri corpora in resurrectione.

Primus homo, nempe Adam, *ex terra terrenus.* Intellige *erat*: quasi dicat, quia ex terra corpus habuit formatum, erat etiam terreus ac pulvereus.

Ex terra. Id est, ex terræ particula. Nam in totis homogeneis qualibet pars & rationem & nomen habet totius.

Terreus, χοϊκὸς, à χόος pulvis Marc. VI. 11. Hinc & cum peccasset dici sibi audivit, pulvis es & in pulverem reverteris Gen. III. 19.

Secundus homo. Hic secundum dicit quem prius ultimum appellavit ℣. 45.

Dominus, ὁ κύριος. Cum articulo emphatico, ad designandum Christum illum Dei singularem, cui titulus Domini κατ' ἐξοχὴν & absolute ac subjective tribuitur, vide supra cap. VIII. 6. Explicat ipse per appositionem, quem secundi hominis appellatione designet. Similem appositionem habuimus ℣. 45, ad declarandum primum hominem.

Ex cælo. Intellige, respectu nimirum corporis sui: de corporibus enim nunc agitur, sicut primus homo respectu corporis sui erat ex terra. Cælum opponit terræ, tanquam materiam materiæ. Intelligitur cælum illud tertium seu supremum in quo Christus degit. Loquitur enim de Christo jam glorificato. Nam & in Christo primo fuit corpus animale, deinde spirituale, proinde primo terreum, deinde cæleste. Non addit Epitheton *cælestis*; sed illud ex consequentis & oppositionis ratione intelligit, idque etiam in sequentibus effert. Sicut enim primus homo ex terra terreus factus erat, sic secundus homo ex cælo cælestis factus est. Docet nos hic locus corpora illa spiritualia fore ex cælo non ex terra. Nec mirum, cum & habitatio nostra & hæreditas futura sit in cælis. Hinc idem Apostolus ad eosdem Corinthios, *scimus*, inquit, *quod si terrestris nostra domus tabernaculi dissolvatur*, (corpus hoc animale & terreum designat) *ædificium ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis*, quippe ex cælo structam: *etenim in hoc suspiramus, domicilium nostrum quod ex cælo est superinduere desiderantes*, id est, corpus illud spirituale ac cæleste, quod non est ex terra, sed ex cælo 2 Corinth. V. 1, 2.

Vers. 48. *Qualis terreus.* Intellige, homo erat, vel factus erat, respectu nimirum corporis ac naturæ suæ.

Tales & terrei. Intellige, homines sunt, vel facti sunt, sibi enim natura & corpore similes produxit.

Et. Quasi dicat, similiter etiam, per ellypsin particulæ similitudinis, vel & pro sic, utrumque more Hebræo.

Qualis cælestis. Intellige, homo est vel factus est, nempe Christus. Hic exprimit epitheton cælestis oppositum terreo. Sicut ergo Adam erat terreus, quia corpus habuit ex terra, sic Christus est cælestis, quia corpus habuit ex cælo tanquam ex materia.

Tales & cælestes. Intellige, homines erunt vel fient, corporis nimirum sui respectu. Nam animus seu spiritus manebit idem: sibi similes producet, sicut terreus ille produxit.

Vers. 49. *Et sicut portavimus imaginem terrei.* Ne quis putet nos Christo glorificato non futuros corporibus similes. *Portavimus*, inquit, licet adhuc portemus ac portabimus, quamdiu in hac mortali vita sumus, seu præteritum ponit pro præsenti, quia respicit ad illud tempus quo imaginem hanc portare desinemus.

Imagi-

Imaginem terrení. Quæ in similitudine corporis & naturæ consistit.

Portabimus. Id est, sic portabimus, per ellypsin particulæ similitudinis, portabimus nimirum suscitati ex mortuis & immutati.

Et imaginem cælestis. Nempe nos Christiani, imaginem Christi, id est, cælesti corpore Christo similes erimus.

Vers. 50. *Hoc autem dico fratres.* Nempe de longe aliis in resurrectione corporibus.

Quia caro & sanguis. Quasi dicat, quæ sunt nostra quæ nunc habemus corpora.

Regnum Dei. Id est, beatum illum cælestis vitæ & gloriæ statum.

Hæreditate possidere. Id est, æternum ac per naturam suam possidere,

Non possunt. Hoc natura carnis ac sanguinis non fert. Necesse igitur est ut corpora nostra, qui regnum Dei sumus hæreditate possessuri, tum non sint caro & sanguis, & consequenter nec cutis, nec ossa, nec cartilagines, nec venæ, nec nervi, nec arteriæ, & quæ aliæ sunt corporis istius nostri partes: sed ut sint corpora spiritualia & cælestia, quorum beneficio fiamus cælestes homines & spiritus ad regni Dei hæreditatem idonei. Hinc patet Apostolum hic non loqui de vitiis & carnis operibus, quæ nec caro nec sanguis usquam appellantur. An enim quia regnum Dei possidere non possunt homines carni deditì, idcirco dicendum Apostolo fuit de longe aliis in resurrectione corporibus? An porro Deus carnem & sanguinem mutaturus sit in spirituale corpus, & an hanc mutationem ferat carnis & sanguinis natura, an vero carne & sanguine, in sua resolutis principia vel absorptis, ex cælo dabuntur corpora cælestia ac spiritualia, disputare, ut supra diximus, nil refert. Nam sive hoc sive illo modo res fiat, nihil salutis nostræ interest, dummodo corpora nos habeamus hæreditati regni Dei apta, id est, non carnem & sanguinem, sed corpora spiritualia & cælestia. Hoc certum est cælum non defuturum illis corporibus, sicut hisce, id est, carni & sanguini, non deest terra. Sed hac de re ✝. 53 plura.

Neque corruptio incorruptibilitatem hæreditate possidet. Id est, possidere potest. His verbis veluti causam insinuat ob quam caro & sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possint, quasi dicat, corruptio incorruptibilitatem hæreditate possidere non potest. Sunt enim contraria, & alterum pellit alterum, longeque a se arcet. At caro & sanguis sunt ipsa corruptio, id est, res natura sua non tantum corruptibilis, sed etiam corrumpi valde facilis. Abstractum ponit pro concreto, seu substantivum pro adjectivo, ut fieri solet in exaggerationibus, ut effectum pro causa, corruptionem pro corruptibilitate. Nam si vita carni & sanguini inest perpetuo, naturali calore consumuntur, si abscedit, continuo putrescunt: quid facilius scinditur ac dividitur quam caro? quid facilius effunditur quam sanguis? Jam vero regnum Dei ipsa est incorruptibilitas, seu incorruptibilitatem in se continet. Quo pacto igitur caro & sanguis regnum Dei hæreditate possideat? Non negat Apostolus carnem & sanguinem ad tempus aliquod in Dei regno posse versari per divinam potentiam, sed hæc foret vis non jus, proinde nec hæreditas, quæ non violenta, sed juridica & perpetua est possessio.

Vers. 51. *Ecce mysterium vobis dico.* Opportune mysterium hoc exponit, ne dicerent, an ergo moriendum omnibus erit, ut corpora hæc corruptibilia per mortem deponant? Quid nobis fiet qui carnem & sanguinem per mortem non deposuimus, seu qui vivi proinde in carne & sanguine deprehendemur per adventum Christi? An nobis omnibus prius erit emoriendum?

Ecce, inquit, ut animum advertant,

Mysterium. Rem arcanam, quam nemo novit nisi a Deo revelatam.

Vobis dico. Nempe ut eam cognoscatis. Neque enim Dei mysteria sunt, quæ quid sint intelligi non possint, seu quæ non aliter quam tanquam contradictoria, proinde tanquam falsa possent intelligi; (Nam quid juvaret talia nobis proponi) sed quæ scire non possunt nisi revelentur & nobis dicantur: at revelata & enunciata sciri & intelligi possunt, summaque cum animi voluptate cognoscuntur. Quale & hoc ipsum est, quod nobis hic expositum it Apostolus.

Omnes quidem non obdormiemus. Id est, non moriemur, consueta metaphora.

Omnes autem immutabimur. Quotquot scilicet non obdormiemus. Loquitur de solis Christianis. Intelligit autem omnes quotquot non obdormient, seu non morientur ante Christi adventum. Nam mortuorum non immutatio erit sed resuscitatio, ut sequenti dicit commate. Ostendit igitur nihil referre etiamsi non omnes carnem & sanguinem per mortem deponant, esse modum alium quo citra mortem carne & sanguine sint exolvendi, nimitum immutationem ✝. 52.

In momento. Ἐν ἀτόμῳ, in puncto temporis.

In ictu oculi. Docet quanta futura sit mutationis istius celeritas, ne quis in ea mortem aliquam vel vitæ privationem, & spiritus a corpore separationem cogitet, simul caro & sanguis seu corpus animale aberit, simul corpus spirituale & cæleste aderit. Eodem puncto utrumque fiet. Ita mortis exsortes erunt qui mutabuntur divina potentia. Mutationes quæ per naturam fiunt, temporis aliquo tractu fiunt: at hæc mutatio supra naturam fiet. Ideo nec ex uno corpore fiet in aliud, nec in depositione prioris corporis ulla mors interveniet, nec vita mutabitur in mortem aut mors in vitam, sed vita mortalis in immortalem.

In ultima tuba. Docet quo tempore immutatio ista sit futura, cum scilicet ultima clanget tuba. Tubam ponit Apostolus pro clangore tubæ, per metonymiam causæ, & simul metaphoram. Neque enim vox illa divina & Archangelica 1 Thess. IV. 16 proprie dictus tubæ clangor erit, sed quiddam omnium clangore tubarum multo magis sonorum. Hinc & Christus tubam hanc dicit vocis magnæ Matth. XXIV. 31. Ultimam dicit, quod omnibus hominum tubis, ut & toti mundo hæc tuba finem imponet.

Canet enim tuba. Nempe Archangelus Christi venturi tubicen, Dei ipsius habiturus tubam. Dicto loco ad Thessal. confirmat Apostolus quod dixit

de ultima tuba. Nam & Christus ipse de adventu suo agens, tubæ istius meminit dicto loco apud Matthæum. Solent Reges multis millibus comitati cum clangore tubarum venire, & tubis signum solet dari. Etiam Christus Rex Regum omnium, multis Angelorum myriadibus stipatus, cum clangore tubæ veniet, quæ una præ omnibus tubis erit, & ideo una, quia pluribus non erit locus, ut in hominum sit tubis, quæ tanto magis clangunt quanto sunt plures. Et tuba signum dabit ut mortui resurgant incorruptibiles & vivi immutentur.

Et mortui, inquit, *excitabuntur incorruptibiles*. ἄφθαρτοι, corrumpi nescii, quippe in corporibus spiritualibus & cælestibus: quasi dicat, sicut supra jam docui. Respicit ad supra dicta ✝︎. 43, 44, 47, 48. Neque huic rei superius jam explicatæ immoratur.

Et nos. Nempe qui non moriemur ante Christi adventum & inveniemur vivi.

Immutabimur. Nempe pro carne & sanguine habituri in momento corpora spiritualia. Prius mortuorum resuscitationem ponit Apostolus quam vivorum immutationem, quia & prius in ultima tuba fiet 1 Thess. IV. 6. Hoc habebunt in solatium mortis qui mortui sunt. Et sane merito a pluribus magisque a vita remotis opus suum Christus incipiet. Solet autem Apostolus de se & aliis sui temporis loqui tanquam ad Christi adventum victuris, non quod id opinaretur, quod Christi ecclesiam multa per secula duraturam esse nosset Eph. III. 21; Sed ut doceret nos in adventum Christi semper debere esse intentos, & sic vivere tanquam si hodie Christus venturus esset. Neque enim salutis nostræ sicut & damnationis quidquam refert, sive nos Christus mortuos sive vivos inveniat, qui rationem ac modum inveniet quo & impiis sua det corpora ad ignis æterni supplicium. Et quod Deus in visione repræsentavit Ezechieli, potuit etiam repræsentare in reipsa, non tantum in sensu locutionis tropicæ & metaphoricæ, ut fecit populo Judæorum ex Babylonica captivitate in patriam & regnum restituto, sed etiam in sensu locutionis propriæ Ezech. XXXVII. ✝︎. 53.

Oportet enim. Causam istius immutationis eandem affert in viventibus quam attulit in mortuis, non in carne & sanguine, sed in corporibus spiritualibus & cælestibus resuscitandis, ipsamque simul mutationem exponit. Oportet nempe ad regnum Dei hæreditate possidendum

Ut corruptibile hoc. Nempe corpus quod habemus. Veluti manu id tangit & monstrat Apostolus, caro scilicet & sanguis,

Induat incorruptibilitatem. Quod qua ratione futurum sit, an quod Deus carnem & sanguinem facturus sit corpus incorruptibile, an quod carni & sanguini sive corruptibili huic corpori superventurum sit ex cælo corpus incorruptibile nobis, ut ✝︎. 50 diximus, perinde sit. Posteriori certe sententiæ magis favent quæ supra Apostolus de corporibus in qua resurrecturi sint mortui disseruit. Neque enim alia futura est ratio corporum in immutatione quam in resurrectione. Deinde nec minus aliud futurum esset corpus, si caro & sanguis desineret esse id quod est, & fieret spiritus, scilicet corpus toto genere differens, id est, incorruptibile ex corruptibili, ex terreno cæleste. Ipsum etiam induendi verbum posteriori sententiæ propius videtur. Cur enim non dixisset simpliciter, oportet corruptibile hoc ut fiat incorruptibile, & mortale hoc fiat immortale? Quid hic faciat vox induendi? Neque enim accidentia seu qualitates indui per se possunt. Et quæ hac ipsa de re iisdem pene verbis posteriore docet epistola cap. V, huc magis inclinant. Nam terrestri huic nostro tabernaculo, id est, corpori mortali, opponit domum æternam in cælis ✝︎. 1, aitque nos *in hoc*, id est, ob hoc, *suspirare*, *quod cupiamus domicilium* illud *nostrum quod ex cælo est*, *superinduere* ✝︎. 2, nempe super hoc mortale corpus. Ubi videmus idem induendi verbum, nisi quod pro simplici ponat compositum, ex occasione aliorum nudorum, aliorum corpore mortali indutorum. Sed tamen & superinduere est induere. Addit enim ✝︎. 3: *si modo etiam induti*, id est, corpore hoc mortali amicti, *non nudi*, deposito nimirum per mortem hoc mortali corpore, *reperiamur*, a Christo nimirum adventuro: quasi dicat, nam si nudi reperiemur, non superinduemus cæleste domicilium, sed tantum induemus. Ideo subjicit: *etenim qui sumus in tabernaculo*, id est, in corpore mortali, *suspiramus gravati*, afflictionibus nimirum, *eo quod nolumus exui*, nempe hoc corpore, *sed superindui*, nempe supra hoc mortale corpus immortali corpore.

Ut absorbeatur hoc mortale a vita. Ne quis dicat, quid ergo, an duo corpora sicut duas vestes unam supra aliam gestaturi sumus? Non, sed ut absorbeatur mortale corpus,

A vita. Id est, a corpore immortali, quod mere vita est, per metonymiam effecti exaggerativam, ut supra carnem ac sanguinem eadem phrasi, sed sensu contrario dixit ipsam corruptionem, & φθορὰν 1 Corinth. XV. 50. Vitam intelligit ὡς ἐξοχὴν dictam, nempe æternam. Nimirum nolumus absorberi a morte, mallemus ut absque morte corpus nostrum mortale absorberetur a vita in atomo, ut supra dixit ✝︎. 52. Sic igitur & hîc corruptibile hoc induet incorruptibilitatem, & mortale hoc induet immortalitatem, quatenus induet corpus quod ipsa erit incorruptibilitas & immortalitas, eadem qua modo metonymia adjuncti pro subjecto, qualitates tamen ipsas dicere maluit, quod id facilius intelligatur, & tamen res ipsa doceat qualitates ipsas istas a corruptibili & mortali corpore indui non posse, nisi simul induatur ipsum qualitatibus istis præditum corpus. Qualitates enim supponunt corpus. Et si quamdiu sumus in hoc corpore, tamdiu peregrinamur a Domino 2 Cor. V. 6, necesse profecto est ut migremus ex hoc corpore, quo cum Domino esse, & apud Dominum habitare possimus ✝︎. 8. Jam vero si in viventibus corpus mortale, proinde caro & sanguis absorbebitur a vita, quid attinet ut mortui ad eandem vitam resurrecturi, in carne & sanguine resurgant, quorum caro & sanguis jam absorpta sunt a morte?

Et

Et mortale hoc, nempe corpus, *induat immortalitatem*. Eandem rem verbis exprimit propinquioribus. Corruptio enim & incorruptio eorum etiam esse potest quæ non vivunt, at mortalitas & immortalitas eorum tantum est quæ vivunt. Mortale autem & immortale dicitur corpus, quatenus mortalitatis vel immortalitatis est causa. Nam alioquin mortalitas & immortalitas proprie competit toti subjecto. Hinc patet quomodo debeant intelligi similia Apostoli verba, vivificabit Deus mortalia corpora nostra Rom. VIII. 2, transfigurabit Christus corpus nostrum humile, ut fiat conforme corpori ejus glorioso Phil. III. 21. Loquendi modi ex rebus intelligendi sunt, non contra.

Vers. 54. *Quando autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo ille scriptus: absorpta est mors in victoriam.* Docet hanc mutationem corruptibilis & mortalis corporis, ut scilicet induat incorruptibilitatem & immortalitatem in Scriptura prædictam esse, nimirum Esa. XXV. 8. Hos. XIII. 14, & sic se Scripturæ consentanea loqui. Nam cum hæc mutatio fiet, tum demum etiam *fiet*, id est, effectum suum sortietur sermo ille scriptus:

Absorpta est mors in victoriam. Hoc enim sermone dicitur mortem absorptam esse ab hominibus, ita ut eum penitus & momento vicerint, quo pacto vinci solent quæ deglutiuntur & absorbentur. Dicitur, inquam, homines idipsum morti fecisse, quod mors faciebat hominibus. Ideo addit,

In victoriam. Nam alias mortem deglutiunt qui mortiferum aliquid deglutiunt, velut ex Hebræo constat, *in æternum*, victoria ponitur in textu Græco pro æternitate, per metonymiam effecti, quod æternitas omnia vincat, Hebræi enim lenatzach dicunt in sempiternum, in perpetuum. At hoc nondum impletum est, nec ante impleri poterit, vere nimirum & perfecte, quam cum mortales momento fient immortales & incorruptibiles. Ponitur autem jam præteritum quod adhuc futurum est, Prophetarum more, rem futuram tanquam jam factam oculis subjicientium. Sensum verborum istorum mysticum exponit Apostolus. Nam literalis de liberatione populi a cædibus agit.

Vers. 55. *Ubi tuum ô mors spiculum? ubi tua inferne victoria?* Plura addit Scripturæ verba idipsum confirmantia. Continet enim sensu itidem mystico epinicion eorum qui ex mortalibus momento fient immortales, quo victores insultant morti & inferno, per prosopopoeiam inductis.

Ubi tuum o mors spiculum? Intellige, est? Solebas hominibus spiculum tuum infigere, id est, homines vita privare, per metaphoram ab animalibus, quorum spicula sunt venenata & lethalia. Ubi nunc est tuum spiculum? Cur nobis id non infigis? Nimirum quia non potes, quia jam de te actum est. Absorbere nos solebas, ipsa nunc a nobis in æternum absorpta & in nihilum es redacta.

Ubi tua ô inferne victoria? Solebas, ô inferne, omnes vincere, uno & altero tantum excepto, nemo tibi poterat resistere, etiam ex sanctissimis, etiam ipsi Dei Filio jura tua subire fuit necesse, ubi nunc est tua victoria, quare non vicisti? Nimirum quia ipse a nobis victus & penitus abolitus es? Morti jungitur infernus, quia qui moriuntur descendere dicuntur in infernum, in locum infimum & immensæ voraginis ac tenebricosissimum, (unde & ᾅδης Græcis dicitur) in terram oblivionis & silentii, qua metaphora declaratur mortuos in eum devenire statum, ex quo nullus ad vitam & superos naturæ viribus pateat reditus.

Spiculum autem mortis peccatum. Intellige, est. Docet Apostolus peccatum simul abolitum esse: quasi dicat, cum autem spiculum mortis sit peccatum, necesse est ut spiculo mortis abolito peccatum sit abolitum. Peccatum dicitur mortis spiculum, quatenus mors nullam hominibus nocendi vim & facultatem habeat, nisi peccati fiant rei. Peccando homines morti spiculum inferunt ipsimet quo perimantur. Quia ergo mors mordere non poterit homines, necesse est ut spiculum illi sit exemptum, id est, homines omni peccati reatu sint soluti, & sic peccatum sit ablatum & abolitum.

Vis autem peccati Lex. Consequenter docet etiam Legem nostri respectu qui spiritu agimur sublatam & abolitam esse Gal. v. 18. Nam si hæc maneret, peccatum suam vim retineret. Lex enim quæ peccatores morti damnat, peccato vim largitur. Nam peccatum non imputatur Lege non extante Rom. v. 13, & ubi Lex non est, ibi nec transgressio IV. 15. Cum igitur peccatum vim omnem amiserit in hominibus morti subjiciendis, necesse est ut Lex amiserit suam in nobis.

Vers. 57. *Gratia autem Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Non potuit se continere Apostolus, quin tanto Dei beneficio commemorato, in gratiarum actionem erumperet.

Gratia autem, intellige, *sit*. Hoc loco habeatur & agatur,

Deo qui dedit nobis victoriam. Id est, qui nos tanto & tam ingenti beneficio affecit, dando nobis victoriam mortis & inferni, proinde & a peccati reatu, & a Legis dominatu nos liberando. Dedisse nobis Deus victoriam mortis & inferni dicitur, quia certo daturus est, & ea jam fecit ex quibus hæc victoria necessario, dummodo nos officium nostrum faciamus, consequetur.

Per Dominum nostrum Jesum Christum. Docet per quem & Deus tantum nobis beneficium dederit, & nos vicissim Deo gratias reddere debeamus. *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, inquit, per quem videlicet Deus nos in ipsum credentes, & peccatorum omnium reatu exsolvit, & Legi, quæ litera est, penitus exemit, ut nos legi, quæ spiritus est, subjiceret, & mortuos suscitaturus est incorruptibiles, & viventes momento immutaturus, ut ex mortalibus fiant immortales: quem eo fine Dominum nostrum effecit, tradita illi omni in cælo & in terra potestate, ut & nos vicissim per eundem Deo gratias habeamus & agamus. Omnia enim ex Deo per Jesum Christum, & nos vicissim in Deum per ipsum cap. VIII. 6. Vides hic distingui Jesum Christum Dominum nostrum a Deo, & alium esse Deum illum unum, alium Jesum Christum Dominum nostrum. Vides Deum esse primam salutis no-

stræ

stræ causam & nostri finem ultimum. Jesum Christum autem Dominum nostrum, intermediam causam, & finem intermedium.

Vers. 58. *Itaque fratres mei dilecti.* Ex supra dictis infert adhortationem cum amabili compellatione, quo tanto sit acceptior & efficacior: quasi dicat, cum igitur certum sit nos in Christum credentes, si moriamur, resuscitatum iri incorruptibiles, si vivamus ad Christi adventum, immutatum iri, ut fiamus immortales.

Stabiles estote. Nimirum in fide in Christum, qua resurrectionem & immortalem vitam vobis per ipsum despondetis.

Immobiles. Nulla res, nulla dubitatio, nulli sophistarum paralogismi, nulla pravorum hominum colloquia vos ab hac fide dimoveant.

Abundantes in opere Domini semper. Recte fidei addit opera. Frustra enim creditur nisi fides exeat in opera. Neque enim otiosis vita æterna a Domino promissa est, sed in opere ejus abundantibus. *Opus Domini,* id est, Christi, est omne id quod ut operemur, qua verbis, qua factis, Christus præcepit, verbis, ut nomen ejus confiteamur, factis, ut alii alios amemus, & omnem justitiam & sanctitatem exerceamus. Abundare in opere Domini est nullam recte faciendi occasionem prætermittere, & ad omne bonum opus promptum & alacrem esse. *Semper,* id est, quovis tempore, nec intermisso studio.

Scientes, ex superius dictis nimirum, *quod labor vester non est inanis in Domino.* Docet quare fides in Christum faciat ut in opere Domini abundemus, quia nimirum scientia quædam est, fore ut labor noster non sit inanis in Domino, id est, Christo. Videmus, justis de causis credere, quales supra exposuit Apostolus, scientiam quandam esse. Ideo enim Corinthios hoc vult scire, quod eis tam solidas istius rei causas ac rationes exposuerit. Unde credere & scire etiam alibi apud hunc ipsum Apostolum non raro permutantur. Verum quidem est ad fidem non requiri mathematicam demonstrationem, sed requiri tamen persuadentes seu justas & graves credendi causas, ne temeraria sit fides, & viro prudente ac sapiente indigna, requiri præterea ut intelligas quid sit id quod credas. Est quidem fides credere quod non vides, sed haudquaquam fides est credere id quod quid sit plane nescias: (fidem enim intelligo vivam & ad charitatem efficacem:) multo vero minus fides est credere quod non aliter quam contradictorium intelligas & intelligere possis.

Quod labor vester. Hæc verba docent in opere Domini abundare laborem esse, eumque Christianis proprium, quem vero alium quam virtutis, justitiæ, charitatis, temperantiæ, sanctitatis, patientiæ, & in omni bono opere constantiæ? Christianorum laborem aliis opponit laboribus.

Non est inanis. Id est, non est sine fructu & emolumento infinitis partibus quam ipse est majore, ut nulla causa sit illius defugiendi, maxima autem sit causa illius indefesso studio exantlandi. Videmus sine labore Christianis proprio nemini patere aditum ad præmia cælestia.

In Domino. Id est, per illum ipsum Dominum, id est, Christum, in cujus opere abundatis, & cui laboratis, & in quem creditis. Hic est qui vos post exhaustos Christianæ pietatis labores ex mortuis suscitabit incorruptibiles, aut corpora vestra vilia & mortalia transformabit, ut fiant conformia corpori ejus gloriosissimo, secundum efficaciam qua potest sibi subjicere omnia Phil. III, 21. Possunt hæc verba, *in Domino,* etiam laborem nostrum definire. Labor nimirum vester, non quivis, sed qui est in Domino, id est, qui Domini causa & ad mandatum ejus suscipitur, ut respiciat Apostolus ad id quod dixit, abundantes in opere Domini: quasi dicat, non de quolibet labore vestro loquor, sed de labore vestro in Domino.

CAPUT XVI.

Vers. 1. De *collecta autem in sanctos.* Nempe Hierosolymitanos, ut patet ex ℣. 3. Post superius monitum, ut abundemus in opere Domini semper, recte mentionem facit collectæ in sanctos, id est, Christianos Hierosolymitanos. Erat enim hoc singulare & eximium opus Domini præceptis valde conforme, ut inter fratres ex gentibus ad fidem in Christum conversos, & omnium Euangelii bonorum factos participes, numarium subsidium pro pauperibus fratribus Judaicæ gentis Hierosolymis degentibus colligeretur, contribuentibus ad id & certatim conferentibus fratribus ex gentibus ad fidem conversis. Nam & justum id erat, ut qui Judæis fratribus tantis in bonis communicabant, vicissim & Judæis fratribus de suis facultatibus communicarent. Erat hic insignis a gentibus suscepti fructus Euangelii, qui & gloriam Christo maximam adferret, & Judæorum animos gentibus in Christum credentibus, inprimis Apostolo Paulo & aliis qui gentibus prædicabant, mirum in modum conciliaret, & plane redderet obnoxios. Unde & inter Paulum & Barnabam, & inter Petrum aliosque Apostolos ita convenit, ut Paulus & Barnabas gentibus prædicantes pauperum essent memores Gal. 2. 9, 10, quod & Paulus summa cura fecit. Ideo & hic collectæ istius meminit.

Sicut ordinavi ecclesiis Galatiæ. Ne se solos gravari dicerent.

Sic & vos facite. Habetis exemplum quod imitemini.

Vers. 2. *Secundum unam Sabbatorum.* Exponit ordinationem ecclesiis Galatiæ datam, quam & ipsi observare debeant, id est, prima quaque Sabbatorum. Diem primum in septimana intelligit, qui Dominicus dicitur, quo Christiani sacros conventus agere solebant, quod hoc die Christus ex mortuis suscitatus esset, & primam cum suis redivivus congregationem celebraret Dominus, quasi Domino sacer & dicatus.

Unam, pro prima dicit, Hebræa phrasi.

Secundum unam. Phrasi Græca, pro prima quaque, sic καθ' ἡμέραν, quotidie.

Sabbata dicuntur & reliqui dies, per communicationem nominis quod septimæ diei proprium est.

Unusquisque vestrum apud se ponat. Non vult ullum

lum ex fratribus hujus tam pii & sancti operis exsortem esse. Vult ut quisque sanctorum die illo sacro sacram rem faciat, nempe ut *apud se*, id est, domi suæ, *ponat*, id est, reponat, numos nimirum: ipse sit apud se exactor & custos istius contributionis sacræ.

Recondens, θησαυρίζων. Vere thesaurum colligit qui recondit quæ in sanctorum usus eroget.

Quicquid prosperetur, ὅ τι ἂν εὐοδῶται. Non definit quantum quisque apud se reponere & recondere singulis diebus Dominicis debeat ad hanc sacram collectam, cujusque voluntati & prosperitati totum hoc relinquit. Sacrificium enim hoc debebat esse voluntarium cui sua cujusque pietas & facultas præscriberet modum.

Ut non cum veniam tunc collectæ fiant. Intellige, rebus non præparatis. Nam alioquin tamen fine collecta pecunia colligi & in unum conferri non poterat. Causam attexit ordinationis istius. Quam pium & sanctum esset si Christianorum quisque morem hunc observaret, & singulis diebus Dominicis aliquid pro rerum suarum facultate & successu reconderet in usus pios, & thesaurum haberet paratum, ex quo cum opus esset depromeret quod elargiretur!

Vers. 3. *Cum autem præsens fuero*. Docet quid cum collecta sit facturus ubi advenerit.

Quos probaveritis per epistolas. Id est, quos epistolis ad fratres Hierosolymitanos instruxeritis, dantes illis in epistolis istis fidei & probitatis testimonium, iisque negotium hoc deferendæ collectæ demandantes.

Hos mittam. Quasi dicat, non mittam quos ego voluero, sed quos volueritis vos, hæc res non meo stabit arbitrio, sed vestro, quippe vestra erit hæc pecunia, id est, a vobis collata, non mea.

Ut deferant gratiam vestram. Id est, collatam & collectam ex gratia & charitate vestra pecuniam, per metonymiam causæ pro effecto, gratiam pro gratiæ fructu.

In Jerusalem. Ubi sancti isti habitabant in quorum usum hæc collecta fiebat.

Vers. 4. *Si vero sit dignum ut & ego eam*. Id est, si sit tanti, si sit & collectæ tanta magnitudo, & is divinæ gloriæ usus, ut dignum sit & me proficisci,

Mecum ibunt. Non ibo solus, sed adjungam illos mihi comites, tanquam pecuniæ istius custodes, ne me criminationibus malorum & malevolorum objiciam 2 Cor. VIII. 20, 21.

Vers. 5. *Veniam autem ad vos*. Quia fui ad ipsos adventus mentionem fecit, addit quando sit venturus.

Quum Macedoniam transivero. Id est, peragrata Macedonia cum Euangelio.

Macedoniam enim transeo. Id est, in eo sum ut Macedoniam transeam, per enallagen temporis. Nam nondum ingressus erat Macedoniam hæc scribens. Vide Act. XIX. 21, & XX. 1, & mox versus octavus arguit epistolam hanc Epheso scriptam, proinde ex Asia, non ex Macedonia. Quam igitur verum est eam Philippis esse scriptam? ut epistolæ subjicitur.

Vers. 6. *Apud vos autem forte permanebo*. Nempe ad tempus aliquod, ut vs. 7 addit: quasi dicat, in Macedonia nusquam morabor, apud vos autem forte subsistam ad tempus. Non affirmat id pro certo. Neque enim sciebat quid eventurum esset, sed se ab eo alienum non esse ostendit, dummodo id res ferant & Dominus permittat, ut sequenti commate additur.

Vel etiam hyemabo. Quasi dicat, nec alienus ab eo sum ut etiam totam sequentem hyemem apud vos transigam. Singularem in hoc affectum suum testari voluit Corinthiis.

Vers. 7. *Nolo enim vos nunc in transitu videre*. Quasi dicat, ne quis existimet mihi satis fore si vos in transitu videam. Nolo id nunc facere.

Spero autem tempus aliquod me mansurum apud vos, si Dominus permittat. Docet qua ratione speret fore ut tempus aliquod apud ipsos maneat, si nimirum Dominus, id est, Christus, permittat: quasi dicat, in ejus manu sunt sicut omnia mea, sic & consilia & temporum ac itinerum meorum dispensationes. Recte hoc addidit: nam ad Corinthios non venit 2 Cor. I. 17, 23. Vide autem Christi providentiam & curam de servis suis.

Vers. 8. *Manebo autem Ephesi usque ad Pentecosten*. Ergo nondum abierat in Macedoniam, sed Ephesi erat cum hæc scriberet, ubi se mansurum etiam dicit ad festum usque Pentecostes.

Vers. 9. *Janua enim mihi aperta est magna & efficax*. Causam addit suæ istius in Epheso permansionis & commorationis, quod istic sibi a Deo data esset magna & efficax, id est, valde commoda occasio promovendi Euangelii. Utitur locutione metaphorica.

Et adversarii multi. Quasi dicat, sicut multi sunt Euangelii audiendi cupidi, & ad illud suscipiendum proni, atque adeo multi illud jam susceperunt, (quod per januam illam apertam, magnam & efficacem significat) sic & multi sunt qui se opponunt Euangelio, qui proinde sunt coarguendi & amovendi, ne januam illam obstruant. Vide Act. XIX.

Vers. 10. *Si autem veniat Timotheus*. Commendat illis Timotheum si ad illos veniat, haud dubie quod sciret Timotheum id in animo habere, aut quod etiam mandatum ea de re a Paulo accepisset, & in locis Corintho vicinis versaretur. Nam si per ipsum Timotheum epistola hæc missa esset, ut habet addita a quodam subscriptio, non dubitanter loqueretur Apostolus *si veniat*; sed venientem & missum iis commendaret.

Videte ut sine timore sit apud vos. Apparet Timotheo peculariter infensos & insidiari solitos fuisse Judæos ob Euangelii prædicationem, quod scirent ejus patrem fuisse Græcum, qua

quæ causa etiam erat Paulo ut eum, quippe matre natum Judæa, circumcidi curaverit Act. xvi. 1, 2, 3. Monet igitur fratres Corinthios Apostolus, ut Timotheo suis præsidiis, sua custodia, & laterum suorum opposita omnem timorem démant, qui maximum impedimentum adferret in Christi ministerio.

Opus enim Domini operatur sicut & ego. Causam adfert sui moniti, quia, inquit, non minus quam ego opus Domini operatur. *Opus Domini*, id est, Christi, erat Euangelii prædicatio, quippe a Domino demandata & in gloriam Domini tendens. Quod opus cum juxta Apostolos operaretur & peregeret Timotheus, dignus erat ut etiam juxta Apostolos maximæ curæ esset omnibus qui Christum pro Domino suo habent & colunt.

Vers. 11. *Ne quis igitur ipsum contemnat.* Intellige, quasi minus dignum cura & custodia quam vel ego sim, vel alius aliquis Apostolus. Conclusionem infert ex præmissis. Credo respicit ad Timothei tum temporis juventutem, quæ non tam solet esse in honore & auctoritate quam senectus. Vide 1 Tim. iv. 12.

Deducite autem ipsum. Nempe abeuntem: quasi dicat, non tantum quamdiu apud vos erit sine metu sit; sed etiam abeuntem a vobis deducite, nempe per aliquos fratres, ad id a vobis delectos ac deputatos.

In pace, Id est, ut in pace sit, & tutus ac securus ab improbis hominibus.

Ut veniat ad me. Finem deductionis istius exprimit. Ne quis dicat, si maneat Corinthi deductione non habebit opus. Volebat nimirum Apostolus ut commoditatem omnem haberet Timotheus veniendi ad se.

Exspecto enim ipsum cum fratribus. Causam istius rei addit, quia ipsum exspecto, inquit, cum fratribus, credo qui Corintho reversuri erant ad Apostolum, per quos etiam epistolam hanc missam fuisse credibile est, & quibus ut Apollos comitem se adderet contendebat Apostolus, ut statim addit.

Vers. 12. *De Apollo autem fratre.* Mentione facta Timothei meminit & Apollo, ne cogitarent, si volebas Timotheum ad te venire, cur non egisti ut Apollo cum fratribus istis ad nos veniret, & nobiscum ad tempus permaneret? Quasi dicat, quod autem attinet ad Apollo fratrem:

Multa rogavi vel *hortatus sum ipsum.* Id est, multis modis & rationibus cum ipso egi.

Ut veniret ad vos cum fratribus. Habens tam commodam ad vos veniendi occasionem in tali comitatu.

Cum fratribus. Nempe istis qui a nobis ad vos profecti sunt, & cum quibus a vobis redeuntibus Timotheum exspecto.

Et omnino non erat voluntas ut nunc veniret. Et pro *sed*, per Hebraismum: quasi dicat, sed nullo modo impelli potuit ut nunc veniret.

Veniet autem cum opportunitatem nactus fuerit. Ne putarent eum nunquam venire velle: ideo & prius addidit particulam *nunc*, & his verbis expresse promittit adventum ejus Corinthiis, cum opportunitatem nactus fuerit. Apparet Apollo non ipsam per se voluntatem defuisse veniendi ad Corinthios fratres, sed opportunitatem, quod aliis impediretur illo tempore negotiis.

Vers. 13. *Vigilate.* Paulus aberat, Timotheus ad Paulum venire debebat, Apollos ad Corinthios ire tunc nolebat. Inserit igitur monitum memorabile quo Corinthios exstimulat ut ipsi per se Christianæ pietatis officia gnaviter impleant. *Vigilate*, inquit: exemplum sumit a militibus, militaria præscribens officia. Nam & Christiani milites sunt, sed sancti non profani, spirituales non carnales, Christo militant non mundo. Militum est vigilare & diligenter excubias agere, ne imparati & vino somnoque sepulti ab hostibus opprimantur. Idem facere debent & Christiani, quorum vigiliæ sunt preces assiduæ, mens in Deum & Christum perpetuo intenta & sobria, non cibo nec potu, nec curis hujus seculi, nec vitiis ullis depressa ac depravata Luc. xxi. 34, 35, 36.

State in fide. Milites adversus hostem stare solent, idem & Christianis faciendum est. Stare nimirum debent in fide, id est, in fide constantes esse, non labascere in fide. Fidem intelligit Christianam, qua credimus Jesum ex mortuis suscitatum esse, & Christum ac Dominum esse nostrum cælestem, qui nos etiam ex mortuis sit suscitaturus & immortales effecturus si præceptis ejus conformiter vivamus. Hanc fidem quamdiu retinent Christiani, tamdiu stant immoti & inconcussi.

Viriliter agite. Et hoc militum officium est ut viros se præstent, id est, animo sint forti, intrepido, non muliebri. Idem & Christianorum animus esse debet, ne ullis adversariorum minis, ullis adversis, ac ne morte quidem ipsa quamvis atroci & truculenta terreantur. Nam si milites secundum carnem mortis esse debent contemptores, quanto magis Christiani, quorum Dux mortem resurrectione devicit, eandemque victoriam suis militibus certissima fide pactus est?

Corroboramini. Etiam robore præditi debent esse milites, nec minus Christiani, illi secundum carnem, hi secundum spiritum, ut scilicet animum ad omnia perferenda & perpetienda & peragenda quæ Christiani sint officii, probe penitusque inducant, idque reipsa præstent.

Vers. 14. *Omnia vestra in charitate fiant.* Commilitonum inter se mutua debet esse charitas, non minus imo multo magis Christianorum, qui etiam inimicos diligere debent non odisse.

Omnia vestra, id est, omnes vestræ actiones, *in charitate*, id est, cum charitate *fiant.* Nusquam exsit charitas, nihil agite quod cum charitate pugnet, omnes vestras actiones temperet & moderetur charitas, tam erga vos invicem, quam erga alios omnes homines, etiam hostes & inimicos. Vide quam Christiani debeant abhorrere a bellis & cædibus! Et hoc maximum inter Christi & mundi milites discrimen est.

Vers.

Verſ. 15. *Rogo autem vos fratres.* Nempe id quod ſequente verſu dicitur. Admonitioni generali ſubjicit ſpecialem.

Noſtis domum Stephanæ. Quia de domo iſta aliquid moniturus erat, propterea iis in memoriam revocat id quod de domo iſta noverant. Domum Stephanæ dicit, quod non ſolum ipſe Stephanas, ſed tota cum ipſo domus ejus laudis iſtius quam ſtatim exprimit particeps eſſet. Domum ponit pro domeſticis, per metonymiam continentis.

Quod primitiæ eſt Achajæ. Exprimit quæ domus iſtius laus ſit Corinthiis fratribus bene nota, quod ſcilicet inter eos ſit qui primi in Achaja nomen dederunt Chriſto, ſimilitudine ſumpta a primitiis frugum quæ Deo ſacrabantur. Idem tribuit & Epæneto Rom XVI. 5.

Et in miniſterium ſanctis ordinarunt ſeipſos. Hæc altera eaque etiam major ipſorum laus eſt, præſertim ſi miniſterium ſermonis intelligatur, ut ſequentia docent ꝟſ. 16.

Ordinarunt ſeipſos. Non exſpectato ut ordinarentur ab aliis, ſuus illos proprius zelus & gloriæ divinæ hominumque ſalutis amor egit, cum ſe huic miniſterio viderent aptos. Videmus non ſemper ordinationem ab aliis expectandam eſſe, ſi res & tempus præſentem requirat opem. *Sanctis*, id eſt, Chriſtianis. *Seipſos*, in plurali, quia reſpicit ad ſignificatum, non ad ipſam vocem *domus*.

Verſ. 16. *Ut & vos ſubjiciamini talibus.* Poſt domus iſtius tantam commendationem exponit quid roget a fratribus Corinthiis: quaſi dicat, ut ſicut illi in miniſterium ſanctis, & conſequenter etiam vobis, ſemet ordinarunt, ſic & vos viciſſim talibus ſubjiciamini, ſermonibus ſcilicet & admonitionibus eorum obtemperando, iis honorem exhibendo, & omnibus officiis inſerviendo.

Et omni cooperanti & laboranti. Nempe in ſermone & doctrina 1 Tim. V. 17: quaſi dicat, non tantum talibus & tam eximiis ac ſingulari laude præcellentibus, ſed & omni qui operam ſuam confert cum aliis in ſermonis divini prædicatione, & laborat in docendo. Magnus enim eſt docendi labor, & magnam animi contentionem intentionemque requirens.

Verſ. 17. *Gaudeo vero ſuper præſentia Stephanæ.* Nempe illius ipſius qui ſuam domum tam bene inſtituit, ut eam exempli ſui protinus haberet imitatricem in omnibus. Intelligit autem præſentiam ſeu adventum Stephanæ ad Corinthios.

Et Fortunati & Achaici. Comitum & cooperariorum Stephanæ. Hinc apparet quam verum ſit epiſtolam hanc per viros iſtos ſcriptam eſſe, ut ſubſcriptio habet, qui cum eam ſcriberet Apoſtolus, apud Corinthios jam erant.

Quia veſtrum defectum iſti ſuppleverunt. Cauſam addit ſui gaudii ex adventu virorum iſtorum ad ipſos, quia, inquit, defectum veſtrum, ſeu id quod vobis deerat, nempe in miniſterio ad ſalutem ſpectante, iſti tam egregii viri abunde ſuppleverunt, ita ut vobis jam hac in parte nihil deſit.

Verſ. 18. *Refocillarunt enim ſpiritum meum & veſtrum.* Rationem adſert cur quia viri iſti defectum eorum ſuppleverint, lætetur & gaudeat, quia, inquit, defectum veſtrum ſupplendo refocillarunt & quietum reddiderunt ſpiritum meum & veſtrum. Meum quidem, quod jam non ſim animo ſolicitus & anxius ob defectum illum veſtrum. Veſtrum autem quod jam defectu illo plane ſitis liberati. Teſtatur Apoſtolus ſuam erga illos ſingularem charitatem: Primo, dum refocillari dicit ſpiritum ſuum ex illorum bono. Secundo, dum refocillationem illorum ſpiritus cauſam ſibi dicit gaudii. Ideo ſpiritui ſuo & illorum ſpiritum addidit. Spiritus voce animum intelligit.

Cognoſcite ergo hos tales. Id eſt, amate, colite, obſervate, per metonymiam cauſæ, quæ ſimul includit effectum.

Verſ. 19. *Salutant vos eccleſiæ Aſiæ.* Venit ad ſalutationum officia: quaſi dicat, non una tantum eccleſia Epheſina, ſed & aliæ eccleſiæ quæ ſunt in Aſia. Locus hic docet epiſtolam hanc ex Aſia, in qua Epheſus erat, ſcriptam eſſe.

Salutant vos in Domino. Id eſt, Chriſto, proinde ſalutatione qualis Chriſtianorum eſt, inter ſe ſacro & ſingulari charitatis affectu ſeſe invicem complectentium.

Multum, πολλὰ. Id eſt, multis verbis.

Aquila & Priſcilla. Notum & celebre par conjugum in eccleſiis, quod agebat Epheſi Act. XVIII. 26, ut & hinc indicium ſumi poſſit epiſtolam hanc Epheſo ſcriptam eſſe.

Cum ea quæ domi ipſorum eſt eccleſia. Id eſt, cum eccleſia quæ domi ipſorum ſolet congregari. En conjugum iſtorum ſingularem pietatem & gloriæ Chriſti ſtudium

Verſ. 20. *Salutant vos fratres omnes.* Nempe reliqui, ſed Aquila & Priſcilla & volebant, ut apparet, & meriti erant ſingulariter nominari.

Salutate alii alios. Ἀσπάσασθε, intellige, meo nomine.

In oſculo ſancto. Id eſt, cum oſculo ſancto. Solebant enim inter ſe oſculari Chriſtiani, ſed oſculo ſancto non profano, oſculo quod non carnalis figebat amor, ſed amor erga Chriſtum iis qui nobiſcum amatores ſunt Chriſti.

Verſ. 21. *Salutatio mea manu.* Quaſi dicat, cum ego ipſe vos oſculo ſalutare non poſſim, mea manu vobis ſalutationem adſcribo.

Pauli. Ne quis alius manum hanc eſſe cogitet, mea eſt Pauli, quam & noſtis. Apparet epiſtolam ipſam aliena manu ſcriptam fuiſſe, cui ſalutationem ſua propria manu ſubſcripſit, ut eam ſuo more conſignaret Col. IV. 18. 2 Theſſ. III. 17, 18.

Verſ. 22. *Si quis non diligit Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema maran-atha.* Salutationi eadem manu ſua adſcribit decretum adverſus omnes quinon diligant Dominum Jeſum Chriſtum, præmittens illud merito ſequenti voto, quo gratiam Domini Jeſu Chriſti Corinthiis fratribus precatur. Juſtum enim eſt ut qui

Christi gratiam habere velit, & ipse vicissim Christum diligat.

Si quis. Nempe eorum qui Christo nomina dederint, & ecclesiæ fuerint aggregati. Nam eos qui extra sunt, nec ad ecclesiam unquam pertinuerunt, non judicabat Apostolus, nec ecclesia judicat cap. v. 11, 12, 13.

Non diligit Dominum Jesum Christum. Non diligere Dominum Jesum Christum late patet. Nam & qui mandatum aliquod ejus non observat eum non diligit Joan. XIV. 23, 24. 1 Joan. V. 3. Sed ex pœna seu anathemate Maran-atha patet Apostolum in strictiore quodam & graviore sensu non dilectionem Domini Jesu Christi hoc loco accipere, qui alius esse non potest quam ut intelligamus eum qui Christianus factus deficit a fide in Christum, seu credere desinit Jesum Christum esse vere Christum Dei, & Dominum nostrum cælestem, qui nostri salutisque nostræ curam gerat, & tandem æternæ vitæ nos asserturus sit, quique proinde suo sanguine nos a peccatorum reatu redemerit & sibi emerit ac mancipaverit. Hinc enim privationem dilectionis ejus consequi necessarium est. Videtur Apostolus notare eos qui resurrectionem negabant, aut a Christi gratia ad Legem deficiebant, qua de re agit 2 Cor. XI. 3.

Dominum. Hunc titulum addit, ut caussam insinuet ob quam Jesum Christum diligere debeamus, & nisi id faciamus merito simus anathemate feriendi. Quis enim non debeat amare suum Dominum a dextris Dei sedentem, suum Redemptorem ac Servatorem? Quis si hoc non faciat, non mereatur ut anathema sit? & si eum etiam Dominum suum esse abneget, ut anathema sit maran-atha?

Jesum Christum. Nomine & cognomine exprimit Dominum istum de cujus dilectione loquitur. Nam vox *Christi* vim cognominis habet hoc loco.

Sit anathema. Nempe ab ecclesia Christiana, sit is quem omnes Christiani defugiant, cujus conversationem & convictum omnem vitent, & sicut ille se separaverit à Christo & illius amore, sic vicissim Christi cultores & amatores sese separent ab illo. Apostatæ à Christo ejusque dilectione non sunt habendi eorum in numero qui nunquam fuerunt in ecclesia: hos enim ecclesia non ferit anathemate, ut ante dictum est, sed apostatas vel maxime ferire debet. At quid attinet, inquies, excommunicare homines qui jam ipsimet ultro abiverunt ex communione ecclesiæ? Multum; ut intelligant deteriori sese conditione apud ecclesiam, & consequenter apud Deum & Christum esse, quam sint extranei qui nunquam fuerunt ecclesiæ membra, & ut ecclesia semet præservet ab omni per illos infectione. Illi abiverunt ex ecclesiæ communione sacra, ecclesia sibi interdicit omni eorum communione, etiam profana.

Maran-atha. Id est, non vulgare anathema quo ecclesia ferit minora delicta, sed anathema maranatha, quo nomine vocabatur anathema cum invocatione Dei conjunctum, ut judiciis & pœnis suis firmet ac sanciat ecclesiæ decretum ad nominis sui gloriam, ecclesiæ conservationem, & hominis istius qui hoc anathemate percutiabatur emendationem & conversionem. Apostatæ enim ecclesiam contemnunt, nec illius excommunicationem quidquam curant. Ideo Deus orandus est ut ecclesiæ auctoritatem corporali aliqua pœna in illis asserat ac stabiliat, qua de re vide plura cap. v. 5. Cæterum *Maran-atha* voces sunt Syræ, quarum significatio est, *Dominus venit.* Appellationem autem induerunt anathematis, quod execratio quæ in hoc anathemate fiebat voces istas contineret. Anathematis enim usus a Judæorum synagoga ad ecclesiam Christianorum traductus est. Docemur hoc loco Dominum Jesum Christum amandum esse, proinde pro Domino & Servatore nostro agnoscendum, quæ fidei in ipsum & amoris erga ipsum unica caussa est, consequenter etiam cælesti cultu & honore afficiendum, adorandum, invocandum, omnibus obsequiis demerendum esse, qui fidei & charitatis in ipsum necessarius effectus est. Nec mirum, cum in Christo Domino, nobis à Deo dato, ametur ipse Deus. Quid iis fiet qui Jesum Christum ipsum Deum esse dicunt, & sub Jesu Christi nominibus neutiquam Dominum a Deo factum amant, quin imo idolum dicunt, quique Christianos qui Dominum hunc amant & in ipso Deum, anathemate feriunt? quid item iis qui à Domini istius cultoribus ad illos priores deficiunt? an & illi vere Dominum Jesum Christum amare dicendi sunt, & isti defectores anathemate digni non sunt? Neque enim amant Dominum Jesum Christum qui amant id quod is non est, id autem quod is est non amant, aut qui falsos honores Christo tribuunt, veros fastidiunt. An enim fando auditum est unquam ut Domini Jesu Christi nomine Deus ille unus significetur, & non homo ex Spiritu Sancto conceptus, a Deo unctus, & hinc Christus appellatus, ex mortuis suscitatus & in cælum evectus, rerum omnium Dominus a Deo factus? Et quo alio fine ageret Apostolus de amore Jesu Christi Domini, quam ut doceret frustra Deum amari, nisi ametur & Jesus Christus Dominus ab ipso factus? Hoc porro ita decernit Apostolus in eos qui Dominum Jesum Christum non amant, ut idem & ecclesia faciat, & Apostoli decreto obtemperet.

Vers. 23. *Gratia &c.* Stabilito erga Christum amore vicissim ejus gratiam vovet & optat Corinthiis fratribus, significans gratiam Domini Jesu Christi nemini adesse, nisi ipsum constanter diligenti. Hinc & ad Ephesios gratiam precatur omnibus diligentibus Dominum nostrum Jesum Christum.

In incorruptione. Id est, incorrupte, qui scilicet amorem suum erga Dominum Jesum Christum corrumpi non sinunt, proinde eum constanter pro Domino suo agnoscunt, in illum credunt, illum colunt, illius præceptis parent, ab illo non deficiunt, nec illius gratia deserta ad Legem (quæ neminem servare potest) refugiunt aut confugiunt. *Domini Jesu Christi.* Nempe illius ipsius qui diligendus est. Non addit utrobique pronomen *nostri*, ut eum non nostri tantum, sed & omnium esse Dominum tanto magis appareat, qui quia Dominus est omnium, merito gratiam ejus precatur Apostolus.

Vobiscum, intellige, *sit.* Quasi dicat, hoc ex animo voveo & opto & precor, ut vos gratia sua perpetuo complectatur & prosequatur Dominus Jesus Christus. Vide Christi curam circa eos qui nomen ipsius

ipsius profitentur, nec mirum, cum ob id ipsum omnium sit à Deo factus Dominus & ecclesiæ caput, & maritus & Servator. Hinc etiam patet Apostolum non ab alio quam ab ipso Jesu Christo gratiam Jesu Christi vovisse & precatum esse Corinthiis, secus quam Apocal. 1. 4 gratia vovetur ecclesiis a septem illis spiritibus, sed quam Deus & Christus ecclesiis conciliet. Cæterum hoc erat votum quod Apostolus epistolis suis propria manu solebat adscribere 2 Thess. III. 18.

Vers. 24. *Charitas mea* (intellige, est,) *cum omnibus vobis in Christo Jesu.* Hoc adhuc adscribit sua manu, ut sua manu suum erga illos amorem exprimat & contestetur: quasi dicat, amo vos omnes quotquot estis, nemine excepto, nemo vestrum se putet a me non amari. Gratiam Christo tanquam Domino tribuit, amorem sibi tanquam fratri.

In Christo Jesu. Addit hæc verba ut doceat se de charitate qualem Christiani Christianis debeant loqui.

Amen. Hac enim voce, quæ veritatem significat, omnes sacri sermones & orationes & vota claudi solebant, more a Judæis traducto, qua veritas eorum quæ dicta sunt asseritur, aut eorum quæ petuntur & voventur à Deo optatur.

A M E N.

Ad Corinthios prima scripta est Philippis per Stephanam & Fortunatum & Achaicum & Timotheum. Hæc subscriptio, quam antiquam esse constat, exemplum nobis præbet, quantopere traditionibus, quamvis antiquis, quamvis & Scripturæ auctoritatem præferentibus, fidendum non sit. Hæc enim subscriptio sumpta est ex ipsis Apostoli verbis, sed non bene consideratis & expensis. Nempe ex ℣. 5, 10, 17, cum potius ex Apostoli verbis contrarium colligendum esset, ut supra suis locis diximus, nempe epistolam non ex Macedonia, sed ex Asia, non Philippis, sed Epheso, nec per ullum ex viris istis scriptam seu missam esse, sed per fratres alios. Jam si traditiones quæ Scripturam præferunt falsæ possunt esse, ob non expensam & intellectam probe Scripturam, quid de illis censendum est quæ nullam præferunt Scripturam, imo quæ Scripturæ contradicunt? Non igitur ex traditionibus Scriptura interpretanda est, sed ex Scriptura de traditionibus judicandum est. Hæc lapis est lydius, ad quem omnia dogmata examinanda sunt, Amen.

COMMENTARIUS IN *posteriorem Epistolam Apostoli* PAULI *AD* CORINTHIOS.

CAPUT I.

Vers. 1. **P***Aulus.* Eadem fere inscriptio quæ in epistola priore, nisi quod pro Sosthene hic ponatur Timotheus, qui ad Paulum redierat 1 Cor. XVI. 11. Sosthenes autem alio missus erat: illic cum ecclesia Corinthiorum salutantur voto omnes in omni loco sancti, id est, Christiani, hic omnes qui sunt in Achaja.

Vers. 2. *Gratia.* Eadem plane quæ in priore salutatio.

Vers. 3. *Benedictus*, intellige, *sit*. Id est, laudibus & gloria afficiatur.

Deus. Ὁ θεὸς cum articulo emphatico, nempe unus ille & altissimus.

Et Pater Domini nostri Jesu Christi. Ostendit quis sit unus ille Deus, nempe Domini nostri Jesu Christi Pater. Tam igitur Jesu Christi unus ille Deus est quam suiipsius Pater, neque enim unus ille Deus minus singulare individuum est quam Domini nostri Jesu Christi Pater: nec ulla sit causa ut ad unum illum Deum designandum solus ponatur Domini nostri Jesu Christi Pater, si unus ille Deus latius pateat, & ut Dominus noster Jesus Christus ab illo distinguatur tanquam Filius & Dominus ab ipso factus, si is non minus Deus ille unus sit quam Pater. Dum enim hoc modo ab uno illo Deo distinguitur, eo ipso unus ille Deus esse negatur. Hinc apparet Patris vocem apud Apostolos & sacris in Scripturis Domino nostro Jesu Christo tanquam Filio oppositam, non significare primam aliquam unius Dei personam, sicut nec Filii vocem significare secundam ejusdem unius Dei personam, (quod ipso contradictionem implicat auditu) sed Patris quidem voce significari personam, extra quam non sit unus ille Deus, Filii autem voce significari Dominum nostrum Jesum Christum, id est, hominem illum a Deo Spiritus Sancti virtute genitum, & ex Maria virgine natum, & Jesum Dei jussu appellatum, a Deo Spiritu Sancto & virtute unctum, & ideo Christum dictum, a Deo ex mortuis suscitatum & Dominum omnium effectum, qui quia totus ex Deo est, & Deo charissimus ac simillimus est, & omnium Dei filiorum præstantissimus, idcirco non tantum Dei Filius, sed absolute & cum emphasi Dei Filius appellatur. Hæc Scripturæ Sacræ de Patre & Filio sententia est, quæ si tertiam etiam unius illius Dei personam Spiritum Sanctum agnosceret, (quod quidem nemo dicet qui Patris & Filii significationem ex mente & sensu Scripturæ intelligit) qui fieret ut non etiam ab illa gratiam & pacem Apostolus precaretur? Spiritus Sancti communicationem precatus est Apostolus Corinthiis fratribus, non a Spiritu Sancto gratiam 2 Cor. XIII. 13. Spiritus Sanctus donum Dei & arrhabo nobis a Deo datus dicitur in Scripturis vs. 22, non ipse Deus. Nec refert quod de ipso tanquam de persona Scriptura nonnunquam loquatur, hoc enim pluribus aliis quæ personæ non sunt est commune, nec quidquam ejusmodi figuratis locutionibus est magis usitatum. Neque enim si proprie loquendo Spiritus Sanctus persona esset, eaque Deus ipse, unquam de eo tanquam de non persona, aut de persona quæ non sit ipse Deus, Scriptura loqueretur, quod tamen facit longe frequentissime. Ipsa vox Spiritus cum epitheto sancti non ipsum Deum, sed Dei afflatum quo sanctificentur homines, significat. Neque enim omnis spiritus & afflatus sanctus est, nec omnis ex Deo est.

Pater miserationum. Per genitivum adjunctis quasi dicat, in quo sunt omnes commiserationes.

Et Deus omnis consolationis. Per genitivum effecti: quasi dicat, omnis consolationis auctor. Ponuntur substantiva pro adjectivis, Hebræo more, id est, Pater summe misericors Deus, maximus & perfectissimus consolator. Describit Deum illum unum Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut doceat quam merito benedictionibus & laudibus sit extollendus.

Vers.

Vers. 4. *Qui consolatur.* Ὁ παρακαλῶν, participium pro verbo.

Nos. De se solo loquitur in plurativo, ut patet ex ℣. 8 & sequentibus, & ex ℣. 15 & seqq. Effectu probat Deum illum unum, Domini nostri Jesu Christi Patrem, Patrem esse miserationum & Deum omnis consolationis, quem in seipso experiebatur.

In omni afflictione nostra. Quasi dicat, quæcunque tandem nobis incidit. Consolatur autem inprimis spe haud dubia, & cælesti quodam gustu futuræ vitæ & gloriæ, & admirabili sua pace, quæ superat ,,omnem humanam mentem Philip. IV. 7. Afflictio ,,enim parit patientiam, patientia probationem, pro- ,,batio spem, spes autem non pudefacit, quia charitas ,,Dei in cordibus nostris est effusa per Spiritum San- ,,ctum Rom. V. 3, 4, 5, per quem Deus gratiæ suæ notitiam & sensum, & cælestia sua gaudia ac solatia animis hominum infundit. Et afflictiones nostræ quid aliud sunt quam *demonstratio justi judicii Dei, ut digni reputemur regno Dei, propter quod & patimur. Siquidem justum est apud Deum, ut reddat affligentibus nos afflictionem, & nobis afflictis relaxationem in revelatione Domini nostri Jesu Christi de cælo, cum Angelis virtutis suæ* 2 Thess. I. 5, 6, 7.

Ut possimus nos consolari eos qui in omni afflictione, (intellige, sunt,) *per consolationem qua consolamur ipsi a Deo.* Quasi dicat, ita nos consolatur Deus in omni afflictione nostra, ut non tantum ipsi abundemus solatio, sed etiam per eandem consolationem abunde consolari possimus alios in omni quæcunque tandem sit illorum afflictione. Particula εἰς, *ut*, hoc loco non tam causam finalem, quam mensuram & magnitudinem consolationis significat, quod ratio subjecta docet.

Vers. 5. *Quia sicut abundant.* Rationem adfert dicti ab abundantia consolationis, quam illustrat exemplo abundantiæ perpessionum suarum pro Christo.

Afflictiones Christi in nos, παθήματα τοῦ Χριστοῦ. Id est, afflictiones quæ ob Christum seu Christi causa eveniunt, per genitivum causæ. Sic *vinctus Christi* ad Philemonem ℣. 1, 9.

Sic per Christum abundat & consolatio nostra. Non quod non major esset abundantia consolationis quam afflictionum. Erat enim multo major, quippe quæ afflictiones obrueret, sed quod sicut afflictiones abundarent, sic abundaret & consolatio, illæ sua abundantia, hæc item sua. . Erat afflictionum propter Christum illustre Paulus exemplum, sed erat & illustre exemplum consolationis per Christum. Modo consolationem hanc tribuebat Deo, nunc tribuit Christo, Deo tanquam primæ causæ, Christo tanquam mediæ, quippe tanquam Domino nobis a Deo dato. Ideo dicit *per Christum*: quasi dicat, propter Christum patimur, per Christum etiam consolationem accipimus a Deo.

Vers. 6. *Sive enim affligimur.* Ratio superiorum per Prolepsin, ne quis dicat, quid hæc ad nos? Multum hæc ad vos, respondet Apostolus; tam afflictio nostra quam consolatio nostra in vestrum cedit maximum bonum: quod attinet ad afflictionem,

Pro vestra consolatione & salute, intellige, *affligimur.* Id est, affligimur ut vos consolationem & salutem ex afflictionibus nostris habeatis. Consolationem quidem, dum videtis nullis nos cedere pro Christo afflictionibus, proinde veros ejus Apostolos esse, salutem autem, dum nostro exemplo incitati & confirmati, nullas etiam defugitis pro Christo afflictiones, unde salus consequitur, sicut ipse rationem veluti reddens consequentiæ addit,

Quæ efficitur. τῆς ἐνεργουμένης, passive hoc loco, sic & 2 Thess. 2. 7,

In patientia. Id est, per patientiam vel tolerantiam.

Earundem afflictionum, nempe propter Christum, *quas & nos patimur.* Nam qui cum Christo & propter Christum affliguntur, etiam cum Christo & per Christum regnabunt. Hinc infra cap. IV. 17: *Momentanea levitas*, inquit, *afflictionis nostræ excellenter excellens æternum pondus gloriæ operatur nobis.* Pertinent huc & illa ejusdem verba: *Propter hoc omnia patior propter electos. ut & ipsi salutem consequantur eam quæ est in Christo Jesu cum gloria æterna. Fidelis sermo, si enim simul morimur etiam simul vivemus, si simul patimur etiam simul regnabimus* 2 Tim. 2. 10, 11, 12, & alter Apostolus, *sicut communicatis Christi afflictionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes* 1 Pet. IV. 13.

Sive consolamur. Quasi dicat, quod vero attinet ad consolationem.

Pro vestra consolatione & salute. Intellige, consolamur: quasi dicat, eundem etiam fructum percipitis ex nostra consolatione quem ex afflictione, consolationem nimirum & salutem; consolationem quidem, dum videtis nos in maximis pro Christo afflictionibus solatio abundare, (hinc enim colligitis nos pro veritate pati, & Deum nobis adesse, qui tanta solatia in animis nostris operetur, eademque & vobis similiter afflictis nunquam defore) salutem autem, cum consolati, alacres & fortes reddimini ad omnia pro Christo sustinenda.

Et spes nostra firma (intellige, *est*) *super vobis.* Id est, de vobis, ut mox *super afflictione*, id est, de afflictione ℣. 8. Hoc addit, ne quis dicat ista quidem eo fine fieri, meque id de vobis sperare, sed spem hanc meam infirmam, id est, dubiam & incertam esse, nullo stabili fundamento niti. Firma est, inquit, hæc nostra de vobis spes, nimirum esse vos consolationis plenos, & consequenter salutis etiam æternæ participes futuros.

Vers. 7. *Scientes quod sicut socii estis afflictionum, sic & consolationis*, intellige, *estis.* Ostendit spei suæ fundamentum, scientiam nimirum, quod sicut socii sint afflictionum, id est, societatem secum habeant in afflictionibus pro Christo, sic & socii sint consolationis, id est, societatem & communionem secum habeant in consolatione, proinde & in æterna salute habituri sint. Nihil hac scientia certius, quæ nititur Dei & Christi justitia & æquitate ac bonitate. Firma igitur & spes est quæ huic scientiæ superstruitur.

Vers. 8. *Non enim volumus vos ignorare fratres.* Causam reddit ob quam de suis afflictionibus tam multa

multa dicat, idque ab ipso epistolæ initio. Nam, inquit, nolumus vos ignorare fratres,

Super afflictione, id est, de afflictione, *nostra quæ facta est*, id est, evenit *nobis in Asia*. Nimirum, ut dicitur, ubi dolet ibi manus est. Protinus erupit Apostolus in narrationem maximi sui periculi, cujus recens adhuc animo suo obversabatur memoria. Intelligit, ut puto, populi Ephesini adversum se furibundam illam commotionem & tumultuationem, quæ describitur Actor. XIX à ℣. 23, ad capitis finem.

Quia supra modum, καθ' ὑπερβολὴν, *gravati fuimus*. Nempe vitæ periculo: quasi dicat, si levius aliquod periculum fuisset, nunc illius narratione neque me neque vos detinerem.

Supra vires, nempe humanas, ὑπὲρ δύναμιν: Neque enim totius populi furentis impetum Paulus poterat sustinere.

Adeo ut desperaremus etiam de vita. Quasi dicat, non tantum de incolumitate, fore ut integri & illæsi evadamus.

Vers. 9. *Sed ipsi in nobisipsis decretum mortis habuimus*. Rem illustrat per contrarium: quasi dicat, pro spe aliqua vitæ habuimus ipsi in nobisipsis decretum mortis. Non tantum alii me habebant pro jam mortuo, sed ego ipse, quamvis alioquin nemo facile de seipso desperet. Comparat se Apostolus damnatis, quibus in judicio decretum mortis, ἀπόκριμα τοῦ θανάτου, datum est.

Ut non fidentes simus in nobis ipsis. Docet se in eam vitæ desperationem, & ad tam certam mortis sententiam fuisse adductum, ut nunquam sibi ipsi, suis viribus, suæ prudentiæ fidat, videns quam facile hæc omnia hominem destituere & fallere possint.

Sed in Deo qui suscitat mortuos. Quasi dicat, cujus tanta potentia est ut mortuos resuscitet, quod illustrissimo exemplo in Christo omnibus exhibito testatum fecit.

Suscitat mortuos. Id est, suscitare potest, & suscitavit Christum, & suo tempore pios omnes suscitaturus est. Ideo nec in præsentissimis vitæ periculis, & ubi omnia humana cessant remedia, de divina potentia desperare debemus. Nam si Deus vere ac reipsa mortuos resuscitare potest, quanto magis sua tantum & aliorum hominum sententia mortuos, id est, in extremo vitæ periculo constitutos, à morte potest conservare: quin nec de facto dubitandum est, si id gloriæ divinæ & saluti nostræ expediat. Eripiet nos Deus ex morte jam mortuos, quanto magis ex mortis periculo adhuc vivos? Si vero mors omnino subeunda sit ad Dei gloriam, non debet illa nobis esse terrori, cum sciamus Deum nos suscitaturum esse ex mortuis ad vitam sempiternam. Ita desperaverat Paulus de se, ut tanto magis in Deum speraret.

Vers. 10. *Qui ex tanta morte eripuit nos*. Exponit Dei erga se tanto in periculo beneficium, accommodate ad descriptionem Dei quam attulit.

Ex tanta morte. Id est, ex tanto & tam ingenti periculo, per metonymiam effecti pro causa.

Eripuit nos. Id est, me, divina sua potentia & providentia, cum mihi nulla superessent salutis media furente adversum me universo populo.

Et eripit. Quasi dicat, imo singulis fere diebus ac momentis me ex morte eripit. Neque enim unquam sum extra vitæ periculum propter Christi Evangelium. Habeo igitur causam ut Deo confidam, quamvis mihi in meipso nullum sit præsidium.

In quam speravimus, quod & adhuc eripiet. Exponit spem suam in Deum ex tot tantisque divinæ potentiæ & providentiæ circa se argumentis & experimentis ortam.

Quod & adhuc eripiet. Non patietur adhuc me vita privari, ut gloriæ ejus & hominum ac vestræ saluti adhuc inservire possim. Cum mortis meæ major usus erit ad Dei gloriam quam vitæ, tum erit tempus ut pro Christo moriar, nunc Deus faciet ut pro Christo adhuc vivam. Non sperat Apostolus fore ut semper illum Deus à morte eripiat, sed ut adhuc eripiat.

Vers. 11. *Simul adjuvantibus & vobis*. Id est, cum simul contuleritis operam & auxilium & vos, intellige, una cum aliis ecclesiis.

Pro nobis. Ut scilicet adhuc eripiamur a morte.

Oratione. Modum ostendit quo operas conjungere & se juvare debeant, conjunctis nimirum pro se precibus & orationibus sanctorum, quibus si Apostolus indiguit, quanto magis quisque nostrum? Nimirum Deo vim faciunt, eamque gratissimam, sancti, cum eum coïtione facta precibus & supplicationibus invadunt.

Ut ex multis personis. Id est, ut ob multarum personarum preces.

Donum in nos. Intellige, collatum, nempe ex morte ereptio.

Per multas, intellige, personas, *gratiarum actione celebretur*. Id est, ut sicut multi donum hoc mihi impetrarunt, sic etiam multi gratiarum actione illud celebrent.

Pro nobis. Id est, ideo quod nos Deus ex morte eripiat & in vita conservet.

Vers. 12. *Gloriatio enim nostra hæc est*. Causam adfert cur velit pro se orari & gratias agi: quasi dicat, quia de hoc gloriari possum ac debeo,

Testimonium conscientiæ nostræ. Per appositionem, ut doceat suam quam mox exponit gloriationem, simul esse testimonium suæ conscientiæ. Ne quis putet eum contra conscientiam suam gloriari.

Quod in simplicitate & sinceritate Dei. Exprimit suam gloriationem & suæ conscientiæ testimonium, id est, quod in simplicitate & sinceritate summa, (Hebræa phrasi, qua Dei dicuntur quæ sunt vulgaribus & consuetis majora, ut montes Dei, ventus Dei, & similia, vel cujus ipse Deus est auctor & effector) quod nihil admiscuerit fraudis & mendacii, sive in dictis, sive in factis, nulla in re impostorem aut deceptorem egerit.

Non in sapientia carnali. Id est, cum sapientia, quæ Deum non habet auctorem, sed humanum ingenium & carnem, seu affectus carnales, hujus seculi spectantes commoda.

Sed in gratia Dei. Id est, cum gratia Dei, quæ mihi semper adest tanquam Dei Apostolo 1 Cor. XV. 10.

Versati fuimus in mundo. Inter varias gentes.

Abundantius autem apud vos. Propter plura divinæ gratiæ effecta, & miracula, & Spiritus Sancti per manus suas in Corinthios fratres collata abundantiora dona. Nam & diutius inter illos commoratus est Act. XVIII. 11, 18, quæ haud dubio argumento

gumento erant Paulum non in sapientia humana, sed in Dei gratia versari in mundo. Respicit Apostolus inprimis ad suam prædicationem de gratia Dei & justitiæ imputatione per fidem in Christum sine circumcisione & Legis ritibus, omnibus exhibenda populis, de libertate a Lege Mosaica peccatores omnes damnante. Hæc enim videri alicui poterant a sapientia carnali proficisci, & multum a simplicitate & sinceritate abesse, quod & Apostolo objectabant adversarii. Cum igitur, inquit, de eo quod dixi merito glorier, merito etiam a vobis & aliis Christianis postulo, ut pro me vitaque mea unanimiter & oretis & gratias agatis Deo.

Vers. 13. *Non enim.* Causam addit cur tam confidenter hæc de se scribat.

Alia scribimus vobis quam quæ legitis. Id est, legendo vera esse cognoscitis, per metonimiam causæ. Alioquin enim simpliciter loquendo, alia non possunt scribi, alia legi. Scriptio enim eorum quæ leguntur est scriptio, & lectio eorum quæ scripta sunt est lectio.

Aut etiam. Quasi dicat, sine mea scriptione,

Cognoscitis. Id est, jam nota habetis. Nihil de me affirmo quod cum mea vel vestra conscientia & scientia non conveniat.

Vers. 14. *Spero autem quod etiam usque ad finem cognoscetis.* Nempe nos non esse impostores, sed Apostolos Dei & Christi.

Sicut etiam cognovistis nos. Id est, quandoquidem nos etiam cognovistis, nempe qui simus, & quod Apostoli simus Christi. Particula *sicut* hoc loco vim habet causæ, ut & alibi non raro.

Ex parte. Significat Apostolus Corinthios ex parte tantum non ex toto cognovisse qui sit & quantus sit Paulus. Nam & in ipsa hac epistola ea de se scribit quæ Corinthiis fratribus nondum erant nota, & tamen ex iis quæ ipsis nota essent jam illos cognovisse quod Apostolus esset Christi. Merito igitur sperat fore ut etiam ad extremum id cognoscant.

Quia gloriatio vestra sumus. Argumentum adfert Corinthios fratres se cognovisse, *quia*, inquit, *gloriatio vestra sumus*, id est, quia de nobis gloriamini, deque nostra prædicatione & vestra per nos ad Christum conversione. Unde apparet quam me cognoveritis. Gloriationem posuit pro gloriationis causa, per metonymiam effecti.

Sicut & vos nostra. Videbatur sese supra Corinthios multum extulisse, nunc vicissim miro temperamento Corinthios eodem modo supra se extollit.

In die Domini Jesu. Nempe illa singulari, cum veniet in gloria Patris sui ad judicandum vivos & mortuos. In illa die etiam ego de vobis gloriabor coram Deo & Christo & sanctis omnibus,tam Angelis quam hominibus, quod vos ad fidem in Dominum Jesum converterim, & vobis æternæ salutis causa per ipsius gratiam factus sim. Huc pertinent ejusdem verba Phil. 2. 16. iv. 1. 1 Thess. 2. 19, 20.

Vers. 15. *Et hac fiducia.* Quod scilicet & ego sim vestra gloriatio & vos mea in die Domini Jesu.

Volui ad vos venire prius. Nempe cum ea de re vobis scriberem 1 Cor. xvi. 2, 3, 4, 5, 6, 7.

Ut secundam gratiam habeatis. Nempe a Deo, ut scilicet ego Dei Apostolus ad vos secundo veniam. Neque enim Apostoli tanti adventus sine multis ac variis divinæ gratiæ effectis in ecclesiam redundantibus esse poterat.

Vers. 16. *Et per vos transire in Macedoniam.* Nempe iterum 1 Cor. xvi. 5. *Et iterum a Macedonia venire ad vos, & a vobis deduci in Judæam.* Nempe per fratres ad collectam deferendam ab ecclesia Corinthiorum deputatos 1 Cor. xvi. 4, 6.

Vers. 17. *Hoc igitur consultans.* Id est, hoc consilii capiens, per metonimiam causæ.

Nunquid ego levitate usus sum? Quod scilicet consilium istud non sim executus. Apparet fuisse inter Corinthios fratres, qui eo nomine Paulum carperent, & levitatem ac in dictis inconstantiam hanc esse dicerent, ut per hoc & prædicationis ejus fidem elevarent. His ergo nunc se purgat Paulus. Interrogando negat hanc levitatem esse. Neque enim semper est in manu nostra consilia, optima intentione & animo facta, quamvis alioquin vel maxime vellemus, exequi.

Aut quæ consulto. Intellige, & consequenter facienda mihi propono.

Secundum carnem consulto. Id est, ut carni satisfaciam & commoda mea quæram.

Ut sit apud me, Na, Ne, & Non, Non. Nempe de una eademque re: ut sim homo in dictis inconstans, & qui modo ajat modo neget ac reneget, quæque nunc dixit ac redixit mox iterum revocet? Notat eos demum qui in consiliis carnem & carnalia spectent commoda, in dictis suis inconstantes esse. Nam ea mutant prout major vel minor carnalis commodi spes affulserit. Hoc sibi negat Apostolus jure posse objici, qui suis in consiliis, non carnem sed spiritum, non sua sed aliorum commoda unice spectet, proinde nemini suum adventum sic addicat, ut sibi non veniendi, si id magis è re sit divinæ gloriæ & salutis aliorum, jus & facultatem adimat.

Vers. 18. *Fidelis autem Deus.* Quasi dicat, quod autem isti etiam prædicationem meam vocant in dubium. *Fidelis est Deus*, id est, testor Dei fidem, qui omne mendacium ac perfidiam odit, &,atrocibus pœnis ulciscitur. Modus jurandi ellipticus.

Quod sermo noster qui apud vos (intellige, *erat*) id est, nostra prædicatio, *non fuit ne & non.* Id est, unam & eandem rem nunc affirmans nunc negans, proinde dubia & incerta. Prius posuerat geminatum næ & non, hic ponit simplex, quia res eodem redit.

Vers. 19. *Nam Dei Filius.* Rationem reddit dicti.

Jesus Christus. Exprimit nomen Dei Filii, proinde & eum qui Dei Filius est. Intelligit autem Dei Filium singularem illum & eximium, nempe Christum illum Dei, qui quia Jesus est ideo & Christi cognomen obtinuit. En Dei Filium singularem illum & eximium, ante vel præter Jesum Christum non quærendum. Jesum Christum autem dicere fuisse antequam esset, id est, antequam ex Spiritu Sancto conciperetur, & ex virgine matre sua nasceretur, quid aliud est quam næ & non de una eademque re,(quod hic amolitur Apostolus)in Euangelium inducere. Qua de re paulo post.

Qui, proinde & ejus sermo, *in vobis*, id est, inter vos, Hebræa phrasi, *per nos prædicatus est, per me, & Sylvanum, & Timotheum.* Adjungit sibi Sylvanum

vanum & Timotheum, tanquam Euangelistas & prædicationis suæ administros. Videtur autem Sylvanus is esse qui Lucæ in Actis Silas. Nam cap. XVIII. 5 dicitur Silas & Timotheus ad Paulum ex Macedonia Corinthum venisse.

Non fuit na & non. Nempe ratione sui sermonis & Euangelii, non fuit in suo sermone & Euangelio seu doctrina dubius & inconstans, nunc affirmans, nunc iterum quod affirmaverat negans.

Sed na in ipso, nempe ratione sui sermonis *fuit.* Id est, constans affirmatio. Cum igitur (dicere vult Apostolus) nos non alium prædicaverimus inter vos sermonem quam Dei Filii Jesu Christi, necesse est ut sermo noster inter vos non fuerit næ & non.

Vers. 20. *Quotquot enim promissiones Dei*, intellige, *sunt.* Nempe in Jesu Christi Euangelio, de hoc enim agitur. Causam & rationem adfert cur dicat in Christo næ fuisse, quia nimirum quotquot sint Dei promissiones, in ipso sint næ, & in ipso sint amen: quasi dicat, est quidem & *non* in Christo, ubi negat id quod falsum est, sed ratione promissionum Dei est tantum næ & amen in Christo.

In ipso na, intellige, *sunt.* Id est, in ipsius sermone affirmantur. *Et in ipso* sunt *amen.* Id est, in ipsius sermone asseruntur & asseverantur. Est enim *amen* asserendi & asseverandi particula. Ex eo autem quod Apostolus tam solicite *na* & *non* à Christo amoliatur, perspicimus nullis dogmatibus contradictoriis locum in Euangelio esse, proinde nec Deum unum tres personas esse, nec unam personam Deum illum unum & hominem esse, nec genitum esse & genitum non esse, nec semper generari, nec fuisse Christum antequam esset, nec mortuum esse & mortuum non esse, nec seipsum resuscitasse, nec Patrem & Filium inter se unum eundemque numero Deum esse, peccata remissa & non remissa, nec plene persoluta esse, sanctitate vitæ opus ad salutem esse & non esse, & complura alia quæ hodie Christianæ pietatis maxima creduntur esse mysteria.

Deo ad gloriam. Docet Dei promissiones affirmari & asseverari Deo ad gloriam, ut scilicet ex iis appareat Dei bonitas, clementia, misericordia, sapientia, potentia, & ob has virtutes laudibus & gloria Deus ab omnibus hominibus evehatur.

Per nos. Id est, per nostrum ministerium, quippe quod sermonem & Euangelium Christi prædicatione nostra per omnes gentes differimus & celebramus. Ita Deus gloriam ingentem ex Euangelio Christi consequitur interveniente nostro ministerio: ut vel hinc appareat nos veritatis divinæ præcones & ministros esse.

Vers. 21. *Qui vero confirmat nos.* Intellige, ne quis dicat, unde certi esse possimus hanc affirmationem & asseverationem veram esse? Deus ipse est, inquit, in cujus gloriam prædicamus, qui vicissim nos confirmat.

Vobiscum. Nempe per divina sua opera & miracula Hebr. 2. 4. Marc. XVI. 20. *In Christum.* Id est, ut Christo credamus.

Et qui unxit nos. Nempe spiritu suo. *Deus*, intellige, *est.*

Vers. 22. *Qui & obsignavit nos.* Nempe eodem suo spiritu, ut Spiritum Sanctum tanquam signaculum Dei in nobis cernentes certi simus de futura redemptione nostri Ephes. 1. 13, 14.

Et dedit arrhabonem spiritus. Id est, arrhabonem qui spiritus est, per genitivum speciei vel differentiæ. Intelligit autem eundem Spiritum Sanctum. Arrhabo dicitur id quod in antecessum datur, & sic pignus quoddam est promissionis exsolvendæ. Deus igitur ut nos certos reddat de ea quam nobis promisit hæreditate, Spiritum Sanctum nobis in antecessum largitur, & veluti oppignerat.

In cordibus nostris. Id est, cordibus nostris indidit, proprie nimirum loquendo, non tropice Gal. IV. 6. Ita Spiritum Sanctum primum oleo & unguento quo nos Deus unxit, deinde sigillo quod nobis impressit, tertio arrhaboni quem cordibus nostris indidit, Apostolus comparat. Hinc quisque colligat, an Apostolus Spiritum Sanctum ipsum esse Deum crediderit, quem non modo tam aperte distinguit à Deo, dum eum a Deo dari, & cordibus nostris proprie loquendo indi dicit, sed etiam unguentum, sigillum, arrhabonem appellat.

Vers. 23. *Ego autem.* Quasi dicat, ut revertar ad id quod ad vos non venerim, & causam istius rei vobis exponam.

Testem Deum appello super animam meam. Id est, ut si fallo, si mentior, Deus qui rerum omnium est conscius & in testimonium rei falsæ haud unquam impune potest appellari, vindicet hanc culpam in anima mea, eamque perdat.

Quod parcens vobis nondum veni Corinthum. Quasi dicat, vos me eo nomine accusatis et levitatis arguitis, at ego hoc vestri amore feci, vobis parcens, ne si advenirem, necesse haberem virga adversum vos uti, quam vobis in priore minatus sum epistola 1 Cor. IV. 21. Itaque malui adhuc qua per Timotheum 1 Cor. XVI. 10, qua per Titum 2 Cor. VII. 7, & alios, qua per hanc ipsam epistolam vos admonere officii vestri, & ad pœnitentiam exhortari, ut cum ipse veniam, tales vos inveniam quales oportet & ego unice cupio. Videtis igitur quam male de me judicetis, & quantam mihi vestri amantissimo & cupidissimo faciatis injuriam? Multum in eo situm erat, & plurimum tam divinæ gloriæ quam Corinthiorum fratrum salutis referebat ut hoc crederent Corinthii: ideo cum istius rei certam fidem ipsis aliunde facere non posset, haud dubitavit testem appellare Deum super animam suam. Neque enim hoc juramento Deum contumelia ulla affecit, sed maxima gloria. Quo Pauli facto & exemplo docemur, juramenta quidem simpliciter omnia vetari a Christo, non tantum perjuria, sed juramenta quæ temere & sine gravi causa fiant, quorumque in sermonibus quotidianis consuetus & vulgaris est usus. Unde & Christus ipse quod vetuit per contrarii jussum illustrans, *sit autem*, inquit, *sermo vester*, nempe quotidianus & familiaris, *in quo juramenti nulla necessitas est*, *na na*, *non non*, *abundantius autem his ex malo est* Matth. V. 34, 37. Et cur jurejurando famam suam si sit opus purgare nolit innocens, cum etiam per suam infamiam divinæ gloriæ non parva labes & macula possit adspergi?

Vers. 24 *Non quia dominamur vestra fidei.* Amovet

vet objectionem Apostolus. Poterat aliquis cogitare Apostolum dominari Christianorum fidei, dum sibi puniendi jus in Christianos usurpat. Non hoc dicimus, inquit, quia dominamur vestræ fidei, absit ut id fiat, id est, ut carnalem habeamus in vestram fidem potestatem puniendi, si quid contra fidem Christianam faciatis. Notent hunc locum qui affectant in fidem & conscientias dominatum.

Sed administri sumus gaudii vestri, συνεργοί. Nempe Dei 1 Cor. III. 9, id est, Deo ministramus in gaudio vestro, nempe spirituali & Christiano, alendo, fovendo, conservando, augendo & promovendo: dum scilicet videtis nos Spiritus Sancti virtute, non carnali aliqua potestate, pœnas irrogare posse delinquentibus.

Fide enim statis. Ἑστήκατε, per Hebraicam enallagen præteriti pro præsenti. Causam adfert gaudii Christianorum, quia, inquit, *fide statis*, id est, salvi estis, seu in salutis statu versamini. Unde vobis maximum & juge gaudium oritur & manat. Per fidem enim & justitia vobis a Deo imputatur, per fidem omnis sanctitas in vobis efficitur, per fidem vita æterna vobis confertur. Quanto magis igitur fides vestra augetur, tanto magis augetur & gaudium. At fidem vestram proinde & gaudium vestrum maxime augeri oportet, cum in nobis Spiritus Sancti virtutem videtis a fide & pietate Christiana defectores puniendi, quæ vero fides Christianorum sit alibi non semel est explicatum, quæ certe non in eo consistit ut nobis justitiam Christi applicemus, & sic ipsi justitiæ steriles simus; sed ut Christo confidamus æternam vitam nobis pollicenti, & sic mandatis ejus exequendis totis viribus incumbamus. De *standi* verbo vide 1 Cor. X. 12.

CAPUT II.

Vers. 1. *Judicavi autem*. Intellige, ne quis mihi dicat, cur ergo non venisti ut gaudii nostri & fidei ageres administrum? *Judicavi*, id est, decrevi, per metonymiam causæ.

In meipso, ἐμαυτῷ. Per ellipsin particulæ ἐν, id est, apud animum meum constitui.

Hoc. Nempe quod sequitur.

Ne iterum venam in tristitia ad vos. Id est, ne iterum ad vos veniens in tristitia veniam. Necdum enim ad eos iterum venerat cap. I. 15, & XII. 21. XIII. 2, primus autem adventus non erat

In tristitia. Id est, cum tristitia. *In* pro cum. Hoc, inquit, apud animum meum constitui, ne iterum ad vos veniens, & secundo mei adventu vos beans, veniam ad vos cum tristitia, id est, ut vos contristem, & virgas in vos expediam, per correptiones scilicet & excommunicationes & pœnas & satanæ traditiones cap. XII. 20, 21. XIII. 2, 10. 1 Cor. V. 5. Licet enim hæc tristitia tendat in lætitiam, ego tamen id ago, ut ex secundo meo ad vos adventu merum & sine ulla tristitiæ commistione capiatis gaudium.

Vers. 2. *Si enim ego contristo vos, & quis est qui lætificet me nisi qui contristatur ex me?* Quasi dicat, quod fieri non potest. Ita vos contristando meipsum privarem omni ex vobis lætitia. Rationem hic adfert sui quod dixit decreti.

Vers. 3. *Et scripsi hoc ipsum*. Nempe quod ad vos iterum venire nolim cum tristitia. *Ne veniens tristitiam habeam ex quibus oportebat me gaudere*. Quasi dicat, proinde ut interim mores vestros emendetis, & ex Christi præscripto vivatis: alioquin enim veniens tristitiam haberem ex vobis, ex quibus me singulare gaudium oportebat percipere.

Confidens in omnibus vobis quod meum gaudium omnium vestrum est. Quasi dicat, nec mirum est me hoc eo fine scripsisse, cum in omnibus vobis, non in uno tantum & altero vestrum confidam, eam de vobis & in vobis omnibus fiduciam habeam, quod meum gaudium sit vestrum gaudium, proinde sicut in proprio vestro gaudio, sic in meo procurando diligentes & gnavi eritis, quod fiet si vos omnes sancte & Christiane viventes inveniam.

Vers. 4. *Nam ex multa afflictione & anxietate cordis*. Confirmat superius dicta per prolepsin: quasi dicat, nam ne putetis me non affici tristitia ex vestris malis moribus & pœnis,

Scitote quod ex multa afflictione. Ἐκ πολλῆς θλίψεως, ex multa pressura,

Et anxietate, συνοχῆς, constrictione,

Cordis. Id est, multis modis seu valde compressum & constrictum cor habens. Solet enim in animi dolore & ægritudine cor veluti comprimi & constringi.

Scripsi vobis. Nempe de illius incesti excommunicatione & pœna 1 Cor. V.

Per multas lachrymas. Id est, cum multis lachrymis, *per* pro cum: quasi dicat, quæ corde compresso & constricto abunde profluebant. Nimirum id fecit Apostolus quod Corinthii non fecerant, nempe ut lugerent 1 Cor. V. 2. Hinc infra de excommunicatione & pœnis agens: *Metuo*, inquit, *ne iterum venientem me humiliet Deus meus apud vos, & lugeam multos qui ante peccarunt &c* cap. XII. 21. Solebat enim ecclesia in luctu esse cum aliquem excommunicaret, ut alibi diximus.

Non ut contristemini. Docet quo fine non scripserit. Nolebat enim eos contristare ℣. 2, non negat eos fuisse contristatos, (erant enim cap. VII. 8, 9) sed negat se eo fine scripsisse.

Sed charitatem ut cognoscatis quam habeo. Docet quo fine scripserit, ut scilicet charitatem suam erga illos testaretur, admonens eos in rebus ad salutem ipsorum plurimum spectantibus, qua ex re lætitiam potius capere debebant quam contristari.

Quam habeo abundantius erga vos. Id est, abundanter. Comparativus pro positivo vel pro superlativo abundantissime, nisi quis putet Apostolum Corinthiorum ecclesiam præ aliis ecclesiis dilexisse, idque hoc loco testari. Neque enim absurdum est, ut sicut singulares homines sic & ecclesiæ aliæ præ aliis nobis sint chariores, certis & justis ex respectibus ac causis.

Vers. 5. *Si vero quis contristavit*. Quasi dicat, quod ego non feci. *Contristavit*, injuria & dedecore afficiendo cap. VII. 12. Notat incestum illum.

Non

Non me contristavit. Tollit ejus erga se delictum ex singulari charitate, id est, non me affecit injuria: quasi dicat, proinde in me nulla est mora quin eum amore fraterno complectar. Nam alioquin peccato suo magna fuerat Apostolo tristitiæ causa, ut vidimus ℣. 4.

Sed ex parte, ut non aggravem omnes vos. Nempe contristavit omnes vos cum quibus vivit & versatur, vos omnes, quorum ecclesiæ membrum est, injuria & dedecore affecit. Loquitur autem Apostolus comparate: quasi dicat, non tam me quam vos, ego sum ab hac injuria & contumelia remotior. Solemus enim ejusmodi comparationibus simpliciter negare quod minus est. Sic Christus, doctrina mea non est mea, sed ejus qui me misit Patris, & similia.

Ex parte. Id est, aliqua ex parte, non ex toto cap. 1. ℣. 14. Neque enim culpam unius præstare debet ex toto universa ecclesia, sed tamen aliqua ex parte tenetur rea, si id non protinus expurget, quod ecclesiæ Corinthiorum usu venerat 1 Cor. v. 2.

Ut non aggravem. Quasi dicat, ex parte dico, ne miserum istum aggravem. Itaque si ex hac parte quisque vestrum iterum partem aliquam in se recipiat, exiguum erit quod quisque misero isti condonandum ac remittendum habebit. Extenuat quantum potest hominis istius adversus singulos delictum, ut omnium animos illi tanto facilius reconciliet. Mira profecto charitas & benignitas, paterna magis quam fraterna.

Vers. 6. *Sufficit huic tali increpatio quæ a pluribus*, intellige, *facta est.* Docet illos increpatione a compluribus in ecclesia adversus hominem istum facta contentos esse debere, quippe quod fuerit in ipso ad summum animi dolorem & pœnitentiam efficax, ut ex sequentibus apparet. Quid enim ulteriori curatione & acrioribus remediis est opus ubi morbus jam curatus est, & tam ecclesiæ quam divinæ gloriæ satisfactum? Præsertim si periculum sit, ne morbo jam expugnato, graviorum insuper adhibitione remediorum non salus adferatur sed pernicies.

Vers. 7. *Ita ut è contrario magis donetis & consolemini.* Quasi dicat, tantum abest ut ulteriorem rigorem ac pœnam in eum extendatis, ut contrarium potius vobis sit faciendum.

Magis donetis. Nempe delictum, quam ut illud adhuc excommunicatione puniatis.

Et consolemini. Nempe non tantum delicti condonatione & pœnæ remotione, sed etiam pro ulteriori objurgatione, animum ejus salutaribus erigendo sermonibus, ne de venia peccati sui apud Deum & Christum propitiatorem desperet, dummodo inposterum sanctum & vere pœnitentem se præbeat. Hujusmodi consolationi mirum in modum inserviunt illa Joannis Apostoli verba 1 Joan. 2. 1, *Filioli mei hæc scribo vobis ut non peccetis, & si quis peccet, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum. Et ipse propitiatio est pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi.* Si totius mundi peccata Christi sanguis mundare potest, dummodo in Christum credat, quanto magis cujusque nostrûm, dummodo tenebrarum operibus abdicatis in luce ambulet 1 Joan. 1. 7.

Ne forte abundantiore tristitia absorbeatur hic talis. Apparet illum valde contristatum fuisse ob suum peccatum, quo se tot sanctorum hominum & totius ecclesiæ correptionibus, tantæque infamiæ ac dedecori objecisset. Ideo non vult Apostolus eum majore tristitia gravari. *Ne forte per eam absorbeatur*, id est, pereat, in desperationem salutis actus, & consequenter in Christum credere, Christum amare, de vera pœnitentia & vitæ emendatione cogitare desinat.

Vers. 8. *Itaque rogo vos ut sanciatis in ipsum charitatem.* Nunc deprecatorem pro ipso agit Apostolus, cum antea gravem illius accusatorem egisset & tristem judicem. Nimirum aliter tractantur peccantes, aliter pœnitentes. Viri sancti adversus peccantes asperi sunt, adversus pœnitentes mites & benigni.

Ut sanciatis. Nempe decreto publico.

In ipsum charitatem. Id est, ut quandoquidem tanta peccati sui pœnitentia ducatur, membrum maneat ecclesiæ, cui omnes fraternam debeant charitatem, & eo loco habeant atque si nunquam peccasset. Nimirum ecclesia Deum Patrem suum imitari debet, qui itidem in omnes peccatores pœnitentes sancit charitatem suam, eamque sanguine Filii sui unici voluit obsignatam, & quem ob idipsum pro peccatis nostris in mortem dedit, ut nos de illorum venia ac remissione plane certos redderet, simulque etiam sibi ac Filio suo penitus manciparet.

Vers. 9. *In hoc enim & scripsi.* Urget adhuc rem: quasi dicat, nam et jam assecutus sum finem meæ ad vos scriptionis de isto homine. Tacite simul occurrit iis qui dicerent, antea tam graviter in istum invectus es, nunc te tam mitem & benignum erga illum præbes, & ut nos idem faciamus contendis.

Ut cognoscam probationem vestram. Docet quo fine de isto homine ex ecclesiæ communione tollendo scripserit. *Ut cognoscam*, inquit, *probationem vestram.* Id est, effectum probationis vestræ, per metonymiam causæ: quasi dicat, probandi vos causa scripsi, ut cognoscam quam probati sitis.

Si ad omnia obedientes estis. Nempe mihi Apostolo Christi. Exprimit hanc probationem: quasi dicat, hoc igitur nunc cognovi, & mihi jam a vobis satisfactum est, ultra non tendo.

Vers. 10. *Cui autem aliquid donatis, & ego*, intellige, *dono.* Ne quis putet me non condonaturum vobis condonantibus.

Etenim ego si quid donavi, cui donavi, propter vos, intellige, *donavi.* Probat illis donantibus & se donare: quasi dicat, ego propter vos donare soleo delicta, proinde vobis donantibus in me non erit mora.

Si quid donavi, cui donavi. Intellige, inter vos, vel, in vestra ecclesia, *propter vos*, vestri causa, in vestri gratiam & commodum.

In facie Christi. Id est, coram Christo, tanquam omnium actionum nostrarum spectatore. Metaphora ab hominibus, proinde condonavi sincere, candide & ex animo. Neque enim in Christi conspectu auderem aliquid falsum & simulatum facere. Locus hic docet Christi providentiam & inspectio-

nem, non actionum tantum nostrarum, sed etiam cogitationum & animorum.

Ne circumveniamur à Satana, πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ. Quæstui habeamur a Satana. Exponit quo fine & commodo ipsorum & nunc condonet istud delictum sublata illius pœna, & antea condonaverit si quid cuiquam condonaverit. Eo nimirum ne quæstui habeamur a Satana, quod fieret si nobis fratrem eriperet & salutem alicui nostrûm extorqueret. Extorqueret autem si animos nostros injectis pravis cogitationibus & consiliis aut desperatione a fide in Christum & pœnitentia aut debita charitate alienaret. Loquitur autem Apostolus in prima persona plurativi per communicationis figuram, se quoque cæteris includens.

Vers. 11. *Non autem ipsius cogitationes ignoramus.* Causam addit cur Satanæ vereatur artes & insidias: quasi dicat, non enim ignoramus quam Satanas perpetuo cogitet, quamque varias artes excogitet & adhibeat, ut nobis salutem adimat. Inter quas non postrema est peccatum extenuare & elevare, ut nos ad peccandum inducat, ubi vero peccaverimus, adeo gravitatem ac magnitudinem illius exaggerare, ut nos in salutis desperationem aut alias pravas opiniones agat, & a veræ pœnitentiæ studio & cogitatione prorsus avertat. Loquitur & hîc in plurativo, quia & alii Christiani omnes ignorare non debent, quam Satanam sibi habeant infestum & suæ saluti imminentem & inhiantem. Vide 1 Petr. v. 8.

Vers. 12. *Cum autem venissem Troadem.* Docet quid porro factum sit, se ex illo Asiatico præsentissimo periculo servato cap. I. 8, 9, 10. Cum, inquit, venissem Troadem, Epheso nimirum.

In Euangelium Christi. Id est, eo fine ut bonum nuncium de Christo adferrem & prædicarem, per genitivum objecti. Notat unicum suorum itinerum finem & scopum.

Et janua mihi aperta esset. Id est, commoditas & facultas oblata Euangelii prædicandi, per metaphoram 1 Cor. XVI.

In Domino. Id est, per Dominum, per Christi ipsius qui iste Dominus est providentiam & potentiam.

Non habuit relaxationem spiritus meus. Id est, animo fui compresso & tristi. Lætitia enim animus veluti relaxatur, tristitia comprimitur.

Eo quod non invenerim Titum fratrem meum. Quem scilicet Corinthum ad Corinthios fratres miserat cap. VII. 6, 7, & sibi Troade in reditu occursurum, ut apparet, sperabat.

Vers. 13. *Sed valedicens iis*, nempe Troadensibus fratribus, *exivi in Macedoniam.* Quasi dicat, occursurus Tito a vobis redeunti, ut quamprimum nuncium de vobis acciperem. Testatur suum amorem singularem erga fratres Corinthios, quod quamvis Troadem in Euangelium Christi venisset, quamvis istic sibi januam haberet apertam in Domino, nihilominus nulla animo suo esset relaxatio, quod istic Titum & de ipsis nuncium non invenisset; sed Troadensibus fratribus valedixerit, & in Macedoniam in occursum Tito profectus sit, ut de Corinthiis tanto citius nuncium acciperet. Act. XX scribit Lucas Apostolum Macedonia profectum fuisse Troadem ℣. 3, 6: nempe quia loquitur de alia profectione, quæ posterius accidit cum Paulus non Epheso tenderet in Macedoniam ℣. 1, unde etiam jam venerat in Græciam ℣. 2. Sed cum ut vitaret Judæorum insidias, ex Græcia repeteret iter per Macedoniam ℣. 3, tum ex Macedonia venit Troadem ℣. 6.

Vers. 14. *Deo autem gratia.* Commemorat quo successu ubique agat, Euangelium prædicans cum debita erga Deum gratiarum actione. Sic enim decet commemorare Dei beneficia, præsertim magna & ingentia.

Deo autem gratia, intellige, *sit.* Id est, & debetur & habetur & agitur a me.

Qui semper triumphat nos. Id est, triumphare nos facit, Hebræa phrasi, qui semper nobis victoriam & triumphum de hominibus largitur, quocunque nos cum Euangelio vertimus, semper & ubique vincimus ac triumphamus. Nam si homines Euangelio credant, vincimus eos Christo ad consequendam vitam ęternam, si non credant, effectum suę contumaciæ habent mortem æternam. Ita, sive per Euangelium nostrum vivant homines, sive pereant, nos semper vincimus & triumphamus. Nam & Imperatores triumphabant ob alios conservatos, alios, nempe hostes peremptos ac neci datos.

In Christo Jesu. Id est, per Christum Jesum. Omnia enim Deus dat & facit per Christum Jesum 1 Cor. VIII. 6.

Et odorem cognitionis suæ. Id est, odorem qui est sui cognitio, per genitivum speciei vel differentiæ. Alia metaphora rem explicat. Cognitionem Dei quæ per Euangelium traditur comparat odori.

Manifestum facit. Nempe quia de odore, qui Dei cognitio est, loquitur: magis attendit ad rem quam ad similitudinem. Odor enim proprie loquendo non manifestatur, sed Dei cognitio manifestatur per Euangelium.

Per nos. Apostolos videlicet.

In omni loco. Quocunque venimus.

Vers. 15. *Quia Christi bona fragrantia sumus.* Rationem reddit cur odoris utatur metaphora.

Quia, inquit, *sumus Christi bona fragrantia.* Id est, id quod bonam fragrantiam, bonum odorem ex se fundit, per metonymiam adjuncti pro subjecto. *Christi.* Quatenus ad Christum protinemus, quippe qui efficit ut hanc bonam fragrantiam ex nobis fundamus.

Deo. Docet cui ad delectationem & placitum bonam hanc fragrantiam profundant, Deo nimirum. Significat hac metaphora se veros Christi Apostolos & ministros in prædicatione sua esse.

In iis qui servantur & in iis qui pereunt. Quasi dicat, non tantum in iis qui servantur, sed etiam in iis qui pereunt prædicatione nostra & bonæ istius fragrantiæ profusione delectatur Deus. Intelligit autem credentes & non credentes ab effectu. Vide 1 Cor. 1. 18.

Vers. 16. *His quidem odor mortis in mortem, illis autem odor vitæ in vitam*, intellige, *sumus.* Id est, odorem afferimus, per metonymiam adjuncti pro subjecto, vel effecti pro causa. Afferebant enim istum odorem sua prædicatione. Docet quam vim & effectum habeat hic odor cognitionis Dei animis hominum oblatus, in iis qui pereunt, & in iis qui servantur, ut hoc ipso doceat quam sint bona fragrantia Deo.

His

His quidem, inquit. Nempe qui pereunt,

Odor mortis. Per genitivum effecti, vel per duo substantiva per substantivum & adjectivum, Hebræo more, odorem significat mortiferum.

In mortem. Id est, ut moriantur, nimirum æterna morte, quæ vere mors & interitus est.

His autem. Nempe qui servantur,

Odor vitæ. Eadem phrasi, id est, vitalis, vitæ adferendæ vim habens, nempe æternæ, quæ itidem vere vita est.

In vitam. Id est, ut vitam adipiscantur æternam. Ita utrumque Deo fit ad placitum, dum & illi contumaciæ suæ meritas dant pœnas, & isti obedientiæ suæ debitum ferunt præmium. Nam & illi ideo moriuntur ac pereunt, quod Euangelio audito non credant, & isti servantur quod ei fidem abhibeant.

Et ad hæc quis idoneus? Nempe ut talem doctrinam prædicet, quæ tanquam odor hominum animis oblata, his quidem, nempe non credentibus, mortem & exitium, illis vero, nempe credentibus, vitam & salutem adferat, æternam intellige, nisi quem Deus ipse ad hæc faciat idoneum, id est, sua ad homines legatione cum tali nuntio instruat.

Vers. 17. *Non enim sumus sicut multi cauponantes sermonem Dei*. Confirmat id quod de se asseruit per prolepsin: quasi dicat, non enim, ne quis id nobis objiciat,

Sumus sicut multi cauponantes. Id est, adulterantes hominum commentis & traditionibus cap. IV. 2,

Sermonem Dei. Sicut caupones aquæ vel aliarum rerum admixtione adulterare solent vinum. Nam hoc si faceremus, non haberet eam vim & effectum prædicatio nostra quam diximus. Significat se ex prædicatione sua non quærere lucrum, proinde sermonem suum non attemperare hominum placitis & affectibus. Nam & caupones varie vinum adulterant lucri causa.

Sicut multi. Quasi dicat, quamvis multi sint qui hoc faciant, quos ego non imitor. Vide etiam Apostolorum temporibus fuisse, idque multos, qui Dei sermonem adulterarent, & negemus post Apostolorum tempora caupones ejusmodi extitisse plurimumque profecisse? Notat Apostolus eos qui gratiæ Euangelii circumcisionem & ritus Legis admiscebant, ut Judæorum genti placerent, vel gratiam Euangelii & libertatem ita extenderent, ut ea etiam ad scortationes & vitæ carnalis licentiam abuterentur.

Sed sicut ex sinceritate. Id est, sed sicut sinceritas & candor animi, omne mendacium, omnem fraudem ac imposturam aversantis exigit.

Sed sicut ex Deo. Id est, sicut Deus requirit & jubet, *coram Deo*. Quasi dicat, qui prædicationis nostræ inspector est, & acerrimus foret vindex si quid admisceremus fraudis. *In Christo*, id est, in Christi Euangelio, per metonymiam causæ, *loquimur*.

CAPUT III.

Vers. 1. *INcipimus iterum nosipsos commendare?* Respicit enim ad ea quæ supra cap. I. 12, 13, 14 de se dixerat, ideo hic dicit, *iterum*, propter proxime dicta: quasi dicat, non hæc propria nostra laus est, quæ modo, quæque supra de nobis diximus. Res ipsa de nobis id loquitur.

Nisi indigemns, sicut quidam, commendatitiis epistolis apud vos aut ex vobis. Id est, a vobis, ἐκ pro ἀπὸ.

Commendatitius epistolis. Quasi dicat, nam si hoc sit, tum nobis vere queat objici quod nosipsos commendemus. Qui aliorum indigent commendatione, seipsos commendare non debent.

Sicut quidam. Irridet eos qui commendatitias epistolas apud ecclesias emendicabant, cum seipsos factis & operibus suis commendare non possent. *Apud vos*. Quæ nos vobis commendaret. *Ex vobis*. Quæ nos commendarent aliis.

Vers. 2. *Epistola nostra vos estis*. Quasi dicat, non indigeo ulla epistola commendatitia, habeo satis superque epistolarum vos ipsos, id est, vestram ecclesiam, quæ me commendat, & Christi Apostolum esse docet.

Inscripta. Nempe a nobis, seu nostro ministerio.

In cordibus vestris. In quibus videlicet Euangelium Christi inscripsimus.

Quæ cognoscitur & legitur ab omnibus hominibus. Omnibus enim hominibus constabat eos ad fidem in Christum per Paulum fuisse conversos, ita ut Paulus nulla epistola, nullo testimonio chartæ inscripto haberet opus. Res ipsa docet legendum esse, *in cordibus vestris* ὑμῶν, non ἡμῶν *nostris*. Neque enim in Paulo cognoscebant & legebant omnes homines Corinthiorum conversionem, sed in ipsis Corinthiis Paulo in commendationem & testimonium.

Vers. 3. *Manifestati*, φανερούμενοι, *quod sitis epistola Christi*. Explicat quod dixit, quatenus nimirum omnibus hominibus manifesti erant quod essent epistola Christi, id est, Christum auctorem habens.

Inscripta non atramento. Quasi dicat, neque enim de proprie dicta loquor epistola.

Sed spiritu, id est, afflatu *Dei viventis*. Quo scilicet fuimus instructi, & sine quo epistolam hanc inscribere nunquam potuissemus. Deum appellat viventem, quia ei spiritum tribuit efficacissimum, quem ministris suis ad opera divina efficienda communicat. Vide distinctionem inter Deum ipsum & inter spiritum ejus, & spiritum opponi atramento tanquam medium medio, quorum hoc scribitur in chartis, Spiritu autem Sancto in cordibus.

Non in tabulis lapideis. Alludit ad Legem in tabulis lapideis olim inscriptam.

Sed in tabulis cordis carneis. Id est, in tabnlis carneis, quæ sunt cor, per genitivum differentiæ vel speciei. Intelligit autem Corinthiorum cor, id est, animum. Unde etiam apparet ℣. 2 legendum esse *in cordibus vestris*, *non nostris*, ut monuimus. Inscripserat nimirum Apostolus eorum animis Christi Euangelium per divini spiritus efficaciam quæ sese & in sermonibus ejus & in operibus divinis exserebat.

Vers. 4. *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum*. Intellige, ne quis nobis objiciat quod nobis nimium confidamus, talia de nobis affirmantes. Talem fiduciam, inquit, non in nobis habemus.

Sed

Sed per Christum ad Deum. Id est, erga Christum & per Christum erga Deum. Solus Deus & Christus ex Dei dono, ad Dei gloriam, eas in se naturaliter habent vires ac facultatem.

Vers. 5. *Non quod idonei simus a nobisipsis cogitare aliquid.* Explicat magis quod dixit, nempe se non ideo talia sibi ipsis tribuere quod idonei sint a seipsis, id est, natura sua, cogitare aliquid, nempe talium rerum: quasi dicat, nedum perficere.

Tanquam a nobis ipsis. Id est, tanquam propria & naturali nostra virtute & facultate: quasi dicat, cogitamus quidem aliquid etiam nos ipsi, sed non tanquam ex nobis ipsis

Sed aptitudo (ἱκανότης) *nostra ex Deo.* Quasi dicat, sed Deus est qui nos ad talia cogitanda & perficienda reddidit idoneos per spiritum suum.

Vers. 6. *Qui etiam idoneos effecit nos, ut essemus ministri Novi Testamenti.* Quasi dicat, ut mirum non sit nos ea quæ diximus in vobis potuisse præstare, cum pertineant ad Novi Testamenti ministerium, ad quod nos idoneos Deus effecit, id est, ut Novum Testamentum humano generi annunciaremus & promulgaremus, ea virtute & efficacia quæ probis mentibus ad illud firma fide amplectendum & suscipiendum abunde sufficeret. Novum Testamentum, καινὴ διαθήκη, novam dispositionem, nempe Dei ad homines spectantem, tacite opponit priori Testamento seu Fœderi per Mosen lato, hoc vetus esse, proinde & antiquatum, novo inducto, significans. Ideo & infra Vetus Testamentum id diserte nuncupat ℣. 14. Nec mirum, cum hoc multo melius sit priore, quippe super melioribus promissionibus latum Hebr. VIII. 6. Continet enim apertam promissionem de vita æterna, de resuscitatione ex mortuis, de peccatorum omnium remissione, de imputatione justitiæ per fidem, de liberatione a Legis, omnes qui peccarunt damnatis, maledictione, & ab omnibus ejus ritibus: continet, inquam, gratiam illam Dei salutarem & ipsam veritatem, qua Deus homines pro filiis & cælestis Regni sui hæredibus adoptat, iis spiritum adoptionis largitur, cum iis tanquam cum filiis agit, sola spirituali & tanta gratia sua, non indigna vita in illis contentus. Quod quia solidissimam & verissimam Dei continet gratiam, ideo etiam non ad unum populum, ut prius illud, sed ad omnes populos & homines pertinet, & ad finem usque mundi duraturum est. Hujus igitur Testamenti ut essent ministri, idoneos se a Deo effectos esse dicit Apostolus. Et sane quis hominum tale Testamentum Dei nomine promulgare, ejusque fidem haud dubiam hominibus facere posset, nisi ab ipso Deo ad id faciendum instructus?

Non litera sed spiritus. Ut quantum discrimen sit inter Legem & Novum Testamentum seu Euangelium ostendat, apponit hæc, Legem appellans literam, Novum Testamentum seu Euangelium spiritum. Legem seu Testamentum Vetus literam appellat, quod ejus Decalogus seu decem præcepta potissima Legis pars, literis contineretur, tabulis lapideis inscriptis. Novum Testamentem autem appellat spiritum, quod contineatur spiritu adoptionis efficacissimo, qui Dei præcepta cordibus & animis hominum inscribat, id est, efficiat ut homines eorum semper sint memores, & executioni totos se dedant Hebr. VIII. 8, 9, 10 & sequentibus. Hic enim spiritus partim ex ipso hoc Novo Fœdere manat, & hominum animos qui illud amplexi sunt imbuit, partim cælitus iisdem immittitur Rom. VIII. 2 & seqq. 9, 11, 14, 15. Gal. IV. 6. Tit. III. 5, 6.

Nam litera occidit, spiritus autem vivificat. Rationem addit cur Deus litera, id est, Lege abdicata, spiritus, id est, Novi Testamenti ministerium ipsis demandaverit. *Nam*, inquit, *litera*, id est, Lex *occidit*, quatenus nimirum transgressoribus sui mortem minatur & infert, vires autem sui servandi non largitur, jubet non juvat. Eodem sensu idem Apostolus alibi, Lex iram operatur, inquit, Rom. IV. 15. VIII. 3.

Spiritus autem vivificat. Quatenus nimirum facit ut præcepta Dei servemus, & simul nos a Lege liberat, ne ei obnoxii simus, ut ab ea vel propter ante-acta peccata, vel propter accidentes aliquos lapsus, qui tamen spiritualem & sanctam vitam non tollant, damnemur & morti adjudicemur, utque circa ritus laboremus, & quidquam aliud præter spiritualem Dei cultum, justitiam, charitatem, temperantiam, seu quicquid naturæ rectum & honestum est, consectemur, aut præter id quod natura malum ac turpe est evitemus Gal. V. 5, 18, 22, 23.

Vers. 7. *Si autem ministerium mortis.* Infert porro ex dictis per comparationem quanta gloria maneat Novi Testamenti ministros. *Ministerium mortis.* Id est, Lex, quia per Legem ministrabatur mors. Ubi enim lex non est, ibi nec transgressio, & peccatum non imputatur non extante lege Rom. IV. 15. V. 13: & spiculum mortis peccatum, vis autem peccati lex 1 Cor. XV. 56. Hoc autem ex eventu factum est non ex Legis fine, seu hominum culpa non divina intentione. Neque enim Lex data erat quæ posset servare, id est, vitam æternam afferre Gal. III. 21. Nam literali & externo sensu servata (quod tamen a paucis fiebat) vitam temporariam adfert, sed non æternam: mystico autem & interiore sensu qui eam ita servet, etiam post spiritum adoptionis acceptum, ut extra omne peccatum sit, nullus est. Unde qui hoc sensu per Legem servari velit, ipse sibi damnationis causa sit. Lex data erat ut transgressiones & facta enormia coërceret, donec veniret semen cui hæreditas æternæ vitæ promissa erat Gal. III. 19, nempe Christus & credentes in Christum, qui spiritu reguntur divino nec ulla lege opus habent ℣. 25. V. 18. 23.

In literis. Id est, quod constabat in literis. Litera autem occidit, ut dictum est.

Insculptum in lapidibus. Legis enim Decalogus in tabulis lapideis erat insculptus, cum contra Euangelium inscribatur cordibus ℣. 3. Et hæc erat causa ob quam Lex esset ministerium mortis, quod Lex solis literis constaret & in lapidibus insculpta esset, non cordibus hominum inscripta.

Fuit in gloria. Id est, cum gloria, cum magno splendore & dignitate.

Ita ut non possent intueri Filii Israël in faciem Mosis propter gloriam, id est, splendorem *faciei ejus.* Exponit gloriam illam Legi conjunctam, quod scilicet

ſcilicet Moſis qui Legem promulgabat, facies tanta gloria & ſplendore radiaret, ut eam oculi non ferrent Iſraëlitarum, ſicut ſolis ſplendorem hominum oculi ferre non poſſunt.

Quæ peribat. Nempe gloria, id eſt, quæ ipſa per ſe ſenſim diſparebat & diſparuit. Addit hoc, ut gloriam illam, cui tantum Judæi tribuebant, reſpectu futuræ illius & æternæ gloriæ, quæ Chriſtianis omnibus, & inprimis Apoſtolis deſtinata eſt, elevaret.

Verſ. 8. *Quomodo non magis miniſterium ſpiritus.* Id eſt, Novum Teſtamentum, ſeu Euangelium quo ſpiritus qui vivificat miniſtratur,

Erit in gloria. Id eſt, cum gloria, ita nimirum ut maxima gloria afficiantur Novi Teſtamenti miniſtri ſeu Euangelii præcones, imo omnes qui illud amplexi ſunt.

Verſ. 9. *Si enim.* Rationem reddit conſequentiæ,

Miniſterium condemnationis. Id eſt, Lex qua miniſtrabatur condemnatio, etſi non per ſe; tamen ex eventu. Condemnantur enim qui legem tranſgrediuntur, quod ne fieret, Lex in literis poſita & lapidibus inſculpta, hominum vitio invalida erat ut præſtaret. *Gloria*, id eſt, tantam gloriam ſibi habuit adjunctam.

Multo magis abundat miniſterium juſtitia. Id eſt, Novum Teſtamentum quo juſtitia miniſtratur, nempe ut,& homines juſti ſint ac divinæ voluntatis ſervantiſſimi, & ut iis inſuper juſtitia propter fidem à Deo imputetur, ac vita æterna conſeratur.

In gloria. Quaſi dicat, ſi Lex damnationem adſerens abundavit in gloria, multo certe magis Euangelium juſtitiam & vitam adſerens in gloria abundat, intellige, erga omnes Euangelii & præcones & participes. Ponitur autem præſens pro futuro, *abundat* pro *abundabit*, ut ex ℣ſ. 8 & 12 patet, & res ipſa docet Apoſtolum loqui de gloria & claritate illa filiorum Dei, qua olim radiabunt in adventu Chriſti, quod & ſequentia docent verba.

Verſ. 10. *Etenim neque glorificatum eſt glorificatum illud.* Quaſi dicat, merito id concluſi. Tanta enim erit Euangelii ſeu eorum qui Euangelium prædicarunt & amplexi ſunt gloria, ut neque glorificatum ſit glorificatum illud, nempe Lex, de cujus gloria loquebatur.

In hac parte. Nempe in comparatione cum Euangelio, id eſt, ut Lex omnem ſuam gloriam amittat,

Propter excellentem gloriam. Nempe Euangelii, quæ adeo erit excellens, ut illam Legis gloriam penitus obſcuret & tollat.

Verſ. 11. *Si enim*: confirmat quod dixit, *quod aboletur.* Nempe Lex quæ abolenda & antiquanda erat per Euangelium? cujus rei judicium erat & illa ſenſim evaneſcens in vultu Moſis gloria ℣ſ. 7, 13, Ponitur autem præſens pro futuro, *quod aboletur*, pro eo quod abolendum erat & jam tum abolebatur.

Per gloriam. Id eſt, cum gloria, intellige, *fuit*, *per* pro *cum.*

Multo magis quod manet. Nempe Novum Teſtamentum. Hoc enim manet & manſurum eſt quamdiu mundus manet, nulla nova lege à Deo antiquandum.

In gloria. Id eſt, cum gloria, intellige, *erit.*

Verſ. 12. *Habentes igitur talem ſpem.* Docet quam libere & intrepide agat in Euangelii miniſterio, tali quam dixit & evicit ſpei confiſus. *Talem ſpem.* Id eſt, tantæ gloriæ & tam certam. Unde apparet eum de futura loqui gloria.

Multa fiducia utimur, παῤῥησίᾳ, loquendi libertate. Id eſt, libere & intrepide Euangelium prædicamus, *non pudet nos Euangelii Chriſti* Rom. 1.16. Scimus qualem quantamque gloriam Euangelium Chriſti nobis allaturum eſt, & quam nihil in ſe contineat quod ullo unquam tempore ſit antiquandum.

Verſ. 13. *Et non ſicut Moſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam.* Reſpicit ad hiſtoriam notam.

Ut non intuerentur filii Iſraël in finem ejus quod aboletur, intellige, ſic nos facimus. Eſt enim oratio Pauli ἀνανταπόδοτος, cujus apodoſis demum ℣ſ. 18 ſignificatur: quaſi dicat, non latemus, non abſcondimus nos, cuivis nos & Euangelium quod prædicamus ſpectandum exhibemus. Notat Apoſtolus effectum poſiti ſuper faciem Moſis velaminis. Nam alioquin Moſes id faciebat, quod Iſraëlitæ claritatem vultus ejus ferre non poſſent ℣ſ. 7, & hiſtoria teſte. Cæterum dum hoc Moſes alia de cauſa facit, iſte ſequebatur effectus,

Ut filii Iſraël non intuerentur in finem ejus quod abolebatur. Id eſt, in finem illius gloriæ & claritatis quæ ſenſim evaneſcebat. Videbant quidem tandem extinctam, ſed eam extingui velamine illo objecto non videbant: quaſi dicat, at gloria noſtra ſtabilis eſt & æterna, ideoque nullum velamen nobis apponimus, retecta & revelata coram omnibus hominibus facie verſamur ℣ſ. 18, Ita Apoſtolus id quod Judæis in Moſe ſummum videbatur, in argumentum capit imperfectionis Legis Moſaicæ: nempe Legem ipſam tandem etiam aboleri debuiſſe, ſicut gloria illa in facie Moſis ſenſim evanuit & abolita eſt. Et quæ teguntur, ſolent aliquid imperfectionis habere, quam hic fuiſſe, effectus, id eſt, gloriæ illius abolitio docuit.

Verſ. 14. *Sed occalluerunt ſenſus eorum*, ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν. Senſus nimirum animi, id eſt, eorum mens & intellectus. Conciſe loquitur Apoſtolus, ſuo more, plura intelligens quam verbis promens, quæ ex orationis contextu ſunt evolvenda. Nam id cui adverſativa hæc oratio debeat opponi expreſſum non eſt, ſed ex ſuperioribus intelligendum relictum: quaſi dicat, Lex non minus aboleri tandem debuit quam gloria illa in Moſis vultu abolita eſt, eratque hæc evanida Moſis gloria illius rei certiſſimum ſignum & argumentum.

Sed occalluerunt ſenſus eorum. Id eſt, vim intelligendi rem iſtam amiſerunt, ſua nimirum culpa. Evanida illa quæque jam pridem evanuit in Moſis facie gloria, & velamen illud ei obtentum, ita oculos eorum præſtrinxit & detinet, ut Legem abolitam & antiquatam eſſe non videant. *Eorum*, id eſt, Iſraëlitarum, non eorum qui Moſis tempore vixerant, ſed eorum qui vivebant tempore Chriſti & Apoſtolorum, proinde eorundem genere, non eorundem numero. Sic & Petrus Chriſtum ſpiritibus in carcere prædicaſſe dicit, qui quondam, id eſt, tempo-

ribus Noë fuerunt inobedientes 2 Petr. III. 19, 20, ad idem genus respiciens, non ad eadem individua.

Usque in hodiernum enim diem. Confirmat quod dixit, Israëlitarum sensus occalluisse, quandoquidem in hodieroum usque diem, Euangelio in terrarum orbe jam publicato, & gentibus ad Christum conversis, nihilominus

Idem velamen super lectione Veteris Testamenti. Id est, simile velamini illi quod erat super facie Veteris Testamenti promulgatoris. Similia enim aliquomodo sunt eadem. Sic infra, *in eandem cum Domino imaginem transformari* dicimur, quia in similem, ℣. 18, vel, *idem velamen*, quatenus ejus figuratum.

Manet. Manere id dicit, quia idem esse dixerat.

Non revelatum. Id est, non ablatum. Velamen revelari dicitur, sicut sordes expurgari: quasi dicat, ad hunc usque diem Vetus Testamentum legunt & legi audiunt, nec vident illud jam abolitum & antiquatum esse. Vetus Testamentum opponit Novo.

Quod, nempe velamen, *in Christo*, id est, per Christum, *abolетur.* Id est, tollitur. Per Christum enim omnibus patefit, qui oculos non habent occæcatos, & sensus animi callo obductos ac induratos, Legem jam nulli esse usui in iis qui spiritu aguntur, non magis quam lucernam, solis luce exorta.

Vers. 15. *Sed ad hodiernum diem.* Quasi dicat, quamvis Christus jam venerit & ubique prædicetur,

Quum legitur Moses. Id est, Lex à Mose lata, per metonymiam causæ.

Velamen super cor, id est, animum, *ipsorum jacet.* Quasi dicat, sicut olim quum videbatur Moses, super facie ejus jacebat: id est, non vident nec intelligunt finem Legis jam venisse Rom. x. 4. Gal. III. 17, 24.

Vers. 16. *Quum autem convertitur ad Dominum.* Nempe Israël, vel aliquis Israëlitarum, quum fidem in Dominum, id est, Christum, suscipit. Dominus opponitur Mosi tanquam servo Hebr. III. 5, 6.

Tollitur velamen illud. Tum videt & agnoscit quid Lege factum sit, quamq; jam exoleverit & antiquata sit.

Vers. 17. *Dominus autem*, id est, Christus, *spiritus est.* Id est, spiritus illius vivifici dator ℣. 6, per metonymiam effecti. Sic & vita & resurrectio dicitur Christus. Hoc addit, ne quis dicat: quid ergo homines ad Christum conversos in officio continebit Lege sublata.

Dominus, inquit, *spiritus est.* Qui sicut ipse spiritus vivificus est factus, (cum contra Moses tantum caro fuerit) sic spiritum vivificum abunde largitur & suppeditat.

Ubi autem spiritus Domini, id est, Christi, *ibi libertas.* Nempe primum a peccato, spiritus enim Christi carnem mortificat cum concupiscentiis & affectibus Rom. VIII. 2, 9, 10, 13. Gal. v. 24, deinde a Lege Gal. v. 18, denique a damnatione Rom. VIII. 1: hæc enim omnia sese consequuntur. Significat Apostolus omnes qui Christi spiritum habent & eo reguntur, hanc tantam libertatem adeptos esse. Est autem spiritus Domini, spiritus dominicus, non servilis, spiritus adoptionis, in quo clamamus Abba Pater Rom. VIII. 15, 16. Gal. IV. 5, 6. Hic spiritus facit, ut & tanquam filii Dei nos geramus, & a Legis servitute ac damnatione liberi & immunes simus.

Vers. 18. *Nos vero omnes.* Quasi dicat, Dominus quidem spiritus est, *nos vero omnes*: quasi dicat, non ut olim solus Moses ad Deum accedens. Intelligit autem omnes credentes in Christum, non tantum Apostolos & Euangelii ministros.

Revelata facie. Quasi dicat, sicut liberos decet, non velata ut Moses cum ad populum veniret ℣. 13, & a cordibus ablato velamento ℣. 15, 16.

Gloriam Domini speculantes, κατοπτριζόμενοι. Mosi hac in parte similes, nisi quod ille gloriam Angeli Dei sub nomine secum loquentis intueretur; nos autem gloriam Domini Angelorum, id est, Christi, Dei Filii unici, speculemur, nondum intueamur, sed tanquam in speculo oculis mentis videamus 1 Cor. XIII. 12, cum tanta sit ejus gloria, ut corporeis & mortalibus oculis cerni non possit; & Moses solus gloriam Angeli intueretur, nos autem omnes gloriam Domini speculemur.

Eandem imaginem transformamur. Id est, in eandem, per ellipsin particulæ *in*. Nam & Moses Angelum intuens in eandem cum Angelo transformabatur imaginem. Eadem dicitur, quia similis Rom. VIII. 29.

A gloria in gloriam. Exponit quomodo in eandem cum Domino imaginem transformemur, a gloria nimirum Domini in gloriam Domini gloriæ similem, sicut & Moses ab Angeli gloria transformabatur in gloriam Angeli gloriæ similem. Nimirum communicatione Christi gloriæ transformamur, id est, naturam & corpora adipiscimur Christi naturæ & corpori similia: non ut Mosi evenerat, qui eandem mortalis naturæ conditionem retinens externum tantum splendorem mutuabatur ab Angelo. Gloria significat splendorem, claritatem. Ponuntur autem abstracta pro concretis, gloria pro glorioso seu gloria prædito. Loquitur autem Apostolus de transformatione nostri in eandem cum Christo imaginem, seu eandem naturæ & corporum gloriam, tanquam de re præsenti. Ea enim est vis assiduæ speculationis gloriæ Christi, quæ animis nostris peragitur, quæque cum fide in Christum & illius ardentissimo amore conjuncta est, ut nobis transformationem istam conciliet, & certo sit exhibitura. Ita Christiani facti non tantum libertatem habemus maximam, sed etiam ejusdem cum Domino gloriæ jus & hæreditatem.

Tanquam a Domini spiritu. Medium ostendit quo ista fiat transformatio, spiritum nimirum Domini, id est, virtutem ejus efficacissimam, qua ex se emissa cuncta potest perficere. Idipsum enim hic dicitur quod ad Philipp. de Christo, *qui transfigurabit corpus humile nostrum, ut fiat conforme corpori ejus glorioso, secundum efficaciam qua potest & subjicere sibi omnia* cap. III. 21. Particula *tanquam* non similitudinem hoc loco, sed causam significat, & idem valet quod quippe, vel utpote. Habet igitur Dominus potentissimum spiritum, quo nos etiam ex mortuis resuscitet, & sibi similes ac conformes efficiat. Vide hic distinctionem inter Dominum ipsum, & Domini spiritum: Dominus est subjectum, spiritus Domini est adjunctum: Dominus est causa principalis efficiens, spiritus Domini est medium.

CAP.

CAPUT IV.

Vers. 1. PRopter hoc, id est, propter tantam gloriam, *habentes ministerium hoc*, nempe Apostolatus, *sicut misericordiam consecuti sumus*. Id est, sicut Deus nostri misertus est, qui me persecutorem ecclesię acerrimum non tantum ad Christum convertit, sed etiam Apostolum Christi fecit.

Non deficimus. Id est, sic non deficimus, per ellipsin particulæ similitudinis. Ἐκκακοῦμεν, veluti malis e victi non deserimus ministerium nostrum, nec aliter nos in eo gerimus quam a Deo jussi sumus.

Vers. 2. *Sed abdicavimus*. Longe à nobis alienavimus ac rejecimus,

Occulta pudoris. Id est, occulta pudenda, duobus substantivis pro substantivo & adjectivo, quæ ideo occultantur seu occulte fiunt, quod pudenda sint, seu pudorem afferant & incutiant.

Non ambulantes in astutia. Hebræa phrasi, id est, non agentes astute. Explicat ista occulta pudoris, astutias nimirum, fraudes, imposturas.

Neque adulterantes sermonem Dei. Id est, sermoni Dei non admiscentes humani ingenii dogmata, quæ omnia facere solent qui terrena quærunt, vel hominum odia & persecutiones defugiunt. Vide cap. 2. 17.

Sed manifestatione veritatis. Quæ Dei sermo purus putus est,

Commendantes. Id est, commendamus nos ipsos, id est, a Deo missos ostendimus, dum scilicet nil nisi veritatem & Dei sermonem prædicamus, & rem ita se habere divinis operibus ad oculum demonstramus.

Ad omnem conscientiam hominum. Id est, ita ut omnem hominum, vel omnium hominum conscientiam convincamus, etiamsi forte non omnes fateri velint nos nil nisi vera docere, & a Deo missos esse. Sed si quis illorum conscientiam interroget, redderet nobis veritatis testimonium,

Coram Deo. Id est, Deo spectante, qui omnis fraudis & imposturæ & mendacii vindex est, præsertim in rebus tam sanctis, id est, ad religionem, ad Dei cultum & hominum salutem spectantibus. Quibus in rebus nulli mihi majorem astutiam videntur adhibere, quam qui sub speciosissimo pacis & concordiæ in ecclesia prætextu, vel errores gravissimos elevant, vel veritatem maxime salutarem supprimunt. Veritatis manifestatione commendare se debent Christi servi, ad omnem conscientiam hominum coram Deo, non ad hominum placitum loqui, cum jactura salutaris veritatis. Quæ enim erit ista ecclesiæ concordia, a qua salutaris exulet veritas?

Vers. 3. *Si vero etiam est opertum Euangelium nostrum*. Quasi dicat, si vero etiam non omnium hominum conscientia sit convicta, sed sit in aliquibus opertum Euangelium nostrum, quatenus scilicet illius veritatem non videant nec agnoscant. *Euangelium nostrum*. Id est, quod ego prædico de Christo ejusque gratia sine Lege & Legis ritibus.

In iis. Id est, apud eos vel in eorum animis,

Qui pereunt, id est, qui perituri sunt, præsens pro futuro, *est opertum*. Quasi dicat, isti non multum curandi sunt. Homines sunt ob contumaciam suam pereuntes ac perituri.

Vers. 4. *In quibus Deus seculi hujus excæcavit sensus non credentium*. Docet qui fiat ut homines isti veritatem Euangelii non percipiant. *Deus*, inquit, *hujus seculi*, id est, diabolus, qui in hoc seculo adoratur & colitur per idololatriam & varias superstitiones, & omnis generis mala opera.

Excæcavit in iis sensus. Nempe animi. Habet autem ille varios hominibus ipsis sic volentibus excæcandi modos.

Non credentium, τῶν ἀπίστων. Exprimit magis quorum hominum sensus diabolus excœcaverit, ut doceat quinam sint isti qui pereunt: eorum nempe qui Euangelio tot divinissimis operibus & argumentis confirmato non credunt, & isti sunt qui tantam ob contumaciam & improbitatem suam pereunt.

Ne illucescat ipsis lumen Euangelii gloria Christi. Finem & effectum excœcationis exponit: cœcis enim nullum quamvis maximum lumen illuscere potest. *Lumen Euangelii*, per genitivum differentiæ, lumen quod est Euangelium.

Gloria Christi. Vox *gloria* ad Euangelium pertinet. *Euangelium gloria Christi* dicitur, consueto Hebraismo, pro *Euangelio Christi gloriosissimo*, *qui est imago Dei*. Hoc opportune additur: Christus enim nobis omnia Dei arcana de salute nostra per Euangelium suum refert ac repræsentat. Nam quod ad ipsam Christi majestatem & gloriam attinet, hæc tam nobis nunc est inconspicua quam ipsius Dei. Cum in terris olim ageret, & verbo virtutis suæ ferret omnia, ἀπαύγασμα erat gloriæ, & character hypostaseos Dei, etsi non ipse Deus ille unus Hebr. 1. 3. Contradictorie enim opponuntur Deus ille unus & character, ut & imago ejus.

Vers. 5. *Non enim nos ipsos prædicamus*. Causam addit cur Euangelium ad Christum retulerit.

Non enim, inquit, *nos ipsos prædicamus*. Non ego me prædico Dominum.

Sed Christum Jesum Dominum. Intellige, prædico.

Nos ipsos autem servos vestros. Quasi dicat, tantum abest ut me Dominum vestrum prædicem. Servum vestrum esse me prædico.

Propter Jesum. Quasi dicat, non tantum Jesu servum, sed etiam vestrum propter Jesum, id est, in Jesu gratiam, & ut vos Jesu servos una mecum faciam. Non dominari ecclesiis, sed inservire debent episcopi?

Vers. 6. *Quia Deus*. Causam adfert cur Christum Jesum Dominum prædicet, se autem servum ipsorum propter Jesum, qui tantopere aversaretur antea Jesum & omnes in Jesum credentes persequeretur.

Quia, inquit, *Deus qui dixit ut ex tenebris lux splenderet*. Nempe in mundi creatione. *Hic*, ὃς, pro οὗτος, vel ὃς redundat, Hebræo more.

Splenduit in cordibus nostris. Nempe per spiritum suum: loquitur enim de cordium, proinde de spirituali, & aliis etiam secum communi luce.

Ad lumen cognitionis. Id est, ad lumen quod est cognitio, per genitivum speciei, ut lumen cognitionis inesset cordibus nostris.

Gloria Dei in facie Jesu Christi. Alludit ad gloriam Dei quæ olim in facie Mosis apparuit, de qua supra cap. III. 13. Ideo per metaphoram & catachresin loquitur, ut fieri solet in allusionibus &

comparationibus. Intelligit autem mysteria Dei gloriosissima, in Euangelio Christi comprehensa, cujus etiam respectu Christus est imago Dei ℣. 4, quo respicit Apostolus.

Vers. 7. *Habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasis.* Redit ad mala & afflictiones quibus assidue propter Euangelium premebatur, & causam istius rei exprimit, ne quis putaret continuas Apostoli vexationes & miseriam tanta cum dignitate quam dixit simul non posse consistere.

Habemus, inquit, *thesaurum hunc*. Nempe cognitionis Jesu Christi, quam vere thesaurum per metaphoram dixit. Nihil enim est illa pretiosius, nihil utilius, quippe cujus possessione vita æterna acquiritur.

In testaceis vasis. Notat per hanc metaphoram conditionem suam secundum carnem, vilem, infirmam, proinde non solum continuis injuriis & vexationibus, sed etiam occisioni subjectam. Nam & testacea vasa vilia sunt, & infirma, & fractu facilia, nec in ullo habentur honore.

Ut excellentia potentiæ sit Dei & non ex nobis. Ostendit quo fine Deus talem ipsorum conditionem esse voluerit, id est, ut excellentia potentiæ, seu excellens potentia Dei, locum habeat, & soli Deo tribuatur, in conservandis nimirum testaceis vasis, quamvis assidue atterantur, tundantur, pulsentur, dejiciantur. Omnes id agunt ut ea frangant, & tamen ea frangere non possunt. Quis hic excellentem Dei potentiam non agnoscet?

Et non ex nobis, nempe *sit*. Quod salvi & incolumes simus, quod fieret si nos Deus dignitate & opibus & potentia secundum carnem munivisset.

Vers. 8. *In omni affligimur*, θλιβόμενοι. Id est, premimur: quasi dicat, premunt nos homines quibus possunt modis. Explicat excellentiam potentiæ Dei.

Sed non coarctamur. Quasi dicat, sed semper invenit Deus rationem & viam qua nos pressuræ cuicunque subducat, nunquam redigimur ad incitas, patet semper exitus.

Dubitamus. Nempe de vita, videntes nos in præsentissimis periculis.

Sed non desperamus. Intellige, quin Deus nos liberare possit, & si id gloriæ suæ & nostræ saluti expediat, omnino liberaturus sit.

Vers. 9. *Persecutionem patimur.* Dum omnibus ex locis exigimur.

Sed non derelinquimur. Nempe a Deo, qui nobis semper locum aliquem ostendit in quem nos recipiamus: *Amen*, inquit ipse Dominus, *non consummabitis civitates Israël donec veniat filius hominis* Matth. x. 23, semper erit locus & civitas in quam fugiatis

Dejicimur. Id est, morti plane tradimur ab adversariis. Respicit ad vasa testacea, quæ in præceps dejecta frangi necesse est.

Sed non perimus. Nempe admirabili Dei potentia & providentia conservati. Hoc ipsi etiam tum evenit, cum lapidatus vivus tamen evasit. Vide quanta tum Dei potentia in hoc fictili & testaceo vase apparuerit, ut neque lapidum summa vi incidentium nimbis frangi posset.

Vers. 10. *Semper mortificationem Domini Jesu in corpore circumferimus.* Explicat quod dixit, *dejicimur*. *Mortificationem Domini Jesu*, id est, mortificationem mortificationi Domini Jesu similem, per metaphoram. Nam & mortificationem violentam, & eandem ob causam propterque ipsum Dominum Jesum, ut sequenti commate dicitur,

In corpore. Nempe nostro, ut mox additur,

Circumferimus. Quocunque nos vertimus cum Euangelii prædicatione, nullum tempus, nullus locus nobis & corpori nostro vacat a mortificatione Domini Jesu.

Ut & vita Jesu. Docet quo fine illud fiat. *Ut*, inquit, *& vita Jesu*, id est, vita, Jesu vitæ similis, per eandem ut supra metaphoram, vita nempe ex morte. Sic opprobrium Christi Hebr. xi. 26, spiritus Christi 1 Petr. 1. 11, spiritus Antichristi 1 Joan. iv per eandem metaphoram dicitur.

In corpore nostro manifestetur. Dum scilicet nos Deus ex præsentissima morte eripit cap. 1. 9, 10. Ita corpus nostrum sicut mortificationis Jesu, sic & vitæ Jesu subjectum est.

Vers. 11. *Semper enim nos qui vivimus in mortem tradimur propter Jesum.* Declarat quod dixit, ne quis ambigat quo pacto mortificatio Domini Jesu in corpore circumferri queat, id est, aliquis mortuus esse possit & tamen vivere: quasi dicat, merito id asserui:

Nam nos qui vivimus semper in mortem tradimur propter Jesum. Hæc est quam dixi mortificatio Domini Jesu, continua nimirum & præsentissima mortis pericula.

Propter Jesum. Id est, propterea quod Jesum annunciemus esse Christum & prædicemus ejus Euangelium. Tradi se dicit in mortem, nempe a Deo, quatenus Deus permittebat ut in præsentissimis mortis periculis perpetuo versaretur. Nam & Christum ipsum sic Deus in mortem tradidit, quatenus eum morte passus est affici.

Ut & vita Jesu. Priore parte explicata eundem finem repetit.

Manifestetur in mortali carne nostra. Prius dixerat, *in corpore nostro*, eodem sensu. Corpus enim nostrum quid aliud est quam mortalis caro nostra? nisi quod magis emphatice dicatur vitam Jesu manifestari in mortali carne: quasi dicat, in mortem continuam tradimur in mortali nostra carne propter Jesum, eo fine, ut & vita Jesu, dum nos Deus ex hac continua morte eripit, & sic mortuos resuscitat, in eadem mortali nostra carne manifestetur: quæ alioquin non manifestaretur, nisi nos in morte propter Jesum versaremur. Omnia eo pertinent, ut sicut dixit ℣. 7, excellentia potentiæ sit Dei & non ex nobis. Habemus hic *resurrectionem carnis*, sed mortalis, non mortuæ.

Vers. 12. *Itaque mors quidem in nobis operatur vita autem in vobis.* Id est, itaque nos quidem assidue pro Christo morimur, vos autem citra mortis pro Christo periculum vivitis. Mors Christi vim suam in nobis sibi assimilandis, vita vero Christi in vobis itidem sibi assimilandis vim suam exerit. Ex superioribus infert hanc conclusionem de ipsorum diverso & secundum carnem multo quietiore & pacatiore statu.

Verſ. 13. *Habentes autem eundem ſpiritum fidei.* Intellige, nihil hoc noſtro ſtatu turbamur quominus loquamur & Euangelium prædicemus.

Eundem, nempe vobiſcum, *ſpiritum fidei.* Id eſt, ſpiritum qui eſt fides eximia, per genitivum differentiæ. Solent enim vehementes quædam animi qualitates & extraordinariæ conſtitutiones ſpiritus vocari, per metonymiam metaphoricam, quaſi ſpiritu & afflatu quodam animis illatæ. Vide 1 Cor. IV. 21. Sed nihil obſtat quominus ſpiritum intelligamus, qui etiam ultra ipſius verbi divini efficaciam inſpirat fidem, quo tanto ſit major & potentior. Intelligit autem fidem qua creditur Euangelio Chriſti.

Secundum id quod ſcriptum eſt. Ei quod ſcriptum eſt conformiter:

Credidi propter quod locutus ſum. Citat id quod ſcriptum eſt Pſal. CXVI. *Credidi*, nempe Deo, *propter quod & locutus ſum.* Nempe id quod credidi, non celavi fidem meam.

Et nos credimus. Quaſi dicat, & nos inquam credimus. Eſt enim repetitio ejus quod dixerat. Intellige autem, non minus quam vos, quam David, cujus hæc ſunt verba.

Propter quod & loquimur. Id eſt, prædicamus Euangelium, cui credimus, quæcunque tandem pericula & mala nos maneant. Docet hic locus fidem verbo Dei ſalutari adhibitam intus in animo premendam non eſſe, ſed verbis & ſermonibus promendam ad Dei gloriam & aliorum ſalutem Rom. x. 10.

Verſ. 14. *Scientes quod qui excitavit Dominum Jeſum.* Exprimit quanam re animum ſuum firmet tantis in periculis & continuis in mortibus ad loquendum. *Scientes inquit.* Id eſt, cum ſciamus: firmam perſuaſionem juſtis de cauſis ſcientiam vocat.

Quod qui excitavit Dominum Jeſum. Nempe ex morte. Deum intelligit, quem appoſite ad rem ſubjectam deſcribere maluit quam ſimpliciter nominare. Vide Dominum Jeſum a Deo excitatum eſſe, non ſemetipſum excitaſſe.

Et nos per Jeſum excitabit. Quaſi dicat, potuit Dominum Jeſum excitare, poterit & nos: nam de voluntate ejus cum id promiſerit nihil eſt dubitandum. Intelligit autem hoc loco ſuſcitationem ex continua illa periculorum morte, de qua in antecedentibus locutus eſt, idque indicant & ſequentia, non tantum ſuſcitationem ex proprie dicta morte, qua nobis jam vere mortuis vitam reddet, idque ſic ut pro mortali hac vita donet nobis vitam immortalem.

Per Jeſum. Quippe cui ex mortuis ſuſcitato omnem in cælo & in terra dedit poteſtatem. Addit hoc Apoſtolus, ut poteſtatem hanc in manu Domini Jeſu videntes, tanto certiores ſimus de poteſtatis iſtius effectu, id eſt, excitatione noſtri. Vide hic inter Deum & Jeſum diſcrimen. Deus eſt qui nos excitabit per Jeſum, id eſt, Jeſus quidem nos excitabit, ſed accepta a Deo iſtius rei poteſtate & facultate. Deus eſt cauſa prima, Jeſus intermedia Joan. v. 26, 27.

Et ſiſtet vobiſcum. Non tantum in cælo, cum Dominus Jeſus veniet, ſed etiam Corinthi in eccleſia veſtra.

Verſ. 15. *Omnia enim propter vos*, intellige, *ſiunt.* Cauſam addit cur certus ſit fore ut Deus conſervet & ſiſtat eum ipſis,

Quia, inquit, *omnia fiunt propter vos.* Id eſt, veſtrum in bonum & ſalutem, Deo per Chriſtum ſic omnia moderante, & hunc in finem ducente. Intelligit autem non ſolam Corinthiorum eccleſiam, ſed omnes in commune Chriſtianos. Vox *omnia* ex ſubjecta materia debet intelligi, quod & articulus τὰ voci πάντα prepoſitus indicat, reſtringens eam ad certa quædam omnia: & hoc quidem in loco ad ea quæ cum Euangelii miniſtris ad eorum fiunt conſervationem.

Ut gratia. Finem indicat in quem omnia propter Chriſtianos fiant. *Ut gratia*, id eſt, divinum aliquod beneficium, quale erat Pauli conſervatio & ad Corinthios fratres reductio, per metonymiam cauſæ pro effecto.

Quæ abundavit. Id eſt, quæ multos affecit & complexa eſt, πλεονάσασα.

Per plurium gratiarum actionem abundet in gloriam Dei. Finis divinorum beneficiorum eſt Dei gloria, id eſt, laus ac celebratio. Quanto autem plures beneficium aliquod Dei complectitur & afficit, tanto etiam abundantiorem Deo adfert gloriam, per plurium gratiarum actionem. Quanto enim plures Deo gratias agunt, & nomen ejus concelebrant, tanto gloria divina fit auctior ac celebratior,

Verſ. 16. *Propter quod*, nempe ⱴſ. 14, expreſſum, certam nimirum de auxilio Dei perſuaſionem, *non deficimus.* Non frangimur ullis malis & periculis ⱴſ. 1, cum ſciamus Deum nos erepturum eſſe ad veſtrum commune bonum & ſuam maximam gloriam.

Sed etſi qui exterius eſt (ὁ ἔξω, intellige ἄν.) *noſter homo.* Id eſt, corpus noſtrum,

Corrumpitur. Nempe per mala continua, tandemque etiam corrumpatur. Occurrit iis qui dicant: interim Paule multum tibi quotidie per hæc mala decedit de corporis viribus & integritate, ſenſimque tendis ad interitum. Quid tum? inquit, corpus hoc meum corrumpitur, & ſane tandem etiam corrumpatur ac deſinat.

Sed qui intrinſecus eſt, ὁ ἔσωθεν, intellige *homo.* Id eſt, animus noſter,

Renovatur. Per nova gaudia & continuam acceſſionem ſpei, & conſequenter novi ſubinde vigoris & alacritatis; nihil illi decedit per hæc mala, ſed multum accedit.

Quotidie, ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, *die & die.* Hebræa phraſi.

Verſ. 17. *Nam.* Cauſam addit cur animus & ſpiritus noſter quotidie per mala & afflictiones iſtas renovetur. *Confeſtim*, intellige, *præteriens levitas*, τὸ ἐλαφρὸν, neutrum adjectivum pro ſubſtantivo, phraſi Græca,

Afflictionis noſtræ. Id eſt, levis & confeſtim præteriens afflictio noſtri, propter Chriſtum nimirum. Recte hæc duo de afflictione noſtra dixit. Nam ſi magna eſt, brevis eſt & momento deſinit, ſi longior ac diuturnior, levis eſt ac toleratu facilis, quanquam utrumque comparate intelligendum eſt, ad futuram illam ex afflictione noſtri povenientem gloriam, cujus reſpectu & mora & magnitudo cujuſlibet afflictionis noſtræ pro nihilo reputanda eſt.

Secundum excellentiam in excellentiam. Hebræa

 phraſi,

phrasi, id est, excellenter excellens, seu excellentissimum, ingens, immensum.

Æternum. Quasi dicat, non tantum ingens & immensum, sed etiam æternum;

Pondus gloriæ. Id est, gloriam immensi & æterni ponderis. Gloriam opponit afflictioni, pondus, idque excellentissimum, levitati, æternum momentaneæ brevitati. Gloriæ nomine intelligit beatitatem illam cælestem, quam immensæ magnitudinis & æternæ durationis fore dicit.

Operatur nobis. Quatenus afflictio nostri propter Christum causa est ut gloriam istam consequamur. Quomodo igitur animus noster quotidie renovari per afflictionem istam non debeat? quomodo non semper exultare? cum sciat se pro levissimis & momento perituris malis, pro vanissimis hominum opprobriis & contumeliis, & illata nobis morte, æternum & immensum cælestis vitæ & gloriæ pondus habiturum esse. Pertinent huc illa Christi apud Lucam verba: *Gaudete in illa die* (nempe afflictionis) *& exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælis* Luc. VI. 22, 23. & Rom. VIII. 18.

Vers. 18. *Non spectantibus nobis ea quæ videntur.* Occurrit iis qui dicant gloriam istam non videri. Quid tum? respondet Paulus: non spectamus ea quæ videntur, quæque ipsa per se oculis sese ingerunt: non curamus ea, non quærimus, animum ad ea non adjicimus.

Sed quæ non videntur. In hæc animi nostri oculos intendimus, quæ corporeis oculis & sensibus percipi non possunt. Hæc unice quærimus & ambimus.

Nam quæ videntur temporaria, intellige, *sunt.* Causam istius facti reddit: *nam quæ videntur*, opes nimirum, honores, voluptates, ipsaque vita præsens, *temporaria sunt*, ad tempus aliquod durant, quod ubi venerit, ita prætereunt atque si nunquam fuissent, proinde indigna sunt ut in iis mentis oculos defigamus.

Quæ vero non videntur. Vita nimirum & gloria illa cælestis,

Æterna, intellige, *sunt.* Quasi dicat, non tantum sunt, sed etiam æterna sunt, semper durant, nullo unquam tempore finiuntur, ideoque sola digna sunt quæ a nobis unice spectentur, & omni contentione etiam per quævis dura & aspera quærantur.

CAPUT V.

Vers. 1. *Scimus enim quod si terrestris nostra domus tabernaculi dissolvatur.* Rationem adfert, per prolepsin, cur ea quæ sunt æterna spectet: quasi dicat, nam si quis mihi objiciat, corpore nostro mortali dissoluto nullam nobis amplius spem superesse. *Scimus*, nempe ex Dei verbo & illius confirmatione, & ex Spiritu Sancto quo sumus afflati. Scientiam appellat fidei nostræ persuasionem: quod notandum est contra eos qui ex rebus fidei rationem & intellectum tollunt, sine quo nulla datur scientia.

Quod si terrestris nostra domus tabernaculi. Id est, corpus nostrum, quod domum vocat, quia in illo spiritus noster habitat: terrestrem domum, quia corpus nostrum maxima sui parte ex terra & terreum est: *domum tabernaculi*, id est, domum quæ tabernaculum est, per genitivum speciei. Tabernaculo comparat corpus nostrum ob infirmitatem & instabilitatem.

Dissolvatur. Ut tabernacula solent. Dissolvitur autem corpus nostrum per mortem.

Ædificium. Quasi dicat, non tabernaculum sed ædificium.

Ex Deo, tanquam ex causa efficiente & ædificatore, *habemus*, in præsenti. Nam etsi illud nondum possidemus, tamen illud jam paratum habemus.

Domum non manu factam. Describit uberius hoc ædificium. Appellat illud *domum*, ut domum domui opponat, corpus corpori, *non manufactam*, ut eam opponat domibus hominum manu factis, significans talem esse domum quæ nulla humana manu possit effici, quale & hoc mortale corpus nostrum est, quod tamen humana manu per imitationem naturæ effingi potest, at illa domus ne quidem in speciem hominum manibus & artificio potest efformari.

Æternam. Quasi dicat, qualia non sunt quæ sunt vel efformantur hominum manu, domum quæ nunquam dissolvetur, & æternum durabit, nec ullis unquam seculis ullam labem accipiet.

In cælis. Docet ubi domum hanc habeamus: nimirum non in terris, sed in cælis, quippe nec ex terra, sed ex cælo factam 1 Cor. XV. 47, & hic ℣. 2. Vide quale corpus nobis a Deo paratum sit in cælis. Non est igitur verendum ne corpore hoc mortali dissoluto, nulla nobis bona supersint.

Vers. 2. *Etenim in hoc ingemiscimus.* Confirmat dicta per prolepsin: quasi dicat, nam si quis nobis objiciat, quid igitur ingemiscamus in corporis istius mortalis angustiis & afflictionibus? *In hoc*, inquit, id est, *ob hoc*, Hebræa phrasi,

Ingemiscimus, domicilium nostrum quod ex cælo (intellige, *est*,) *superinduere cupientes.* Id est, quia domicilium nostrum quod ex cælo est, superinduere cupimus. Hæc est causa gemituum nostrorum. Cupimus illud cæleste corpus super hoc terrestre induere. Quid hoc sit, in sequentibus explicat.

Quod ex cælo est. Id est, ex cælo non ex terra factum ℣. 1, & quod ex cælo nobis dabitur in Christi adventu. Domicilium superindui dicit, quia respicit ad metaphoram aliam, propter sequentia, corpus illud cæleste comparans amictui quo spiritus noster amiciendus est, sicut nunc amicitur corpore hoc mortali.

Vers. 4. *Si modo & induti, non nudi reperiemur.* Docet quid requiratur ad id ut superinduamus illud cæleste corpus, id nimirum ut reperiamur a Domino, scilicet cum veniet ad judicandum vivos & mortuos,

Induti. Id est, corpore hoc mortali amicti.

Non

Non nudi. Corpore nimirum hoc mortali per mortem deposito: quasi dicat, nam si reperiemur nudi, non superinduemus corpus corpori, sed tantum corpus induemus.

Vers. 4. *Etenim qui sumus in hoc tabernaculo.* Rem nunc clarius explicat iis quæ dixit præmissis: quasi dicat, etenim, inquam, qui sumus in hoc tabernaculo, id est, in hoc mortali corpore, quod & Petrus Apostolus tabernaculum appellavit 2 Petr. I. 13, 14.

Ingemiscimus gravati. Nempe variis afflictionibus nostri corporis.

Eo quod nolumus, id est, nollemus, ex Hebraismo, *exui.* Nempe mortali hoc corpore. Est enim corporis & animæ grave divortium.

Sed superindui. Intellige, vellemus, si nimirum per tempus adventus Domini queat fieri.

Superindui. Nempe cælesti illo corpore super hoc terrenum corpus.

Ut absorbeatur mortale à vita. Addit hoc ne quis putet duo corpora fore, si unum induatur super aliud, sicut duas vestes, si alia induatur super aliam. *Ut*, inquit, hoc *mortale*, nempe corpus: de corpore enim agit, non de mortalitate sola,

Absorbeatur a vita. Quasi dicat, a vita non a morte. Vitam opponit morti: quasi dicat, absorbebitur quidem hoc mortale corpus, sed nos vellemus illud a vita absorberi non a morte, quod fieret in superinduitione cælestis corporis super hoc corpus mortale, qua de re vide 1 Cor. xv. 51, 52 & seqq. Locus hic docet, quantum sit discrimen inter hæc corpora nostra & inter illa futura. Hæc dissolvuntur, illa sunt æterna, hæc ex terra, illa cælestia, hæc à natura formantur, illa ab ipso Deo, hæc sunt in terris, illa in cælis, hæc si exuantur illa induuntur cælitus, hæc si non exuantur illa superinduuntur itidem cælitus, hæc absorbentur, illa absorbent, ita ut vita mortalis in ictu oculi transeat in immortalem, nullo mortis interventu.

Vers. 5. *Qui vero effecit nos in ipsum hoc Deus*, intellige, *est.* Addit hæc ut istius rei certitudinem ostendat: quasi dicat, ne quis autem de istius rei certitudine dubitet.

Deus est qui nos in hoc ipsum effecit. Deus, inquam, rerum omnium effector & opifex, infinitæ potentiæ & sapientiæ & veritatis, ille qui nos non tantum effecit, sed in hoc ipsum effecit, ut nos sive mortuos sive vivos in vitam æternam & immortalem asserat. Effecit autem & creatione, (Deus enim hominem creavit ad immortalitatem,) & regneratione ac renovatione, seu nova creatione per Christum. Novæ enim creaturæ per Christum finis & scopus est vita æterna. Hoc fine credimus in Christum, hoc fine Christianam ducimus vitam, hoc fine pro Christo variis afflictionibus & persecutionibus subjicimur. Nullum igitur hac de re potest esse dubium, quæ Deum ipsum habet auctorem & effectorem.

Qui & dedit nobis arrhabonem spiritus. Urget adhuc istius rei certitudinem: quasi dicat, qui non tantum nobis immortalem vitam in Euangelio suo promisit, & in hanc spem renovavit, sed ne ullum nobis ea de re dubium restaret, etiam arrhabonem istius rei nobis dedit pretiosissimum. *Arrhabonem spiritus.* Id est, arrhabonem qui est spiritus seu afflatus Dei sanctissimus. Qua de re vide cap. I. 21, 22. Hic iterum vide quæ fuerit Apostolorum de Spiritu Sancto fides.

Vers. 6. *Confidentes igitur semper*, intellige, *sumus.* Participium ponit pro verbo præsentis temporis θαῤῥῶν: quasi dicat, cum igitur tam certa sit nostra salus, confidimus & bono animo sumus.

Semper. Sive vivamus sive moriamur.

Et scientes. Nempe *sumus*, eodem modo, id est, scimus,

Quod incolentes in corpore peregre absumus a Domino. Scimus hoc ex præmissis, quod quamdiu corporis istius nostri mortalis incolæ sumus, tamdiu peregre absumus a Domino. Dominus enim est in cælo, corpus nostrum est in terra, quippe terreum & inhabile prorsus, ad lucis illius in qua Dominus est hæreditatem. Ita corpus hoc nostrum nos detinet quominus apud Dominum esse possimus.

Vers. 7. *Per fidem enim ambulamus non per speciem.* Caussam addit cur Deus velit ut corpus incolamus, & consequenter a Domino peregre absimus.

Nam per fidem, inquit, *ambulamus.* Id est, conversamur.

Non per speciem. Quasi dicat, nam hæc est ratio conversationis nostræ Christianæ, credere non videre. Species enim videntur. Non vult Deus ut adhuc videamus Dominum Jesum, & vitam illam immortalem, id est, ea potiamur, sed vult ut non videntes Dominum Jesum diligamus, & vitam æternam speremus. *Spes enim quæ videtur*, idem Apostolus ait, *non est spes. Quod enim quis videt, quid & sperat?* Rom. VIII. 24. Non vult inquam Deus, ut habeamus hypostasin jam præsentium; sed eorum quæ sperantur, id est, fidem, quam auctor ad Hebræos hypostasin esse dicit eorum quæ sperantur, proinde quæ non videntur, nec nobis sunt præsentia. Ideo & addit, elenchus rerum quæ non videntur cap. XI. 1: *per fidem*, id est, fide duce, *ambulamus non per speciem*, id est, non specie duce. Ambulantibus enim dux convenit.

Vers. 8. *Confidimus autem*, θαῤῥοῦμεν. Id est, bono & præsenti sumus animo: quasi dicat, quamvis non videamus, nihil hoc animi nostri turbat fiduciam.

Et malumus, ἐκδημῆσαι μᾶλλον, *peregre abesse ex corpore.* Quasi dicat, adeo sumus præsenti & confidenti animo, ut si nobis ante Christi adventum ex hoc corpore sit migrandum, multo malimus ex illo peregre abesse quam illud incolere, id est, mortui jam esse quam adhuc vivere.

Et incolere apud Dominum. Nempe mortis itinere confecto, quod momento temporis iis qui moriuntur conficitur. Idipsum dicit & ad Philippenses: *Cupio solvere*, id est, ex hoc corpore migrare, *& cum Christo esse*, qui migrationis istius est terminus: *multo enim*, inquit, *melius*, quippe liberarer jam ab omnibus vitæ hujus incommodis, & essem cum Christo. *Ut autem maneam in carne, magis necessarium est propter vos* cap. I. 23, 24: quasi dicat, ut moriar multo mihi melius est, ut vivam adhuc vobis.

Vers. 9. *Propter quod etiam contendimus.* Docet quem effectum in eo producat tantæ rei fiducia, & quod malit ex corpore peregre abesse & apud Dominum

num incolere, quam incolere in corpore. *Contendimus*, inquit, φιλοτιμούμεθα, flagrantissima contentione, qua solent qui honores amant & ambiunt.

Sive incolentes. Nempe in corpore,

Sive peregre absentes. Nempe ex corpore, id est, sive vivi, sive mortui simus, nempe in Christi adventu, *accepti ipsi*, nempe Domino *esse*, εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι: quasi dicat, hi nostri sunt honores & dignitates maximæ, quas omni studio & contentione ambimus, ut Domino, id est, Christo placeamus, sive vivi simus, sive mortui in ejus adventu. Vivi Domino placent, qui in fide & omni sanctitate vivunt: mortui, qui in eadem fide & sanctitate ad extremum vixerunt. Nam mortui à contentione placendi Domino jam cessant. Videmus hinc Dominum, qui sequenti commate Christus dicitur, sua providentia nobis omnibus præsentem esse, & omnes actiones & cogitationes nostras spectare. Nisi enim hoc esset, frustranea foret omnis ei placendi nostra contentio.

Vers. 10. *Omnes enim manifestari oportet coram tribunali Christi*. Rationem reddit illius placendi Domino, id est, Christo, contentionis ac studii: quia, inquit, *omnes nos*, id est, sive vivos, sive mortuos,

Manifestari, id est, comparere & præsentes adesse, *oportet*. Nempe per Dei decretum & infinitam potentiam, qua etiam mortui præsentes sistentur, proinde iterum erunt & vivent.

Coram tribunali Christi. Tanquam Judicis a Deo constituti omnium & vivorum & mortuorum, qui in sublimi æthere tribunal suum cælestissimum constituet, omnium Angelorum exercitibus stipatus. Apparet hinc mortuos nondum ita esse cum Christo & apud Christum, ut vivificandi & coram tribunali Christi statuendi ac judicandi non sint.

Ut reportet, κομίσηται. Portet, ferat.

Quisque ea per corpus ad quæ egit. Τὰ διὰ τοῦ σώματος, πρὸς ἃ ἔπραξε. Est transpositio quædam in verbis istis, quorum proprius situs est, πρὸς ἃ διὰ τοῦ σώματος ἔπραξε. id est, *ea ad quæ per corpus egit*. Docet quo fine quisq; nostrum coram tribunali Christi comparere debeat, ἵνα, nimirum, *quisque reportet ea ad quæ per corpus egit*, id est, ea quibus convenienter per corpus egit, seu actionibus corporis sui congrua. Corpus enim est instrumentum animi nostri per quod operatur & agit. Hinc patet cuique nostrum sive vivo sive mortuo prius coram tribunali Christi comparendum esse, quam iis quæ per corpus suum egit congrua & correspondentia reportet. Patet etiam iterum omnes nostras actiones a Christo cognosci, quandoquidem secundum eas nos judicaturus est.

Sive bonum, sive malum. Explicat ipse per appositionem quid intelligat per ea ad quæ quisque per corpus egit, quæque reportare debeat, *sive bonum*, inquit, *sive malum*: quasi dicat, ut si bene egit, bonum reportet, si male egit, malum reportet: bonum enim bono convenit, malum malo. Significat quinam sint qui Domino placeant, nempe qui bene agunt, quique sint qui Domino displiceant, nempe qui male agunt. Frustra modis & artibus aliis quisquam Domino placere conetur, quam bene agendo, & qui male agit, nunquam effugiet quin Domino displiceat. Est quidem in judicis istius favore & gratia salus nostra posita, sed hæc gratia sola bonitate & probitate comparatur. Sapientissimus est iste judex & sanctissimus, nec imponi sibi patitur adulatione & hypocrisi, nec quidquam aliud amat præter virtutem. Vide Rom. 2. 6, 7, 8, 9, 10.

Vers. 11. *Scientes igitur hunc timorem Domini*. Docet quem porro effectum in ipso producat istius judicii notitia. *Scientes*, nimirum ex Dei sermone & Spiritus Sancti inspiratione. Vide ℣. 1.

Hunc timorem Domini. Id est, hoc timendum ac tremendum Domini judicium, per metonymiam effecti. Eadem phrasi utitur & Petrus de hujus seculi judicibus ac potestatibus 1 Petr. III. 14.

Hominibus persuademus. Nempe ut Euangelio credant: quasi dicat, non tantum ipsi omni studio contendimus ut Domino placeamus, sed etiam omnibus hominibus ut idem faciant persuademus, proinde ut in Christum credant, pœnitentiam agant, & fructus fide ac pœnitentia dignos ferant, id est, à malo desinant & bonum faciant 1 Petr. III. 21.

Deo autem manifestati sumus. Id est, nos agere candide, nihil loqui nisi quæ loquenda Deus nobis commisit, & ipsos ea omni studio facere quæ aliis facienda suademus, ac veros Christi Apostolos esse.

Spero autem & in conscientiis vestris manifestatos esse. Id est, id mihi polliceor, etiam conscientias vestras hoc ipsum in me agnoscere.

Vers. 12. *Non enim iterum nos ipsos commendamus vobis*. Confirmat quod dixit per prolepsin, ne quis objiciat, cur ergo te nobis iterum commendas, si speras & existimas te nostris in conscientiis manifestatum esse? Non enim, inquit, quod iterum de me tester ea de causa hoc facio, ut iterum me vobis commendem quibus jam satis superque commendatum esse me spero.

Sed occasionem dantes. Id est, damus, per participium pro verbo,

Vobis gloriationis de nobis. Docet quo fine dicat ea quæ ad sui spectent commendationem: quasi dicat, non ut me vobis commendem, sed ut vobis occasionem dem, id est, materiam & causam & incitamentum præbeam *gloriationis*, *super nobis*, ὑπὲρ ἡμῶν, id est, de nobis, quod scilicet per verum Christi Apostolum conversi sitis.

Ut habeatis adversus eos qui in facie gloriantur & non corde. Exprimit gloriationis istius finem: quasi dicat, non ut glorimini de nobis sine causa, sed ut habeatis quod opponatis iis,

Qui in facie. Id est, de facie, de externa sanctitatis specie, de circumcisione & aliis Legis ritibus. *In* pro *de*, usitata Apostolo phrasi cum de gloriatione agit.

Et non corde, intellige, καὶ οὐ καρδίᾳ, in. Id est, de corde, nimirum circumciso, seu de animo pravis affectibus & vitiis vacuo, de quo non gloriantur, quia de illo gloriari vere non possunt.

Vers. 13. *Sive enim mente excedimus*, ἐξέστημεν. Quasi dicat, non debet autem hoc nobis vitio verti quod id agamus, ut de nobis gloriemini, & hac in parte

parte habeatis quod opponatis iis qui de facie gloriantur, quo vobis circumcisionem & Legis ritus obtrudant. Nam sive hac in parte mentis excessu aliquo laboramus & insanimus,

Deo. Intellige, id facimus in gloriam Dei, & gloriæ illius amor nos abripit in hanc mentis ecstasin.

Sive sobrii sumus. Id est, sive in eo mente sumus sobria & composita,

Vobis. Id est, vestrum in usum, vestro bono & commodo id facimus.

Vers. 14. *Charitas enim Christi.* Rationem reddit cur ipse circumcisionem & Legis ritus non prædicet, nec in iis gloriari velit: & sic superiora confirmat per prolepsin.

Nam, inquit, *charitas Christi.* Qua scilicet Christus nos complexus est,

Constringit nos. Id est, constrictos nos tenet, ne scilicet nostri juris simus, & aliter quam Christus velit, facere possimus.

Vers. 15. *Qui judicavimus hoc.* Id est, decrevimus hoc, & apud animos nostros plane constituimus.

Quod si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Exprimit quid judicaverit & ipse, & Christiani omnes qui Christum & charitatem ejus cognoverunt, nempe si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortuos esse. Alterutra particula, vel *quod* ὅτι, vel *ergo* ἄρα in Apostoli verbis redundat, *Si unus*, qui Christus est, *pro omnibus est mortuus:* quatenus nimirum pro peccatis omnium tanquam victima piacularis sese mactandum dedit, ut omnes omnium peccatorum reatu solveret, & ab eorum pœnis liberatos in jus æternæ vitæ assereret.

Ergo omnes. Οἱ πάντες, cum articulo, nempe omnes qui hanc tantam charitatem agnoscunt.

Mortui sunt. Jure nimirum & obligatione, mortui inquam sunt sibi ipsis, ne amplius sui sint juris & potestatis, sed ejus qui pro ipsis est mortuus. Hoc decretum profecto omni ex parte justum & debitum est. *Cum Christo crucifixus sum*, inquit alibi eodem sensu Apostolus, *vivo autem, non amplius ego, sed vivit in me Christus, qui dilexit me & seipsum tradidit pro me* Gal. 2. 20.

Et pro omnibus mortuus est. Quasi dicat, & sane pro omnibus mortuus est hoc ipso fine.

Ut qui vivunt, non amplius sibi ipsis vivant. Explicat quid sibi verbis illis velit: *ergo omnes mortui sunt.* Nempe se non loqui de morte proprie dicta, sed qua proprie loquendo viventes non amplius sibi ipsis vivant, id est, suo lubitu ac voluntate,

Sed ei qui pro ipsis mortuus est. Id est, ad ejus voluntatem ac placitum, qui eos tantopere dilexit, & tam ingenti beneficio obstrinxit, ut pro eorum peccatis victima sit factus: quasi dicat, quid mihi amplius cum Lege quæ me damnat. Illi me totum tradidi, qui ne damner sua morte effecit.

Et resuscitatus. Addit hoc ut eum qui pro omnibus mortuus est, vivere post mortem doceat. Nisi enim viveret, neminem sibi teneret obligatum. Includit autem in resuscitatione Christi non solum vitam post mortem, sed etiam in omnia dominatum & potestatem. Christus enim in hunc finem ex mortuis est suscitatus, ut omnium esset Dominus. Et sunt hæc natura sua conjuncta, pro omnibus mortuum esse & Christum esse, & ex mortuis suscitatum esse, ut a se invicem divelli non possint. Quis enim alius pro omnibus mori potuisset nisi Christus? Et Christus quomodo in morte manere potuit, & non ex morte ad vitam & regnum suum pervenire? Tanto magis igitur obstringimur, ut Christo vivamus, qui non solum pro nobis mortuus est, non solum post mortem vivit, sed etiam Dominus omnium nostrum factus est. Quis enim Domino suo non viveret, a quo etiam sanguinis ac vitæ pretio sit quæsitus? Docemur hoc loco mortuos non vivere nisi resuscitentur, cum Christus ideo sit resuscitatus ut viveret, & vivens dominaretur omnibus Rom. XIV. 9.

Vers. 16. *Itaque nos.* Nempe qui Christum cognovimus. Infert conclusionem ex præmissis,

A modo. Ἀπὸ τοῦ νῦν, *nunc*, habet hic suam latitudinem, & includit totum tempus cogniti Christi, ut & paulo post,

Neminem novimus. Id est, spectamus & consideramus, per metonymiam effecti, vel curamus, per metonymiam causæ.

Secundum carnem. Id est, secundum carnalem Dei cultum & circumcisionem, per metonymiam subjecti pro adjuncto. Sic eandem carnis vocem accipit Gal. III. 3, cui opponit spiritum, id est, spiritualem Dei cultum, eadem phrasi Gal. IV. 5, 6: quasi dicat, nullam in quoquam carnalium rerum & rituum Legalium rationem & æstimationem habemus, quandoquidem Christus carnalia ista nihil curat.

Si vero et. Id est, etsi vero: occurrit objectioni,

Cognovimus secundum carnem Christum. Id est, spectavimus & consideravimus aliquando, cum scilicet in carne viveret.

Secundum carnem Christum. Id est, secundum circumcisionem & alios carnales Legis cultus.

Sed nunc non amplius cognoscimus. Quasi dicat, jam sunt in Christo omnia illa penitus abolita, postquam spiritus vivificans est factus 1 Cor. XV. 45, nec ullum rerum istarum in Christo mansit vestigium. Cognoscere hic propriam habet significationem. Particula *nunc* totum tempus a glorificatione Christi comprehendit.

Vers. 17. *Itaque si quis in Christo* (intellige, *est*,) *nova creatura* (intellige, *est*.) Ex eo quod Christum nunc non cognoscamus secundum carnem, infert omnem qui in Christo sit, novam esse creaturam. *Si quis in Christo est*, id est, per fidem in Christum, Christo & ecclesiæ ejus est insitus.

Nova creatura est. Quasi dicat, non amplius est Judæus vel Græcus, sed Christianus, homo novus, noviter a Deo per Christum creatus, secundum imaginem ejus qui condidit ipsum Coloss. III. 10, in justitia & sanctitate vera Eph. IV. 24, cujus novi hominis tota ratio consistit in fide Christiana per charitatem operante Gal. V. 6, seu ut secundum spiritum ambulet, non secundum carnem, & in spiritu Deum colat, non in carne, quique omni cultore Legis longe est perfectior. Dicit autem omnem qui sit in Christo novam creaturam esse, quia esse debet, hoc illius est officium, hæc professio, & hæc spiritus Christi vis & efficacia, & nisi quis nova creatura sit, frustra se in Christo dicit esse. Nam reipsa non est. Qui autem in Christo non est, extra salutem est, quisquis sit.

Vetera transierunt, ecce facta sunt nova omnia. Insistit dicto: quasi dicat, nemo alleget ea quæ ante Christum fuerunt. Omnia illa vetera sunt quæ transierunt, quatenus scilicet

antiquata sunt. *Vetera*, τὰ ἀρχαῖα cum articulo, nempe vetera quæ ad subjectam pertinent materiam.

Ecce facta sunt nova omnia. Τὰ καινὰ, similiter cum articulo, qui itidem vocem *omnia* restringit ad rem subjectam. Intelligit autem inprimis novam hominum creationem, seu novos homines & ecclesias Christianas ex omnibus gentibus collectas, quæ omnia nova facta etiam veluti digito monstrat, quippe oculis omnium exposita. Nam & alibi Apostolus novam hominum creationem intelligens, neutrum genus, ex comparatione ac respectu ad veterem creationem, usurpat Col. 1. 16, 20. Dicit autem omnia facta esse nova, non ratione effecti, multi enim sunt qui contumaciam suam opponunt, sed ratione efficaciæ. Sic mundus per Christum factus dicitur, quamvis eum non cognoverit. Sic idem Christus dicitur illuminare omnem hominem Joan. 1. 9, 10. Sic omnia Deo reconciliata & inter se pacificata esse dicuntur Col. 1. 16. Eph. 1. 10, & similia alia. Habemus hîc illustre testimonium novæ creationis omnium, ut frustra sint qui creationem Christo in Sacris Literis tributam de veteri accipiunt, & hac ratione Christum faciunt etiam non Christum. Nec enim is qui veterem creationem peregit, Christus, id est, Unctus Dei est, cum hæc appellatio non alii quam homini competat. Ejusdem novę creationis respectu Christus λόγος, id est, sermo Dei dicitur, per allusionem ad λόγῳ seu sermonem illum quo vetus creatio peracta fuisse a Mose narratur.

Vers. 18. *Omnia autem ex Deo.* Τὰ πάντα iterum cum articulo, vocem *omnia* ad novas creaturas restringente. Docet novas istas creaturas auctorem habere Deum.

Qui reconciliavit nos sibi ipsi. Ostendit modum novæ istius creationis. Quatenus enim Deus nos sibi reconciliavit, id est, ex inimicis amicos sibi effecit, ex peccatoribus sanctos & justos, ex carnalibus spirituales, ex refractariis obsequentissimos, hactenus nos effecit novas creaturas.

Per Jesum Christum. Per quem nos omnium peccatorum reatu solvit, & paterna gratia complexus est, & sic sibi obsequentissimos in omnibus effecit.

Et dedit nobis ministerium reconciliationis. Ut scilicet hanc reconciliationem promoveret. Ipse auctor est nostri ministerii.

Vers. 19. *Quippe quod*, vel ut postea *quod*, ὡς ὅτι. Sic ὡς accipitur 1 Petr. 1.19, & mox vers. 20.

Deus erat in Christo. Ostendit jure se reconciliationem nostri ad Deum auctorem referre. Erat in Christo per spiritum suum, & quatenus Christus Dei vicem in sermonibus & operibus suis obibat,

Mundum. Id est, homines, persynecdochen,

Reconcilians sibi. Amicos sibi ex inimicis faciens.

Non imputans ipsis transgressiones ipsorum. Modum & rationem ostendit qua Deus homines sibi reconciliabat in Christo, nimirum ingenti sua gratia & misericordia, quod illis transgressiones ipsorum non imputaret, in rationes non referret, remitteret & condonaret, id est, non solum hoc se facere velle declararet & publicaret, sed etiam ad se conversis ipso facto per Christum exhiberet.

Et posuit in nobis sermonem reconciliationis, τῆς καταλλαγῆς. Nempe reconciliationis dictæ, id est, sermonem quo homines ad istam reconciliationem adhortarentur, immensam Dei gratiam illis exponentes, Christo scilicet in cælos evecto: quasi dicat, non noster est sermo iste quo homines ad reconciliationem cum Deo hortamut, sed ipsius Dei. Non tribuit sibi Apostolus potestatem peccata remittendi quam tribuit Christo, sed sermonem tantum de peccatorum remissione iisdem exhibenda qui sese converterint ad Deum.

Vers. 20. *Pro Christo igitur legatione fungimur.* Infert ex dictis se *pro Christo*, ὑπὲρ Χριστοῦ, id est, Christi vice legatione fungi. Non dicit hoc loco se Christi legatum esse, sed, majorem ob emphasin, Christi in legatione vicarium, quippe quod Christus etiam Dei legatum egerit, cujus in locum, ipso in cælos profecto, Apostoli successerint.

Tanquam Deo rogante per nos. Causam addit cur se pro Christo & Christi loco legatione fungi dicat, utpote quod Deus roget per nos, sicut per Christum rogavit. Quid roget statim explicat.

Oramus pro Christo. Id est, Christi vice & Dei nomine.

Reconciliamini Deo. Deponite erga Deum inimicitias, animum a Deo aversum & operibus Deo adversis deditum Col. 1. 21, 22. Hoc vos orat Christus cujus vicem sustinemus, hoc vos rogat per Christum & per nos ipse Deus creator vester. Docet hic locus quam sit alienum a vero Deum humano generi iratum a Christo fuisse placatum & hominibus reconciliatum. Contra se res habet: nempe Deum homines sibi iratos placasse & reconciliare per Christum & Apostolos omnibus modis conatum fuisse, non tantum publicatione remissionis omnium præteritarum transgressionum & paternæ suæ gratiæ cum vitæ æternæ hæreditate, sed etiam admirandæ prorsus & ineffabilis erga humanum genus charitatis edito opere, quod statim etiam ab Apostolo ponitur. Verum quidem est Deum non remittere pœnam antequam homines ad ipsum convertantur; sed eum hominibus irasci & reconciliatione opus habere, cum ipsemet illorum conversionem & reconciliationem omnibus modis quærit, adeo ut etiam unicum Filium suum eorum conversioni ac saluti impendat, manifestæ contradictionis est. *Sic Deus dilexit mundum*, inquit ipse Christus, id est, usque adeo dilexit, *ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credat in ipsum non pereat, sed habeat vitam eternam.* Quis in tanta charitate quærat iram, & animum a mundi salute aversum, placationis ac reconciliationis egentem? Hanc eandem charitatem Apostolus sequentibus verbis exponit.

Vers. 21. *Eum enim qui non cognovit peccatum.* Causam exprimit qua homines validissime vult impellere ut Deo reconcilientur, ingentem nimirum Dei erga homines eosque inimicos suos charitatem, seu ingens ingentis charitatis opus.

Eum enim, inquit, *qui non cognovit peccatum.* Id est, omnis expertem peccati, ab omni peccato purum & insontem, Christum nimirum Filium suum unigenitum,

Pro nobis. Id est, nostro bono & pro salute nostra,

Peccatum fecit. Id est, peccatorem fecit: ponit substantivum pro adjectivo, Hebræa phrasi, non

tantum

tantum ob concinniorem oppositionem, sed etiam ut maximum peccatorem significet, qui ipsum veluti peccatum sit. Quem Deus Christum fecit, quatenus eum innocentissimum & sanctissimum, ut maximum peccatorem tractari, id est, morte omnium dirissima & ignominiosa, morte crucis, inquam, affici permisit. Solet victima pro peccato peccatum appellari in sacris Literis, & Christus victima pro mundi peccato factus est, idque si rem ipsam spectes hic dicitur: sed is qui peccatum non cognovit, non tam commode victimæ opponitur, quæ & ipsa pura & insons debet esse, quam ei qui ut peccator maximus tractatur.

Ut nos simus, vel *fiamus justitia Dei.* Exponit quo pacto pro nobis Christus peccatum sit factus, nempe *ut nos*, qui ipsum peccatum sumus, id est, innumerabilium peccatorum coram Deo rei,

Fiamus, vel *simus justitia Dei.* Id est, ut nobis justitia a Deo imputetur, & consequenter ut nos tanquam justissimi & omnis peccati puri tractemur, id est, (quod Christus ipse dixit,) ut non pereamus, sed vitam habeamus æternam: quæ justitia Dei dicitur, quia Dei donum est, non nostrum opus ac meritum. Quatenus igitur justitia nobis a Deo imputatur, hactenus justitia Dei esse vel fieri dicimur, per ὑπαλλαγὴν elegantem ex comparatione & oppositione ortam. Justitiam enim, idque Dei, fieri, & peccatum fieri, eleganter inter se opponuntur. Imputatur enim nobis justitia a Deo, seu ut alibi hac ipsa de re & charitate Dei loquitur Apostolus, justificamur per mortem & sanguinem Christi Rom. v. 8, 9, 10, quatenus Christus pro peccatis nostris ex Dei voluntate mortuus est, & sanguinem suum fudit. Hac enim ratione nobis jus quæsitum est ad peccatorum remissionem & justitiæ imputationem ac justificationem, & Deus semetipsum ad eam nobis conferendam, ipsamque consequenter æternam vitam dandam obstringit, nosque de ea plane certos reddidit, non solum tanto pignore charitatis suæ, sed etiam quod damnationi nullus sit locus postquam Christus pro peccatis nostris ex Dei voluntate mortuus est, eaque sanguine suo expiavit. Et si peccati insons mortem subiit solis peccatoribus debitam, idque pro peccatoribus, multo magis peccatores justitiæ imputationem & vitam æternam ex Dei gratia adipiscentur, solis justis & insontibus destinatam. Ita Apostolus in hac tanta Dei charitate illiusque opere, simul inclusit & peccatorum remissionem, & justitiæ ac vitæ æternæ donum, hominibus per Christum Dei nomine oblatum & annunciatum: ex Christi enim morte consequuntur omnia, qua de re vide dictum ad Romanos locum. Nec quidquam validius & efficacius ad hominum animos expugnandos, & Deo reconciliandos, & certiores de æterna salute reddendos adferri potest, quam hoc tantum divinæ charitatis opus in Christo pro peccatoribus & inimicis suis tradendo. Hoc nimirum est quod alibi, licet aliis verbis idem Apostolus dicit, *Christus nos redemit ex maledictione Legis, factus pro nobis maledictio, ut in gentes benedictio Abraami veniret in Christo Jesu* Gal. III. 13, 14.

In ipso. Nempe in Christo, id est, ea conditione ut in Christo simus, in Christum credamus, in ipso, qui pro salute nostra & pro peccatis nostris mortuus est, salutem & peccatorum remissionem & justificationem, non in Lege & operibus Legis quæramus, & consequenter per ipsum tanquam Dominum & Servatorem nostrum eam obtineamus. *Traditus enim est propter peccata nostra, & resuscitatus est propter justificationem nostri* Rom. IV. 25. Quia vero mortis Christi effectus, id est, justitiæ imputatio ex conditione fidei in Christum pendet, quæ & reconciliationem cum Deo & omnem justitiam & sanctitatem, ea quam Lex in quoquam efficere possit, multo majorem ac perfectiorem complectitur, hinc necessario consequitur Christum haud esse mortuum in debitorum nostrorum persolutionem, qua facta nullus conditioni relinquitur locus, sed ut Scriptura ubique testatur, in eorum remissionem, quæ ex conditione fidei in Christum & pœnitentiæ ac emendationis vitæ merito suspendi potest & suspensa est. Neque etiam tanta Dei charitas ullo modo cum retentione juris, nec ullius dimissione nisi exacto debito, potest consistere. Tantum enim abest ut Deus debitum suum ab hominibus exegerit, ut etiam insuper eorum saluti rem sibi pretiosissimam, id est, Filium suum unigenitum impenderit. Et cum Deo debitum sit pœna, pœna autem ab innocente jure non possit exigi, quis Christum innocentissimum proprie loquendo punitum a Deo dicet? quis non potius mortem ejus ingentis opus obedientiæ agnoscet? quod etiam Deus immenso præmio remuneratus est Phil. 2. 9, 10, 11. At remuneratio contra naturam & rationem est proprie dictæ pœnæ. Habuit quidem mors Christi similitudinem quandam pœnæ, quatenus per illam impunitas nobis quæsita est, sed neutiquam veram pœnæ rationem, quæ in victimis nullum habet locum. Porro cum Deus rem tantam fecerit, ut homines sibi reconciliaret & ad fidem in Christum adduceret, hinc simul apparet quanta Dei ira, & quam atrox exitium maneat omnes qui contumaces & Deo inimici esse perrexerint.

CAPUT VI.

Vers. 1. *Administrantes autem.* Pergit in exponendo suo munere & ministerio. *Συνεργοῦντες δὲ.* nempe Deo & Christo, in mundi scilicet reconciliatione.

Etiam exhortamur. Nempe vos & omnes vestri similes qui jam ad Deum conversi estis, & gratiam ejus recepistis: quasi dicat, etiam hæc est pars nostri muneris ac ministerii vos exhortari.

Ne in vanum gratiam Dei receperitis. Id est, ut omnem detis operam, ne sit in vanum ac sine ullo salutis æternæ fructu, quod gratiam Dei, τὴν χάριν, nempe de qua agitur, receperitis & amplexi fueritis, quatenus Euangelio credidistis, ad Deum vos convertistis, & in Christum fidem suscepistis; ac pro justis a Deo reputati estis. In vanum autem hoc factum esset & sine salutis æternæ fructu, si in vitiis perseveraretis, & vitam justam, novam, Deo & Christo tantaque sua gratia dignam non ageretis. Vide vs. 14, & quæ sequuntur, item

 cap.

cap. VII. 1. 1 Cor. x totum caput. Idem & universa testatur Scriptura. Conversionis enim nostræ ad Deum & fidei in Christum, ipsiusque istius Dei gratiæ de qua agimus, finis & scopus est, ut abnegata omni impietate & mundanis cupiditatibus, sobrie, juste, pie vivamus in hoc præsenti seculo, & quæ sequuntur Tit. II a ℣. 11 ad finem capitis, & cap. III ab initio ad ℣. 9. *Sectamini pacem cum omnibus & sanctificationem*, inquit ad Hebræos auctor, *quo sine nemo videbit Dominum* Hebr. XII. 14.

Vers. 2. *Dicit enim.* Nempe Deus ipse, cujus nos administri sumus. Rationem & causam addit istius suæ exhortationis, per prolepsin, ne quis dicat, semper nobis esse receptum ad Dei gratiam, non posse eam unquam in vanum & irritum cadere, quocunque tempore peccator invocabit Deum, nunquam in cassum mittet preces. Negat hoc Apostolus, ut superiorem adhortationem confirmet, allegans ipsius Dei dictum.

Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Recitat Dei verba ex Esa. XLIX. 8, quibus Deus pronunciat se *tempore accepto*, sibi nimirum, id est, tempore quo servare vult, hominem exaudire.

Et in die salutis. Id est, qua servare vult. Explicat tempus illud sibi acceptum. Diem ponit pro tempore, per synecdochen. Sic & Christus ipse in illis ad Pharisæos verbis Joan. VIII. 56, 58: *Abraham exultavit ut videret diem meum*, id est, tempus adventus mei in mundum, & in eo conversationis meę, quod & omnes alii Prophetæ exoptarunt, *& vidit*, nempe spiritu Prophetico, vidit me venturum in mundum, *& gavisus est*, nempe eo nomine, quod ut confirmaret & verum esse ostenderet, (Judæorum non curans manifestam calumniam, quam & alibi non curavit Joan. x. 33 collato cum ℣. 36,) dixit, *Amen amen dico vobis, priusquam Abraham fieret ego sum*, nempe *Messias ille.* Hoc enim sensu Christus verbis istis absolute prolatis ubique utitur, & in hoc ipso cum Judæis sermone bis jam usus erat Joan. VIII. 24, 28. Et ex eo quod ipse esset Messias ille priusquam Abraham fieret, recte consequebatur Abrahamum exultasse ut diem ejus videret, & vidisse & gravisum esse. Prophetæ enim, inter quos præcipuus erat Abraham, exultabant, ut Messiæ viderent diem, & videbant & gaudebant. Quomodo autem erat Messias ille priusquam Abraham fieret, nisi divina destinatione, & eodem illo modo quo dies illius erat. Sed hæc obiter & ex occasione vocis diei, pro tempore multos dies complectente, qua significatione & Apostolus hæc verba Dei imitatus eandem vocem statim usurpat. Redeamus ad Dei verba.

Auxiliatus sum tibi. Hic effectus est exauditionis. Significat his verbis Deus se non semper hominem exaudire, non semper homini auxilio esse, eumque servare, sed id se facere tempore sibi acccepto & in die salutis. His Dei verbis prolatis, ut argumentum suum perficiat, Apostolus addit:

Ecce nunc tempus valde acceptum, Εὐπρόσδεκτος, *ecce nunc dies salutis.* Quasi dicat, quod tempus & quem diem si passi fueritis elabi sine vitæ emendatione & renovatione Christianæ professioni congrua, invanum erit quod Dei gratiam receperitis, fructu divinæ gratiæ, id est, æterna salute excidetis. Invocabitis & Deus non exaudiet, nec vobis auxiliabitur. Hinc alibi idem Propheta: *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.* Quod quomodo fieri debeat, statim explicat: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas &c.* Esa. LV. 6, 7. Nimirum expectandum non est donec nos peccata derelinquant, sed ipsi ea derelinquere debemus. *Pro impietate peccati sui orabit ad te omnis sanctus tempore opportuno*, inquit David peccatum suum deprecans Psal. XXXII. 6. Illud igitur quod communiter dicitur, peccatorem exauditum & salvatum iri, quocunque die & tempore invocaverit Dominum, ultra tempus acceptum & opportunum ultraque salutis diem extendendum non est. Etiam Reges mortales, quoties edicto gratiam suam & veniam delictorum publicant, certum tempus definire solent pœnitentiæ, quo elapso claudi solet aditus ad gratiam. Sic & Esau olim reprobatus est, nec ad pœnitentiam patrem permovit alienatæ a se principalis benedictionis, quamvis eam cum lachrymis exquireret Hebr. XII. 17. Huc pertinent verba Christi Matth. VII a ℣. 21 ad cap. finem, & parabola illa de virginibus decem Matth. XXV, & alia Scripturæ dicta innumera. Porro cum Apostolus ait: *Ecce nunc tempus valde acceptum, ecce nunc dies salutis*, tempus ostendit Euangelii, quo Deus non tantum gratiam suam, eamque plane paternam omnibus hominibus offerri & publicari facit, & ipsemet eos ad se invitat, ut ab omni impietate & injustitia desistant, sed etiam Filium suum unigenitum pro omnium peccatis victimam dedit, & morte crucis omnium detestabilissima passus est affici, sanguine ejus æternum & universale fœdus gratiæ sanciens, & omnium ad se conversorum ac vitam emendantium peccata penitus expians & expiata esse declarans: sed vere & efficacis pœnitentiæ & renovationis vitæ conditione inclusa.

Vers. 3. *Nullam in ullo.* Docet quomodo etiam se in omni vita gerat. *Nullam in ullo*, id est, in ulla re

Dantes offensionem. Id est, offensionis causam & occasionem, per metonymiam effecti.

Ne vituperetur ministerium, ἡ διακονία. Nempe quod obimus in reconciliando Deo mundo cap. v. 18, & iis qui crediderunt ad omnem sanctitatem exhortandis ℣. 1, ne quis ministerium nostrum ulla ex parte taxet & exagitet.

Vers. 4. *Sed in omni.* Id est, in omni re, seu per omnia. Per positionem contrarii illustrat priorem negationem.

Commendantes nos ipsos. Id est, bonam nobis existimationem conciliantes.

Tanquam Dei servi. Id est, tanquam Dei servos decet. Particula ὡς *tanquam*, significationem habet hoc loco causæ, ut supra cap. v. 19, 20. Oportet enim Dei servos omni ex parte sanctos & commendatos esse, cum Deus ipse sanctus sit.

In patientia multa. Enumerat per quæ seipsum commendet, nimirum non per verba inania & per laudes proprias, sed per res ipsas & opera. *In patientia multa.* Id est, per patientiam, eamque multam, id est, magnam, multiplicem & continuam, quod nullis malis, nullis adversis, quæ magna sunt & continua,

continua, cedant & frangantur. Tales enim decet esse Dei servos qui Deo confidunt, & sciunt omnia in bonum sibi cessura, ut constanti adversorum omnium tolerantia fidem suam in Deum, & Deo & hominibus approbent.

In afflictionibus. Id est, per afflictiones, quod scilicet propter Euangelium affligar. Nisi enim Dei servus essem, & illud a Deo accepissem, profecto me illius causa afflictionibus non objicerem.

In necessitatibus. Id est, per necessitates, in quas scilicet crebro incidimus Christi & prædicationis nostræ causa, dum cogimur esurire, sitire, frigere, nudi ac male vestiti incedere, & rebus ad vitam necessariis carere.

In angustiis. Id est, per angustias, undique pressi ab adversariis Euangelii, ut evadendi non sit locus.

Vers. 5. *In plagis.* Id est, per plagas quibus afficimur & à Judæis & à Gentibus propter Euangelium Christi. Vide infra cap. XI. 23, 24, 25.

In carceribus. Id est, per carceres, in quos Christi causa conjicimur.

In seditionibus. Id est, per seditiones quæ adversum me concitantur ob Euangelium, ut Ephesi cap. I. 8.

In laboribus. Id est, per labores quos in Euangelii prædicatione suscipio, & dum mihi propriis manibus victum comparo, ut gratis Euangelium prædicem, ne insimuler me lucri causa Euangelium prædicare.

In vigiliis. Id est, per vigilias, ne ullum tempus etiam nocturnum rebus pro Christo agendis prætermittam.

In jejuniis. Id est, per jejunia, ut me hominem ventri minime deditum esse ostendam, ut precibus & rebus sacris vacem, & me coram Deo humiliem.

Vers. 6. *In castitate.* Id est, per castitatem, dum ut tanto sanctior sim, & ad Euangelii prædicationem solutior, ab omni mulieris contactu abstineo 1 Cor. VII. 1, 7. Merito jejuniis castitatem conjunxit, ad hanc enim faciunt jejunia, & in jejuniis observanda castitas est 1 Cor. VII. 5.

In cognitione. Id est, per cognitionem, rerum nimirum divinarum & Dei mysteriorum, qua Paulus præ cæteris omnibus excelluit.

In longanimitate. Id est, per longanimitatem, & ab ira abstinentiam.

In suavitate. Id est, per suavitatem, in actionibus videlicet & sermonibus, totaque vitæ conversatione.

In Spiritu Sancto. Id est, per Spiritum Sanctum, cujus varia in me apparent effecta, de quibus vide 1 Cor. XII. 4 & seqq.

In charitate non simulata. Id est, per charitatem erga omnes homines, etiam inimicos, sinceram & minime simulatam, quæ omnibus donis per Spiritum Sanctum à Deo & Christo collatis præstantior est 1 Cor. XII. 31. XIII. 1 & seqq.

Vers. 7. *In sermone veritatis.* Id est, per sermonem semper veracem, in quo nullum unquam est mendacium, per duo substantiva pro substantivo & adjectivo.

In virtute Dei. Id est, per maxima miracula, per metonymiam causæ. Intelligit ea opera quæ Deus ipse patrabat sua virtute, ad confirmandam Pauli prædicationem. Nec enim omnia Apostoli Spiritu Sancto quo afflati erant, perficere poterant, ad quædam solam tantum adferebant fidem, licet & hæc Spiritus Sancti donum esset.

Per arma justitiæ. Hic jam Apostolus ipse particulam *in* mutat in *per*. Quasi dicat, non commendamus nos per arma carnalia, quibus nobis adversantes subjiciamus, qua in re magna persæpe injustitia est, sed per arma quæ sunt justitia, per genitivum differentiæ.

Justitiâ nos armans, *dextra & sinistra.* Nempe arma. Dextra arma sunt quibus dextrum armatur latus, sinistra quibus sinistrum: quasi dicat, ab utroque latere nos justitia armavimus, à dextro quidem, quatenus nemini ullam injuriam inferimus, dextrum enim latus armatur gladio, a sinistro, quatenus injuria affecti malum pro malo non referimus: sinistrum enim latus armatur scutu, quod nobis injuriarum patientia est.

Vers. 8. *Per gloriam & ignominiam.* Miscet inter se hic & in seqq. contraria, quæ in servis Dei apparent, per gloriam, quatenus servi Dei à probis & veritatis amantibus gloria & honore attolluntur, imo etiam ab improbis eorum vita & conversatio laudatur.

Per ignominiam. Quatenus ab improbis & a veritate aversis ignominia & dedecore ob doctrinam afficiuntur.

Per infamiam & bonam famam. Eodem modo.

Tanquam seductores, intellige, *sumus.* Quod verbum etiam in sequentibus omnibus intelligendum est. Quatenus scilicet habemur pro seductoribus a mundo.

Et veraces. Quasi dicat, & interim veraces sumus, veritatem docemus.

Vers. 9. *Tanquam ignoti.* Quatenus scilicet tractamur tanquam ignoti, contemnimur, rejicimur, non curamur.

Et cogniti. Quasi dicat, & interim bene cognoscimur, sumus tanquam ignobiles, & interim sumus valde nobiles, prædicatione nimirum nostra & divinissimis miraculis.

Tanquam morientes. Id est, videmur mori, cum scilicet in præsentissimis vitæ periculis constituimur, nec ulla spes reliqua est vitæ.

Et ecce vivimus. Divina scilicet conservati providentia, & toties ex morte erepti, in qua semper versamur, & semper ex ea à Deo eripimur.

Tanquam castigati. Quatenus scilicet virgis cædimur, fuste percutimur, & alia aliqua pœna afficimur, non secus atque si id essemus commeriti.

Et non morte affecti. Quasi dicat, Deus tamen non permittit ut morte afficiamur, ad exemplum Jobi, qui etiam erat tanquam castigatus & morte non adfectus, quia id Deus Satanæ non promisserat ℣. 10.

Tanquam tristes. Quatenus continuas secundum carnem tristitiæ causas habemus, & hactenus etiam tristamur, & gemimus, & suspiramus & lachrymamur.

Semper autem gaudentes. Nempe secundum spiritum, ob spem certissimam vitæ æternæ, quæ spes in nobis, & consequenter gaudium, tanto majores

sumit auctus, quanto major est secundum carnem tristitia.

Tanquam pauperes. Quatenus scilicet nullas habemus secundum carnem opes.

Multos autem ditantes. Quatenus secundum spiritum adeo divites sumus, ut multos ditemus, nec tamen quidquam nobis ex divitiis nostris depereat. Intelligit divitias cognitionis Euangelii divinorumque mysteriorum, & omnium quæ inde consequuntur bonorum spiritualium.

Tanquam nihil habentes. Quatenus scilicet nullam habemus possessionem, & incertis sedibus vagamur.

Et omnia possidentes. Quatenus scilicet omnia nostris usibus inservire coguntur quoties opus est, & nos soli tanquam Dei filii jus omnium habemus. Egregie descripsit Apostolus veros Dei servos ex hac contrariorum inter se commixtione. Nimirum non vitæ continua prosperitas, sed tolerantia multa, non opes & honores & voluptates, & secundum carnem potentia & victoriæ commendant Dei servos, quibus rebus commendabilem se fecit Machomet, sed afflictiones, necessitates, angustiæ, plagæ, carceres, & quæ ab Apostolo enumerata vidimus alia: non unum ex contrariis, sed contraria secum eo quo audivimus modo composita, non secus quam & ipsi servi Dei ex animi & corporis conjunctione sunt compositi.

Vers. 11. *Os nostrum apertum est.* Quia torrentem hunc orationis admirabilem effudit, merito suum os apertum esse dicit.

Ad vos Corinthii. Nempe fratres,

Cor nostrum dilatatum est, intellige, πρὸς ὑμᾶς. *ad vos*, vel *erga vos*. Merito, nam ex cordis dilatatione etiam oris hæc apertio consecuta est. Significat autem prolixum animi sui erga illos affectum.

Vers. 12. *Non coarctamini in nobis.* Id est, in animo nostro, patet vobis amplissime. Insistit superiori metaphoræ.

Coarctamini autem in visceribus vestris. Nempe erga me: angustus est mihi in visceribus vestris locus. Viscera ponit pro interno animi affectu, sueta Hebræis metaphora. Perstringit Corinthios fratres quod minus quam pro merito ab iis ametur.

Vers. 13. *Eandem autem remunerationem*, ἀντιμισθίαν, *tanquam filiis dico.* Quasi dicat, a quibus parentes amorem pro amore merito exigunt. Filios appellat, quia eos per Euangelium genuerat, id est, Christianos fecerat 1 Cor. IV. 15. Dicebat autem illis eandem remunerationem, quatenus eam ab illis postulabat.

Dilatamini & vos. Intellige, erga nos: quasi dicat, non minus quam nos dilatati sumus. Exprimit ἀντιμισθίαν & remunerarionem illam quam iis dicit. Dilatationem intelligit viscerum & cordis, id est, interni amoris affectus.

Vers. 14. *Ne sitis jugum trahentes cum infidelibus.* Postquam exposuit quomodo se gerat in suo munere ac ministerio, simul & amoris sui patentem erga Corinthios affectum est contestatus, ad quorum utrumque veluti digressus erat a cœpta exhortatione ✝. 1, nunc patefactis sibi vicissim & consequenter suis admonitionibus Corinthiorum animis, redit ad eos admonendos & retrahendos ab iis rebus, per quas in vanum Dei gratiam recepissent. Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις, id est, ne vos conjungite & consociate infidelibus, in factis scilicet & actionibus illorum propriis, & a vestra sancta vocatione alienis, quale erat cum infidelibus delubra ingredi, sacrificiis eorum & conviviis idololatricis interesse, cumque iis in delubris epulari, & alia infidelibus solita, fidelibus autem minime convenientia facere, qua de re egit etiam in priore epist. viij. 10. x. 21. Metaphora est a jugo quod animalia conjungit & consociat, quæ si alterius sint inter se generis, ἑτεροζυγοῦντα sibi dicuntur. Lex olim vetabat ejusmodi juga, sensu mystico ad hoc ipsum respiciens, ne fideles & Deo sacri homines cum profanis sese jungant in rebus & actionibus a sancta sua vocatione prorsus alienis. *Sancti estote*, inquit ipse Deus, *quia ego sanctus sum* 1 Petr. 1. 15, 16.

Quæ enim participatio justitiæ & iniquitati? ἀνομίᾳ. Rationes subjicit sui moniti. *Participatio*, μετοχή. consortium: quasi dicat, nullum est justitiæ & iniquitati consortium. Vestræ autem actiones omnes debent esse justæ, omnes legi divinæ congruæ, proinde nulla iis inesse debet iniquitas, nihil quod a lege divina discrepet.

Quæ autem communio luci ad tenebras? Id est, cum tenebris: quasi dicat, vestræ actiones debent esse lux mera, quid igitur tenebræ in illis faciant?

Vers. 15. *Quæ autem concordia*, συμφώνησις, *Christo ad Belial?* Id est, cum Belial, qui Satanam hoc loco significat: quasi dicat, Christo cum Belial nulla est concordia. Vos autem estis Christiani & ex Christi præscripto vobis omnia sunt agenda. Quid igitur vobis est rei cum diabolo & actionibus diabolicis?

Aut quæ pars fideli cum infideli? Nempe in rebus & actionibus infidelium propriis.

Vers. 16. *Quæ vero consensio templo Dei cum idolis?* Quasi dicat, templum Dei nulla pati potest idola, nullum idolorum cultum. Ne vero quis dicat, quid hoc ad nos? Multum, inquit Apostolus: *Vos enim templum Dei estis viventis.* Quasi dicat, merito argumentum a templo Dei duco. Vos enim estis verum & spirituale Dei viventis templum, ideoque cum idolis & eorum cultu, quæque in honorem aliquem illorum fiunt, & cum eorum delubris ac idoliis, nihil vobis debet esse commune. Deum appellat viventem, ut eum Diis gentium opponat, tam viventibus quam eorum vivebant idola. Sicut igitur Deo viventi nulla est consensio cum Diis falsis & omni vita cassis, & qui nihil sunt, eorumque cum idolis, sic neque Dei viventis templo, quod estis vos.

Sicut dixit Deus. Allegat Dei ipsius dictum, ut eos Dei templum esse demonstret.

Quoniam inhabitabo in ipsis & inambulabo. Hoc suo dicto significat Deus populum suum, qui hodie Christiani sunt, esse templum suum, in quo Deus tanquam in templo suo velit inhabitare & inambulare, similitudine sumpta ab hominibus domum suam inhabitantibus & in ea ambulantibus. Habitat nimirum Deus in populo suo per verbum & spiritum suum, perque numinis sui præsentiam populo suo providens eumque curans, & illi sese præsentem ubique gratia & potentia sua exhibens.

Et ero ipsorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Rem eandem Deus per relatum & correlatum exprimit.

Signi-

Significat se eos qui suus sint populus omnibus beneficiis affecturum & tanquam populum suum curaturum.

Vers. 17. *Propter quod exite ex medio ipsorum.* Infert admonitionem Apostolus similiter Dei verbis, quamvis alio ex Scripturæ loco acceptam.

Propter quod. Nempe tantam sui cum Deo conjunctionem.

Exite ex medio ipsorum. Id est, nolite interesse malis infidelium & profanorum hominum actionibus.

Et separamini. Nempe ab eorum factis & actionibus pravis.

Dicit Dominus Esa. LII. II.

Et immundum non tangite. Similitudine ab antiquo Dei populo sumta. Christianis autem novo Dei populo nihil est immundum præter errores & actiones pietati Christianæ contrarias, inter quas erant idololatrica convivia. Locus hic non agit de conjugio inito cum infidelibus & idololatris. Sanctificatur enim infidelis per fidelem conjugem, nec Christiani ipsos homines per se ducunt impuros, sed illorum errores & pravas actiones.

Et ego recipiam vos. Quasi dicat, præcepto suo addit Deus promissionem valde rei accommodatam. Poterant enim dicere fideles: atqui hac separatione offendemus alios homines, nec locum inter ipsos habebimus, erimus in summo odio, expellent nos & persequentur. Huic incommodo Deus occurrens, *& ego*, inquit, si vos officium feceritis, *recipiam vos*: quasi dicat, nihil curate hominum eo nomine odia & persecutiones, ego vos recipiam, apud me receptum & refugium habebitis, ego vobis prospiciam ne quid vobis desit.

Vers. 18. *Et ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias.* Exponit ipse Deus quomodo suos sit recepturus, sic nimirum ut iis futurus sit in Patrem, id est, Pater, & illi futuri sint ipsi in filios & filias, id est, filii & filiæ, Hebræa phrasi. Porro voces patris, filiorum & filiarum, per metaphoram accipiuntur: quasi dicat Deus, sicut Pater amat & curat suos filios & filias, sic ego vos amabo & curabo, & hæredes meos faciam.

Dicit Dominus omnipotens. Quasi dicat Propheta, non dicit hæc homo aliquis mortalis, sed dicit ipse Deus, nomine tetragrammato designatus, quod Græci Veteris Testamenti interpretes nomine *Domini* efferunt, religione prohibiti illud proprio significatu efferre. *Omnipotens*, in cujus manu sunt omnia, & qui potest præstare quæcunque vult, contra quem nihil sunt omnes omnium hominum conatus: cujus proinde promissiones, & fideles sunt, est enim veracissimus, & effectum habituræ, est enim omnipotens.

CAPUT VII.

Vers. 1. **H***Ac igitur habentes promissiones.* Ex his talibus & tantis quas Deus ipse dedit promissionibus infert admonitionem Apostolus, superiori cap. vi. 14, 17, conformem.

Dilecti. Respicit ad id quod de sua dilectione dixerat cap. VI. II, 12.

Mundemus nos ipsos. Se quoque conjungit omnibus aliis Christianis. Vide ut mundi simus, nostram etiam operam requiri.

Ab omni inquinamento. Mundum enim & inquinatum inter se opponuntur.

Carnis & spiritus. Id est, à scortatione, vulgatissimo inter gentes vitio, & à quovis alio peccato. Nam scortatio & carnis & spiritus inquinamentum est 1 Cor. VI. 18. Alia enim peccata omnia spiritus tantum sunt inquinamentum, qui non solum ipsis pravis factis inquinatur, sed etiam pravis propositis & cogitationibus.

Perficientes sanctitatem. Id est, id agentes ut perfecta sit nostra sanctitas, nullo vitii inquinamento contaminata. Sanctitatem inquinamento opponit, à quo mundari est sanctum esse. Sanctum enim & pollutum opposita sunt. Proinde ab omni inquinamento mundari est sanctitatem perficere. Ita posterius prioris est illustratio.

In timore Dei. Id est, per timorem Dei. Admovet hunc alterum veluti cuneum, Dei timorem, significans Deum esse talem Patrem qui vitiorum inquinamenta in filiis & filiabus suis non ferat, eaque vel temporariis, vel æternis, vel etiam utrisque pœnis ulciscatur Apoc. XXI. 7, 8, 27. XXII. 15. Proinde si quem divinæ promissiones non moveant, pœnarum moveat metus. Locus hic docet fidei Christianæ rationem in eo sitam esse, ut divinis promissionibus & comminationibus credamus, iisque credendo ab omni vitiorum inquinamento nos ipsos mundemus, perficientes sanctitatem, sine qua nemo videbit Dominum Hebr. xij 14. 1 Joan. iij. 3. Sanctus & mundus est Deus, profanos & immundos non patitur 1 Joan. 1. 5, 6, 7. Frustra igitur qui seipsos non mundaverint nec sanctitatem perfecerint Christianam, cum satis superque temporis habuerint, ut id facere possent, frustra, inquam, vel in Dei gratia, vel in Christi sanguine, vel ullis in aliis mediis ac remediis spem ponent impunitatis. Est autem Christiana sanctitas non secundum carnem ambulare, sed secundum spiritum Rom. viij. 1.

Vers. 2. *Recipite nos*, χωρήσατε ἡμᾶς. Redit ad id quod dixerat supra cap. VI. 13, id est, date nobis locum in animis vestris, proinde & admonitionibus nostris. Ideo & dilectos appellaverat, ut eorum vicissim dilectionem erga se patefaceret ac dilataret.

Neminem injuria affecimus. Quasi dicat, ut me non debeatis recipere, & amore ac benevolentia complecti.

Neminem destruximus. Id est, neminem facultatibus suis privavimus.

Neminem quæstui habuimus, ἐπλεονεκτήσαμεν. Quod solet fieri per fallaciam & deceptionem.

Vers. 3. *Non ad damnationem dico.* Id est, non animo damnandi vos hæc dico, tanquam homines erga me injustos & iniquos & ingratos, ac vestri amantissimum non redamantes. Admonendi & exhortandi vos causa hæc dico.

Prædixi enim. Id est, præfatus sum, supra nimirum cap. vj. 11, 12. Loquitur hic in singulari numero

Aposto-

Apostolus, ut appareat eum etiam in superioribus de se solo per numerum plurativum esse locutum.

Quod in cordibus nostris estis ad simul moriendum & simul vivendum. Id est, quod vos ita animi mei complectar affectu, ita amem, ut vobiscum mori, vobiscum vivere cupiam; nolim à vobis, nec in morte, nec in vita divelli. *Tecum vivere amem, tecum obeam libens*, dixit ille, suum amorem amico contestari volens. Cum igitur vos tantopere diligam, quomodo quidquam ad damnationem vestri dicere possim?

Vers. 4. *Multa mihi fiducia*, παῤῥησία, *erga vos*, (intellige, *est.*) Causas tanti sui erga ipsos amoris subjicit. Primò, quod confidenter ac libere eos alloqui & cum iis agere queat, nec dubitet illos omnia facturos quæ ab ipsis fieri velit.

Multa mihi gloriatio de vobis, ὑπὲρ ὑμῶν. Secundò, quod multum de illis gloriaretur, Corinthios nimirum, opera ac ministerio suo ad fidem in Christum adductos, esse sibi rebus in omnibus obsequentissimos ac plane frugi filios.

Repletus sum consolatione. Tertiò, quod repletus sit consolatione, ad quam Corinthii maximam partem contribuerint, ut infra ℣. 7 exponit.

Superabundo gaudio in omni afflictione. Quartò, quod superabundet, id est, plus quam abundet gaudio, itidem ex Corinthiorum causa potissimum, in omni afflictione sua, quam scilicet tum patiebatur: ideo afflictioni articulus in Græco præfigitur. Hic de se partim in singulari, partim in plurali loquitur. Vide Christi servos affligi & premi secundum carnem ℣. sequente, & tamen superabundare gaudio secundum spiritum & animum.

Vers. 5. *Etenim cum venissemus in Macedoniam.* Nempe ex Asia. Explicat rem quam dixit, & primum suam afflictionem exponit.

Nullam habuit relaxationem caro nostra. Id est, remissionem ab afflictione & pressura.

Sed in omni afflicti eramus, θλιβόμενοι, intellige, ἐν παντί, *in omni*, intellige, tempore. Id est, continuo & sine inter missione, vel omni ex parte afflicti eramus.

Foris pugnæ, intus timores. Ostendit qua ratione continuo seu omni ex parte afflictus esset secundum carnem. *Foris*, inquit, *pugnæ*, id est, ea quæ exterius fiebant erant pugnæ cum adversariis Euangelii, externæ nimirum corporis mei afflictiones: (neque enim aliter servi Christi cum adversariis veritatis pugnant quam patiendo, non inferendo nec referendo mala) si quid autem ab externis afflictionibus cessatum esset, non desinebant tamen timores, qui intus carnem meam affligebant, estque timor mali ipso malo sæpe deterior.

Vers. 6. *Sed qui consolatur humiles.* Deus nimirum, ut mox addit, quod id soleat facere, imo semper faciat. *Humiles*, id est, afflictos, per metonymiam effecti, afflictiones enim humiliant. Intelligit autem afflictos propter divinam veritatem & justitiam, aut fidei illorum & constantiæ & patientiæ explorandæ causa.

Consolatus est nos Deus. Nunc consolationem suam exponit.

In adventu Titi. Id est, per adventum Titi, quem scilicet Paulus ad Corinthios fratres miserat. Hic ergo Corintho a fratribus redux magnam Paulo consolationem attulerat. Hunc Titi adventum Deo tribuit Apostolus, ob divinam curam & providentiam qua omnes piorum actiones & itinera etiam diriguntur. Magnum afflictis adfert solatium pii & chari hominis adventus & præsentia.

Vers. 7. *Non solum autem in adventu Titi.* Id est, per adventum Titi, intellige, consolatus est nos Deus. Hoc addidit, ne dicerent Corinthii: quam ergo partem nos in tua consolatione habemus?

Sed etiam in consolatione. Id est, per consolationem,

Qua consolatus est super vobis. Nempe Titus, id est, Titus maximam super vobis, proinde ex vobis cepit consolationem, quæ ipsius super vobis & ex vobis consolatio maximam & nobis attulit consolationem. Est enim nobis maximo solatio cum ex vobis viri tam sancti consolationem capiunt.

Annuncians nobis. Tanquam consolationis suæ super vobis causam,

Vestrum desiderium. Intellige, mei. *Vestrum ejulatum.* Ex desiderio mei profectum, quod ad vos nunc venturus non sim, quodque existimetis me per vos esse contristatum.

Vestrum zelum pro me. Nempe contra meos adversarios, qui auctoritati muneris mei aliquid eunt detractum. Hic iterum ut & in sequentibus singulari numero utitur.

Ita ut magis gaudeam. Nempe nunc quam antea gaudebam.

Vers. 8. *Quia etsi contristavi vos.* Causam addit cur magis nunc gaudeat,

In epistola. Id est, per epistolam, nempe priorem in qua vos reprehendi & castigavi. Solent enim homines ex reprehensione & castigatione contristari.

Non me pœnitet. Nempe quod vos contristaverim.

Etsi pœnitebat. Nempe vos à me fuisse contristatos. Ita non solidum antea meum erat gaudium.

Nam video quod epistola illa, etsi ad horam, contristavit vos. Ex eventu probat merito se pœnituisse quod eos contristaverit, cum videat illos fuisse contristatos.

Video. Id est, cognosco & intelligo, per metaphoram.

Quod epistola illa. Nempe quam innui,

Etsi ad horam. Id est, ad breve tempus, per synecdochen,

Contristavit vos. Quasi dicat, ego autem ob amoris mei teneritudinem erga vos, nollem vobis unquam, ne ad momentum quidem temporis, tristitiæ causa esse.

Vers. 9. *Nunc*, postquam scilicet talia de vobis audio, *gaudeo.* Quasi dicat, omni dempta pœnitudine, proinde multo magis quam antea, quando gaudio meo admixta est pœnitudo.

Non quod contristati sitis. Nempe simpliciter, hoc enim esset contra charitatem, gaudere ex alterius contristatione simpliciter.

Sed quod contristati sitis in pœnitentiam. Id est, quod hæc contristatio vobis verterit in pœnitentiam, εἰς μετάνοιαν, in aliam mentem, alios mores, in correctionem & emendationem. Vide hic contristationem, ut & in sequenti ℣. 10 tristitiam, à pœnitentia,

tentia (μετάνοια) distingui. Nimirum non satis est ob admissa peccata tristari, sed requiritur etiam ut ab iis inposterum abstineas & vitam a vitiis repurges. Aliud est μεταμέλεια, aliud μετάνοια, illa dolore post factum finitur, hæc etiam aliam mentem, alios mores & fructus se dignos postulat.

Nam contristati estis secundum Deum. Confirmat quod dixit: quasi dicat, nam non estis contristati ut a me animum averteretis, ut mihi male velletis, & in iis quæ reprehendi magis vos obfirmaretis, sed *secundum Deum*, id est, secundum Dei voluntatem, seu eo modo quo Deus homines, cum reprehenduntur & castigantur, vult contristari, nempe contristari non ideo quod reprehendantur & castigentur, sed quod peccarint & reprehendi ac castigari sint commeriti.

Ut in nullo. Id est, nulla in re,

Damnum patiamini ex nobis. Quasi dicat, quod fieri potuisset, vel etiam factum esset nisi a me fuissetis reprehensi & contristati: damnum intelligit in re salutis. Docemur hoc loco parcendum non esse admonitionibus & reprehensionibus aliorum quoties opus est, ne ex nobis damnum & jacturam patiantur salutis, id est, ne iis, neglecta admonitione, causa simus ut in peccato maneant, & sic incidant in damnum quod ex peccato consequitur.

Vers. 10. *Nam secundum Deum tristitia.* Rationem adfert cur qui secundum Deum contristentur, admoniti & castigati, damnum non patiantur in salutis negotio ex illis qui eos moneant & castigent. *Nam*, inquit, *secundum Deum tristitia*, id est, tristitia ex eo quod peccaveris & castigari sis meritus,

Pœnitentiam, μετάνοιαν. Vitæ emendationem & vitiorum abdicationem.

In salutem. Quippe pœnitentiæ finem.

Cujus non pœnitet, ἀμεταμέλητον. Describit salutem, ut eam tacite vitiorum illecebris opponat. Post vitia enim semper subit dolor & cura, nec ullus est qui peccato peracto non malit se non peccasse, præsertim cum pœnam peccati ante oculos habet & subit: At salus, præsertim æterna, verum ac solidum est bonum, cujus neminem pœnitet.

Operatur. Nam qui reprehensus tristitia ducitur ex peccato, protinus de vita cogitat emendanda, & sic tristitia ista pœnitentiam operatur, pœnitentia autem adfert salutem, cujus neminem pœnitet. Vide vim pœnitentiæ, sed veræ, quæ in vitæ extat emendationem. Et hæc est totius Euangelii summa.

Mundi autem tristitia mortem operatur. Tristitiæ secundum Deum, qua probi homines afficiuntur reprehensi & castigati, opponit tristitiam mundi, id est, hominum profanorum, qui mundus dicuntur, & Christianis ac sanctis hominibus hoc nomine opponuntur.

Mortem operatur. Nempe ipsi mundo, qui cum reprehenditur & arguitur errorum ac vitiorum, irascitur iis a quibus reprehenditur & arguitur, eosque etiam odiis & injuriis omnibus persequitur, suos autem errores & pravos mores defendit, & modis omnibus propugnat, & sic mortem, id est, damnationem sibi accersit, quam pœnitentia poterat effugere, & salutem adipisci. Mundus quoties tristatur, semper peccat vel impatientia, vel alio aliquo vitio, non regens ut oportet affectus. At qui secundum Deum tristantur, semper ad pœnitentiam & in melius proficiunt.

Vers. 11. *Ecce enim ipsum hoc quod secundum Deum contristati fueritis.* Proprio illorum exemplo demonstrat, quod tristitia secundum Deum operetur pœnitentiam, & magnam vim habeat in hominibus reducendis ad frugem.

Ecce. Rem oculis subjicit.

Quantum operatum est vobis studium! Nempe mihi obtemperandi & satisfaciendi in omnibus.

Imo defensionem, ἀλλὰ ἀπολογίαν. Particula ἀλλὰ hoc loco significat *imo*, ut Joan. XVI. 2: quasi dicat, non studium tantum sed etiam defensionem, & ideo utitur particula ἀλλὰ *sed*. Defensionem intelligit, qua se aliquomodo Apostolo purgare conabantur.

Imo indignationem. Adversus illum videlicet qui tanta labe affecerat ecclesiam.

Imo metum. Nimirum à Pauli virga 1 Corin. IV. 21.

Imo desiderium. Nempe Pauli, quo præsentem præsentibus liceret deprecari.

Imo zelum. Nimirum pro Paulo ℣. 7.

Imo vindictam. Nempe sanctam, qua puniuntur in ecclesia delicta, ne noceant exemplo. Vide quantas res complectatur vera pœnitentia! Hæc enim omnia Paulus retulit ad pœnitentiam ℣. 9, 10 nominatam.

In omni, id est, omni ex parte, *exhibuistis vos puros esse in hoc negotio.* Quasi dicas, jam mihi prorsus à vobis satisfactum est, jam video vos nulla teneri culpa *in hoc negotio*, nempe de quo egi 1 Cor. V. & VI.

Vers. 12. *Igitur etsi scripsi vobis.* Concludit rem, & ostendit quem scopum habuerit in scribendo ipsis de hoc negotio.

Non propter eum qui injuria affecit, neque propter eum qui injuria affectus est, intellige, ἕνεκεν scripsi. Id est, non injuriæ alicujus in hoc negotio rationem habui, ut omnino velim alterum puniri, quo alteri satisfiat, incestum ut satisfiat ecclesiæ, injustum ut satisfiat injuria affecto.

Sed propter hoc ut manifestetur studium nostrum pro vobis apud vos. Id est, ut vobis seu apud vos manifestum fiat quantum studium pro vobis habeam, quantum saluti vestræ studeam; admonendo vos in iis quæ vestram ad salutem pertineant: quam admonitionem, quia vos eo quo par est animo & effectu suscepistis; jam mihi plane satisfactum est a vobis. Non tendo ulterius, nullam pœnam exigo & exposco.

Coram Deo. Qui scilicet omnium nostrarum actionum & cogitationum spectator est. Proinde ita vobis studium nostrum pro vobis approbatum & manifestatum volumus, ut idipsum Deus videat. Non agimus simulate sed candide, cum sciamus nos omnia coram Deo agere, quem fallere nemo potest, etiamsi homines fallat.

Vers. 13. *Propter hoc.* Nempe quia eo fine scripsimus quem dixi, *consolati sumus*, consolationem magnam cepimus.

Super consolatione vestra, ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν. Per genitivum causæ, qua scilicet me affecistis, quod studium istud nostrum agnoveritis, & contristati sitis secundum Deum in pœnitentiam. Factum hoc ipsorum, consolationem ipsorum, id est, consolationem ab ipsis profectam appellat, per metonymiam effecti. Nam quia scriptionis suæ finem in hoc Corinthiorum facto assecutus erat, ideo eum super hoc facto magnopere consolatum fuisse oportebat.

Abundantius autem magis gavisi sumus super gaudio Titi. Quasi dicat, abundanter quidem valde consolati & lætati sumus super vestra consolatione, sed accedens Titi ipsius gaudium, effecit ut abundantius magis lætaremur.

Quia refocillatus est spiritus ejus ab omnibus vobis. Causam gaudii Titi exprimit, quod scilicet spiritus, id est animus Titi, ita fuerit ab omnibus Corinthiis refectus & refocillatus, ut plane iis acquieverit, & omni ex parte contentus discesserit.

Ab omnibus vobis. Quasi dicat, non ab aliquibus tantum vestri, sed ab omnibus. Nihil habuit quod de ullo vestrum conquereretur. Nimirum quia Corinthii omnes in omnibus obsequentes sese Tito præbuerant, ut infra ℣. 15 dicitur.

Vers. 14. *Quia si quid ipsi super vobis gloriatus sum, non pudefactus sum.* Causam exponit cur super gaudio isto Titi tantopere & ipse lætatus sit, quia nimirum, inquit, *non pudefactus sum.*

Si quid ipsi. Id est, coram ipso, ut mox loquitur,

Super vobis, id est, de vobis, *gloriatus sum.* Corinthios scilicet meos homines esse probos & Christi ministris obsequentissimos, & illi ipsi nempe Tito faciles ac morigeros sese præbituros. Non deprehensus sum in hac mea gloriatione ullius mendacii cujus me certe pudere oportuisset. Hic iterum singularem de se numerum usurpat, mox pluralem.

Sed. Quasi dicat, sed nimirum, *Sicuti omnia in veritate*, id est, vere, Hebræa Phrasi,

Locuti sumus vobis. Prædicationem suam intelligit, in qua omnia fuerint vera, nihi falsum.

Sic & gloriatio nostra quæ coram Tito, intellige *fuit*, nempe gloriatio de nobis, *veritas fuit*, id est, vera fuit. Substantium pro adjectiuo, more Hebræo.

Vers. 15. *Et viscera ejus abundantius in vos sunt.* Exprimit Titi vicissim erga Corinthios singularem affectum. *Et viscera ejus*, id est, intimus amoris affectus, per metonymiam continentis.

Abundantius. Id est, valde abundanter,

In eos sunt. Id est, erga eos propensa sunt.

Commemorantis omnium vestrum obedientiam. Exprimit istius affectus causam, quam ipse Titus commemoret, nimirum omnium Corinthiorum non aliquorum tantum obedientiam, quam Tito, tanquam Christi ministro & ab Apostolo delegato, unanimiter præstabant. Vide quam ecclesiæ obedientia ministrorum Christi viscera ad se trahat: Contra, si immorigeram se præbeat, suspiria eorum excitat Hebr. 13. 17. *Quomodo cum timore & tremore suscepistis illum.* Nempe venientem & inter vos versantem. Magnam sibi reverentiam a Corinthiis habitam fuisse significat, id agentibus ne ulla in re Titum offenderent Ephes. vi. 5. Phil, 2. 12. Vide quomodo se debeat ecclesia gerere erga Christi ministros.

Vers. 16. *Gaudeo igitur quod in omni confido in vobis.* Quasi dicat, cum igitur ita se res habeat, gaudeo,

Quod in omni, ἐν παντὶ, neutro genere, id est, in omni re, *confido in vobis.* Id est, confidere possum in vobis. Effectum ponit pro causa: quasi dicat, quod nulla in re fiduciam meam in vobis destituitis.

CAPUT VIII.

Vers. 1. *Significamus autem vobis Fratres gratiam Dei, quæ data est in ecclesiis Macedoniæ.* Scripturus ad Corinthios de collecta in pauperes Hierosolymitanorum fratrum, commemorat ecclesiarum Macedonicarum hac in parte summam liberalitatem & largitatem, ut illarum exemplo Corinthiorum ecclesiam ad consimilem beneficentiam provocet.

Gratiam Dei. Id est, gratiæ Dei effectum, collectam nimirum largam & abundantem.

Quæ data est. Nempe à Deo. Deus enim est qui & animos movet ad largitatem ac beneficentiam, & media suppeditat.

In ecclesiis Macedoniæ. Apud quas tum agebat Apostolus cap. vii. 5.

Vers. 2. *Quod* &c. Explicat istam Dei gratiam in ecclesiis Macedoniæ datam. Particula ὅτι *quod*, hoc loco αἰτιολ. accipitur.

In multa probatione afflictionis. Id est, in multa probatione quæ fit per afflictionem, per genitivum causæ vel medii.

Abundantia gaudii ipsorum. Nempe ex eo profluentis, quod non tantum Christum agnoscerent & in eum crederent, sed etiam digni haberentur pro Christo affligi, & per istas afflictiones se probatos exhiberent. Sic spirituale gaudium Zacchæum movit, ut dimidium facultatum suarum addiceret pauperibus Luc. xix. 8, & primos Christianos ut omnia in medium & commune conferrent Act. xi. 45. iv. 24, 35.

Et quod secundum profunditatem, intellige *est*, id est profunda, *paupertas ipsorum abundavit in divitias simplicitatis.* Id est, in divitem simplicitatem ipsorum, duobus substantivis, Hebræo more. Beneficentiam & liberalitatem uberrimam intelligit, simplicitate siquidem animi opus est ad benefaciendum & elargiendum sua pauperibus. Nam quibus prudentia carnalis inest, haudquaquam animum inducent ut id faciant. Vide fratres istos & summe afflictos fuisse, & in istis, imo ex istis afflictionibus summo gaudio præditos, & summe pauperes, & tamen ex illo sancto & spirituali gaudio, nihil obstante sua paupertate, in divitem beneficentiam & collectam in alios fratres pauperes exundasse? Singulare prorsus & eximium Christianæ pietatis & fidei exemplum, & dignum omnino quod proponeretur ab Apostolo Corinthiis ad imitandum. Paupertatem Macedonum comme-

commemorat, ut divites Corinthios ad æmulationem liberalitatis excitet.

Verſ. 3. *Quia ſecundum potentiam.* Id eſt, pro viribus. Cauſam addit ob quam paupertas abundaverit in divitias ſimplicitatis, quia nimirum etſi pauperes, pro viribus,

(*Teſtor.* Ne quis dubitet,)

Et ſupra potentiam. Id eſt, & ſupra vires, non tantum pro viribus,

Voluntarii, intellige *fuerunt*. Id eſt, ad conferendum prompti: quaſi dicat, non inviti & coacti contulerunt, non tantum parem facultatibus attulerunt animum, ſed etiam viribus & facultatibus ſuperiorem, ideo mirum non erat a pauperibus tantum collectam eſſe factam.

Verſ. 4. *Cum multa exhortatione rogantes nos.* Quaſi dicat, non tantum ultro & animo promtiſſimo contulerunt, ſed etiam cùm multa exhortatione rogarunt nos,

Ut hanc gratiam. Id eſt, donum, per metonymiam cauſæ,

Et hanc communionem. Id eſt, ſocietatem.

Hujus miniſterii, id eſt officii, *erga ſanctos.* Id eſt, Chriſtianos pauperes Hieroſolymitanos,

Reciperemus. Id eſt, ne ſe hoc indignos duceremus officio. Erat hoc eximium quoddam tanti muneris condimentum, beneficio addiderunt maximam comitatem, pro beneficio ducentes. ſi a ſe acciperetur beneficium. Vide quid poſſit vera & genuina fides in Chriſtum.

Verſ. 5. *Et non ſicut ſperavimus.* Nempe parvam & pauperem apud pauperes habituros eſſe nos collectam, intellige, *ſic evenit.*

Sed ſeipſos dederunt primum. Id eſt, ante omnia & ante numos.

Domino. Id eſt, Chriſto, *& nobis.* Id eſt, mihi ejus Apoſtolo ac miniſtro, qui Chriſti negotium ago, Chriſti & meæ voluntati ac poteſtati ſemel permiſerunt, ut ſeſe Chriſti nomine uterer pro arbitrio. Quid igitur mirum eſt ſuas dediſſe facultates eos qui ſe ipſos primum dediſſent? Adjungit ſe Domino, tanquam eum qui Domini nomine & per quem Dominis cuncta agebat.

Per voluntatem Dei. Id eſt, Deo hoc volente obſecuti ſunt in hoc ipſius Dei voluntati.

Verſ. 6. *Ita ut rogaremus Titum.* Quaſi dicat, quæ tanta ipſorum promptitudo & beneficentia incitamento nobis fuit ut rogaremus Titum, de cujus erga vos amore paulo ante meminimus.

Ut ſicut cœpit ſic & perficiat in vos, εἰς ὑμᾶς, pro ἐν ὑμῖν, id eſt, inter vos, *in* pro inter, *gratiam hanc.* Id eſt, collectam hanc, per metonymiam cauſæ, intellige, ne forte, ſi nobis in hac gratia conficienda idoneus aliquis dux deeſſet, vinceremini in ea a fratribus Macedonicis, quod nolim.

Verſ. 7. *Sed*, intellige *cupio*, *ſicut in omni*, id eſt, omni ex parte cap. VII. 5, *abundatis fide.* In Chriſtum ſcilicet.

Et ſermone. Quo docemini myſteria divina, & omnia ad ſalutem pertinentia.

Et cognitione. Quod prioris eſt conſequens.

Et omni ſtudio. Nempe in præſtandis Chriſtianæ pietatis officiis.

Et quæ ex vobis (eſt) in nos, ἐξ ὑμῶν, pro εἰς ἡμᾶς, *charitate.* Id eſt, veſtra in nos charitate, ſic infra, qui ex vobis eſt zelus cap. IX. 2, id eſt, veſtra zelus.

Ut & in hac gratia. Id eſt, collecta, ut ſupra verſ. 6.

Abundetis. Convenit enim ut qui in illis omnibus abundant, etiam in hac gratia abundent.

Verſ. 8. *Non ſecundum imperium dico.* Id eſt, non pro imperio vel imperando dico, voluntarium hoc eſt ſacrificium, vide Apoſtolum non imperare quantum quiſque conferre debeat, ac ne quidem ut conferat, tantum abeſt ut præceperit omnia in commune conferre, & ex communione vivere, propriis facultatibus in aliorum diſpenſationem traditis. Et ſane, quis ejuſmodi collectis locus eſſet qualis hæc erat, ſi nemo privatim quidquam haberet?

Sed per aliorum ſtudium, nempe in hoc officio præſtando, *etiam veſtra charitatis genuinum.* Id eſt, etiam veſtram charitatem genuinam, nempe erga fratres pauperes.

Probans. Id eſt, probo, participum pro verbo: quaſi dicat, per aliorum genuinam charitatem tanquam per lapidem lydium, veſtram etiam genuinam charitatem probo & exploro, & probatam & exploratam reddere cupio, per metonymiam effecti pro cauſa.

Verſ. 9. *Noſtis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Quaſi dicat, non mirum eſt autem quod genuinam veſtram charitatem in hoc etiam erga pauperes ſanctorum Hieroſolymitanorum officio exploratam & ſpectatam cupio. *Noſtis enim gratiam.* Id eſt, charitatem & charitatis effectum,

Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui non unus ex nobis, ſed Dominus noſter eſt, quippe Chriſtus ille Dei, a Deo in Dominum & Regem noſtrum cæleſtem evectus. Ideo & charitatem ejus convenienter gratiam appellat. Charitas enim ſuperioris, & præſertim Domini erga ſervos & ſubjectos proprie gratia dicitur.

Quod propter vos pauper fuit. Explicat hanc gratiam, *propter vos*, nimirum quia & propter omnes in ipſum credentes, id eſt, veſtro maximo bono & commodo,

Pauper fuit, ἐπτώχευσε. Sicut tota vita ſua, ſic inprimis cum ſe poteſtati adverſariorum permitteret, cum vinciretur, raptaretur, ludibriis omnibus exagitaretur, conſpueretur, colaphis cæderetur, verberibus afficeretur, virgis laceraretur, veſtitu diſpoliaretur, in crucem ageretur, & ipſa vita privaretur, quis tum Chriſto pauperior eſſe potuit?

Cum dives eſſet, πλούσιος ὤν. Quaſi dicat, non fuit pauper neceſſitate, ſed fuit pauper voluntate: erat enim dives, quatenus erat Dei Filius unicus, quippe ex Spiritu Sancto & virtute Altiſſimi conceptus & genitus, & quatenus erat Chriſtus ille Dei, ad regnum cæleſte deſignatus, immenſa Spiritus Sancti vi præditus, cui in terris omnia parebant: ſed pauperem egit vitam,

Ut vos, quia & Chriſtiani omnes, *illius paupertate divites fieretis.* Niſi enim enim pauperem egiſſet vitam, quomodo non perpeſſionibus ac morti, unde nobis maximæ divitiæ, fuiſſet obnoxius? Exponit quo

pacto propter nos pauper fuerit, nempe quia hunc in finem pauper fuit, ut nos per illius paupertatem divites fieremus, vere nimirum divites, & veris, id eſt, ſpiritualibus & æternis divitiis abundantes. Per Chriſti namque paupertatem iſtam adepti ſumus peccatorum remiſſionem & vitam æternam, illiuſque ſpem certiſſimam, quæ maximæ ſunt divitiæ, & omnibus hujus mundi opibus infinitis partibus majores. Paupertatem enim hanc ſubiit, ut Novum Fœdus ſanciret, ut victima pro peccatis omnium fieret, & conſequenter ut omnis qui credit in ipſum oon pereat ſed habeat vitam æternam, ut in ſe ipſo patere ex morte quamlibet atrociſſima exitum ad vitam cæleſtem & immortalem oſtenderet, ut denique per omnia adverſa exercitus, miſericordem ſeſe Pontificem & Regem eſſe exhiberet, & multis aliis maximis bonis, ex hac paupertate & perpeſſionibus ac morte ejus manantibus, nos bearet. Hoc igitur exemplo Chriſti Domini noſtri docet Apoſtolus, Chriſtianos debere ex facultatibus ſuis aliquid decidere, ad ſublevandam aliotum inopiam, & inprimis ex gentibus collectos, ad ſublevandam inopiam fratrum ex Judæis collectorum: ſiquidem Chriſtus ex Judæorum gente ſecundum carnem ortus pauper fuit, ut etiam gentibus hac ſua paupertate maximarum divitiarum auctor eſſet.

Verſ. 10. *Et conſilium in hoc do.* Quaſi dicat, non impero, non præcipio, ſed conſilium in hoc do, dum ſcribo ut in hac gratia abundetis ℣ſ. 7. Vide hic iterum conſilium tantum eſſe, non præceptum in aliqua collecta abundare, tantum abeſt ut præceptum ſit omnia in commune conferre, ita ut nihil pro te tuiſque privatim retineas & reſerves.

Hoc enim vobis confert. Cauſam iſtius conſilii ſui addit, quia hoc ipſis conferat & utile ſit, nimirum ad ſamam & exiſtimationem apud alias eccleſias, & ad gratiam apud Deum, ut in hac ſua gratia abundent.

Qui non ſolum facere ſed & velle ab anno proxime elapſo. Quaſi dicat, jam pridem hoc negotium moliminì, non nunc primum id agitis, proinde conſultum eſt ut tam diuturnæ molitioni reſpondeat effectus. *Non ſolum facere ſed & velle*, intellige, *facere, cœpiſtis.* Poſſumus enim aliquid facere, ſed inviti, & veluti nolentes; at Corinthiis & voluntas animique promptitudo adfuit.

Verſ. 11. *Nunc vero & facere perficite.* Quaſi dicat, velle jam pridem in vobis fuit, nunc autem & facere, quod & jam pridem a vobis cœptum eſt, perficite.

Ut ſicut promptitudo animi ad volendum, intellige, *fuit*, vel *eſt*, *ſic & perficere*, intellige *ſit*, *ex eo quod habetis.* Id eſt, ut ſicut prompte voluiſtis collectam hanc facere, ſic eam & perficiatis ex facultatum veſtrarum modo, non ſupra vires & facultates veſtras.

Verſ. 12. *Si enim promptitudo animi prius adſit*, προκεῖται. Nempe tanquam fundamentum beneficentiæ, quod a vobis jactum eſt.

Secundum id quod habeat quis acceptus, non ſecundum id quod non habet. Cauſam adſert cur nolit eos ſupra facultates quidquam facere. Quia nimirum ſi promptitudo animi ſeu propenſa voluntas ad dandum adſit, verendum non eſt ne parcus & reſtrictus ſit aliquis in dando, & longe infra ſuas facultates. Jam vero nemo ultra ſuas facultates in alios liberalis eſſe debet, cum quiſque acceptus ſit, nempe Deo, ſi ſecundum id quod habeat largiatur, & liberalitatem exerceat, non ſecuodum id quod non habeat. Largietur enim de alieno, non de ſuo. Nam & id quo vel nos ipſi vel ooſtri, quorum nobis privatim incumbit cura indigemus, alienum eſt, nec a proximis charitati transferendum eſt ad remotiores. Nec Macedones ſupra facultates ſuas contulerant, ſed ſupra vires prompti fuerunt ℣ſ. 3. Miro artificio utitur Apoſtolus ad perſuadendam Corinthiis fratribus liberalem & abundantem collectam, dum eos pro viribus collaturos tanquam rem minime dubiam ponit, veretur autem ne ultra vires & facultates ſuas ad eam conferant.

Verſ. 13. *Non enim* (intellige *æquum ſit*,) *ut aliis relaxatio* (intellige *ſit*,) *vobis autem afflictio*, θλίψις, preſſura. Rationem reddit dicti, quia nimirum æquum non ſit, ut aliis paupertate alioqui preſſis & oneratis, relaxatio ſit per veſtram liberalitatem, vobis autem qui liberalitatem hanc exercetis, ſit per eam preſſura, id eſt, ut vos liberalitate veſtra in eandem illam paupertatem redigatis ex qua alios relevatis.

Sed ex æqualitate. Intellige res agi debet. Æqualitas hic unice ſpectanda eſt, ne aliis multum deſit, aliis multum ſuperſit.

In præſenti tempore veſtra abundantia in illorum defectu, intellige *ſit*. Ut ex ſequenti commate patet, id eſt, ad illorum defectum explendum. Explicat hanc æqualitatem: quaſi dicat, in præſenti tempore vos abundatis, illis deeſt. Veſtrum igitur eſt, nunc ex veſtra abundantia illorum defectum ſupplere.

Verſ. 14. *Ut & illorum abundantia ſit in veſtrum defectum.* Intellige ſi quando uſus ferat. Nam in temporum mutatione magna ſolet & rerum fieri commutatio.

Ut ſit æqualitas. Nempe inter vos & illos, & conſequenter ioter omnes Chriſtianos, non ut omnes facultatibus ſint pares, ſed ne aliis abundantibus ullus ſit qui rebus neceſſariis egeat.

Verſ. 15. *Sicut ſcriptum eſt.* Scripturæ teſtimonio rem confirmat.

Qui multum, non abundavit, & qui parum, non minus habuit. Scripturæ dictum eſt de iis qui Manna colligebant ante diem Sabbathi, quo illud colligere fas nos erat. Qui ergo multum ejus collegerant, non abundabant. Nam quod uſibus Sabbathi ſupereat corrumpebatur, cum novum ac recens ſingulis poſt Sabbathum diebus colligi poſſet. Et qui parum collegerant, minus tamen quam ut pro uſibus Sabbathi ſufficeret oon habebaot Exod. xvi. 18. Hujus rei myſticum nobis oſtendit Apoſtolus intellectum. Chriſti populum, qui ſpiritualis eſt Iſraël, carnalis illius Iſraëlis antitypus, in colligendis hujus viræ bonis ita comparatum eſſe debere, ut qui multum ex eis collegit, non abundet, ſed ea in beneficentiam exhauriat, & qui parum collegit, minus quam opus eſt non habeat, aliorum qui opulentiores ſint liberalitate ſublevatus.

Verſ. 16.

Verſ. 16. *Gratia autem Deo*, intellige, *ſit*, *qui dedit idem ſtudium*, nempe quod in me eſt, *pro vobis*, ut ſcilicet in hac collecta abundetis magno veſtro bono, *in corde*, id eſt, in animo, *Titi*. Redit ad Titum, de quo ℣ſ. 6 agere cœperat. Vide hinc, Deo omne bonum opus adſcribendum eſſe in animis hominum ſequacibus. Nam ut bene agat, nemini Deus vim facit.

Verſ. 17. *Quia petitionem quidem noſtram*. Eundi ſcilicet ad vos, de qua ℣ſ. 6, *Suſcepit*, id eſt, in animum admiſit.

Studioſior autem cum eſſet. Nempe quam ut petitione & exhortatione noſtra opus haberet:

Voluntarius exivit ad vos. Id eſt, ultro ad vos profectus eſt. Probat nimirum Apoſtolus quod dixit, Deum ipſum, non ſuas preces, ſtudium iſtud pro Corinthiis in animo Titi effeciſſe. Varias admovet machinas Apoſtolus, ut Corinthiorum fratrum animos expugnet.

Verſ. 18. *Miſimus autem cum ipſo fratrem*. Nempe in Chriſto, qui jam non ipſe ultro comitem ſe Tito addidit, ſed a nobis miſſus eſt.

Cujus laus in Euangelio per omnes eccleſias, intellige *eſt*. Quique propterea extra omnem ſuſpicionem eſt. Lucam deſignari putant, cujus magna laus eſſet per omnes Chriſtianorum eccleſias, qua de re ℣ſ. 19, 23.

In Euangelio. Id eſt, in hiſtoria ſeu deſcriptione Euangelii a Chriſto & Apoſtolis prædicati, per metonymiam ſubjecti pro adjuncto occupato. Nam ut intelligatur frater aliquis, *cujus laus eſſet per omnes eccleſias*, in ſola prædicatione Euangelii, ratio non permittit: (nam & Titus talis erat, & Timotheus & multi alii) hic autem Apoſtolus ſingulari deſcriptione fratrem deſignet, quæ aliis communis non ſit.

Verſ. 19. *Non ſolum autem*. Pergit in fratris iſtius deſcriptione, quod non ſolum laudem illam per omnes eccleſias habet;

Sed etiam (frater ſit) *ordinatus ab eccleſiis*. Nempe Macedonicis.

Socius peregrinationis noſtræ, συνέκδημος ἡμῶν. Quaſi dicat, quique etiam noſtræ peregrinationis eſt comes, & Euangelii cauſa mecum peregrinatur, qui patriam ac ſuos deſeruit, ut mihi in Euangelii prædicatione adminiſtret. Quæ deſcriptio virum ſanctum ac omni ſuſpicione vacuum oſtendit, & in Lucam alias quadraret, Pauli Sectatorem & comitem, niſi quod hæc eadem ratio exigere videretur ut Paulus non minus Lucam quam Titum nominaret, nec eum qui Tito par eſſet officii dignitate, communi fratris nomine nuncuparet, & cum alio fratre magis conjungeret quam Titum ℣ſ. 23, & Legatum privatim eccleſiarum faceret Macedonicarum ℣ſ. 23.

Cum gratia hac. Nempe ordinatus ab eccleſiis, ut proficiſcatur cum gratia hac, id eſt, cum hac collecta, Hieroſolyma videlicet.

Quæ procuratur a nobis. Id eſt, cui nos miniſterium noſtrum commodamus.

Ad ipſius Domini, id eſt, Chriſti, *gloriam*. Id eſt, ut ex hac collecta Chriſtus Dominus noſter maximam conſequatur gloriam, qui gentes ad ſe convertit, & iis hunc benefaciendi Judæis fratribus animum indidit.

Et promptitudinem animi veſtram. Id eſt, ad veſtræ promptitudinis animi declarationem & oſtenſionem, per metonymiam ſubjecti pro adjuncto occupato, ut ſcilicet pateat quanta ſit in vobis animi promptitudo ad juvandos fratres pauperes qui ex Judæorum gente ſunt.

Verſ. 20. *Devitantes hoc*. Oſtendit quam caute & circumſpecte agat in collectæ iſtius adminiſtratione, ideoque viros ſanctos & ab omni ſuſpicione intactos ad illius tractationem, quin & ab eccleſiis ordinatos, ad illius cuſtodiam & deportationem adhibeat.

Ne quis nos vituperet in abundantia hac. Id eſt, in collecta hac abundante, per metonymiam adjuncti pro ſubjecto.

Quæ procuratur a nobis. Ut ſupra ℣ſ. 19. Oſtendit quid vitet & caveat, id nimirum, ne quis nos vituperet, quaſi in hac abundantia infideliter agamus, & partem aliquam ex ea uſus in noſtros privatim ſublegamus.

Verſ. 21. *Providentes honeſta*. Dixit quid caveat & vitet: dicit nunc quid provideat & ſpectet ac procuret. *Honeſta*, nimirum, *non tantum coram Domino*, ut ſcilicet Dominus nos bene agere videat,

Sed etiam coram hominibus. Ut & homines idem nos agere videant & agnoſcant, nec turpis & inhoneſti quicquam nos facere ſuſpicentur & criminentur, licet injuria.

Verſ. 22. *Miſimus autem cum ipſis*. Nempe cum Tito & fratre illo altero,

Fratrem noſtrum. Nempe germanum, qui mei ſit loco, & veluti alter ego. Neque enim ſi alium aliquem in Chriſto fratrem deſignaret, diſtingui poſſet hac appellatione ab aliis. Vide cap. XII. 18.

Quem probavimus in multis ſæpe ſtudioſum eſſe. Id eſt, gnavum, & res ſibi commiſſas diligenter curantem: quaſi dicat, non eum adjunximus quod frater noſter ſit tantum, ſed quod ſit expertæ virtutis & induſtriæ.

Nunc autem multo ſtudioſiorem fiducia multa, erga vos. Quam ut apparet collegerat & conceperat cum Tito prius verſans apud Corinthios cap. XII. 18: quaſi dicat, qui multum vobis & probitati veſtræ confidere didicit. Ideoque multo alacrior & ſtudioſior eſt factus. Veſtra virtus experta fecit illum multo alacriorem, & maximos illi ſtimulos addidit.

Verſ. 23. *Sive de Tito &c*. Rem de fratribus iſtis in ſummam colligit: quaſi dicat, ſive igitur de Tito agatur, per ellipſin.

Socius meus (intellige *eſt*,) *& erga vos adminiſter*. Id eſt, qui meum ſocium egit & adminiſtrum in ſalutis veſtræ negotio.

Sive fratres noſtri. Nempe eum Tito profecti, intellige ſimili ut prius ellipſi.

Apoſtoli eccleſiarum, intellige *ſunt*. Legati ſunt eccleſiarum, Macedonicarum videlicet ℣ſ. 1.

Gloria Chriſti. Id eſt, viri inſignes, ex quibus Chriſtus ſingularem habet gloriam, ſive dotes eorum ac cœleſtia dona ſpectes, ſive mores & facta ac opera eximia. Nulla igitur tam de Titi quam de eorum fide dari poteſt dubitatio. Hic fratrem illum cum alio fratre conjugit, & a Tito tanquam magis ſingulari viro ſejungit, quod, ut ſupra diximus, in Lucam

(Q 3)

eam quadrare non videtur, qui non minus quam Titus Euangelista erat.

Vers. 24. *Igitur.* Ex dictis adhortationem infert.

Demonstrationem charitatis vestræ. Id est, ea omnia quibus charitatem vestram demonstretis, per metonymiam effecti pro causa.

Et nostræ gloriationis de vobis. Nempe demonstrationem [illegible], id est, veritatem, per eandem metonymiam. Veritate enim gloriatio demonstratur. Gloriamur autem de vestra erga omnes sanctos charitate, hospitalitate, facilitate, & ad omne bonum opus summa promptitudine.

Erga ipsos demonstrata & erga personam ecclesiarum. Quasi dicat, non tantum erga ipsos, sed quod amplius est, erga personam ecclesiarum, quam isti viri tanquam ecclesiarum legati sustinent. Quicquid viris istis officii & obsequii præstiteritis, non tantum ipsis, sed etiam in illorum persona ecclesiis præstabitis. Intelligit autem ecclesias Macedoniæ, ut dictum est ℣. 23. Vide hîc multarum personarum, id est, ecclesiarum, unam personam dici, figurata locutione, qua ecclesia sub una persona inducitur.

CAPUT IX.

Vers. 1. NAm de ministerio quidem quod est erga *sanctos, superfluum mihi est scribere vobis.* Quasi dicat, nam de ministerio quidem ipso erga sanctos, id est, de collecta in sanctorum Hierosolymitanorum pauperes, ut vobis scribam, id est, ut eam vobis commendem & ad eam vos excitem, mihi superfluum est. Mihi sufficit viros istos, qui ministerii hujus peragendi causa ad vos profecti sunt, vobis commendasse.

Vers. 2. *Scio enim promptitudinem animi vestram.* Rationem reddit: quasi dicat, ut minime sit opus me vos ad eam excitare.

Quam, id est, ob quam, seu cujus nomine, *de vobis glorior Macedonibus.* Id est, coram Macedonibus: quasi dicat, tantum abest ut eam nesciam.

Quod Achaja parata est ab anno proxime præterito. Exprimit hanc gloriationem de Corinthiis & aliis Achaicis ecclesiis. Nam & ad alias Achajæ ecclesias pro cujusque respectu dirigitur hæc epistola cap. I. I. Paratam autem dicit Achajam, non tantum quod animo parata sit ad conferendum, sed etiam quod quisque in promptu & in parato jam habeat quod conferat 1 Cor. XVI. 1, 2.

Et qui ex vobis zelus. Id est, vester zelus, simili qua supra phrasi cap. VIII. 7, vester ardor animi in tam sancto opere,

Provocavit complures. Ne scilicet inferiores essent, ac paterentur se vinci. Vide quid sancta possint exempla!

Vers. 3. *Misi autem fratres.* Nempe ante dictos, ut articulus in Græco indicat, ne quis dicat, cur ergo fratres istos misisti?

Ne, inquit, *gloriatio nostra de vobis vana sit in parte hac.* Vos scilicet esse paratos, proinde id agant.

Ut sicut dixi. Nempe Macedonibus ℣. 4, *parati sitis.*

Vers. 4. *Ne forte si veniant mecum Macedones*, ad vos videlicet, *& inveniant vos imparatos.* Nempe ad hanc collectam.

Pudefiamus nos. Id est, ego Paulus ℣. 2.

Ne dicamus vos. Inserit hoc, ut innuat pudori hoc verius Corinthiis ipsis fore quam sibi. Paulus enim deceptus tantum foret a Corinthiis, at Corinthii Paulum decepissent, Paulus mendacium dixisset, at Corinthii mentiti fuissent, in quo plus pudoris est quam in illo.

In substantia hac gloriationis. Id est, in substante hac gloriatione, per duo substantiva: intelligit gloriationem firmam, præfidentem, & omnem excludentem dubitationem. Hinc auctor ad Hebr. XI. 1 fidem definit *substantiam rerum quæ sperantur*, quod sit pro ipsa rerum quæ sperantur substantia, quatenus nos sic de iis reddit certos atque si jam sua nobis adessent substantia, *& elenchum rerum quæ non videntur*, quod nobis sit pro elencho seu argumento, id est, tam certos nos de iis reddat, quam elenchus seu argumentum de iis quæ arguuntur & ex argumento concluduntur.

Vers. 5. *Necessarium igitur duxi.* Nempe ob causam allatam.

Rogare fratres. Eosdem nimirum illos quos dixi ℣. 3.

Ut præveniant ad vos & prius absolvant. Quam scilicet nos veniamus, prænunciatam nimirum a nobis Macedonibus.

Benedictionem vestram. Id est, largitatem & abundantiam vestram, ut supra dixit cap. VIII. 20, per metonymiam causæ. Benedictio enim solet esse largitatis & abundantiæ causa. Intelligit autem largam & abundantem collectam: sic mox versu sequente benedictionem pro largitate & abundantia usurpat.

Ut hæc parata sit. Exponit quo pacto eam antequam ipse veniat absolvere debeant, nempe ita ut parata sit, collatis nimirum jam in unum ab unoquoque symbolis.

Sic tanquam benedictio & non tanquam avaritia. Hoc simul cavet Apostolus ut sic parata sit tanquam benedictio, id est, tanquam largitas & abundantia, & non tanquam avaritia. πλεονεξία, id est, tanquam avaritiæ eorum qui exigunt effectus & extorsio, tanquam collecta, qui liberali & munifico fiat animo, sine ulla cujusquam noxa & detrimento.

Vers. 6. *Hoc autem*, intellige *addo.* Quasi dicat, ne quis ex altera parte nimium sit parcus & restrictus, audiens in ejusmodi benedictionibus & liberalibus factis omnem avaritiam & extorsionem abesse debere.

Qui seminat parce, parce etiam metet, qui seminat in benedictionibus. Id est, cum benedictioribus, largiter nimirum & abundanter:

In benedictionibus metet. Eadem phrasi & eodem sensu. Exemplo seminantium docet, unumquemque in benefaciendo largum ac liberalem esse debere. Nam & beneficentia satio est, quam Dei curâ & providentiâ messis, id est, remuneratio correspondens consequitur. Et eleemosynæ semen sunt quod cælo concreditur, multo certius in messem exuberaturum quam semina terræ commissa.

vers. 7.

Verſ. 7. *Unuſquiſque ſicut propoſuit corde*, id eſt, animo, intellige *conferat*. Vides hic iterum non præcipi ut in commune conſeramus omnes noſtras facultates. Fecerunt hoc olim primi Chriſtianorum Hieroſolymis, quanquam non omnes puto, ſed voluntaria pietate & incredibili quodam animi ardore, citra Chriſti & Apoſtolorum præceptum, cui facto nec ſemper nec ubique locus eſt.

Non ex triſtitia. Id eſt, ex animo triſti ob id quod aliquid conferat.

Aut ex neceſſitate. Ut ſolent qui tributa conſerunt: quaſi dicat, neceſſitas carnalis abſit in ſanctis collectis & eleemoſynis, quæ voluntarium debent eſſe ſacrificium.

Hilarem enim datorem diligit Deus. Cauſam adfert dicti: quaſi dicat, eleemoſynæ fiunt ut nos Deus diligat; at ſi propter eas diligi volumus a Deo, neceſſe eſt ut eas hilari demus animo, proinde non ex triſtitia, nec ex neceſſitate. Nam quæ ex neceſſitate fiunt, cum lætitia non fiunt.

Verſ. 8. *Potens autem (eſt) Deus.* Nequis dicat, unde autem nobis tantum ſuppeditabit, ut poſſimus liberalitati in omnes ſufficere?

Potens eſt Deus, inquit, *ut omnem gratiam*. Id eſt, omnem gratiæ ſuæ fructum & effectum, per metonymiam cauſæ,

Abundare faciet in vos. Περισσεῦσαι active poſuit, ſic & 1 Theſſ. III. 12.

Ut in omni, nempe quo indigeatis,

Semper omnem ſufficientiam, αὐτάρκειαν, *habentes*. Id eſt, nullis unquam rebus ad vitæ ſuſtentationem neceſſariis defecti,

Abundetis in omne opus bonum. Quaſi dicat, ut non tantum habeatis quod vobis ipſis omni ex parte ſemper ſufficiat, ſed etiam abundetis in omnem erga alios beneficentiam.

Verſ. 9. *Sicut ſcriptum eſt.* Scripturæ teſtimonium adducit ad dicti ſui confirmationem.

Diſperſit, dedit pauperibus. Nempe vir juſtus & Dei timens. Hæc ſcripturæ ſunt verba, quibus notatur liberalis & munifica facultatum in pauperes & egenos diſtributio. *Diſperſit*, nempe opes ſuas tanquam ſemen. *Dedit pauperibus*, explicat hanc diſperſionem, pauperes ſunt ager in quem ſemen iſtud ſpargitur & conjicitur.

Juſtitia ejus. Loquitur enim de viro juſto, qui maxime juſtus dicitur ob beneficentiam, *manet in ſeculum*. Quaſi dicat, nihilominus juſtitia ejus, id eſt beneficentia, manet ſeculum, ſemper habet unde benefaciat. Nimirum quia ex hoc ſemine & agro ſemper nova meſſis divina benedictione ſuccreſcit. Magna & potiſſima pars juſtitiæ eſt beneficentia. Nihil enim eſt juſtius quam ut ex iis quæ nobis & noſtris neceſſitatibus ſuperſunt, aliorum defectum & egeſtatem ſuppleamus, nec quidquam ex adverſo injuſtius quam alterius neceſſitati denegare quod ſupereſt tuæ, neque enim jam tuum eſt illud quo alter indigeat, cum tu eo non indiges. Egenus ſuo jure id ſibi vindicat, ut non tam peccet qui ex neceſſitate furetur, quam qui neceſſitati alterius non ſubveniat cum poſſit. Illum enim neceſſitas agit ut furetur ſuum, hunc avaritia & malitia ut retineat alienum, ſitque cauſa furti.

Verſ. 10. *Qui autem ſuppeditat ſemen ſeminanti.* Jam votum ſubjicit Apoſtolus, ut eos tanto magis ad beneficentiam exſtimulet: quaſi dicat, vos ergo juſtitiam exercete, is autem qui ſuppeditat &c. Deſcribit Deum ex re huic materiæ accommodata, & in exemplum jam adductâ ℣ſ. 6, 9: quaſi dicat, Deus qui ita dives eſt, ut ſemen ſeminanti ſuppeditet,

Et panem in cibum. Ut habeat etiam longe ultra ſemen quo vivat, & ſe ſuoſque ſuſtentet, non tantum quod ſeminet.

Suppeditet & multiplicet ſemen veſtrum. Quaſi dicat, id ipſum & vobis ſeminantibus, id eſt, juſtitiam & liberalitatem exercentibus faciat, *ſuppeditet*, nempe vobis, *ſemen*, id eſt, id quod in alios liberaliter erogetis.

Et multiplicet ſemen veſtrum. Id eſt, id quod in alios liberaliter erogatis, ſicut multiplicat ſemen ejus qui ſeminat, ut ex uno modio plures accipiat; ſic faciat Deus ut unum quod datis fiat vobis centuplum.

Et augeat fructus (γεννήματα) *juſtitiæ veſtræ.* Nempe iſtius de qua agit, id eſt, faciat ut hæc juſtitia veſtra, (reſpicit enim ad allegata ſcripturæ verba ℣ſ. 9) quæ ſemen & ſatio eſt, fructus vobis progeneret uberrimos.

Verſ. 11. *In omni ditati*, πλουτιζόμενοι. Participium præſentis temporis, id eſt, ut ſitis, *in omni*, nempe bono *ditati*. Exprimit quantam illis auctionem fructuum iſtius juſtitiæ precetur & voveat, divitias nimirum omnis generis. Vide divitias per ſe malas non eſſe, cur enim eas Apoſtolus precaretur Corinthiis? Vides eas Dei donum eſſe, & juſtitiæ ac beneficentiæ fructum, & earum uſum & finem eſſe bonum, ut ſtatim additur.

In omnem. Proinde & erga omnes, non tantum erga pauperes fratres Hieroſolymitanos.

Simplicitatem. Id eſt, liberalitatem ac beneficentiam cap. VIII. 2. Hic verus divitiarum uſus & finis eſt, qui ſi abſit, divitiæ in perniciem vertunt. Nempe quicquid divitiis ineſt mali, non divitiarum eſt vitium ſed hominum, & niſi divites eſſent, quis juvaret pauperes? Hinc ſapiens: *Deus fecit pauperem & divitem*, ut nimirum eſſet qui beneficio indigeret, & qui benefaceret. Et Chriſtus ipſe beatius eſſe dixit dare quam accipere Act. xx. 35. Datio enim præmium a Deo habet, acceptio non habet.

Quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Docet quis ſit effectus iſtius de qua agitur illorum erga pauperes eccleſiæ Hieroſolymitanæ juſtitiæ. Nam ad eam hic in ſpecie reſpici, & illi Apoſtolum inhærere, hæc ipſa & ſequentia verba docent.

Operatur, inquit, *per nos*. Agit ergo de juſtitia illa ſingulari erga pauperes Chriſtianos Hieroſolymis & in Judæa. Nam hæc erat quæ per Apoſtolum adminiſtrabatur & procurabatur.

Gratiarum actionem Deo. Docet juſtitiam iſtam in Deum ipſum redundare, ut cauſam inſinuet ob quam votum ſuum non ſit futurum inane: quia nimirum juſtitia iſta operetur gratiarum actionem Deo, & ſic Deus ipſe fructum ex ea conſequatur, quem viciſſim benedictionis ſuæ divinæ fructu uberrime repenſet. Habet hoc beneficentia, ut beneficiis affecti, & in neceſſitatibus ſuis ſublevati, pro ſuis benefactori-

nefactoribus & illorum animo benefico gratias agant Deo. Quod stimulum nobis addere debet ad omnem beneficentiam, cum ex ea non tantum in homines fructus redundet, sed etiam in ipsum Deum.

Verſ. 12. *Quia ministerium liturgiæ hujus.* Demonstrat quod dixit, id est, quia ministerium hoc nostrum, quo pro pauperibus Christianis in Judæa, colligimus in Gentium ecclesiis publice subsidium; est enim liturgia publica functio:

Non tantum est adimplens defectus sanctorum. Quasi dicat, quod ipsum per se magnum & eximium est sanctorum necessitatibus subvenire, & eorum inopiam supplere, & magnam remunerationem a Deo allaturum, quæ hæc sibi vult imputari, quæ in sanctos suos erogantur.

Sed etiam abundans (est) per multas gratiarum actiones Deo. Id est, abundat multis gratiarum actionibus quæ fiunt Deo.

Verſ. 13. *Per probationem ministerii hujus.* Explicat rem, id est, per probatum & laudabile ministerium hoc, seu illius interventu. Duo ponit substantiva pro substantivo & adjectivo, Hebræa phrasi.

Glorificantes. Nempe sancti in Judæa, per enallagen casus, pro *glorificantium*: cohæret enim cum voce *sanctorum* ℣. 12, sed Apostolus non tam attendit ad constructionem vocum, quam ad cohærentiam rerum. Exponit istas gratiarum actiones Deo, quod scilicet glorificent Deum, id est, laudibus & gratiarum actionibus ferant Judæi fratres.

Super, id est, *pro subjectione confessionis vestræ.* Id est, ex causa subjectionis vestræ, quæ vestra confessio est, per genitivum differentiæ. Confessionem autem intelligit veritatis & fidei Christianæ, seu, ut addit:

Erga Euangelium Christi. Exprimit enim erga quid seu cui facta sit ista subjectio, quæ subjectio erga Christi Euangelium in eo posita est ut Christi Euangelio credamus, & fidem hanc confiteamur. Glorificabant ergo fratres illi Deum, quod gentes Euangelio Christi crederent, & hanc fidem suam palam & publice confiterentur, Dei enim erat hoc opus, quanquam tale, ut neque credentium tolleretur virtus ac præmium, neque non credentium propria culpa, & merita pœna.

Et, intellige ἀπὸ κοινοῦ *super*, id est, pro *simplicitate communicationis.* Nempe glorificantes Deum, id est, ex causa simplicitatis quæ est communicatio, nempe bonorum & facultatum.

Erga ipsos & erga omnes. Eadem phrasi qua supra dixit, super subjectione confessionis erga Euangelium Christi. Neque enim solis sanctis in Judæa communicabant, sed & omnibus aliis qui eorum indigebant beneficentia: qui subjectionis eorum erga Christi Euangelium effectus erat, & dignus ob quem Deus non minus quam ob priorem gloria & laudibus afficeretur a sanctis in Judæa.

Verſ. 14. *Et ipsorum oratione pro vobis*, intellige, ἀπὸ κοινοῦ *glorificantes Deum.* Dum enim orabant Deum pro fratribus ex Gentibus conversis, ut illis hunc tantum amorem ac beneficentiam omnibus modis remuneraretur, eo ipso Deum glorificabant. Glorificatur enim Deus nostris precibus & orationibus, quas & ideo exaudit. Nam qui Deum invocant, eo ipso rerum omnium potestatem, & infinitam sapientiam ac bonitatem Deo tribuunt.

Desiderantium vos. Describit fratres illos, ut causam indicet orationis illorum pro fratribus ex Gentibus conversis: quasi dicat, quippe qui vos desiderent, id est valde ament. Desideramus enim & cupimus eos quos amamus.

Propter excellentem gratiam Dei super vobis. Id est, erga vos. Causam addit istius ipsorum desiderii: quasi dicat, vident quod Deus vos gentes excellenti gratia complexus sit, & omnia vobis donaverit quæ sibi donata sint. Hinc illorum quoque erga vos amor & vestri maxima cupido, præsertim cum & vos Deum imitati gratiam quam vobis exhibuit eminentissimam, vestro in populum ejus peculiarem amore rependerе conemini.

Verſ. 15. *Gratia autem Deo super inenarrabili ejus dono.* Non potest se continere Apostolus, quin excellentis gratiæ Dei erga Gentes mentione facta, Deo pro illa gratias agat, & sic fratrum in Judæa animum, Deo pro Gentium conversione gratias agentium, exhibeat & repræsentet.

Gratia autem Deo, intellige, *sit.* Id est, *pro inenarrabili ejus dono*, quo scilicet vos Gentes affecit, dum vos ad se & ad Christum suum convertit, & omni inter vos & populum suum discrimine sublato, regni sui hæredes effecit, & arrham istius hæreditatis Spiritum suum Sanctum vobis largitus est, quod Dei donum tantum est, ut nullius lingua sufficienter enarrari queat.

CAPUT X.

Verſ. 1. *Ipse autem ego Paulus rogo vos.* Quasi dicat, & illi quidem fratres in Judæa pro vobis Deum rogant; ipse autem ego Paulus rogo vos, non per alium aliquem rogatos volo, sed ipse ego, non alius aliquis, sed ego Paulus, ego inquam Paulus, Christi Apostolus.

Per mansuetudinem & æquitatem Christi. Quasi dicat, si vobis chara est mansuetudo & æquitas Christi, qua in vobis per suos ministros & Apostolos regendis utitur, & si eandem inposterum & semper experiri vultis, date petitioni meæ locum. Mansuetudo Christi quatenus ad iram tardus est, æquitas quatenus de suo jure in vobis puniendis multum remittit.

Qui secundum faciem quidem humilis in vobis. Describit seipsum, id est, qui quidem cum præsens adsum, ut mox ℣. 2 loquitur, *humilis in vobis*, id est, inter vos, intellige *sum*, humilem me gero, quasi nihil possem, & omnium essem minimus, nimirum quia & vos tum humiles vos geritis.

Absens autem confido in vos. Id est, fidenti sum animo in vos, ostendo me multa in vos posse, nimirum quia & vobis me absente plus animi est.

Verſ. 2. *Rogo autem ne præsens confidam ea fiducia qua cogito audere super quosdam.* Explicat quid roget, nempe ne præsens & secundum faciem, seu cum venerit, confidat ea fiducia qua cogitet audere super

super quosdam, id est, ne cogatur esse severus, & pœnas irrogare, per metonymiam causæ pro effecto. Vide infra ℣. 6. Docemur hic non semper locum esse mansuetudini & benignitati, cum res severitatem & pœnam exposcit, ideo & 1 Cor. IV. 21 mansuetudini virgam opposuit. Nimirum cuique virtuti suus locus, suum tempus est.

Qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulantes. Designat istos quos punire cogitet, id est, quibus videmur secundum carnem ambulare, homines esse carnales seu carni deditos, ex ea causa quod circumcisionem & Legem Mosaicam non prædicemus; cum interea prædicemus fidem in Christum, vitæ & ambulationis secundum spiritum fontem unicum. Particula *tanquam* hic veritatem significat, non similitudinem. Sic cap. XI. 16, 17.

Vers. 3. *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus.* Rationem adfert ob quam illos punire velit. Nam, inquit, in carne ambulantes, (quippe carne præditi) non secundum carnem militamus, nempe pro Christo & Euangelio quod prædicamus. Unde colligere debebant nos etiam haudquaquam secundum carnem ambulare. Notetur hic omnem secundum carnem militiam pro Christo & ejus Euangelio haudquaquam esse adhibendam, ut omni ex parte manifestum fiat Euangelium Christi rem spiritualem esse.

Vers. 4. *Arma enim militiæ nostræ non carnalia,* intellige *sunt.* Probat se non secundum carnem militare. Quia nimirum arma militiæ nostræ, qua scilicet homines Christo subjicimus, non sunt carnalia, non sunt ensis & similia.

Sed potentia Deo. Id est, quorum vis & potentia Deus & spiritus ejus est. Intelligit divinissima facta in sermone & opere, quæ certe Paulo non adessent, si in Euangelii prædicatione secundum carnem ambularet, seu Euangelium prædicaret ex hominibus non ex Deo: secundum carnem illi militandum esset. Nam arma potentia Deo non haberet. Potest & Hebraismus hic esse, ut *arma potentia Deo,* dicantur pro armis potentissimis. Sic *venustus Deo,* id est venustissimus Act. VII. 2. Sic *Ninive* dicitur fuisse *magna Deo,* id est maxima Ionæ III. I.

Ad destructionem munitionum. Nempe spiritualium, quæ nullis armis & machinis corporalibus destrui possunt, sed solis armis Deo potentibus. Alludit Apostolus ad munitiones corporales.

Vers. 5. *Ratiocinationes destruentes.* Explicat quid per munitiones illas intelligit, nempe ratiocinationes adversus Christum & ejus Euangelium, quas arma non tollunt corporalia, sed ubi divina potentia conspicitur, protinus humanas ratiocinationes destrui necesse est. Intelliguntur enim ratiocinationes adversus cognitionem Dei, ut & res ipsa docet, & mox addit Apostolus. Nam alioquin etiam Apostoli ratiocinationibus utebantur, sed solidis, non ut homines illis adversantes vanis.

Et omnem altitudinem extollentem sese adversus cognitionem Dei. Solent munitiones in altis locis extrui, aut etiam turres in illis & muri in altum educi. *Omnem,* inquit, *altitudinem quæ sese extollit adversus cognitionem Dei,* id est adversus Euangelium quod à nobis prædicatur. Euangelio enim Dei cognitio traditur. Intelligit Apostolus omnem auctoritatem & antiquitatem Euangelio & cognitioni Dei adversantem.

Et captivum abducentes omnem intellectum in obedientiam Christi. Solent in bello non tantum munitiones destrui, sed etiam homines captivi adduci in obedientiam Imperatoris. Et nos, inquit, captivum abducimus, non corpus omne, sed intellectum omnem in obedientiam Christi, dum scilicet intellectum Christo contrarium armis Deo potentibus subigimus, & vanum esse ostendentes Christianæ veritati cogimus obedire. Solent hoc abuti loco qui cum dogmata manifestæ contradictionis credere jubent, captivandam esse rationem dicunt. Captivent igitur si possunt, & arma Deo potentia expediant, id est contradictionem tollant, & hæc dogmata divina esse evincant. Faciant quod fecit Paulus, qui non ipse suum intellectum captivum ducebat, sed alienum armis Deo potentibus. Intellectus intellectu captivus ducendus est, id est, intellectus deceptus & vanus, intellectu vero & solido.

Vers. 6. *Et in parato habentes,* nempe per Dei spiritum, *vindicare,* id est punire *omnem inobedientiam.* Nempe Christianorum hominum. Nam eos qui extra sunt Deus judicat & punit. Hoc igitur modo & illi si possunt intellectum captivum ducant, Spiritus Sancti virtute contradicentes puniant, non magistratum adversus eos instigent, quod dum faciunt, manifeste ostendunt se veritate divina destitutos esse, & secundum carnem militare. Videmus ex hoc loco vindictam dari sanctam, nimirum si merita sit, & fiat ab iis qui jus & vires illius exercendæ a Deo habent boni publici causa. Magistratui sane nullum est jus pœnæ in eos qui Christianæ veritati sese nolunt subjicere, cum hæc subjectio voluntaria prorsus esse debeat. Quod tamen non ita late accipimus, ut etiam facinorosos & athëos excipi velimus, cum homines facinorosi & athëi haud esse possint, quamvis Christiani non sint. Minimè autem in hæreticos pœna civilis extendi debet, cum hæretici aliqua ex parte sint Christiani, vel aliqua tantum ex parte non sint Christiani. Christiana pietas omni civili conversatione multo sanctior est ac perfectior, ideo civilis & carnalis potestas nullum jus habet ad eam cogendam: quod si sibi sumat, multo sæpius sub pietatis & veritatis Christianæ nomine veritas & pietas Christiana patietur. Qua de re vide Rom. XIII.

Cum impleta fuerit vestra obedientia. Quasi dicat, nam nunc quidem punire aliquem nolim quoad vestra obedientia non impleatur, ne quis mihi objiciat: quare ergo etiam non punis tuos Corinthios? Ego vero nollem vos punire; sed ubi vestra obedientia impleta fuerit, ubi vobis ad obedientiam nihil deerit, tum videbitis quam mihi in promptu sit omnem inobedientiam plectere. Vos me adhuc retinetis ne alios puniam. Perficite igitur quamprimum obedientiam vestram, ut mihi solvatis manus in alios. Ita & Corinthiorum obedientiam agnoscit, & defectum in ea notat, & suam erga illos singularem charitatem testatur, & nisi obedientiæ complementum maturent, vim & potestatem punendi iis ostendit, quam ne in eos exerceat, tam sancte eos supra obsecratus & obtestatus est.

Verſ. 7. *Quæ ſecundum faciem (ſunt) videtis?* Id eſt, quæ ad faciem meam & externum corporis ſeu carnis meæ habitum ſpectant, *videtis*, id eſt, obſervatis, notatis, animadvertitis: quaſi dicat, & me ſecundum carnem non ambulare non ſimul videtis? Non videtis me ſecundum carnem non militare? Non videtis arma mea non eſſe carnalia, ſed Deo potentia, & me divinorum operum quæ dixi patratorem eſſe? Atque hæc non minus ſunt in propatulo, quam quæ ſecundum faciem ſunt.

Si quis confidit ſibi (ſe) Chriſti eſſe, hoc cogitet rurſus a ſe, quod ſicut ipſe Chriſti, ſic & nos Chriſti. Quaſi dicat, neque enim plura de ſe argumenta iſtius rei habere poterit quam de me.

Verſ. 8. *Si etenim & abundantius quid glorier.* Confirmat ſe Chriſti eſſe per prolepſin, ne quis dicat me inaniter gloriari. Si etenim & abundantius quid glorier, intellige quam gloriatus ſum,

De poteſtate noſtra quam dedit Dominus nobis. Id eſt, quam ego non ex me habeo, ſed ex Domini dono, ἧς ἔδωκεν, pro ἣν ἔδωκεν, propter antecedentes genitivos. τῆς ἐξουσίας ἡμῶν.

In ædificationem & non in deſtructionem veſtri. Ne quis vereatur ne ea abutar, ædificare vos eâ debeo, ut majora ſumatis incrementa in fide, charitate, ſanctitate, non deſtruere, non perdere & vobis æternam adimere ſalutem. Abſit ut hunc in finem poteſtas iſta mihi ſit data, & ego illa ſic abutar, me ipſum citius hac ratione perditurus, quam ullum alium.

Non pudefiam. Non convincar in hac gloriatione ullius vanitatis, unde me pudefieri oporteat.

Verſ. 9. *Ut non exiſtimer quaſi exterrere vos per epiſtolas.* Hæc pertinent ad ſequentia, nempe ad ✝ſ. 11. Docere enim vult, quid cogitare debeat is qui Paulo objiciat, quod vanis terroribus epiſtolas ſuas repleat.

Quaſi exterrere vos. Id eſt, non vere exterrere, ſed quaſi exterrere, cum in re ipſa nullus ſit metus, ſed tantum terroris quædam larva & oſtentatio, ac inanes pœnarum in epiſtolis denunciationes.

Verſ. 10. *(Quoniam quidem epiſtolæ inquiunt graves ſunt.)* Cauſam infert cur velit occurrere huic exiſtimationi. Nam hæc & ſequentia verba in parentheſi legi debent uſque ad verſum ſequentem, id eſt, undecimum. *Quoniam inquiunt*, nempe adverſarii mei, *epiſtolæ quidem graves ſunt & validæ.* Propter comminationes nimirum, & quia ſpeciem quaſi ab homine divina virtute & poteſtate puniendi prædito profectæ, habent.

Præſentia autem corporis infirma. Id eſt, cum autem præſens adeſt corpore, nullum in eo apparet divinum robur, obnoxius eſt injuriis & contumeliis.

Et ſermo contemptus, ἐξουθενημένος. Propterea quod non ſit ornatus, comptus, elegans, ex Rhetorum præceptis elaboratus, ſed ſimplex & vulgaris. Qua de re vide 1 Cor. 1. 17. cap. 2. 1, 4, 13, & infra XI. 6.

Verſ. 11. *Hoc cogitet talis.* Nempe ut non exiſtimer quaſi exterrere vos &c, ✝ſ. 9. *Talis*, nempe quales iſti ſunt qui talia dicunt, ſeu quiſque ex talibus.

Quod quales ſumus in ſermone per epiſtolas abſentes. Id eſt graves & validi, ut ipſi dicunt ✝ſ. 10.

Tales & præſentes, intellige erimus, *opere*, ſeu facto. Comminationes noſtras exequimur, & opere ac facto implebimus præſentes.

Verſ. 12. *Non enim audemus adjungere aut comparare nos ipſos quibuſdam, qui ſeipſos commendant.* Cauſam adfert, per ironiam, cur ſe ſibi ſimilem futurum dicat, ſeu talem opere qualis ſit ſermone. *Quia*, inquit, *non audemus nos ipſos adjungere aut comparare quibuſdam.* Qui vero ſint iſti ſtatim exponit:

Qui ſeipſos commendant. Suos notat adverſarios, quo ipſo vanitatem eorum redarguit. Nam qui laudari merentur, ipſi ſe laudare & commendare non ſolent. His, inquit, tantis viris, quia nos ipſos adjungere aut comparare non audemus, malumus intra noſmetipſos conſiſtere.

Sed ipſi in ſeipſis ſeipſos metientes & comparantes ſeipſos ſeipſis, non intelligunt. Notat iſtorum hominum inſcitiam: quaſi dicat, ſed non intelligunt quantum ſibi deſit, & quam parvi ſint, dum *ſeipſos in ſeipſis*, id eſt per ſeipſos, *metiuntur, & comparant ſeipſos ſibi ipſis.* Alios debebant reſpicere ſe multo majores ac præſtantiores, & tum demum quantum ſibi deeſſet intelligerent.

Verſ. 13. *Nos autem non in immenſa gloriabimur.* Quaſi dicat, quod iſti faciunt, qui in labores omnium involant ✝ſ. 15, 16.

In immenſa. De immenſis, ſic vſ. 16 *in parata*, id eſt de paratis gloriari.

Sed ſecundum menſuram regulæ. Continebimus nos intra menſuram & canonem, μέτρον τοῦ κανόνος, per genitivum ſpeciei, pro menſura qui eſt canon.

Quam menſus eſt nobis Deus menſuram. Exprimit ſecundum quam menſuram gloriari velit, nempe ſecundum eam quam ipſi Deus eſt menſus. Οὗ ἐμέρισεν μέτρου, pro ὃ ἐμέρισεν μέτρον, propter antecedentem genitivum κανόνος.

Ut pertingerem etiam uſque ad vos. Menſuram quam ipſi menſus ſit Deus exponit, quæ tanta erat, ut etiam ad Corinthios uſque pertingeret. Notat quanta ſpatia terrarum continuo tractu, initio ab Hieroſolymis ſumpto compleverit prædicatione Euangelii, qua de re vide Rom. XV. 19, 20.

Verſ. 14. *Non enim quaſi non pertingentes ad vos ſuperextendimus noſmetipſos.* Confirmat quod dixit, ne quis putet Paulum multis regionibus in medio relictis tranſiliiſſe ad Corinthios, quod cum menſuræ & canonis ratione non conveniret.

Uſque enim etiam ad vos pervenimus in Chriſti Euangelio. Id eſt eum Euangelio Chriſti. Per contrarii poſitionem probat contrarii negationem. *Pervenimus*, nempe non deſultorie, ſed continuo tractu.

Verſ. 15. *Non in immenſa gloriantes.* Repetit quod dixit ✝ſ. 13, ut illud explicet.

In alienis laboribus. Id eſt, de alienis laboribus. Sic infra vſ. 17 in Domino gloriari, eſt de Domino gloriari. Qui enim de alienis laboribus gloriantur, nempe de eccleſiis jam ab aliis collectis, de immenſis gloriantur, ſeu gloriationem ſuam extendunt in immenſa.

Spem autem habentes. Ne quis putet Apoſtolum ultra Corinthios & Achajam nolle tendere.

Creſcente fide veſtra. Id eſt, cum veſtra fides creſcet, & majora

& majora in dies fumet augmenta. *In vobis.* Id eſt, per vos, non per os noſtrum & jactantiam noſtram.

Magnificari. Id eſt, celebres fieri,

Secundum regulam noſtram. Id eſt, non recedendo uſquam à noſtra regula & canone.

In abundantiam. Id eſt, abundanter, magnificari ſcilicet.

Verſ. 16. *In ea qua ultra vos ſunt Euangelium prædicare.* Id eſt, in iis locis & regionibus quæ ultra vos ſunt Euangelium prædicando. Effectum notat prioris.

Non in aliena regula. Id eſt, in alieno tractu.

In parata. Id eſt, de paratis gloriari. Quod iſti ſolebant facere, eccleſias ab Apoſtolis collectas & conſtitutas invadebant, & ſi quid in illis feciſſent, vel potius deſtruxiſſent, de eo gloriabantur.

Verſ. 17. *Qui autem gloriatur, in Domino,* id eſt de Domino, *glorietur.* Docet qua de re quiſque gloriari debeat, nempe de Domino, de eo quod Dominum, id eſt, Chriſtum cognoſcat, de eo quod in eum credat, quod illius ſit, dummodo hæc gloriatio ſit vera, & rebus ipſis reſpondeat. Vide 1 Cor. 1. 31.

Verſ. 18. *Non enim qui ſeipſum commendat ille eſt probatus.* Rationem ſuperioris dicti reddit per prolepſin. Poterat enim aliquis dicere: nihil impedire quominus etiam aliquis ſeipſum commendare poſſit. Nihil hoc juvat, inquit Apoſtolus: *non enim qui ſeipſum commendat*, & multa dicit quæ ad ſuam laudem pertineant, *ille probatus eſt*, id eſt, talis qualis eſſe debet, & qualem ſeſe dicit & præfert. Sic aurum dicitur probatum, quod non tantum auri ſpeciem præfert, ſed & aurum, idque putum purum reipſa eſt.

Sed quem Dominus, id eſt Chriſtus, *commendat.* Intellige δόκιμος, probatus eſt. Dominus enim nec fallitur nec fallit. Demus ergo operam ut a Domino commendemur, quod fiet ſi nulla alia de re quam de Domino, idque vere gloriabimur. Sic Dominus commendabat Paulum, dum per eum tam longe lateque ſine ulla carnali potentia, imo contra omnem carnalem poteſtatem, Euangelium promovebat.

CAPUT XI.

Verſ. 1. Utinam *toleretis meam parum quid inſipientiam.* Cum vellet Apoſtolus etiam aliquid ad ſui commendationem dicere, non ob ſtudium inanis gloriæ, ſed ad Dei gloriam, & compulſus neceſſitate quadam (ne ſcilicet adverſarii, dum ſeipſos commendabant, eccleſiam ſeducerent) præfatur hoc voto. Agnoſcit in eo ſuam inſipientiam, quamvis per conceſſionem tantum, non vere ℣ſ. 16. cap. XII. 6, ſi ipſe aliquid ad ſuam gloriam dicat; ſed optat ut eum parum quid, id eſt aliquantulum tolerent: quaſi dicat, non nimium vos hac inſipientia mea urgerem. Significat gravem eſſe ſapientibus hanc inſipientiam & toleratu moleſtam, cum aliquem ſuas laudes prædicantem audiunt. Oblique perſtringit adverſarios, & ut eos ſtulte agere oſtendat, dum ſeipſos commendant, ipſe idem quamvis ex neceſſitate facturus, inſipientiam in hoc ſuam deprecatur.

Sed & tolerate me. Quaſi dicat, ſed quid voveam ut meam inſipientiam toleretis, toleratis alios ℣ſ. 4, 19, 20, etiam tolerate me.

Verſ. 2. *Ardeo enim vos Dei ardore,* ζηλῶ ὑμᾶς θεοῦ ζήλῳ. Rationem adfert cur ſe tolerare debeant, quia in vos ardenti feror amore & affectu, ut rivalem pati non poſſim. Proinde etiamſi ex tanto amore aliquid inſaniam, ut fieri ſolet, tolerandus a vobis ſum. Sed hic zelus eſt Dei zelus, id eſt, ex Deo profectus, non ex carne. Proinde & hæc inſania ſancta eſt inſania, non carnalis & ſtulta.

Aptavi enim vos, ἡρμοσάμην. Probat hunc zelum eſſe Dei zelum, quia vos aptavi, id eſt conjunxi, compoſui, per Euangelium videlicet & fidem quam Euangelio a me prædicato adhibuiſtis. Alludit ad compoſitionem Evæ ex carne & oſſibus Adami ut ei traderetur in uxorem ℣ſ. 3.

Ut vos uni viro virginem caſtam exhibeam Chriſto. Sicut & Eva uni viro Adamo virgo caſta fuit exhibita: quaſi dicat, proinde nollem virginitatem veſtram violari. Quod fieret ſi Chriſto non contenti admitteretis Legem Moſaicam & circumciſionem, quam iſti laudum ſuarum buccinatores annunciant. Notetur hic locus, eccleſiam eſſe debere virginem caſtam, quæ uni viro ſit exhibenda Chriſto. Proinde ita regendam, ne ullis dogmatibus falſis aut vitiis polluatur, ſed ut in ſola veritate & ſanctitate Chriſtiana maneat. Quod an à multis jam ſeculis fiat, veritatis & pietatis amatores facile judicabunt.

Verſ. 3. *Timeo autem, ne forte ſicut ſerpens Evam decepit in aſtutia ſua.* Id eſt, per aſtutiam ſuam,

Sic corrumpat mentes veſtras, τὰ νοήματα ὑμῶν. Cap. IV. 4,

A ſimplicitate in Chriſtum. Id eſt, ne ſimplices erga Chriſtum mentes veſtræ maneant, ſine ulla falſi & pravi dogmatis, & conſequenter morum mixtura. Alludit ad hiſtoriam notam de Eva, quam Satanas aſtutia ſua ſeduxit a ſimplicitate nativa, dum illi perſuaſit ut ex arboris ſcientiæ boni & mali fructu ederet. Cum igitur exemplum tale haberet in Eva, merito metuebat ne idem ſpirituali Evæ, id eſt, eccleſiæ Chriſto deſponſatæ eveniret. Quod ſane eveniſſe, etſi non per inductam Legem Moſaicam, per alia prava dogmata & mores a Chriſtiana ſanctitate alienos, ah nimium quam verum eſt! Chriſtiani audimus, ſed ſi dogmata ſpectes Chriſtiana, vix ullum eſt quod non falſi admixtione ſit plane corruptum. Nam ad mores quod attinet, nihil minus quam Chriſtiani ſumus. Nec mirum. Mores enim doctrina meliores eſſe non poſſunt.

Verſ. 4. *Nam ſiquidem qui venit.* Rationem inſinuat ſui metus: quaſi dicat, nam toleratis eos qui veniunt, & *ſiquidem qui venit*, nempe quicunque qui vos docent. Venire enim dicit abſolute eum qui docendi cauſa venit.

Alium Jeſum prædicat quam nos prædicavimus, aut ſpiritum alterum accipitis quem non accepiſtis, nempe per nos, *aut Euangelium alterum*, intellige *audiatis quod non recepiſtis.* Nempe ex noſtra prædicatione.

Recte toleretis. Nempe hominem istum, etiamsi seipsum commendet, etiamsi vos servituti subjiciat, comedat, a vobis accipiat, sese efferat, vos in faciem cædat ℣. 20. Alia enim omnia vobis adfert, alium Jesum, alium spiritum, aliud Euangelium. Atqui hoc falsum est. Nam lex quam adferunt res vetusta est, non novum Euangelium, ac ne Euangelium quidem ullum.

Vers. 5. *Existimo enim me nihil posteriorem fuisse supra modum Apostolis.* Nempe Petro, Joanne, Jacobo Gal. 2. 9. quibus isti adventitii doctores fretos se putant. Quasi dicat, nam si nec Jesum alium, nec spiritum alium, nec Euangelium aliud affectatis, & illi objiciant mihi excellentes illos Apostolos, qui nihil contra Legem & circumcisionem prædicarint, existimo me nihilo illis inferiorem fuisse, nempe in miraculorum magnitudine & rerum omnium ad muneris Apostolici dignitatem spectantium. Proinde nec illos mihi contrarios esse certum est, licet inter Judæos agentes & prædicantes, mallent Legem & circumcisionem per seipsam potius & fidei in Christum virtutem & efficaciam, perque Dei salutarem gratiam, quam sua aperta prædicatione in iis qui Christi spiritu aguntur, antiquatam esse ostendi. Vide quam se Apostolus Petro nihilo dicat inferiorem, quod & infra XII. 11 facit. Ubi tum igitur erat Papa? aut quomodo Petrus muneris respectu Paulo fuit superior?

Vers. 6. *Etsi vero rudis sermone,* ἰδιώτης. Occurrit adversariis, quibus Paulus sermone videbatur rudis & idiota cap. x. 10.

Sed non cognitione. Nempe rerum divinarum, intellige rudis sum, quæ multo pluris est quam sermo, & quæ tanta fuit in Paulo, ut etiam Petrus admiraretur & celebraret Pauli sapientiam 2 Petr. III. 15, 16, & sane admirabilis elucet in omnibus ejus scriptis, & inprimis in cognitione mysterii de vocatione & salute gentium, deque Legis Mosaicæ antiquatione, de gratia Dei & Justificatione per fidem Ephes. III. 3 & sequentibus.

Sed in omni manifestati. Aliud opponit sermonis ruditati. *In omni,* id est omni ex parte cap. VI. 4. VII. 5, *manifestati,* nos Apostolos esse, *in omnibus,* nempe ad tanti muneris dignitatem spectantibus, *erga vos,* tanquam spectatores & testes.

Vers. 7. *An peccatum feci meipsum humilians ut vos exaltaremini? quia gratis Dei Euangelium prædicavi vobis.* Quasi dicat, nam nullam aliam inter me & excellentes illos Apostolos, & hos adventitios doctores dignitatis & præstantiæ differentiam video XII. 13, sed *an peccatum feci me ipsum humilians,* nempe in hoc, *quod gratis Dei Euangelium vobis prædicavi,* sine ullo vestro sumptu & impensa.

Ut vos exaltaremini. Id est, ut vos liberi essetis à falsis doctoribus, qui prædicare gratis non solent ℣. 12, & ut vobis ostenderem me nulla privata commoda quærere, sed solam Dei gloriam & salutem vestram. Certe hoc nomine magis adhuc a vobis amari & æstimari deberem quam sperni & aliis postponi, non quia ego meipsum humilio, propterea a vobis contemni debeo, præsertim cum me humiliem, ut vos per humiliationem mei exaltemini.

Vers. 8. *Alias Ecclesias spoliavi.* Nempe Macedonicas ℣. 9.

Accipiens stipendium. Exponit quo pacto eas spoliaverit, nempe improprie & per ὑπερβολήν, quod scilicet cum pauperes essent cap. VIII. 2, acceperit ab iis stipendium.

Ad vestrum ministerium. Id est, ut vobis ministrarem per Euangelii prædicationem. Alii mihi stipendium pendebant, iique pauperes, ut vobis divitibus inservirem.

Et cum essem apud vos & egerem, non fui oneri ulli, οὐ κατενάρκησα οὐδενός. Non obtorpui adversus ullum. Solent enim torpidi aliis oneri esse.

Vers. 9. *Defectum enim meum suppleverunt fratres venientes ex Macedonia.* Ita factum est ut quamvis egerem, vobis oneri non essem, vestri vicem aliis subeuntibus.

Et in omni. Id est, omni ex parte Vers. 6.

Non onerosum vobis me servavi & servabo. Non tantum vobis oneri non fui, sed nec ero.

Vers. 10. *Est veritas Christi in me.* Asseverandi modus. Vera loquor per Christum. Veritas Christi est veritas à Christo præcepta.

Quod gloriatio hæc. Prædicati nimirum gratis Euangelii,

Non obstruetur in me, εἰς ἐμὲ pro ἐν ἐμοί. Quod fieret si stipendium acciperem.

In regionibus Achaja. Credo quod istic divites essent multi, & hinc facilis suspicio Paulum prædicatione sua qua homines legis jugo solvebat, divitias quærere.

Vers. 11. *Quare?* Ipse quæstionem ejus rei movet.

Quia non amo vos. Nam & hæc videri poterat causa.

Deus novit. Nempe quod vos amem animitus.

Vers. 12. *Quod autem facio & faciam.* Intellige, facio & faciam, per ellipsin reduplicationis, ut in illis Christi verbis, *priusquam Abraham fiat,* intellige Abraham, seu pater multarum gentium, *ego sum,* intellige Messias, per ἐξοχὴν Christo solitam.

Ut amputem occasionem. Nempe colligendarum opum & avaritiæ. Veram exponit consilii & facti sui causam. *Volentium occasionem.* Eam nimirum quæ dicta est.

Ut in quo, id est, de quo, *gloriantur.* Se nimirum esse Christi ministros & Apostolos.

Inveniantur sicut & nos. Id est, gratis prædicentes, sicut nos prædicamus.

Vers. 13. *Tales enim pseudo-Apostoli.* Causam facti sui affert, quia *tales pseudo-Apostoli,* qui se Apostolos esse mentiuntur, *operarii dolosi,* qui aliud præferunt, aliud spectant, præferunt Dei gloriam, hominum salutem, spectant sua commoda.

Transfigurantur in Apostolos Christi. Figuram & speciem externam Apostolorum Christi sumunt. Hoc igitur ne facere possent ego id feci, quod ut illi faciant natura & ratio pseudo-Apostolatus & eorum doli non permittit: idque etiam vos ipsi experimini. Nam eos haudquaquam gratis vobis prædicantes habetis ℣. 20. Hinc ergo colligite, quandoquidem tales non sunt qualis ego, eos veros Christi

Apo-

Apostolos non esse, sed pseudo-Apostolos, qui se mentiuntur a Christo missos, ut Legem & circumcisionem prædicent.

Vers. 14. *Et non mirum.* Nempe quod Pseudo-Apostoli se transfigurent in Apostolos Christi; ne quis id fieri posse dubitet aut miretur.

Ipse enim Satanas transfiguratur in Angelum lucis. Rationem adfert dicti. Satanas opponitur Angelo lucis, quia Satanas est Angelus tenebrarum, id est, ad tenebras damnatus. *Satanas* autem *transfiguratur in Angelum lucis.* Id est, in Angelum bonum & sanctum, (qui in luce illa inaccessa cum Deo habitant) cum se Angelum lucis præfert. Hinc patet quam facile fieri possit, ut qui Angelum se bonum vidisse & audivisse putet, Satanam vel Angelum ejus viderit & audiverit. Soli Dei sermoni fidendum est, qui solus veritas est.

Vers. 15. *Non magnum igitur si & ministri ejus,* nempe Pseudo-Apostoli & falsi doctores, *transfigurantur velut ministri justitiæ.* Id est, ita ut speciem ministrorum habeant, qui pleni sunt justitiæ & veritatis. Conclusionem infert ex priori. Nam quod Dominus facit, ut homines decipiat, idem & ministros ejus eundem in finem facere mirum non est.

Quorum finis est secundum opera ipsorum. Docet quem finem sint habituri, (nam præsens ponitur pro futuro,) finem nimirum operibus suis consentaneum. Opera illorum sunt mala, & finis illorum erit malus. Recte operum meminit, & ea mala esse significat. Neque enim sunt ministri justitiæ, sed eos tantum adsimulant, cum reipsa ministri sint injustitiæ. Hinc & ipse Christus ex fructibus eos cognoscendos esse monuit Matth. VII. 16. Opera illorum sunt mentiri, falsa docere lucri causa, voluptatibus indulgere, honores ambire, veritatis doctores & sectatores odisse, & modis omnibus infectari, oves præferre, lupos agere, mordere, rapere, dilaniare, occidere, dissipare.

Vers. 16. *Iterum dico.* Gloriari aliquantum volens, cum id & vere facere posset, & necessarium videret, revertitur ad suam præfationem, digressus ad alia a gloriandi proposito. *Iterum*, inquit, *dico*, nempe id quod dixit ꝟ. 1.

Ne quis me putet insipientem esse. Nempe quod aliquid de me ad meam laudem & commendationem pertinens dicam. Hoc quidem expresse non dixit, sed intellexit. Nam qui vera de se loquitur, & justa de causa, vere non est insipiens cap. XII. 6. *Si vero non,* id est, si vero id fieri nequeat, quin pro insipiente habear,

Quamvis tanquam insipientem suscipite me. Id est, suscipite me tamen, quamvis tanquam insipientem. Hoc est quod dixit, tolerate meam insipientiam vers. 1.

Ut parum quid & ego glorier. Id est, ut aliquantulum & mihi liceat, quod aliis apud vos plurimum licet, nempe gloriari.

Vers. 17. *Quod loquor.* Nempe in hac substantia gloriationis, ut mox dicit.

Non loquor secundum Dominum. Id est, secundum Domini voluntatem & præcepta, quanquam nec contra illa, quippe non vanæ gloriæ studio inductus, sed necessitate gloriæ Dei & salutis hominum compulsus.

Sed tanquam in insipientia. Intellige loquor.

In hac substantia gloriationis. Id est, id quod in hac substante loquor gloriatione. Vide IX. 4. Notandum est quam solicite deprecetur Apostolus ea quæ in suam laudem dicere cogatur. Jam & insipientiam suam in eo agnoscit, jam non secundum Dominum ea se loqui fatetur. Ut hinc discamus, quantum a propriis laudibus abhorrere debeamus.

Vers. 18. *Quoniam multi gloriantur secundum carnem.* Id est, ex rebus ad carnem spectantibus.

Et ego gloriabor. Nempe tanquam in insipientia, dummodo vos videatis me nihil etiam istis in rebus cedere meis adversariis.

Vers. 19. *Libenter enim toleratis insipientes.* Rationem reddit facti sui, quia libenter tolerent insipientes. Unde futurum sit ut etiam se insipientem, id est gloriantem, idque de rebus carnalibus, quæ major adhuc est insipientia, toleraturi sint.

Sapientes cum sitis. Causam affert istius tolerantiæ, sapientiam Corinthiorum, per ironiam. Sapientum enim alioquin est insipientes ferre. At in eo non valde sapienter faciebant Corinthii, quod Pseud-Apostolos tam libenter tolerarent, quos insipientes Apostolus hic appellat, non tantum quod gloriarentur de rebus carnalibus, sed etiam cætera insipienter agerent, veritatem divinam inficientes mendaciis, & ecclesiæ graves.

Vers. 20. *Toleratis enim.* Probat quod dixit.

Si quis vos in servitutem redigit. Nempe Legis Mosaicæ, à qua vos Christus liberavit. Non enim estis sub Lege sed sub gratia Rom. VI. 14.

Si quis vos devorat. Vestris nimirum impendiis laute vivens.

Si quis accipit. Nempe aurum, argentum, vestes, & alia pretiosa, tanquam mercedem suæ prædicationis & ministerii.

Si quis extollitur. Nempe longe supra vos sese ferens.

Si quis vos in faciem cadit. Quod quo sensu dicat, addit

Vers. 21. *Secundum ignominiam, aliquin, dico.* Id est, hoc dico respectu ignominiæ & contemptus quo vos afficit, proinde per metaphoram. Magno enim dedecore & contumelia afficit, qui alterum in faciem cædit.

Quasi quia nos infirmi fuimus. Id est, quasi in vicem meæ infirmitatis, & quasi ideo quia nos infirmi fuimus inter vos, ut sibi veluti vindicet quod nobis defuit. *Infirmi fuimus*, id est injuriis obnoxii, modesti, patientes, humiles, per metonymiam causæ.

In quo autem aliquis audet. Quasi dicat, quod vos autem non pari modo tractaverimus, non ideo id factum est, quasi ulla in re illis essemus inferiores. *In quo*, id est, per quod, *aliquis audet*, id est, audacem se gerit & confidentem.

(*In insipientia dico.*) Nempe quod sequitur, furore & insania abreptus.

Audeo & ego. Audacem & confidentem & ego me gero. Loquitur enim in insipientia, non enim id faciebat, sed quia id habebat per quod alii audaces & confidentes essent. Vide Phil. III. 4 & seqq.

Vers. 22. *Hebræi sunt, (sunt) & ego.* Enumerat

ista in quibus audebant. Et primum in eo quod Hebræi essent, id est, quod & gente & lingua Hebræi essent. *Et ego.* Intellige Hebræus sum & gente & lingua, Hierosolymis educatus & edoctus.

Israëlitæ sunt. Id est, ex Israële prognati.

Et ego. Intellige Israëlita sum, ex Israële prognatus, ex tribu Benjamin, non sum ad Israëlitas proselytus.

Semen Abraham sunt. Id est, Abrahami posteritas, *& ego*, intellige, unus sum ex Abrahami posteris.

Vers. 23. *Ministri Christi sunt.* A carnalibus transit ad spiritualia: quasi dicat, gloriantur in eo quod ministri Christi sint? Esto jam, sint ministri Christi:

(*Desipiens dico.*) Nempe quod sequitur:

Super ego. Intellige minister Christi sum. Excellenter se ministrum esse Christi dicit. Quod quia magnam continet laudem, propterea desipientem se hoc dicere præfatur; interim verum dicit, idque ut diceret opus erat.

In laboribus. Nempe pro Christo, præcipue sermonis

Abundantius. Id est valde abundanter, intellige versor, vel etiam abundantius quam illi. Nam & alibi abundantius etiam quam omnes Apostoli dicit se laborasse 1 Cor. xv. 5.

In plagis. Itidem pro Christo,

Supra modum. Proinde longe ultra illos versor, cum forte illi ne unam plagam tulerint pro Christo, sed nunc largitur illos etiam plagis pro Christo affici, sicut & pro Christo laborare.

In carceribus. Similiter pro Christo,

Abundantius. Id est valde abundanter, vel abundantius quam illi, cum fieri potuerit ut illorum ne semel quidem ullus in carcerem conjectus fuerit pro Christo.

In mortibus. Id est, præsentissimis mortis periculis, pro Christo nimirum, *sæpe*, cum illi credo ne semel quidem in morte versati essent pro Christo.

Vers. 24. *A Judæis quinquies quadraginta*, intellige *plagas, præter unam accepi.* Solebant enim Judæi ex Legis instituto fuste percutere, & 40 plagas secundum numerum Lege definitum infligere, unam remittere, ut aliquid de jure pœnæ demerent. Hoc fustuarium Paulus pro Christo se quinquies perpessum esse dicit.

Vers. 25. *Ter virgis cæsus sum.* Itidem pro Christo, nempe a Romanis magistratibus, quorum hic mos erat. Cujus rei exemplum habemus Philippis Actor. XVI. 22.

Semel lapidatus sum Act. XIV. 19.

Ter naufragium feci. Nempe mare transiens propter Euangelium Christi. Naufragium illud quod in Actis describitur cap. XXVII, post hæc tria accidit. Nondum enim Paulus erat captivus cum hæc scriberet.

Noctem & diem in profundo egi. Nempe naufragus, antequam appelleret ad terram in tabula aliqua fluitans. Videmus Deum permittere ut servi ejus etiam in ipso pietatis officio versantes, in præsentissimam mortem incidant, ex qua deinde liberati, tanto evidentius exemplum sint divinæ providentiæ. Dum vero Euangelii causa tanta pericula, tantos labores indefesso studio citra ullum præsentis vitæ emolumentum tolerant, eo ipso non impostores, sed veros Christi Apostolos se esse docent.

Vers. 26. *Itineribus sæpe.* Id est, in itineribus sæpe egi, intellecta particula *in*, & verbo *egi*, [illegible]. Loquitur de itineribus propter prædicationem Euangelii.

Periculis fluminum. Id est, in periculis fluminum sæpe egi, eadem quæ & in sequentibus est ellipsi. Nempe cum flumina transirem propter Euangelii prædicationem, per genitivum causæ.

Periculis latronum. Qui irruere solent in itinera facientes, itidem per genitivum causæ.

Periculis ex genere. Nempe meo, id est, ex Judæis, qui mihi ubique insidiantur & imminent propter Euangelium Christi. Cujus rei exempla habemus in Actis cap. XX. 3. XXIII. 12, 13.

Periculis ex gentibus. Itidem propter Christum.

Periculis in civitate. Indefinite, ut non unam civitatem intelligas. Opponitur enim civitas deserto, ut sequitur.

Periculis in deserto. Quasi dicat, sive in civitate & inter homines vivam, sive in deserto agam, ubi alioquin homines non sunt, tamen nusquam mihi desunt pericula.

Periculis in mari. Intellige, ab hominibus mihi infestis, & me ubique, seu terra marique persequentibus propter Christum. Nam de periculis ab aquis ipsis jam dixit ℣. 25.

Periculis in falsis fratribus. Id est, inter falsos fratres: quasi dicat, etiam fratres, id est Christiani me persequuntur, & vivere me nolunt, sed falsi fratres, falsi Christiani, qui gratiæ & Euangelio Christi Legem cupiunt adjungi.

Vers. 27. *In labore.* Nempe manuum mearum, ne Euangelium prædicans aliis sim oneri Act. XX. 34. 1 Cor. IV. 12.

Et molestia. Quæ laboris est comes.

In vigiliis sæpe. Id est, somno necessario sæpe me privo, ut Euangelio vacem, vel eodem fine victum mihi & meis quæram. Noctu laboro, interdiu prædico.

In fame & siti. Intellige, & hic & in sequentibus, sæpe ago vel versor, cum scilicet non suppetit quod edam vel bibam, & hæc omnia propter Christum.

In jejuniis sæpe. Quamvis non desit cibus & potus, tamen a cibo & potu ultro abstineo sæpe, ut me coram Deo humilitem, & precibus aliquid ab eo efflagitem, & ventris mancipium haud esse ostendam.

In frigore & nuditate. Cum scilicet non est unde me ut oportet tegam & vestiam. En verum Christi servum, tot adversis exercitum, ut appareat eum sua non quærere, sed ea tantum quæ Dei sunt! Nisi enim ea tantum quæ Dei sunt quæreret, nec malis istis subjectus esset, nec iis semet objiceret. Sic Deus commendat Euangelii & veritatis ministros.

Vers. 28. *Præter ea quæ extrinsecus.* Id est, aliis ex locis, intellige superveniunt: quasi dicat, ne commemorem ea quæ non tantum illis ex locis me premunt in quibus versor, sed etiam aliunde mihi superveniunt.

Coitio in me quotidiana, [illegible]. Id est, quæ quotidie fit, qualis est hominum aliunde

variis

variis ex partibus venientium, sive amicorum, sive inimicorum, qua tantum non obruor, illorum quidem ut aliquid ex me boni capiant, horum autem ut mihi mali aliquid inferant. *Solicitudo omnium ecclesiarum*, id est, de omnibus ecclesiis, per genitivum objecti. Hoc alterum notat extrinsecus & aliunde veniens, nempe quod perpetua cura & solicitudine agitetur de omnibus ecclesiis, non de una tantum aut altera in qua versabatur.

Vers. 29. *Quis infirmus est, & ego non infirmus sum?* Explicat hanc curam & solicitudinem. Quis inquir, usquam infirmus est, id est, infirmam fidem habet in rebus per se licitis.

Et ego non infirmus sum? Id est, & ego illius causa non ita me gero atque si & ipse infirmus essem? *Infirmus sum*, id est, similis infirmo, per metaphoram.

Quis scandalizatur. Id est, aliorum factis ita læditur, ut ab ecclesia Christiana deficiat.

Et ego non uror? Id est, & ego gravissimo animi dolore non afficior? itidem per metaphoram.

Vers. 30. *Si gloriari oportet*. Quasi dicat, ut quidem video apud vos oportere, quandoquidem illi soli apud vos multum valent qui gloriantur & se ipsos laudant cap. x. 12.

Quæ infirmitatis meæ (sunt) gloriabor. Id est, de iis gloriabor quæ ad meam pertinent infirmitatem, nempe de meis afflictionibus, quarum causâ est infirmitas mea secundum carnem. Ita forte invidiam effugero. Non solet enim miseris invideri.

Vers. 31. *Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi novit, qui est benedictus in secula, quod non mentior.* Testem invocat Deum se non mentiri. Ne quis cogitet, quis scit, an omnia sint vera quæ Paulus de suis pro Christo afflictionibus prædicet? Vide hic unum illum Deum non alium dici quam Jesu Christi Patrem, & Jesum Christum non minus ab uno illo Deo quam a Patre distingui, nec Deum illum unum, sed Dominum nostrum, nempe ab uno illo Deo factum, (Act. 2. 36) dici.

Novit. Quippe qui omnia novit.

Qui est benedictus in secula. Quasi dicat, proinde coram quo mentiri summum nefas.

Quod non mentior. Quod omnia quæ dico, quæque de me affirmavi & adhuc affirmabo, vera sunt.

Vers. 32. *Damasci Ethnarcha Aretæ Regis &c.* Ad ea quæ in genere de suis infirmitatibus & afflictionibus pro Christo dixit, adjicit in specie rem memorabilem quæ sibi Damasci evenerit, ex qua & quanto in periculo Paulus fuerit, & quanta Dei providentia servatus sit apparet. Damasci erat in civitate muris cincta & clausa.

Ethnarcha. Id est, gentis rector.

Aretæ Regis. Quasi Prorex. Omnes suas vires & industriam ad Paulum capiendum, quod Jesum prædicaret, converterat: custodiebat Damascenorum civitatem, dispositis videlicet in omnibus portis & civitatis exitibus custodiis, comprehendere me volens, haud dubie dimissis in omnes urbis domos & angulos satellitibus.

Vers. 33. *Et per fenestram*. Exposito summo periculo exponit quomodo servatus sit, per humanes quidem & per humana media, sed a Deo provisa & inspirata, & optato successu & effectu donata. *Per fenestram*, inquit, quæ ut apparet in domo erat muro adstructa. *In sporta*, id est, sportæ impositus, & sporta funi alligata,

Demissus sum per murum. Supra quem fenestra illa erat.

Et effugi manus ejus. Deo nimirum custode & duce. Vide quantis in periculis conflictatus sit Paulus propter Christum, & dubitabimus adhuc illum vere à Deo & Christo missum fuisse?

CAPUT XII.

Vers. 1. *Gloriari sane non conducit mihi*. Id est, nullum sane ex eo quod glorier, ad me ipsum redundat commodum, ad vos redundare potest, ut scilicet in fide confirmemini; sed mihi ex mea gloriatione nulla merces apud Deum quæritur, & vestra de me existimatio ex mea gloriatione profecta nihilo me facit beatiorem.

Veniam enim ad visiones & revelationes Domini. Causam adfert cur illud præfatus sit. Quia nimirum venire velit ad visiones & revelationes Domini, quæ sibi contigerint; in quarum commemoratione magnam esse gloriationem, sed quæ sibi nihil conducat. Proinde se eas commemoraturum, non sui, sed ipsorum causa, idque facturum quam modestissime.

Veniam. Nimirum scriptione seu calamo,

Ad visiones, nempe meas, *& revelationes Domini*. Id est Christi. Visiones & revelationes ad se invicem referuntur. Visio enim est eorum quæ revelantur visio, & revelatio est eorum quæ videntur revelatio. Paulus videbat, Christus revelabat. Loquitur autem de visionibus & revelationibus miraculosis, quæ non solent contingere, nisi iis quos Deus ad revelandam adhibet veritatem, Apostolis nimirum & prophetis.

Vers. 2. *Novi hominem in Christo*. Venit ad exponendam insignem præ cæteris visionem & revelationem Domini, quam singulari modestiæ narrat artificio, quasi de alio homine, non de seipso.

Novi hominem in Christo. Id est, Christianum, qui Christo per fidem est insitus: ut hinc appareat fidem in Christum ex Deo esse, propter quam adeo divinæ revelationes contingant.

Ante annos quatuordecim. Quo tempore nimirum hoc evenit quod narraturus est.

Sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio. Id est, sive id quod dicam fuerit in corpore, nescio, sive extra corpus, in spiritu tantum & visione, nescio. Sic Ezechiel olim in visione raptus fuit & in Jerusalem adductus cap. VIII. 3. XI. 3. Sic & alii prophetæ, & Joannes in Apocalypsi in spiritu & in visione fuit, ubi corpore non fuit, non quod tum mens sit extra corpus, sed quod corpore sopito homo mente & cogitatione ibi sit ubi corpore non est. Hinc & ecstasis dicitur, cui multa similia & in somnis fiunt.

Deus scit. Qui mihi hoc non revelavit.

Raptum

Raptum fuisse hunc talem. Nempe qualem dico, id est Christianum.

Usque ad tertium cælum. Id est in paradisum, ut ipse mox declarat. Hebræis enim primum cælum dicitur æther usque ad sydera, secundum cælum in quo sunt omnia sydera: tertium cælum quod est supra omnia sydera, in quo Deus est & Sancti Spiritus Angelici, in quo & Christus est a dextris Dei sedens, ubi & nostrum olim futurum est habitaculum, quod & per metaphoram paradisus appellatur.

Vers. 3. *Et novi hunc talem hominem.* Repetit quod dixit, majoris asseverationis causa: quasi dicat, novi inquam hunc talem hominem.

Sive in corpore, sive extra corpus. Nempe raptus hic evenerit.

Nescio, Deus scit. Et hoc iterum inculcat, ut si raptus iste in corpore factus non sit, talem tamen visionem fuisse doceat, quæ ipsum Apostolum suspensum ac dubium reddat, an hoc reipsa, an in visione tantum evenerit. Cæterum hac sua dubitatione significat, aliquem etiam reipsa & in mortali corpore in paradisum rapi posse, quod haud dubie Christo Dei Filio evenit Joan. III. 13. Neque enim putandum est Dei Filium κατ' ἰδιωτείαν dictum hac in parte inferiorem fuisse Paulo suo servo. Nam etsi mortale corpus, naturæ suæ vi, cælestissimam illam lucem ferre non potest, ideo nec illam hæreditate consequi potest 1 Cor. xv. 50, tamen id Deus sua virtute præstare potest, quod natura non potest, & mortale corpus conservare, ne per lucem illam cælestissimam pereat, non secus quam potuit, ne periret ab igne flagrantissimo Dan. III. 23.

Vers. 4. *Quod raptus sit in paradisum.* Pro tertio cælo ponit hic paradisum. Ideoque non intelligit paradisum illum in quo primus homo fuit; (paradisus enim iste in terris fuit, non supra terras & supra omnia sydera) sed paradisum per metaphoram dictum, id est Dei & Christi & sacro sanctorum Angelorum sedem, in qua immortalitas, & veræ ac cælestes habitant voluptates, ubi vera illa arbor vitæ plantata est, & ejusdem vitæ petennia fluunt flumina. Quo sensu & Christus ipse vocem hanc usurpavit Luc. XXIII. 43, & Joannes in Apocalypsi Apoc. 2. 6.

Et audivit ineffabilia verba, ἄῤῥητα ῥήματα. Videtur esse contradictio in adjecto. Nam si sunt ῥήματα, quomodo sunt ἄῤῥητα? Nimirum quia erant ῥήματα divina, quæ hominibus sunt ἄῤῥητα. Sensum quidem haud dubie verborum istorum intelligebat hic homo, qui Paulus est; (cur enim illa audiret, nisi eorum intellectum Deus illi dedisset?) sed ipsa verba erant talia, ut humana lingua exprimi nullo modo possint. Ideo seipsum explicans addit,

Quæ non concessum est, ἃ οὐκ ἐξὸν *homini loqui.* Id est, quę loqui & effari est ultra omnem humanarum virium modum. Nam sicut cæteris animantibus negatum est hominum sequi voces, sic hominibus cælestium. Οὐκ ἐξὸν, *non est licitum*, propter impotentiam nimirum. Nam & hic usurpamus non licet, ut in illo quod pro me huc spectat: *nobis non licet esse tam disertis.* Non dicit quid viderit in paradiso, aut quas voluptates ibi senserit, nimirum quia neque hoc humanis exprimi verbis poterat. Nam si verba non possunt, quanto minus res ipsæ? Vidit nimirum & audivit & sensit ineffabilia bona & gaudia.

Vers. 5. *De hoc tali*, nempe homine, *gloriabor*. His verbis significat se hunc hominem esse. Cur enim alioqui de illo gloriaretur?

De me ipso autem non gloriabor. Id est, non dicam me in paradisum raptum fuisse.

Nisi in infirmitatibus meis. Intellige gloriabor, id est, nisi de meis afflictionibus, per metonymiam causæ synecdochicam. Causam enim ponit, sed simul intelligit & effectum. Vide cap. XI. 30: quasi dicat, nihil aliud de me affirmabo, quam quæ patiar & passus sim.

Vers. 6. *Si enim voluero gloriari, non ero insipiens.* Occupat objectionem: quasi dicat, nam si mihi aliquis objiciat, me fore insipientem si velim gloriari de me ipso, errat. Nam non ero insipiens, si voluero gloriari, id est, de me multa eximia & sublimia affirmare. Vide cap. XI. 16.

Veritatem enim dicam. Rationem adfert asserti: quasi dicat, qui vera loquitur insipiens non est, quamvis ea de se loquatur, cum justam ea de se loquendi causam habet, quam ego certe habeo.

Parco autem. Nempe auditoribus.

Ne quis in me, id est de me, *cogitet supra quod videt me, aut audit aliquid ex me.* Docet qua in re parcat & consulat auditoribus, nimirum, ne quis divina & cælestia de me audiens, falsam aliquam de me concipiat opinionem, & existimet me esse supra id quod me videt esse, id est, supra hominem mortalem.

Aut audit aliquid ex me. Id est, aut supra id quod ex me ipso audit me esse, nempe ne existimet & me esse supra Apostolum, & sic plus de me suæ credat opinioni, quam suis oculis & meis verbis. *Audit aliquid ex me*, pro, quod audit ex me, ἢ pro ὅ. Vide quam prona mens sit mortalium in pravas opiniones! Sed nimirum plus oculis & sensibus & ipsis Scripturæ sacræ disertis verbis credendum est, quam causa & occasione aliqua etiam ex ipsa Scriptura arrepta, propriis opinationibus indulgendum, quod & in Christo usu venit, quem hominum opinationes ipsum illum unum Deum fecerunt. Significat in genere Apostolus tantas sibi contigisse revelationes ac visiones, ut si eas speciatim recensere velit, verendum sit ne quis eum supra hominem mortalem & supra Apostolum Christi putet esse.

Vers. 7. *Et excellentia revelationum.* Id est, excellentibus revelationibus, per duo substantiva.

Ne supra modum efferar, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. Ne me hominem esse mortalem obliviscar, & ipsemet in eam de me opinionem incidam, in quam ne alii de me incidant vito, aut superbe & insolenter agam.

Datus est mihi stimulus carni, σκόλοψ τῇ σαρκί. Palus præacutus carni, vel crux carni, quæ carnem meam perpetuis doloribus & vexationibus afficiat, quod per metaphoram dici sequentia docent.

Angelus Satan. Explicat per appositionem hunc scolopa carni, *Angelus*, inquit, non homo, nec bonus Angelus, sed Angelus Satan, hic est iste palus præacutus qui infigitur carni, aut crux cui caro affigitur.

Datus

Datus est mihi. Id est, Dei jussu mihi est adjunctus perpetuus assectator ℣. 8.

Ut me colaphis cædat. Iterum per metaphoram loquitur, id est, ut me doloribus & contumeliis afficiat. Nam colaphis cædi dolorem & contumeliam in se habet. Hoc autem præstabat Angelus Satan, quatenus ubique adversus Paulum homines improbos & veritati infestos incitabat, & omnium afflictionum quibus Paulus premebatur auctor erat. Nam afflictiones hic intelligi, quæ infirmitatis vel infirmitatum nomine designantur, ℣. 9 & 10 docet.

Ne supra modum efferar. Hunc finem habet Deus continuarum mearum afflictionum & vexationum, quæ mihi semper in memoriam revocent me hominem esse, & in tantum vicissim me deprimant, in quantum me divinæ revelationes extollunt. Nulla re melius animi elatio quam colaphis contunditur, & hæc est causa ob quam Apostolus hac metaphora est usus, cum de cohibenda animi elatione loqueretur. Vide quam salutares sint afflictiones, etiam maximis & sanctissimis Deoque charissimis viris! & si Paulus, ne supra modum efferretur, afflictionibos & colaphis intra modum contineri habuit opus, quis tandem erit qui hoc tam salutari medicamento non indigeat? Merito igitur etiam pro afflictionibus, tanquam pro maximo beneficio, gratiæ sunt agendæ Deo.

Vers. 8. *De hoc*, ὑπὲρ τούτου. Sic & supra ℣. 5 particula ὑπὲρ usurpatur, id est, de hoc Angelo,

Ter Dominum, id est, Christum, *rogavi.* Nota exemplum precum ad Christum directarum. Nam Domini absoluto nomine seu subjective posito, idque etiam cum articulo emphatico, præter perpetuum Pauli usum & institutum 1 Cor. VIII. 6, Christum designari docent sequentia ℣. 9, in quibus pro hoc Domino ponitur Christus.

Ut discedat à me. Exprimit quid ter precibus repetitis a Domino rogaverit de hoc Angelo. *Ut*, inquit, *absistat a me*, ut me missum faciat, recedat a me, quo a continuis malis & vexationibus respirationem aliquam habeam.

Vers. 9. *Et dixit mihi.* Nempe Dominus. Docet quid responsi tandem & post tertias preces retulerit a Domino.

Sufficit tibi gratia mea. Hac contentus esto. Proinde quod petis, ut scilicet Angelus Satan a te recedat, non obtinebis.

Nam potentia mea in infirmitate perficitur. Causam addit cur id illi neget: quasi dicat, gratiam meam habes, sed tamen quod petis non obtinebis. Nam hic mea vertitur gloria. *Potentia enim mea in infirmitate*, nempe tua & aliorum meorum omnium, & consequenter in illis omnibus quæ infirmitatis vestræ sunt effectus,

Perficitur. Id est, perfecte exeritur & ostenditur, dum scilicet vos ex maximis periculis eripio, & quamvis perpetuo premamini & affligamini, conservo. Non debes igitur mihi invidere gloriam meam, pro ea qua te prosequor gratia, & quam tibi semper in conservatione tui exhibeo. Vides causam ob quam Christus suos affligi patiatur, non tantum ut eos in modestia conservet, sed etiam ut suam gloriam attollat, & majorem ac patentiorem habeat campum potentiæ suæ exerendæ & ostendendæ. Hic locus aperte declarat infirmitatem Pauli, & illius effecta, quæ ℣. 10 commemorat, id est ea quæ pro Christo patiebatur mala, esse colaphos illos quibus cædebatur a Satana. Neque enim aliud Christus a Paulo non vult auferri quam id quod Paulus ut a se auferretur petebat. At Paulus petebat auferri colaphos & illum carni scolopa, id est Angelum Satan. Dum igitur Christus respondet se velle ut maneat in infirmitate, & Apostolus, ut statim videbimus, libenter sese in eo submittit voluntati Christi, eo ipso docetur illum carni scolopa, Angelum Satan, & colaphos quibus Paulum cædebat, ad infirmitates Pauli spectare & referri.

Libentissime igitur magis gloriabor in infirmitatibus meis. Ex hoc responso Christi sibi dato infert, se libentissime, idque magis quam unquam antea, gloriaturum in infirmitatibus, id est, de infirmitatibus, & consequenter de afflictionibus suis. Vide Paulum etiam ipsum hic & in sequenti commate Angeli Satan adversum se facta ad suas infirmitates referre.

Ut habitet (ἐπισκηνώσῃ) *super me potentia Christi.* Id est, eo fine ut super me tabernaculum suum expandat, & in eo super me habitet potentia Christi, nempe secundum responsum suum. Meæ infirmitates protinus super me potentiam Christi attrahunt, ut me protegat, & in tabernaculo super me habitet, quomodo igitur non libentissime de illis glorier, & propter eas me beatum feram? Hic expresse Christum esse dicit, quem antea dixerat Dominum. Respicit enim ad illa verba, *Potentia mea in infirmitate perficitur.* Hæc autem potentia hic Christi dicitur.

Vers. 10. *Propter quod.* Nempe propter præsentiam & habitationem super me potentiæ Christi.

Acquiesco (εὐδοκῶ) *in infirmitatibus.* Quippe quæ mihi præsentiam & habitationem super me potentiæ Christi conciliant.

In contumeliis. Explicat infirmitates istas, & primo ponit contumelias, id est, cum ut facinorosus capior, cum in carcerem dedor, cum virgis cædor, cum fuste percutior, cum expellor & tractor quam ignominiosissime.

In necessitatibus. Cum famem, sitim, nuditatem, & nuditatis incommoda perfero.

In persecutionibus. Cum nusquam tutam sedem invenio, cum mihi undique infesti instant adversarii.

In angustiis. Cum nusquam patet effugium.

Pro Christo. Nempe Domino illo, cum hæc omnia patior pro Christo, pro illius gloria. Martyrem enim non pœna facit, sed causa, quæ Christus est.

Quando enim infirmus sum, tunc potens sum. Rationem reddit cur in omnibus istis infirmitatibus pro Christo acquiescat. *Quia*, inquit, *quando infirmus sum*, id est infirmitatis meæ effectus perfero & perpetior pro Christo, *tunc potens sum.* Nempe per Christum, qui mihi sua potentia adest, & me ex omnibus malis eripit. Vide quam potentes sint qui pro Christo sunt infirmi, imo quam sint omni humana potentia potentiores? quippe qui tam per suas infirmitates vincant. Sic Christiani Reges & Imperatores vicere.

Vers. 11. *Factus sum insipiens glorians.* Id est dum glorior. Per concessionem hoc dicit. Nam alioquin reipsa nihil minus erat quam insipiens.

Vos me coëgistis. Excusat hanc suam insipientiam, quod non ultro glorietur & suas laudes proferat, sed ab ipsis Corinthiis adactus, qui tantum aliorum seipsos commendantium laudibus crediderant, ut eos Paulo pene præferrent.

Ego enim debebam a vobis commendari. Rationem adfert dicti: quasi dicat, ego enim debebam a vobis commendari coram aliis, non me ipsum commendare coram vobis.

Nihil enim posterior fui iis qui super quam valde sunt Apostoli. Probat quod dixit, vide cap. XI. 5. Quod si ergo illi commendantur a suis discipulis, non minus & ego debebam commendari a vobis. Hic iterum videmus Paulum nulla in re inferiorem fuisse Petro.

Etsi nihil sum. Postquam se summis Apostolis æquasset, iterum se in tantum dejicit, ut se nihil esse dicat. Nimirum intelligebat omnem suam magnitudinem Dei donum esse, se vero miserum mortalem, & sic nihil esse, per hyperbolen elegantem. Ita igitur se Paulus efferebat ut humilitatis non oblivisceretur, id est, Deum & Dei dona in se efferebat, non seipsum, quæ vera gloriationis est ratio.

Vers. 12. *Signa quidem Apostoli.* Quasi dicat, ad minimum, id est ea ex quibus tanquam ex signis certissimis cognoscendum sit, quis sit Apostolus Dei & Christi,

Perpetrata sunt. Nempe a me,

In vobis. Id est inter vos.

In omni patientia. Id est, quæ consistunt in omni patientia rerum adversarum. Hanc certe vidistis in me.

In signis. Id est in miraculis, quæ certe inter vos patravi,

Et prodigiis. Id est in miraculis stupendis, quæ itidem mihi non defuerunt.

Et potentiis. Id est miraculis & operibus multiplicis divinæ potentiæ, per metonymiam causæ pro effecto, quæ non minus quam reliqua omnia in me conspexistis. Vide quæ signa sint Apostoli, ut hinc conjecturam capias de eo qui se Petri successorem dicit, & omnibus aliis præfert Apostolis.

Vers. 13. *Quid enim est quo inferiores facti estis præ reliquis ecclesiis?* Id est quam reliquæ ecclesiæ? Ut confirmet nullum sibi signum defuisse veri Apostoli, quærit quanam in re fuerint inferiores reliquis ecclesiis?

Nisi, inquit, *quod ipse ego non oneravi vos.* Quasi dicat, hic fateor vos inferiores ecclesiis aliis esse, quæ Apostolorum sustentandorum onus ferre coactæ sunt. Vide XI. 7.

Ipse ego. Quasi dicat, potuerunt vobis oneri esse alii, sed ipse ego non fui.

Donate mihi injuriam hanc. Hoc & prius per ironiam dicit. Nam per id non tantum injuria nulla facta est Corinthiis, sed etiam peculiaris illis causa data, ut tanto magis æstimarent Apostolum & amarent.

Vers. 14 *Ecce tertium paratus sum venire ad vos, & non onerabo vos.* Docet se constantem fore in hoc proposito. Non dicit se tertio ad ipsos venturum; (non enim venerat nisi semel,) sed se tertio paratum esse ad ipsos venire. Nam cum secundo paratus esset venire, non venerat cap. I. 15, 16 & seqq.

Non enim quæro vestra, sed vos. Causam adfert sui propositi. Quia non quæro vestras facultates, sed vos ipsos, ut scilicet vos Christo lucrifaciam.

Non enim debent Filii parentibus thesaurizare, sed parentes Filiis. Causam adfert cur ipsorum non quærat facultates, quia, inquit, Filii non debent parentibus opes recondere, sed parentes Filiis: quasi dicat, ego autem vester sum parens in Christo, vos estis mei in Christo Filii 1 Cor. IV. 15. Ideoque meum foret potius vobis opes colligere, si hæc mea foret vocatio, sed cum hoc facere non possim, ad minimum vestras facultates nolo. Vide nihil in eo iniqui esse, quin imo jus fasque esse, ut parentes Filiis opes recondant, dummodo citra omnem injustitiam, & beneficentia erga omnes salva. Illud enim naturalis parentum erga Filios amor, hoc Christiana pietas requirit.

Vers. 15. *Ego vero.* Quasi dicat, qui vobis thesauros colligere non possum,

Libentissime impendam. Nempe omnia quæ habeo.

Et expendar. Id est, & vitam etiam meam profundam,

Pro animabus vestris. Id est, pro animarum vestrarum salute. Moriar libens, ut animas vestras servem, quod & præstitit ipso facto. En verum parentem! Plus enim hoc est quam thesauros colligere.

Etsi abundantius. Id est abundantissime, per enallagen comparativi pro superlativo.

Vos diligens minus, nempe quam par est, & quam meus erga vos maximus amor meretur, *diligar.* Hoc mihi non obstat, quominus in meo erga vos abundantissimo amore pergam, spem habens fore ut tandem etiam pari amore mihi respondeatis.

Vers. 16. *Esto autem*, nempe quod sequitur, *ego non oneravi vos.* Occurrit obtrectatoribus suis.

Sed cum essem astutus, dolo vos cepi. Nempe dicent obtrectatores mei. Hoc enim de se dicit non ex suo, sed ex adversariorum suorum sensu, per mimesin.

Dolo vos cepi. Id est, per alios a me missos vos emunxi.

Vers. 17. *Num aliquem eorum quos misi ad vos, per eum quæstui habui vos?* Id est, num per aliquem eorum quos misi ad vos quæstui habui vos? per pleonasmum pronominis αὐτοῦ. Respondet ad obtrectationem istam per interrogationem, quæ vim habet negationis: quasi dicat, dicite si potestis.

Vers. 18. *Rogavi Titum.* Nempe ut iret ad vos. Loquitur de rogatione qua antea Titum rogaverat, non de qua scribit cap. VIII. 6, 17.

Et simul misi fratrem. Nempe meum germanum, de quo VIII. 22, qui antea etiam cum Tito missus erat. Nam in ista missione, de qua dicto loco agitur, præter fratrem & Titum additur tertius, cujus laus erat in Euangelio per omnes ecclesias ℣. 18, qui cum hæc scriberet Apostolus, nondum ad Corinthios venerant. Per eos enim hæc mittebatur epistola.

Num quæstui habuit vos Titus? An ullum quæstum & lucrum ex vobis tulit? ullam pecuniam quam ad me deferret?

Non,

Non, id est nonne, *eodem spiritu ambulavimus?* Id est, eodem spiritu Dei ductore & impulsore egimus omnes, & ego, & Titus, & frater meus.

Non, id est nonne, *iisdem vestigiis?* Respicit ad ambulationem, id est eodem plane modo: quasi dicat, nonne omnes gratis vobis & vestræ saluti per Evangelium inservivimus?

Vers. 19. *Iterum putatis quod vobis apologiam demus?* Vide III. I. v. 12: quasi dicat, nolite hoc putare. Non defendimus nos apud vos. Scimus enim quod a vobis non accusemur.

Coram Deo, id est, Deo inspectante & teste, *in Christo*, id est, sicut decet Christianos seu eos qui Christo sunt insiti, *loquimur*. Loquimur vera, per metonymiam causæ: quasi dicat, hoc tantum spectamus ut loquamur vera, quidquid contra dicant aut dicere possint adversarii. Non vestræ sunt istæ objectiones aut suspiciones, sed adversariorum.

Omnia autem dilecti pro vestri ædificatione. Docet quo fine loquatur omnia.

Omnia autem. Intellige quæ loquimur. Vox enim omnia ex subjecta materia debet intelligi, quod & articulus τὰ in Græco, voci πάντα præpositus indicat. Quod notandum est contra eos, qui τὰ πάντα, quæ per Christum facta vel creata esse dicuntur, prorsus absolute accipiunt, nec ea interpretantur ex Christo, quem Deus Christum & Dominum fecit, sed Christum ex illis; quæ sane Scripturam interpretandi perversa ratio est.

Dilecti. Ubique testatur suum erga illos amorem, etiam cum pœnas illis minatur.

Pro vestri ædificatione. Id est, ut ædificemini, ut auctus ac perfectionem sumatis in fide, in charitate, in omnibus Christianæ pietatis officiis, per metaphoram ab ædificiis sumptam. Ædificationi opponitur destructio.

Vers. 20. *Metuo enim.* Causam subjicit cur omnia dicat pro illorum ædificatione.

Ne forte cum venero non quales volo inveniam vos. Nempe sanctos & Christianis moribus omni ex parte præditos.

Et ego inveniar vobis qualem non vultis. Nempe, severe agens & puniens.

Ne forte. Intellige, sint inter vos

Contentiones, ἔρεις. Acerbæ verborum pugnæ.

Zeli. Affectationes vanæ gloriæ.

Excandescentiæ, θυμοί. Iræ vehementes, quales esse solent inter vanæ gloriæ æmulos & zelotypos.

Lites ἐριθεῖαι. Coram judicibus præsertim infidelibus, de meo & tuo malignæ & inimicæ disceptationes 1 cor. VI.

Detractiones, καταλαλιαί. Cum alter adversus alterum loquitur, alter alterum palam infamat.

Susurrationes. Cum id facit clanculum.

Inflationes. Cum alter alteri se præfert, utri inflato ac tumido similis.

Seditiones. Cum in partes scinditur ecclesia, & sacram inter se communionem ac pacem rumpit.

Vers. 21. *Ne cum iterum venero.* Id est, secundò, πάλιν ἐλθόντα με. Vox πάλιν cum ἐλθόντα με cohæret, non cum sequentibus

Me humiliet Deus apud vos. Id est, contristet. Nam qui contristantur fiunt humiles.

Et lugebo multos. Id est, excommunicabo & pœnis afficiam, Satanæ tradam, per metonymiam effecti. Luctus enim ex talibus consequebatur apud Christianos. Vide 1 Cor. v. 2. Recte autem cum tristitia luctum conjunxit.

Qui ante peccarunt. Nempe ante meum, quem in animo habeo, secundum adventum, quamvis jam tertio veniam ad vos cap. XIII. 1, proinde satis temporis habuerunt ad pœnitentiam.

Et pœnitentiam non egerunt super impuritate. Vitia impura designat.

Et scortatione. Explicat impura vitia. Unum est scortatio, id est, omnes virorum & fœminarum illiciti concubitus.

Et lascivia. Alterum est lascivia, ἀσέλγεια, contubitus, & supra virorum infer se.

Quæ operati sunt, ᾗ ἔπραξαν. Per enallagen casus dativi pro accusativo, propter antecedentes dativos. Loquitur Apostolus de pœnitentia, qua non tantum male nos egisse agnoscimus & dolemus, sed etiam a malefactis desistimus, & vitam emendamus. Hæc enim demum est vera & ad salutem efficax pœnitentia, in iis quibus ad hoc præstandum tempus post fidem non defuit, & sine qua non datur ante peccantibus pœnas effugere.

CAPUT XIII.

Vers. 1. TErtium hoc, id est tertio, *venio ad vos.* Id est, paratus sum venire ad vos, seu id ago ut ad vos veniam cap. XII. 14: quasi dicat, habetis & habuistis satis superque temporis ad pœnitentiam agendam.

Super ore duorum testium & trium stabit omne verbum. Id est, omnis delatio seu accusatio duobus testibus vel tribus ad summum suffulta, vim suam habebit ad damnationem accusati. Non attendam illius negationem, defensionem, deprecationem, melioris vitæ pollicitationem. Habuit satis temporis & admonitionis ut vitam emendaret, nec emendavit. Pœnam non effugiet. Vide quanta sit emendandæ necessitas vitæ si velimus salvari & exortes damnationis esse, quod & Christus docuit Matth. VII. 21, 22 & seqq. XXII. 12, 13. XXV. 11, 12, & ubique. Nam quæ magis expedita esset salutis adipiscendæ ratio, si cuique sufficiat dolere quod peccaverit, & simul ut justitiam Christi sibi applicet, aut aliud aliquid factu facillimum exequatur? Imo quod vere & ex animo quisque possit dolere, si sciat peccata nemini nec sibi ad salutem obesse? Non hæc est illa angusta porta & arcta via quæ ducit ad vitam Matt. VII. 14. Hac porta & via nihil est latius, nihil magis expeditum.

Vers. 2. *Prædixi.* Nempe cum primo apud vos essem.

Et prædico, nempe nunc, *tanquam præsens secundo.* Id est, tanquam si secundo præsens essem.

Et absens, id est & cum absim, *nunc scribo.* Quia ore dicere non possum.

Iis qui ante peccarunt: Id est, a tanto jam tempore, nec pœnitentiam qualem oportet egerunt XII. 21.

Et reliquis omnibus. Quamvis noviter in peccata prolapsis.

Quod si veniam iterum, εἰς τὸ πάλιν. Hebræa phrasi,

Non parcam. Id est, omnino puniam, ne quis sibi non dictum, non scriptum putet.

Vers. 3. *Quandoquidem probationem in me quæritis loquentis Christi.* Causam adfert ob quam parcere nolit.

Quandoquidem, inquit, id quæritis, ut probetis & experiamini quid possit in me, id est per me, loquens Christus, an scilicet possit peccata punire. Ideo omnino oportet, ut quod quæritis inveniatis, id est, ut videatis & experiamini quid possit. Modeste loquitur Apostolus. Non dicit probationem quæritis mei quid ego possim, sed quid possit Christus in me loquens.

Qui erga vos non est infirmus, sed potens est in vobis. Quasi dicat, cujus quidem potentiam in vobis & erga vos experimini, sed nimirum vultis experiri quid etiam in me & per me possit.

Vers. 4. *Etenim si crucifixus est ex infirmitate.* Causam addit dicti per prolepsin: quasi dicat, nam verum quidem est eum ex infirmitate, nempe mortalis naturæ crucifixum esse.

Sed vivit. Nempe post mortem & vivit in æternum, nulli amplius infirmitati subjectus.

Ex potentia Dei. Per quam ex morte revocatus est in vitam immortalem, accepta omni in cælo & in terra potestate. Vide auctorem resurrectionis & vitæ & regni Christi Deum.

Etenim & nos infirmi sumus in ipso. Quasi dicat, nec mirum ita Christo evenisse. Nam & nos ipsius Apostoli infirmi sumus in ipso, id est, per ipsum & illius causa affligimur, crucifigimur, occidimur, per metonymiam causæ pro effecto.

Sed vivemus cum ipso. Sicut ille crucifixus vivit, sic & nos vivemus.

Ex potestate Dei, nimirum eadem, *in vos.* Ut scilicet vos puniamus, quamvis ab adversariis Christi affligamur. Neque enim hic de vita illa immortali & beata resurrectione sanctorum loquitur.

Vers. 5. *Vos ipsos tentate si estis in fide, vos ipsos probate.* Quasi dicat, me tentatis & probatis, vel Christum in me loquentem. Non me, non Christum tentate & probate, sed vos ipsos si estis in fide, quod ex eo cognoscetis, si paccata deposuistis, & in omni sanctitate vitam agitis. Nam qui fidem habet in Christum, habet spem vitæ æternæ, qui vero hanc habet, purificat semetipsum sicut Deus purus est 1 Joan. III. 3.

An non cognoscitis vos ipsos, quod Jesus Christus in vobis est? Id est, cognoscitis omnino: quasi dicat, qui fit igitur ut in peccatis hæreatis?

Quod Jesus Christus in vobis est. Nempe per spiritum & virtutem suam divinam, qua peccata omnia possitis excutere.

Nisi quid reprobi estis. Id est, nisi forte vos Christus reprobaverit, & spiritum suum vobis ademerit.

Vers. 6. *Spero autem quod cognoscetis, quod nos non sumus reprobi.* Quasi dicat, etiamsi forte non cognoscatis vos ipsos, quod Jesus Christus in vobis sit, & vos sitis reprobi,

Spero autem, nempe in Deo, *quod cognoscetis.* Ex factis nostris & ex pœnis quas vobis spiritu Christi infligemus, nisi interim pœnitentiam agatis.

Quod nos non sumus reprobi. Quod nos Christus non reprobaverit, nec rejecerit.

Vers. 7. *Vota autem facio ad Deum*, εὔχομαι δὲ πρὸς τὸν θεόν. Id est, vota & preces ad Deum dirigo: quasi dicat, quamvis illud sperem.

Ne faciatis malum ullum. Proinde ne mihi causam ullam præbeatis in vos per Spiritus Sancti virtutem animadvertendi. Malo ut vos boni sitis. Docet Apostolus posse Deum efficere ne Christiani ullum faciant malum, si nimirum & ipsi obsequentes sese Deo præbeant. Nam alioquin Deus nemini vim faciet ut sit bonus & abstineat a malo.

Non ut nos probati appareamus. Intellige, à Deo opto & voveo, infligentes nimirum vobis per Spiritum Sanctum pœnas.

Sed ut vos bonum faciatis, nos autem tanquam reprobi simus. Id est, reprobis hac in parte similes, quasi nullam in nobis divinam virtutem plectendi malos habeamus, quam Apostoli habent.

Vers. 8. *Non enim possumus quidquam adversus veritatem.* Id est, adversus ea quæ sunt vera, quæ justa, quæ sancta, quæ divinæ voluntati conformia: substantivum posuit pro adjectivo.

Sed pro veritate. Intellige, possumus omnia, id est, pro illius confirmatione & defensione, quod & Elymas Magus & alii sensere.

Vers. 9. *Gaudemus enim quando nos infirmi sumus, vos autem potentes sitis.* Probat se nihil adversus veritatem posse,

Infirmi sumus. Id est, infirmi appareamus, quasi nullam vim divinam puniendi delinquentes habeamus,

Vos autem potentes sitis. Justitiam nimirum exercendo & ab omni pœna immunes & intacti. Cum igitur ex eo gaudium capiamus, quomodo aliquid adversus gaudium nostrum facere possimus?

Hoc autem & vovemus. Quasi dicat, non tantum ex eo gaudemus: vovemus, à Deo nimirum, ut dixit ℣. 7,

Vestram perfectionem, κατάρτισιν. Explicat per appositionem quid voveat, id nimirum ut vos perfecti sitis, ne quid vobis ad Christianam desit pietatem.

Vers. 10. *Propter hoc.* Nempe quod vestram perfectionem voveo, & ex ea gaudium capio,

Hæc absens scribo. Quibus vos ad pœnitentiam & Christianam sanctitatem excito.

Ut præsens. Cum scilicet ad vos venero,

Non præcise. Id est, vobis non antea commonitis,

Utar, ἀποτόμως χρήσωμαι, intellige ex re subjecta, *severitate, secundum potestatem quam dedit mihi Dominus.* Potestatem intelligit puniendi inobedientes per Spiritus Sancti virtutem, quam sibi à Domino, cui jus pœnæ est, datam dicit. *Dominus*, id est Christus. Unus enim est qui nobis absolute dicitur Dominus, nempe Christus, & unus qui absolute dicitur Deus, nempe Christi Pater. Neque enim nobis sunt duo Dii vel duo Domini absolute sic dicti, sed unus Deus & unus Dominus 1 Cor. VIII. 6.

In

In ædificationem & non in destructionem. Docet quo fine sibi dederit hanc potestatem Dominus, ut simul doceat cur ea præcise nolit uti, quia nimirum ea sibi data sit *in ædificationem*, nempe credentium, id est, ut per eam credentes ædificentur, meliores & sanctiores in dies evadant.

Et non in destructionem. Id est, & non ideo ut per eam credentes destruantur, quod facile fieri posset, si ea præcise & sine prævia ac diligenti commonefactione ac obtestatione uterer. Quod dum facio, id est, adhortor & obtestor & commoneo; habent tempus & causam peccantes vitia deponendi, & vitam emendandi, ut ita per hanc potestatem mihi a Domino concessam ædificentur, & non destruantur, & si quis destruatur, non meæ potestatis abusu, sed sua culpa & suo vitio destruatur.

Verf. 11. *Reliquum.* Id est, quod reliquum est, per ellipsin, eorum nimirum quæ vobis dicenda habeo,

Fratres. Nempe in Christo.

Gaudete. In Domino videlicet, & ex spe certissima salutis æternæ.

Perficimini. Ne quidquam ulli vestrum desit ad pietatem & sanctitatem Christianam. Alioquin ad gaudium verum ac solidum non pervenietis.

Admonitionem suscipite, παρακαλεῖσθε. Patimini vos admoneri, & grato animo admonitionem ab omnibus accipite, alioquin ad perfectionem non pervenietis.

Idem sentite. Nullæ sint inter vos dissensiones.

Pacem colite. Quasi dicat, si forte sit dissensio aliqua, tamen pacem colite, & inter vos, & cum omnibus, alii alios tolerantes Rom. XII. 18. Hebr. XII. 14. Col. III. 13.

Et Deus charitatis & pacis erit vobiscum. Si illud fecerint quod dixit, pollicetur eis Dei præsentiam, & consequenter auxilium, defensionem & salutem. Quibus enim Deus adest, illis adsunt omnia, nec quidquam deest quod ad vera bona spectet. Aderit autem charitatem & pacem colentibus, quia Deus est charitatis & pacis, id est, qui charitatem & pacem amat, eamque modis omnibus promovet, contraria vero charitati & paci odit ac detestatur. Porro Deus adest piis sua providentia & cura paterna.

Verf. 12. *Salutate alii alios*, intellige meo nomine, *in sancto osculo.* Id est, per sanctum osculum, a quo scilicet omnis abest impura & profana cogitatio.

Salutant vos sancti omnes. Nempe cum quibus tunc versabatur Apostolus. Semper enim vox omnis & omnia ex subjecta materia debet intelligi. Sanctorum autem nomine Christianos intelligit, appellatione consueta, in quibus nihil esse debet impurum, nihil profanum ac vitiosum: falsum enim est aliquem esse posse vere Christianum qui hactenus non sit. Christianum esse & sanctum esse æquipollent.

Verf. 13. *Gratia Domini Jesu Christi.* Finit epistolam voto. Et primum illis precatur Jesu Christi gratiam, quippe Domini, nempe omnium. Est enim Dominus omnium a Deo factus Actor. 2. 36. x. 36.

Et charitas Dei. A Jesu Christo ascendit ad Deum, & precatur illius dilectionem & charitatem, quippe Patris, cujus proprium est diligere filios. Christiani enim Dei sunt filii.

Et communio Spiritus Sancti. Exprimit præcipuum in hac vita gratiæ Domini Jesu Christi & charitatis Dei erga Christianos effectum, quique cum adeptione vitæ æternæ conjunctus est: nempe Spiritus Sancti communionem, qua scilicet Spiritus Sanctus hominibus communicatur.

Cum omnibus vobis, intellige *sit*. Quasi dicat, nemo vestrum sit expers gratiæ Domini Jesu Christi & charitatis Dei, & communionis Spiritus Sancti, qui est arrhabo futuræ hæreditatis. Vide hic veram Christianorum Triada, (si hac voce hic uti fas est) Dei absoluto nomine solus Pater significatur, & tam a Jesu Christo quam a Spiritu Sancto distinguitur. Jesus Christus non Deus ille unus, sed Dominus, nempe ab illo factus dicitur, Spiritus Sancti nec gratia, nec charitas, sed communio vovetur, quam in Spiritus Sancti communi participatione consistere, & res ipsa, & universa Scriptura testatur, & quidem in tali quæ rerum est non personarum. Communicatur enim nobis Spiritus Sanctus, quatenus quisque nostrum portionem aliquam illius accipit, ut ex historia communicati Spiritus Sancti in die Pentecostes patet, & in domo Cornelii, & in communicatione Spiritus Sancti 70 senioribus, & spiritu Mosis, & in duabus tertiis de spiritu Eliæ communicatis Elisæo, & ubicunque Spiritus Sanctus communicatus legitur. Unde & Deo Spiritum Sanctum communicanti partitiones Spiritus Sancti tribuuntur Hebr. 2. 4, & Apostoli Spiritus Sancti primitias accepisse dicuntur Rom. VIII. 23. & Danieli eximius & amplior præ cæteris Dei spiritus tribuitur Dan. VI. 3, & Deus ipse de spiritu, vel ex spiritu suo effundere legitur Actor. 2. 17, 18. Hinc quamvis unus aliquis sit spiritus, tamen ex eorum qui eum acceperunt pluralitate, plures esse spiritus affirmantur, iique etiam Prophetis subjiciuntur 1 Cor. XIV. 12, 32. 1 Joan. IV. 1, 3. Nimirum Apostoli non a Spiritus Sancti gratia vel charitate quidquam petierunt; sed a Christi gratia & Dei charitate, ut Spiritus Sanctus omnibus Christianis communicaretur, voverunt & precati sunt.

Amen. Quasi dicat, hoc ut verum sit, & effectum suum in vobis omnibus habeat, ex animo precor & opto.

A M E N.

Subscriptio epistolæ hujus, quæ habetur, sumpta est ex cap. VIII. 1, 6, 17, 18, nisi quod Philippis scriptam dicant, cum certius in genere dixisset, ex Macedonia scriptam, & quod Lucam forte & falso nominet, quem Apostolus non nominavit, & fratris Pauli nullam mentionem faciat. Nimirum traditionibus semper aliquid vel deest, vel falsi aliquid subest. Tutissimum est solis sacris Scripturis insistere. AMEN.

In Epistolam ad Galatas antè complures annos, editus est mihi [qui priori volumini J. Crellii operibus exegeticis est insertus] commentarius, ut nunc alium scribere nihil attinuerit. Hoc tantum monuisse lectorem suffecerit, in verbis Apostoli, cum justitiam nobis ex gratia imputari aut fidem ad justitiam imputari dicit, vocem justitiæ proprio sensu accipiendam esse, id est, non pro justificatione, sed pro justificationis causa. Imputare alicui justitiam, seu aliquem pro justo ducere ac declarare, illud demum justificare est.

COM-

COMMENTARIUS IN *Epistolam Apostoli* PAULI AD EPHESIOS.

CAPUT I.

Vers. 1. PAulus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei. Sic & 1 Cor. 1. 1. Col. 1. 1. 2 Cor. 1. 1. Addit hoc, ut ostendat ita se Apostolum Jesu Christi esse, ut Dei ipsius voluntas ad hoc accesserit. Nec mirum, Jesus enim est Christus ille Dei, & ab ipso suscitatus ex mortuis Gal. 1. 1. Ideo Jesus Christus nihil facit nisi ex voluntate & per voluntatem Dei. Vide Jesum Christum Deo illi uni tanquam diversum opponi.

Sanctis qui sunt Ephesi & fidelibus in Christo Jesu. Exegesis prioris. Vere enim sancti sunt qui fideles sunt in Christo Jesu. Similem Christianorum descriptionem habes in epistola parallela ad Col. 1. 2. *Sanctis & fidelibus fratribus in Christo.* Πιστὸς ἐν Χριστῷ dicitur, qui fiduciam collocat in Christo, & omnes qui hoc faciunt per hanc fiduciam fratres suot.

Vers. 2. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro.* Sumus enim omnes fratres. Ideo communem Patrem habemus Deum, a quo proinde gratia & pax vera nobis nunquam deerit, nec mihi, quamvis huic arci, nullo meo merito, incluso.

Et Domino Jesu Christo. Deo & Patri nostro adjungit Jesum Christum, quippe Dominum a Deo factum Act. 2. 36. Non addit nostro, quia Jesus Christus non tantum nostri, sed etiam omnium est Dominus Act. x. 36. In utraque tamen ad Timotheum, in eodem voto addidit. Nam qui omnium est Dominus, etiam est nostrûm. Ideo mox sequenti commate dicit, *Domini nostri Jesu Christi.*

Vers. 3. *Benedictus*, intellige *sit*. Benedicitur Deus cum laudibus & gratiarum actionibus celebratur.

Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi. Descriptio illius unius Dei, seu ejus qui absolute & subjective, & κατ' ἐξοχὴν Deus dicitur & dici debet. Proinde Jesus Christus ab illo distinguitur, tanquam Filius à Patre.

Qui benedixit nos. Non verbis, sed rebus, id est qui nos ditavit, per metonymiam causæ.

In omni benedictione. Id est opulentia, per eandem metonymiam. Particula *in*, Hebræorum idiomate, redundat.

Spirituali. Id est, ad spiritum pertinente.

In supercælestibus. Hac appositione declarat quibus in rebus hæc spiritualis benedictio consistat, nimirum non in rebus terrenis, sed in rebus quæ supra omnes cælos originem suam habent, & inde veniunt, nempe in peccatorum plena remissione, in imputatione justitiæ, in spe vitæ æternæ, in Spiritus Sancti donis, inter quæ præcipuum est arcanorum Dei ad salutem nostram spectantium notitia.

In Christo. Id est per Christum, Hebræa phrasi. Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi est ex quo omnia, Jesus Christus noster Dominus est per quem omnia, δι' αὐτοῦ 1 Cor. VIII. 6, nempe ad salutem nostram spectantia.

Vers. 4. *Sicut elegit.* Id est, eligere constituit, per metonymiam effecti pro causa. Eligere constituit, nimirum ad benedictionem istam, *nos*, nempe credentes in Christum Jesum.

In ipso. Id est per ipsum, ut paulo ante: quasi dicat, convenienter fecit suæ de nobis per Christum eligendis constitutioni.

Ante fundationem mundi. Docet electionem credentium in Christum non esse rem aliquam novam ac nuperam, divinæ constitutionis respectu; sed mundo ipso antiquiorem. Eodem sensu & Christus ipse, & credentes in Christum, mundo sunt antiquiores 2 Tim. 1. 9. 1 Petr. 1. 20.

Ut essemus sancti & inculpati coram ipso. Finem exprimit electionis divinæ, quæ sicut ante mundi fundationem fuit a Deo constituta; sic per Euangelium est in effectum deducta. Omnia Dei beneficia quibus per Christum cumulati sumus, huc tendunt, hanc vim habent, hoc operantur efficaciter, dummodo ex nobis ipsis nullum objiciatur impedimentum.

Ut nos. Qui credimus in Christum Jesum,

Simus sancti. Id est, secreti à prosanis moribus.

Et inculpati. Consequens prioris.

Coram ipso. Nempe Deo. Parum est inculpatum esse coram hominibus: Christianorum est inculpatos esse etiam coram Deo; quod tamen κατενώπιον τοῦ θεοῦ intelligendum est, quam præstat liberaliter, liberali obedientia sibi penitus deditis.

In charitate. Id est per charitatem. Medium exponit per quod sancti & inculpati coram Deo simus, nempe per charitatem, non per circumcisionem & ritus Mosaicæ Legis. Charitas est vera legis divinæ impletio Rom. XIII. 8, 9, 10. Gal. v. 13, 14. Nec in Christo Jesu aliud quidquam valet nisi fides per charitatem operans Gal. v. 6.

Vers. 5. *Prædestinans*, προορίσας, prædefiniens. Nempe ante mundi fundationem, *nos*, nempe credentes in Cbristum.

In adoptionem. Εἰς υἱοθεσίαν,

Per Jesum Christum. Exponit quo pacto nos elegerit Deus per Jesum Christum ante fundationem mundi, quatenus nimirum ante mundi fundationem definivit & destinavit nos in id, ut in filios adoptemur per Jesum Christum.

In seipsum. Notat υἱοθεσίας correlatum, id est, ut sui essemus filii, proinde ut nos liberaliter, non tanquam dominus servos, quod sub Lege fiebat, sed tanquam pater filios ac liberos tractaret, nec nos servili, sed liberali obedientia, Deo Patri nostro officium præstaremus, & tandem etiam hæredes ejus & Christi cohæredes fieremus Rom. viij. 15, 16, 17. Gal. iij. 26. IV. 1 & seqq.

Secundum beneplacitum voluntatis suæ. Ne quis miretur, peccatores & profanos antehac homines, quia credant in Jesum Cbristum, in filios à Deo adoptari, Judæos autem Legi deditos ac veri Dei cultores, quia in Jesum Christum non credant rejicit. Factum est hoc, inquit, secundum beneplacitum voluntatis divinæ, sic Deo placuit. Nemo tantam Dei meretur merervire potest gratiam. Ideo ejus dispensatio tota est in Dei beneplacito ac libera voluntate.

Vers. 6. *In laudem gloriæ.* Id est, in laudem gloriosam, per duo substantiva, Hebræa phrasi.

Gratiæ ejus. Id est, ut gratia ejus maximis laudibus glorificaretur ac celebraretur. Docet quid spectarit Deus in hoc suo beneplacito.

In qua. Id est qua, particula *in* hic iterum redundat, ut ✠. 3, Hebræa phrasi.

Affecit nos, ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς. Nos credentes in Christum.

In dilecto. Id est, per dilectum, excellenter nimirum. Nam & in Græco articulus apponitur, ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Christum intelligit, qui excellenter & summe a Deo dilectus est Joan. XVII. 24, & unigenitus seu unicus Dei Filius dicitur, quod summe a Deo diligatur Joan. I. 14, 18. iij. 16, 18, ut propterea mirum non sit eos qui in ipsum credant, tanta gratia per ipsum a Deo affectos esse.

Vers. 7. *In quo*, id est, per quem, ut supra, *habemus.* Nos scilicet credentes in ipsum, habemus inquam a Deo, tanquam primo auctore seu principe causa, ut mox sequitur ✠. 8, 9.

Redemptionem, τὴν ἀπολύτρωσιν, cum articulo emphatico. Redemptionem nimirum singularissimam & præstantissimam. Exponit in specie singularem effectum gratiæ Dei, qua nos per Christum affecit & complexus est.

Per sanguinem ejus. In redemptione solet aliquid impendi ut aliquis liberetur. In hac redemptione impendit Deus sanguinem unici seu summe dilecti Filii sui, cujus rei typus erat sanguis victimarum.

Remissionem transgressionum. Exponit hanc redemptionem. Cum enim nobis trangressiones remittuntur a Deo, liberamur ab æterna morte, & asserimur in jus vitæ æternæ. Transgressionum nomine intelliguntur etiam gravissima peccata, à quibus nulla erat in Lege justificatio Act. xiij. 39. Impendit ergo Deus sanguinem Filii sui in remissionem transgressionum nostrarum, non in eorum persolutionem. Remissio enim & solutio adversa fronte inter se pugnant. Quare igitur, inquies, Filium suum pro peccatis nostris dedit? An si ea remittere volebat, sine hoc ea remittere non poterat, imo non debebat? Videtur enim & hoc cum remissione peccatorum simul non posse consistere. Poterat sane, idque etiam ipse Filius in deprecatione hujus tam acerbi calicis significat Marc. XIV. 36, sed quo minus id faceret in causa erat, quia nostræ saluti modis omnibus consultum ibat. Ideoque mors Christi pro peccatis nostris, non tantum cum remissione peccatorum simul consistit; sed etiam ingens & immensam illius est auctarium. Nam, (ne nunc memorem alios mortis Christi maxime salutares fructus, citra respectum ad id quod eam subierit pro peccatis nostris, qua de re vide Heb. 2. a versu 10 ad capitis finem, & IV. 15, 16, & v. 2, 7, 8, 9. xij. 2, 3) dum Deus Filium suum unicum victimam dat pro peccatis nostris, eo ipso sese nobis inæstimabili pignore obstringit, fore ut nos non tantum impunitos dimittat ac justificet, sed etiam vitam æternam nobis donet, qua simul tanta nostri, idque cum adhuc inimici essemus, dilectione, nos efficaciter ad se traxit, sibique reconciliavit: quibus de rebus vide Rom. v. 8, 9, 10. viij. 32. 2 Cor. v. 20, 21. Dum etiam non aliter nobis peccata vult remittere, quam ut Filius suus pro iis victimam se præbeat, eo ipso nos Filio suo id in se suscipienti, penitus obstringit ac mancipat, simulque declarat quantopere peccata aversetur, quippe quæ Filii sui sanguine duxerit expianda, & quantopere nos eadem in posterum aversari debeamus, nisi contemptores esse velimus mortis, & sacratissimi sanguinis Christi. Atque hinc fit, ut si peccatorum remissione per Christi sanguinem parta velimus frui, in Christum credere & peccatis in posterum mori debeamus. Cui conditioni cum tanta Dei gratia & peccatorum remissione egregie convenit: at cum eorum persolutione non convenit. Hinc fit ut qui pro suis peccatis Deo jam satis superque solutum credunt, magis hujus suæ fidei vim, quam omnes ad vitæ sanctitatem exhortationes attendant & observent. Verum quidem est, quod Deus ob mortem Filii sui pro peccatis nostris omne nostrum debitum nobis ferat acceptum; sed ista acceptilatio fit ex mera gratia, ut proinde si ea in perpetuum gaudere velimus, peccatis in posterum renuntiare debeamus. *Si in luce ambulaverimus*

bulaverimus, inquit Apostolus Joannes, *sanguis Jesu Christi, Filii Dei, mundat nos ab omni peccato* 1 Joan. 1. 7. Tam admirabile temperamentum Deus in morte filii sui adhibuit, ut ea nec ad consolandos ac resovendos peccatores quicquam esse possit efficacius, nec ad eosdem a peccatis avertendos quidquam validius. Simile temperamentum & in fidei qua Deo confidimus, eique nos totos damus, ad justitiam imputatione videmus; ut profecto Christianâ religione nihil sit divinius.

Secundum divitias gratiæ ejus. Nempe Dei, qui hac in redemptione causa principalis & primaria est. Divitias gratiæ dicit, per duo substantiva, pro divite & copiosa gratia, Hebræa phrasi, ut supra ℣. 6, & 12, 14. Docet quid Deum impulerit ut credentibus in Christum, non tantum omnes transgressiones liberaliter remitteret, sed etiam in id filii sui sanguinem impenderet, quo sic omnis qui credat in ipsum non pereat, pro transgressionibus suis, quippe filii Dei sanguine expiatis, sed hebeat vitam æternam. Nam quia Dei Filius pro peccatis nostris Dei voluntate passus est, fieri nequit ut ullus nostrum in ipsum credentium pro iisdem patiatur. Et si justus pro injustis ut maximus peccator tractatus est, quanto magis omnes injusti per ipsum & in ipso tractabuntur ut justi? Hoc effecit ditissima & copiosissima Dei gratia. Vide quam longe omnia absint ab accepta pro debitis nostris proprie dicta eaque plena solutione! Nam alioquin solvit ac luit delicta nostra Christus, quatenus eum Deus pro delictis nostris victimam dedit, & obedientiam ejus usque ad mortem, mortem autem crucis, tanti ducit & æstimat, ut omnibus in ipsum credentibus peccata condonet. Sed hæc omnia non alium fontem habent præterquam divitias gratię Dei, quę quanto majores sunt, tanto magis omnem proprie dictam, eamque plenam debiti exsolutionem tollunt & excludunt. Et sane cum Filius sit proprius Dei, per id quod suum propium erat, Deus sibi debita propria, proprie loquendo, solvere non poterat. Ab hac veritatis via, quam diximus, sumptum est errandi diverticulum, de pœnarum omnium a nobis debitarum per Christum facta proprie dicta solutione, & iis quę opinionem hanc continuatis, ut solet, erroribus consequuntur. Est enim ab initio breve veri & falsi confinium, sed in exitu ingens distantia.

Vers. 8. *Qua abundavit.* Congruenter cum divitiis. Non ergo parcum ac rigidum, multo vero minus injustum exactorem se præbuit, pœnas proprie loquendo ab innocentissimo filio pro nocentibus exigendo. Ἧς ἐπερίσσευσεν, enallage casus, propter antecedentem genitivum χάριτος. Similem constructionem habes infra cap. 2. 10, *in nos*, nempe credentes, non tantum peccata nobis gratis remittendo, sed etiam filium suum pro peccatis nostris dando, Legi nos eximendo, spiritum adoptionis nobis conferendo, & per eum variis cælestibus donis nos replendo, nullo habito ad gentem, ad conditionem, ad vitam ante actam respectu, denique ut secundum spiritum non secundum carnem ambulemus, & ut sic vitam æternam adipiscamur, efficiendo. *In omni sapientia & intelligentia.* Id est cum omni &c, *in* pro *cum* ex Hebræorum idiotismo: quasi dicat, ita in nos abundavit gratia sua Deus, ut simul nobis omnem daret sapientiam, id est scientiam & intelligentiam, arcanorum nimirum suorum, quę scire & cognoscere salutis hominum intererat. Sunt enim hæc generalia semper ad subjectam materiam referenda Joan. xvi. 30. Coloss. 2. 2. 1 Joan. 2. 28.

Vers. 9. *Notum faciens nobis mysterium voluntatis suæ.* Nempe de vocandis ad fidem in Christum, & servandis omnibus in universum gentibus, & sic, ut mox ipse exponit, omnibus in summam colligendis sequenti commate. Nam hoc magnum divinæ voluntatis mysterium seu arcanum fuisse patet ex cap. iii. 3, 5, 6, 9. Rom. xvi. 25. Ex effectu probat quod dixit de omni sapientia & intelligentia nobis a Deo communicata. *Nobis.* Id est mihi primum, deinde per me omnibus aliis cap. 2. 9, 10.

Secundum beneplacitum suum. Ostendit Deum liberrime agere quæ velit, & quę sibi placeant, ne quis Judæorum obmurmuret.

Quod proposuit in seipso. Nempe jam olim & a multis retro seculis, ne quis hoc rem novam putet, divini consilii & propositi respectu.

Vers. 10. *In dispensationem plenitudinis temporum.* Exponere incipit hoc propositum. *In dispensationem*, id est ad dispensationem, seu conformiter dispensationi, εἰς *in*, pro πρὸς *ad*, ut cap. iij. 19, vel κατὰ *secundum* cap. iij. 4, 16. Luc. xii. 42. 2 Cor. v. 10. Gal. 2. 14. Dispensationem intelligit, qua Deus certam temporis plenitudinem assignavit ad cujusque operis a se designati & constituti exhibitionem & repræsentationem. Docet cur tum demum mysterium hoc in effectum sit deductum, cur non multis ante seculis. Sic & Filium suum misit Deus quando venit plenitudo temporis, seu cum impletum est tempus huic rei a Deo designatum Gal. iv. 4. Sic & Christus dicit: *impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei* Marc. 1. 15.

In summam colligere omnia, τὰ πάντα. Articulus restringit vocem *omnia* ex materia subjecta: loquitur enim Apostolus de solis intellectu præditis creaturis. Sic infra cap. iij. 9. Col. 1. 16, 20. Est igitur hoc mysterium voluntatis divinę secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in seipso; ut, ubi tempus a se constitutum & huic rei destinatum impleretur, omnia in summam colligeret, id est omnia inter se pacaret, uniret sub uno capite Christo Col. 1. 20, in unam familiam redigeret infra cap. iij. 15, & sic omnia crearet cap. iij. 9. Col. 1. 16. Creari enim dicuntur quæ in novum & meliorem statum rediguntur. Nec sane in Epistola ad Coloss. huic parallela aliud de Christo majus dici potuit, quam quod in hac ad Ephesios dictum est. Vox ἀνακεφαλαιοῦσθαι eodem modo accipitur Rom. xiij. 9.

In Christo. Ist est, per Christum cap. iij. 9.

Quæ & in cælis (sunt) *& quæ in terris.* Omnia illa distribuit in duas partes, in ea quę in cælis sunt, id est Angelos sanctos, & in ea quę in terris sunt, id est homines. Neutrum sumitur pro communi, sic & Col. 1. 2. Deus Angelos & homines in summam collegit & univit per Christum, dum & Angelos sanctos, & homines omnes inter se fecit amicos & unam familiam suam per Christum. *In ipso*, id est per ipsum. Repetit per pronomen, in distributione omnium, quod dixit per nomen, in genere omnium. Cæterum hæc non tam de effectu sunt intelligenda quam de efficacia. Sufficit quod Deus efficacissimas causas homi tibus omnibus dederit, ut in Christum crederent; qui non credunt, ipsi sibi causa sunt æterni interitus, nec attendi debent.

Vers. 11. *In quo.* Id est per quem, solita phrasi. Pergit in commemorandis Dei beneficiis quæ per Christum sumus adepti.

Et sortem adepti sumus. Nempe omnes credentes, sine ullo gentium discrimine, ἐκληρώθημεν, κληρῶσθαι est possessionem accipere, voce a sortibus sumpta, quod in divisione possessionum sortibus uterentur, quam quisque partem acciperet: hinc & cujusque pars sors appellatur. Igitur per Jesum Christum etiam sortem accepimus, id est, jus ad sortem seu possessionem & hæreditatem cælestem, de qua mox ꝟ. 14. quæ etiam a sortibus κληρονομία dicitur, Jesu Christi typus, & ob hoc ipsum cognominis erat Jesus filius Nun, per quem Israëlitæ sortiebantur possessionem terræ Cananææ.

Prædefiniti. Nempe ad hanc hæreditatem. Vide ꝟ. 5. Quia credentes in Christum Deus prædefinivit, nempe ante mundi constitutionem ad hæreditatem cælestem, idcirco etiam postquam Christus venit & a Deo est exhibitus, omnibus in ipsum credentibus jus ad eam dedit per eundem Christum.

Secundum propositum ejus qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Supra versu 5 dixit, *prædestinavit nos in adoptionem, secundum beneplacitum voluntatis suæ*, eodem sensu. Nimirum credentes in Christum Deus ante secula definivit ad regni cælestis possessionem. Quare? quia sic facere proposuit. Et hoc quare? quia sic voluit, seu quia omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ. Est enim Dominus absolutissimus. Maluit Deum hoc modo describere quam nominare, ut causam insinuaret istius propositi divini. Τὰ πάντα dicit, cum articulo, ut intelligamus illa omnia, quæ Deus operatur: quasi dicat, qui omnia quæ operatur secundum consilium voluntatis suæ operatur.

Vers. 12. *Ut essemus.* Finem indicat tanti Dei beneficii in admissione gentium ad sortem Regni cælestis.

In laudem gloriæ, id est, in laudem gloriosam, ut supra ꝟ. 6, & mox ꝟ. 14, *ejus*. Id est, ut eum gloriosissimis laudibus afficeremus.

Nos qui ante speravimus in Christo. Nempe antequam gentes in eum sperare inciperent, ut nos, inquit, Judæi, qui primi in Christo sperare cœpimus, quippe quod nobis esset promissus, maximis laudibus & gloria Deum afficeremus, quod etiam Gentes vocarit ad Christum, & iis sortem dederit una nobiscum per fidem in ipsum. Non invidemus Gentibus tantam felicitatem, sed summopere gaudemus, & iis congratulamur, & Deum omni genere laudum eo nomine cumulamus. Vide Act. xi. 18.

Vers. 13. *In quo*, id est, per quem, *& vos.* Quasi dicat, non tantum nos Judæi, sed & vos Gentes. Aliud Dei beneficium maximum commemorat in Judæos & Gentes per Christum ex æquo collatum, priori beneficio annexum, ut ex ꝟ. 14 apparet.

Audito sermone veritatis. Id est, verissimo & qui veritas est ipsa, Hebræa phrasi, per duo substantiva, eadem qua *laus gloriæ* dicitur ꝟ. 6, 12, 14.

Euangelio salutis vestræ. Id est de salute vestra, de vita æterna vobis per Christum danda, per genitivum objecti. Appositione declarat quid per sermonem veritatis intelligat.

In quo, nempe Euangelio, *& credentes.* Hebræa phrasi dicitur *credere in Euangelio* Marc. i. 15, pro credere Euangelio. Particula *in* respondet lamed, notæ dativi casus.

Obsignati estis spiritu promissionis sancto. Quasi dicat, non minus quam nos Judæi. Vide Act. xi. 15, 16, 17. Neque hoc tantum donum Spiritus Sancti, vobis gentibus denegavit Deus, *obsignati estis*, nempe ut paulo post additur,

In redemptionem acquisitionis. Sigillo, quod Spiritus Sanctus est, & vos obsignati estis a Deo per Christum, nempe ut & vobis certo constet vos salvatum iri, & ut Deus vos omnino salvet per Christum. Sigillum enim & confirmat literas quibus adpressum est, & obligat obsignantem. *Spiritus promissionis* dicitur, more Hebræo, pro spiritu promisso, ut *sermo veritatis, laus gloriæ.* Christus enim hunc spiritum promisit omnibus in se credituris. Ideo etiam dicitur baptizaturus in Spiritu Sancto Act. xi. 16. Epitheton sancti definit hunc spiritum, quod & ipse sanctus sit, & eos quibus datur sanctos efficiat. Progreditur autem Apostolus ad hoc donum suis gradibus, primum enim audire Euangelium necesse est, deinde Euangelio credere; fides autem est ex auditu, auditus per verbum Dei Rom. x. 17. Post fidem demum Euangelio adhibitam obsignamur Spiritu Sancto, ut etiam ex sacra historia constat Act. i. 8. ii. 1, 2, 3, 4, 38. v. 32. viii. 15, 16, 17. xix. 5, 6.

Vers. 14. *Qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Hæc verba in parenthesi sunt legenda: quasi dicat, quid mirum est vobis etiam Spiritum Sanctum esse datum, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, cum & vos ad hanc hæreditatem admissi sitis? Quid mirum inquam est arrhabonem hæreditatis datum esse iis, quibus ipsa hæreditas dabitur? Nam quia per Christum ἐκληρώθημεν, etiam accepimus arrhabonem τῆς κληρονομίας. Arrhabo dicitur quod ad fidem faciendam in antecessum datur, & pars est condicti seu promissi. Nam pignus prævalens aut saltem æquivalens solet esse promisso vel condicto. Quia ergo Deus nondum nobis de facto dat κληρονομίαν nostram, quam ἐκληρώθημεν per Christum; dat ejus arrhabonem, Spiritum nimirum suum Sanctum, quem per Christum promisit.

Hæreditatis nostræ. Quasi dicat, qui credimus in Christum sive simus ex Judæis sive ex gentibus.

In redemptionem acquisitionis. Intellige, obsignati estis. Nam & infra cap. iv. 30 dicit, *nos in Spiritu Sancto obsignatos esse in diem redemptionis*, hic dicit *in redemptionem acquisitionis*, id est in id ut cum redimetur acquisitio, etiam vos redimamini. Redemptio hic liberationem significat corporis nostri Rom. viij. 23, ut non tantum animo nostro bene sit, sed etiam corpori, cum liberabimur ab omnibus afflictionibus & a morte, & ex morte ad vitam beatam & immortalem. Acquisitio Hebræa phrasi ponitur pro acquisito populo, Christiano nimirum, quem Deus Filii sui impensa & per sanguinem ejus acquisivit Act. xx. 28. Acquisitionem enim hanc suam tanto impendio partam haud dubie redimet Deus, ad quam quia & vos pertinetis, quippe Spiritu Sancto obsignati, haud dubie & vos redimemini. Sic præputium pro præputiatis, circumcisio pro circumcisis cap. 2. 11.

In laudem gloriæ, id est, in laudem gloriosam ut ꝟ. 6, 12, *ejus* nempe Dei. Docet quem in finem Deus etiam profanas gentes, postquam crediderunt annunciato sibi Euangelio, Spiritu Sancto obsignaverit, in hunc nimirum, ut ex eo laudem consequeretur gloriosissimam,

ſiſſimam, tam a Judæis qui primi ſperarunt in Chriſto, tantam Dei gratiam erga gentes admirantibus ℣ſ. 12. Act. x. 45. xxi. 18, 20, quam ab ipſis gentibus tantam gratiam adeptis, & Judæis etiam in hoc tam eximio Spiritus Sancti dono exæquatis Act. x. 46, 48. xi. 15, 17.

Verſ. 15. *Propter hoc.* Nempe quod Deus laudem ex tanto munere in gentes collato quærat glorioſiſſimam, *& ego:* quaſi dicat, quem id vel maxime decet.

Audiens quæ ſecundum vos eſt fidem in Domino Jeſu. Id eſt, veſtram in Domino Jeſu fidem, conſtantem nimirum & firmam.

Et charitatem in omnes ſanctos. Id eſt Chriſtianos, quæ fructus eſt fidei in Domino Jeſu, & fidem reddit non vanam & inanem. Fidei addit charitatem, ſine qua fides nihil eſt 1 Cor. xiij. 2.

Verſ. 16. *Non ceſſo.* Nempe debito tempore,

Gratias agens. Id eſt, gratias agere & Deum glorioſiſſimis laudibus afficere,

Pro vobis. Quod ſcilicet vobis ſortem dederit inter ſanctos, & Spiritu Sancto vos obſignarit in redemptionem acquiſitionis, cum videam hanc tantam Dei gratiam in vos tam bene collatam eſſe.

Mentionem veſtri faciens in precibus meis. Quaſi dicat, gratiarum actioni pro vobis addo etiam preces meas pro vobis. Hoc enim veſtra fides in Domino Jeſu & charitas ergo omnes ſanctos meretur.

Verſ. 17. *Ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Id eſt ille unus, Deus abſolute ſeu ſubjective & κατ' ἐξοχὴν dictus, qui ſicut omnium ſic & Domini noſtri Jeſu Chriſti Deus eſt Joan. xx. 17. Apoc. iij. 12, & caput Chriſti 1 Cor. xi. 3, & ſicut nos Chriſti ſumus, ſic Chriſtus eſt Dei 1 Cor. iij. 23. Patet hinc Chriſtum Dominum noſtrum, non magis Deum illum unum eſſe, quam Domini noſtri Jeſu Chriſti Deum.

Pater gloriæ. Id eſt, Pater glorioſiſſimus, per duo ſubſtantiva, Hebræa locutione. Per appoſitionem magis declarat Deum illum unum, Pater, inquit, ille glorioſiſſimus, intellige, tam Chriſti ipſius quam noſtrum omnium qui credimus in Chriſtum. Glorioſiſſimus dicitur, quod habitet in ſumma gloria, & quod illi debeatur omnis gloria, tanquam & Chriſti, & omnium bonorum quæ ſunt in Chriſto & per Chriſtum unico Auctori. Vides hic unum illum Deum non alium dici quam Deum & Patrem Chriſti.

Det vobis ſpiritum ſapientiæ. Id eſt, ſpiritum qui vos ſapientes reddat, per genitivum effecti, ſapientiam intelligit multo majorem ac pleniorem. Loquitur enim de rebus ad ſalutem ſpectantibus.

Et revelationis. Id eſt, qui vobis revelet arcana & abdita. Explicatio eſt prioris, nam qui arcana & abdita novit, ſapiens eſt.

In cognitione, id eſt per cognitionem, *ejus.* Nempe Dei. Declarat quam ſapientiam quam revelationem intelligat, nempe eam quæ fit per cognitionem Dei, ſeu quæ in cognitione Dei poſita eſt, proinde in cognitione arcanorum Dei ad ſalutem noſtram ſpectantium.

Verſ. 18. *Illuminatos oculos mentis veſtræ.* Non corporis, ſed mentis, per metaphoram a corpore. Rem eandem magis exponit per ſpecies.

Ut videatis, vel *ſciatis.* Oculi enim mentis vident cum ſciunt.

Quæ ſit ſpes vocationis ejus. Nempe Dei, id eſt, quanta & ſimul quam certa ac firma ſit ſpes quæ ex Dei vocatione qua vocati eſtis proficiſcitur, per genitivum cauſæ.

Et quæ divitiæ gloriæ. Id eſt, quæ divitiæ glorioſæ, ut paulo ante ℣ſ. 17, vel quę divitię glorię, id eſt ſplendoris, honoris, dignitatis, beatitatis ſint.

Hæreditatis, τῆς κληρονομίας ejus, in ſanctis. Id eſt, poſſeſſionis quam ſortibus dividet inter ſanctos. Hæreditas Dei dicitur per genitivum datoris, vel ejus cujus hæredes futuri ſumus. Erimus enim hæredes Dei & cohæredes Chriſti Rom. viij. 17.

In ſanctis. Id eſt, inter ſanctos. *In* pro *inter*, ex Hebræorum uſitato idiotiſmo. Inter ſanctos enim iſta dividetur hæreditas.

Verſ. 19. *Et quæ excellens* (ſit) *magnitudo potentiæ ejus erga nos credentes.* Ad dandam ſcilicet nobis hanc hæreditatem, ut immenſam Dei potentiam cognoſcentes, nihil de vocationis & promiſſionis divinę, & fidei ac ſpei noſtræ dubitemus effectu. Hanc optime noverat ipſe Apoſtolus, ideo alibi ait, *perſuaſus ſum quod neque mors, neque vita nos ſeparare poſſit* &c. Rom. viij. 38, 39.

Secundum efficaciam roboris virium ejus. Exponit cauſam noſtræ fidei, ſeu quid faciat ut credamus, fore ut nos Deus ex mortuis reſuſcitet & ad vitam immortalem & hæreditatem cœleſtem. Efficacia nimirum roboris virum ejus.

Verſ. 20. *Quam operatus eſt in Chriſto.* Exponit hanc efficaciam, id eſt efficaciæ iſtius effectum. Neque enim ipſam efficaciam operatus eſt, ſed eam exercuit per effectum in Chriſto.

Suſcitans eum ex mortuis. Exponere incipit hunc effectum, quod ſcilicet eum ſuſcitaverit ex mortuis, cur igitur non credamus Deum etiam nos ex mortuis ſuſcitaturum eſſe, cum id ſe facturum nobis per Euangelium promiſerit, & ad hanc fidem ipſe nos vocarit, idque etiam ipſa noſtri cum Chriſto tanquam membrorum cum capite conjunctio repoſcat?

Et ſedere fecit in dextera ſua. Id eſt, ad dextram ſuam, Hebræa phraſi,

In ſupercæleſtibus. Intellige locis. Cur ergo non itidem credamus fore ut etiam nos Deus in eadem ſupra cælos omnes loca transferat, ubi eſt dux fidei noſtræ & caput noſtrum Chriſtus? Potuit Chriſtum a dextris ſuis collocare, & in eum locum evehere, quo nullus in cælis dari cuiquam a Deo poteſt excelſior ac ſublimior; quanto magis poterit nos in Chriſtum credentes multo infra, in ſupercæleſtibus collocare?

Verſ. 21. *Supra omnem principatum.* Docet quam ſublimis & excelſus ſit iſte locus, proinde & Chriſti dignitas ac majeſtas, id eſt ſupra omnes principes, quorum prima eſt dignitas ſupra alios ſui generis.

Et poteſtates. Id eſt, ſupra omnes qui poteſtatem habent in alios.

Et potentiam. Id eſt, ſupra omnes qui præ cæteris potentia & viribus excellunt.

Et dominationem. Id eſt, ſupra omnes aliorum dominos. Abſtracta ponuntur pro concretis.

Et omne nomen. Proinde supra omnem dignitatem quocunque nomine significatam.

Quod nominatur. Ad exprimendam videlicet alicujus dignitatem.

Non solum in seculo hoc. Nempe præsenti, in quo nunc vivimus, id est in terris, quale est nomen Regum & Imperatorum.

Sed etiam in futuro. Nostri nirirum respectu, id est in cælis. Docet Christum sedere longe sublimius & excelsius, non solum quam omnes quotquot sunt in terris, & inter alios homines; sed etiam quotquot sunt in cœlis inter Angelos sublimes & excelsi. Hoc est quod alibi idem Apostolus dicit, Deus *Christum* ὑπερύψωσε *superexaltavit, & donavit ei nomen supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu sese flectat supercælestium, & terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus (sit) Jesus Christus, ad gloriam Dei Patris* Phil. 2. 9, 10, 11.

Vers. 22. *Et omnia scilicet sub pedes ejus.* Id est, non tantum eum omnibus longe fecit excelsiorem ac sublimiorem; sed etiam omnia absolutæ potestati ejus subjecit, per metaphoram ab hominibus. Hinc Petrus, *Christus est a dextris Dei, profectus in cælum, subjectis ei Angelis & potestatibus & virtutibus* 1 Pet. iij. 22. Quod si ergo Deus absolutam in omnia potestatem Christo dedit, quæ dubitatio esse potest, fore ut nos per Christum servet, & sicut promisit, ex morte eripiat, & in cælestium bonorum possessionem inducat? An Christus id non faceret, qui omnia facere potest? an mortem ultimum inimicum pedibus suis non subderet, qui regnare jussus est donec omnes inimicos suos scabellum pedum suorum faciat, id est, eos perdat & exterminet? 1 Cor. xv. 24, 25.

Et ipsum dedit caput super omnia ecclesiæ. Hoc in specie addit. Si enim Deus Christum dedit caput ecclesiæ, fierine potest ut ecclesiam, & consequenter ullum ecclesiæ membrum deserat & perire sinat? Et cum ipsum Christum caput ecclesiæ dederit, ut eam curet, regat, salvet, quis dubitet, quod & possit, & omnino velit ecclesiam & omnia membra ejus servare ac porro servaturus sit? Ecclesia significat omnes in Christum credentes: qui ecclesia dicuntur, quod evocari & convenire soleant ac debeant, ad Dei & Christi laudes dicendas, ad preces conjunctim faciendas, ad sermonem divinum audiendum, ad mutuam ædificationem & communem curam, seu sacram inter sese communionem ac societatem exercendam.

Caput super omnia. Id est, caput tale quod super omnes & omnia longe eminet ac potestatem habet; ne quis putet illius curam & servandæ ecclesiæ voluntatem ab ullo vel ulla re impediri posse. Neutrum usurpatur pro communi, ut & supra ℣. 10, & mox sequenti commate.

Vers. 23. *Quæ est corpus ejus.* Nempe singulari & magis propria ratione quam Angeli, quorum etiam caput est Christus Col. 2. 10. Sed cum ecclesia Christus communionem habet generis, & ecclesia est os ex ossibus & caro ex carne ejus, non tantum ejusdem generis respectu, sed etiam quatenus originem suam ratione fidei & conversationis suæ ex illo traxit. Cujus rei typus erat Eva ex Adami ossibus & carne formata, vide cap. v. 30. An ergo fieri potest ut Christus hoc corpus suum & ullum hujus corporis sui membrum deserat & perire sinat?

Plenitudo ejus qui omnia in omnibus implet. Appositio, qua ecclesiam Christi magis describit, ut quantopere Christus ecclesiam suam curet appareat. Ecclesiam dicit plenitudinem, quod plena sit rerum ad salutem pertinentium, & imprimis rerum divinarum cognitione. Est enim plenitudo earum rerum quibus impletur ab eo qui omnia in omnibus implet, id est, a Christo. At is non aliis rebus omnia in omnibus implet, quam ad salutem pertinentibus. Describere sic maluit Christum quam nominare, quia enim ecclesiam dixit plenitudinem, recte & convenienter ad plenitudinis istius explicationem dicit *plenitudo ejus qui omnia*, id est omnes, ut paulo ante, vel omnia membra,

In omnibus. Id est omnibus, nempe ad salutem pertinentibus pro cujusque ratione. Particula *in*, more Hebræo redundat,

Implet. Ne quidquam ulli ad plenitudinem sibi convenientem desit, vel etiam, qui etsi nemini uni conferat omnia, tamen omnibus confert omnia, quibus alii aliis inserviant, & sic mutuis inter se conjungantur officiis. Quo ex effectu manifestum est quam sibi charam habeat ecclesiam suam, & quam diligenter salutem ejus procuret. Unde certissimo argumento colligere licet quod eam tandem & omnia ejus membra servaturus sit!

CAPUT II.

Vers. 1. **E**T *vos.* Commemorata resuscitatione & exaltatione Christi, docet ipsos etiam simul cum Christo resuscitatos & in cælis collocatos esse, extollens & deprædicans hac in re Dei gratiam. *Et vos*, ex gentibus nimirum,

Cum essetis mortui. Id est, morti æternæ damnati. Nam ad mortem damnati merito dicuntur jam mortui, per metonymiam effecti.

Transgressionibus & peccatis. Id est, propter transgressiones & peccata. Articuli in Græco additi transgressiones & peccata notant gravia, qualia gentium erant profanarum, quæ porro describit,

Vers. 2. *In quibus quondam.* Cum scilicet nondum essetis ad Christum conversi,

Ambulastis. Id est versati estis, quæ continuo perpetrabatis. Per ambulationem enim Hebræi continuas & consuetas vitæ actiones significant: quia mortalibus ambulando vita teritur.

Secundum seculum mundi hujus. Id est secundum hujus mundi mores. Seculum pro moribus, per metonymiam continentis,

Secundum principem potestatis aëris. Id est secundum eum qui principem agit potestatis in aëre habitantis, per genitivum loci, spirituum nimirum malorum in supercælestibus seu superaëreis locis cap. vi. 12. Potestatis voce, Angelos seu spiritus significat huic principi subjectos, propter eorum potestatem.

Spiritum qui nunc operatur in Filiis inobedientiæ. Appo-

Appositione declarat istum principem, & eum Diabolum esse ostendit, quem spiritum dicit propter spiritualem ejus essentiam. In Græco τοῦ πνεύματος, pro τὸ πνεῦμα, per enallagen casus, propter antecedentes genitivos: *Qui nunc operatur in Filiis inobedientiæ*, id est, in hominibus qui persuaderi sibi non patiuntur tam illustrem veritatem Euangelii: quos Filios inobedientiæ Hebræa phrasi appellat. Hoc ipsum in iis operabatur diabolus ne obedirent Euangelio, & ea quæ hinc sequi solent, odium veritatis & eorum qui eam profitentur; hinc persecutiones sanctorum, & in vitiis ac erroribus obstinata pertinacia. Nimirum Deus operatur in probis, diabolus in improbis. *Nunc* dicit, propter notabilem ejus in tanta luce Euangelii operationem.

Vers. 3. *In quibus.* Id est inter quos, nempe filios inobedientiæ,

Et nos omnes. Qui scilicet ex Judæis sumus, nemine excepto.

Conversati sumus quondam. Nimirum antequam fidem in Christum susciperemus,

In cupiditatibus carnis nostra. Exponit conversationem priorem.

Facientes ea qua volebat caro & cogitationes. Prioris declaratio. Cogitationes intelligit carni ministrantes, sine quibus caro nihil faceret.

Et eramus Filii natura ira sicut & reliqui. Consequens prioris. Unde patet hic agi de peccatis actualibus, non de peccato aliquo cujus nulla culpa sit in nobis, quod proinde peccatum nominare etiam contradictio est. Filius natura, est Filius naturalis, proinde verus. Itaque Filii naturâ iræ, sunt Filii veri iræ, nempe divinæ, id est, iræ divinæ subjecti & obnoxii, ut Filii solent. Sic paulo ante Filii inobedientiæ, id est inobedientiæ dediti, quod Filiorum est erga parentes. Metaphora est, & in vocibus *Filiorum natura*, quibus significatur subjectum & obnoxium esse, & in vocibus *Filiorum ira*, quibus significatur iræ subjectum & obnoxium esse. Egregie docet Apostolus etiam natura Judæos fuisse natura Filios iræ. Vide Gal. 2. 15, 16, 17.

Sicut & reliqui. Sive Judæi non credentes Euangelio, sive reliqui homines, id est gentes. Tam Judæi quam gentes obnoxii & subjecti erant iræ & damnationi propter peccata sua, nullo excepto Tit. III. 3. Rom. III ℣ 10 & sequentibus.

Vers. 4. *Deus autem.* Docet quid Deus utrisque & gentibus & Judæis fidem in Christum amplexis fecerit.

Dives cum esset in misericordia. Id est misericordiâ, vocula *in* ex Hebræorum idiotismo redundante. Notat quid Deum commoverit.

Propter multam dilectionem suam, qua dilexit. In Græco ἣν *quam*, propter antecedentem accusativum, ut ℣. 2 & 10 *nos.* Postquam nimirum in Christum credidimus, tam Judæos quam gentes. Dilectio plus est quam misericordia.

Vers. 5. *Et cum essemus mortui.* Nempe tam nos Judæi quam vos gentes, id est, cum essemus æternæ morti damnati. Particula & hoc loco Hebræa phrasi redundat.

Transgressionibus. Id est propter transgressiones.

Vivificavit cum Christo. Id est, sicut Christum vivum fecit vita æterna & immortali, sic & nobis vitam dedit æternam, quatenus nobis dedit jus vitæ æternæ. Sicut enim mortuos nos dixit, quod essemus ad mortem damnati, sic merito dicit vivificatos, quod mortis reatu soluti jus vitæ æternæ simus adepti. Dedit autem nobis jus vitæ æternæ, quia eam nobis in Christum credentibus promisit, & ut nobis promissionis suæ fidem faceret, Christum & in mortem tradidit, & ex mortuis vivum & rerum omnium Dominum effecit. Itaque Christo vivificato, simul omnes cum ipso vivificati sumus.

Gratia estis servati. Inserit hoc epiphonema, & infert ex superioribus: quasi dicat, quia ergo cum peccatis essetis mortui & nunc vivificati sitis cum Christo, patet hinc, idque vobis semper infixum esse debet, vos gratia, nimirum Dei, servatos, id est in jus æternæ vitæ assertos esse.

Vers. 6. *Et simul suscitavit.* Nempe cum Christo. Post insertum epiphonema redit ad orationis cœptæ contextum. Resuscitatos esse nos cum Christo diserte dicit, ne quis mortem intervenientem reformidet. Sicut enim Christus ex morte suscitatus est, sic & nos una cum ipso suscitati sumus, quatenus jus suscitationis certissimum adepti sumus. Mortuus enim est Christus propter transgressiones nostras, & suscitatus est propter justificationem nostri Rom. IV. 25.

Simul collocavit in supercalestibus. Cum Christo nimirum. Nondum quidem ipso facto, sed jure certissimo. Nam ubi Christus est nostrum caput cap. I. 23, ibi ut & nos corpus ejus, & singuli corporis ejus membra simus necesse est.

In Christo Jesu. Id est per Christum Jesum, cui potestatem nos vivificandi & suscitandi & in supercælestibus locis collocandi dedit.

Vers. 7. *Ut demonstraret in seculis supervenientibus excellentes divitias gratia sua, in benignitate*, id est per benignitatem, *erga nos in Christo Jesu.* Id est, quam erga nos per Christum Jesum exercuit. Quæ sane benignitas quia ingens & immensa est, vere Deus per eam demonstravit excellentes divitias gratiæ suæ in seculis supervenientibus, ut scilicet in iis constaret nullum esse peccatorem, cui ad fidem in Christum tempestive converso via ad salutem æternam non pateat. Simile quid Paulus de benignitate sibi per Christum exhibita dicit I Tim. I. 16.

Vers. 8. *Gratia enim estis servati.* Nunc intexit quod antea tantum inseruerat ℣. 5. Rationem reddit cur tantopere Dei benignitatem per Christum nobis exhibitam extollat.

Gratia enim, inquit, *servati estis.* Quasi dicat, vos maximi peccatores & jam ob peccata mortui.

Per fidem. Nempe in Deum per Christum: quasi dicat, per hoc tantum quod in Deum per Christum credideritis, quod quàm facile ac pronum factu vobis fuit.

Et hoc non ex vobis, Dei hoc donum est. Quasi dicat, & hoc ipsum ut crederetis vobis donavit Deus. Ita omni ex parte Dei gratia elucet. *Non ex vobis*, nempe tanquam fidei istius auctoribus.

Dei hoc donum est. Fides enim est ex auditu, auditus per verbum Dei Rom. X. 17: quasi dicat,

Deus vobis misit verbum suum, & audire vos fecit Euangelium suum, tot tantisque divinitatis argumentis confirmatum. Ita vobis donavit fidem & assensum; id tantum egistis, ut fidem quam vobis donabat non excuteretis, sed acciperetis, quod in omni dono locum habet.

Vers. 9. *Non ex operibus.* Illustrat dictum per negationem contrarii. *Non ex operibus*, nempe *servati estis.* Opera intelligit justitiæ, quibus adeo carebant & Judæi & gentes, ut essent ob peccata mortui.

Ne quis glorietur. Nempe se servatum esse ex operibus. In genere dicit, *ne quis:* quasi dicat, sive sit Judæus sive Græcus. Etsi enim multi erant qui secundum literalem & externam Legis disciplinam essent inculpati, inter quos & ipse Paulus ante fidem in Christum Phil. iij. 6, tamen quantulum hoc erat ad veram justitiam! etiamsi vero justitiæ veræ justificatio deberetur; tamen & vita æterna & vera illa animarum salus neutiquam deberetur; nisi & hic accederet ingens & immensa Dei gratia. Est enim sine ulla comparatione majus bonum vita æterna, quam ulla potest esse hominum justitia.

Vers. 10. *Ipsius enim sumus opus*, ποίημα. Confirmat dictum per occupationem, ne quis dicat, atqui Christiani bonis operibus plane sunt dediti & iis abundant. Verum hoc est, inquit, sed hæc opera accepta ferri debent Deo. Quidquid enim nos Christiani bonis in operibus sumus, Dei ποίημα. Dei opus sumus. Hoc sensu Israëlitæ dicunt, *Deus nos fecit , & non nos* Psal. c. 3, vel Deus fecit Mosen & Aaron: sic fecit & Christum Hebr. iij. 2.

Creati in Christo Jesu. Id est renovati per Christum Jesum. Renovare enim etiam creare est ℣. 15, cap. iij. 19. Sic Psal. LI. 12: *Cor mundum crea in me Deus*, id est, renova cor meum ut mundum fit.

Super bonis operibus. Id est, propter bona opera, seu bonorum operum causa, sic accipitur ἐπὶ Luc. I. 29. Act. XXVI. 6, vel ad bona opera, ut 1 Thess. IV. 7. Spiritus Christi ex fide in Christum profluens, maximus est bonorum operum magister & effector.

Quæ preparavit Deus. Nempe ante secula, in suo consilio ac decreto. Hinc sapientia, quæ lege divina, multo vero magis Euangelio continetur ac docetur, apud Deum, antequam mundum conderet, fuisse dicitur Proverb. viij: quam qui de Christo interpretantur, non intelligunt sapientiam istic, orationis figura, tanquam personam, eamque muliebrem, & stultitiæ oppositam induci. Græcus textus habet οἷς προητοίμασεν, propter antecedentes dativos, ἔργοις ἀγαθοῖς.

Ut in iis ambulemus. Nempe tanquam in via a Deo præparata, & ad vitam æternam ducente. Similem phrasin habuimus in re contraria, id est, in peccatis ℣. 2. Locus hic docet bona opera Christianorum quæ post fidem & per fidem in Christum fiunt, sicut gratiæ divinæ nihil præjudicent; quippe quę Dei potius sint in nobis, opera quam nostra; sic nisi in iis ambulemus, nos ad vitam æternam haud esse perventuros. Nec mirum, via enim sunt ad vitam a Deo præparata, & fructus sunt fidei in Christum & spiritus Christi, ac renovationis nostræ seu novę creationis potissima pars. Nec vero Deus eam perfectionem a nobis requirit quæ supra nostras sit vires; sed ut ambulemus in bonis operibus. Qui ambulat, cavet quidem sibi quantum potest ab omni cespitatione, multo vero magis ab omni lapsu; sed tamen si cespitare contingat, mox corrigit gressum; si vero etiam prolabi, mox se erigit & ambulationem continuat. Idem fit & fieri debet in ambulatione spirituali. Hinc iis qui secundum spiritum non secundum carnem ambulant, in Christo Jesu, id est per Christum Jesum, (qui istius ambulationis effector est in nobis,) nulla dicitur esse damnatio Rom. viij. 1. Deus nobiscum agit paterne, clementer ac liberaliter, dummodo & nos liberaliter., & ut Filios obedientes decet agamus. At si nos carni dedamus, & secundum carnem ambulemus, seu ambulemus in vitiis ac peccatis, Dei Filii non sumus, nec hæredes erimus Rom. viij. 13, 14. Ita patet quomodo ex operibus servati, & jus vitæ æternæ adepti non simus, & rursus quomodo post fidem opera cooperentur fidei in nobis ad salutem perducendis; quod asserit Jacobus, cum hominem ex operibus justificari docet, non ex fide tantum cap. 2. 24.

Vers. 11. *Propter quod.* Nempe a me dictum, de vobis Dei gratia per fidem servatis.

Memineritis. Quasi dicat, id enim vos semper in officio Christianæ pietatis continere poterit.

Quod vos quondam. Nempe ut ℣. sequenti dicit, *in tempore illo, sine Christo.* Proponit iis plenius preteritum eorum miserabilem statum, ut ejus perpetuo memores, tanto magis Deo gratias agant & Deum ardentius ament. Suspendit hic orationem, quam ℣. 3 sequenti resumit ac continuat.

Gentes in carne. Describit eos quos alloquitur, vos gentes in carne, id est, qui gentes in carne estis: quasi dicat, nam in spiritu non amplius gentes estis.

Qui dicimini preputium. Rem magis declarat, preputium pro preputiatis ut cap. 1. 14, acquisitio pro acquisitis, & mox circumcisio pro circumcisis.

Ab ea quæ dicitur circumcisio in carne, manufacta. Id est, ab iis qui dicuntur circumcisi, propter circumcisionem in carne, manufactam: quasi dicat, a nobis Christianis non amplius dicimini preputium; sed ab ea quę dicitur circumcisio in carne, manufacta: quasi dicat, quę & ipsa non vera est circumcisio, in spiritu scilicet, non in carne, nec manu humana, sed spiritu Dei facta.

Vers. 12. *Quod eratis.* Redit ad cœptam orationem: quasi dicat, quod inquam eratis,

In tempore illo sine Christo. Id est, in tempore illo quo sine Christo eratis, quo nondum Christum habebatis cognitum nec in eum credebatis.

Alienati a republica Israëlis. Id est ad rempublicam ac politeiam Israëlis non pertinebatis, tanquam alieni & extranei.

Et peregrini fœderum promissionis. Id est nihil pertinentes ad fœdera quibus Deus promissionem de Messia Israëlitis sanxit.

Spem non habentes. Nempe venturi Messiæ, quæ ex fœderibus promissionis manabat.

Et athei in mundo. Quasi dicat, quod omnium pessimum erat. Eratis in mundo sine Deo, vero nimirum & vivo, rerum omnium creatore, quatenus eum non habebatis cognitum, nec colebatis.

Servie-

Serviebatis iis qui non natura, nempe rei, sed opinione tantum sunt Dii Gal. iv. 8. Si veri Dei cultores fuissetis, etiamsi ad Israëlis politeiam & fœdera promissionis, & spem non pertinuissetis, non tam miserandus fuisset vester pristinus status. At atheum esse in mundo, quem Deus creavit, ut ex suo opificio cognosceretur ab hominibus, mente hunc ipsum in finem præditis ab Opifice, id vero omnium erat maxime miserandum & extremum malorum.

Vers. 13. *Nunc autem.* Præterito illorum miserrimo statu opponit statum præsentem. *Nunc autem*, inquit, *in Christo Jesu.* Id est, postquam Christo Jesu inserti estis per fidem in ipsum, nec amplius estis sine Christo. Opponuntur enim inter se χωρὶς Χριστοῦ & ἐν Χριστῷ, *sine Christo* & *in Christo*.

Vos qui quondam eratis longe. Seu procul, nempe a politeia Israëlis, a fœderibus promissionis, a spe de Messia, a Deo.

Prope facti estis. Nempe & ab Israële, ac bonis omnibus Israëli promissis & exhibitis, & à Deo.

In sanguine Christi. Id est per sanguinem Christi: quasi dicat, quem non minus pro vobis gentibus, quam pro Judæis in remissionem peccatorum fudit, & peccata vestra expiavit, & quo Novum Fœdus omnes gentes complectens sanxit ac ratum fecit, & vos ad se adduxit.

Vers. 14. *Ipse enim est pax nostra.* Id est, causa & effector pacis nostræ, per metonymiam effecti. Confirmat quod dixit, illos Christo insitos prope factos esse. Pacem intelligit inter Judæos & gentes, quæ quamdiu non erat, utrisque a se invicem moribus & religione dissidentibus, tamdiu alii ab aliis procul erant. *Qui fecit utraque*, id est utrosque, ut paulo post vf. 16 dicit, neutrum pro communi, *unum*. Exegesis prioris. Quia enim & Judæos & gentes unum fecit, ideo pax est nostra. Unum autem fecit in religione, in cultu veri Dei, in vita ac moribus, per communem utrisque in se fidem. Hic non duo tantum, sed multi sunt unum.

Et intermedium parietem septi. Per genitivum effecti, id est, quo gentes & Judæi a se invicem separabantur & dissepiebantur, ut in unum ovile convenire possent.

Solvit. Id est, sustulit, amovit.

Vers. 15. *Inimicitiam.* Id est, causam inimicitiæ inter Judæos & Gentes, per metonymiam effecti. Rem magis declarat.

In carne sua. Id est per carnem suam, quam scilicet hunc in finem solvi ac destrui passus est.

Legem mandatorum. Id est, Legem quæ sunt mandata, per genitivum differentiæ.

In placitis. Id est, circa placita vel de placitis: quasi dicat, non de rebus per se ac natura sua justis, sed *de placitis*, id est, de rebus quæ non aliud fundamentum habent quam quod sic placuerit legislatori. Non habent fundamentum in naturali honestate & justitia. *Destruens*, ne scilicet amplius ullam vim haberet obligandi. Legem intelligit de circumcisione, de ritibus ac cærimoniis, qui vere intermedius paries septi erat, & causa inimicitiæ & abalienationis maximæ inter Judæos & inter gentes. Hanc Legem destruxit Christus per mortem suam, & tam Judæos quam gentes illa solvit Act. xv. 10 11. Col. 2. 14. Novum enim Fœdus morte sua panxit & sanxit, in quo nihil de istis ritibus, & in quo nihil valet nisi fides per charitatem operans, seu nova creatura Gal. v. 6. vj. 15. Et quia pro nobis carnem suam destrui passus est, quis sese ei totum non dedat & applicet? Legem moralem non tantum non solvit, sed maxime stabilivit Rom. iij. 13, & implevit Christus Matth. v. 17, 21 & sequentibus, quatenus nimirum multo uberiorem ac pleniorem discipulis suis justitiam præcepit, & in iis per fidem in se ac spiritum suum effecit, quam Lex exterio.e & literali sensu præcipiebat aut præstare poterat: etsi suos hactenus Lege prorsus solvit, quatenus ei omnem vim damnandi suos ademit Gal. v. 18. Nec mirum; cum suos multo justiores quam Legis disciplina poterat, & secundum spiritum ambulantes effecerit. Justo enim Lex posita non est 1 Tim. 1. 9, nec contra fructus spiritus, quibus Christi discipuli abundant, Lex est Gal. v. 22, 23.

Ut hos duos crearet in seipso in unum novum hominem. Docet quo fine Christus superius dicta fecerit, *ut hos*, inquit, *duos*, nempe Judæos & gentes, *crearet in seipso*, id est dum utrumque sibi per fidem in se unit, *in unum novum hominem*. Id est, unum novum hominem. Particula *in* apponitur ex Hebræorum idiotismo. Hic unus novus homo est Christianus, fide in Christum præditus, secundum spiritum non secundum carnem ambulans Rom. viij. 4. Gal. v. 24, Deum in spiritu & veritate colens Joan. iv. 23, 24, qui unus dicitur quia unus specie est, etsi numero sint multi. *Omnes vos unus estis in Christo Jesu*, inquit Apostolus alibi Gal. iij. 28. En creationem quæ per Christum facta est! De eadem creatione, id est de nova, loquitur Apostolus & infra cap. iij. 9, & in Epistola ad Coloss. huic parallela cap. 1. 15, 16. Hinc etiam principium creaturæ Dei dicitur Christus Apocal. iij. 14. Ideo & articulus voci creaturæ additur in Græco, ut eam ad certam, id est novam referat creaturam.

Faciens pacem. Quasi dicat, non ita pacem fecit & Legem cerimonialem sustulit, ut nos in pristinis moribus ac vitiis relinqueret, sed ut nos per ritus ac ceremonias discretos ac separatos, vitiis ac malis moribus conjunctos & unitos, unum novum hominem crearet, pro ritibus ac cerimoniis sanctissimis moribus præstantem. Ideo addit:

Vers. 16. *Et reconciliaret utrosque in uno corpore.* Id est unum corpus factos tam Judæos quam gentes.

Deo. Hoc fine Christus Legem ceremonialem, & sic inimicitiæ inter Judæos & gentes causam destruxit ac pacem fecit, ut utrosque Deo reconciliaret, id est ex inimicis & a Deo ab alienatis animo, in operibus malis, Deo faceret amicos, & ejus voluntati sese in omnibus subjicientes. *Ego*, inquit Paulus, Christianum verum repræsentans, *per Legem Legi mortuus sum, ut Deo vivam, cum Christo crucifixus sum*, nempe Legi, quandoquidem & ille se pro me passus est crucifigi, *vivo autem, non adhuc ego, vivit autem in me Christus: quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me & seipsum tradidit pro me* Gal. 2. 19, 20.

Per

Per crucem. Quam scilicet pro utrisque Dei Filius subiit. Nihil enim nos magis ad Deum adducit, quam cum agnoscimus quod Filium suum unicum & summe dilectum, Christum illum suum, pro nobis in crucem dederit & maledictionem fecerit, ut nos ex maledictione redimeret Gal. iij. 13, quod eum qui peccatum non noverat, peccatum pro nobis fecerit, ut nos fieremus justitia Dei in ipso, id est per fidem in ipsum 2 Cor. v. 21. Hoc enim dum facit, plane nos certos reddit de peccatorum remissione & de vitæ æternæ adeptione; ne alios mortis Christi tam diræ ingentes & maxime salutares fructus in nos redundantes nunc commemorem. Hæc tanta Dei charitas, hoc tantum, amore salutis nostræ idque cum adhuc inimici ejus essemus, factum, etiam contumacissimorum hominum animos expugnare potest, ut depositis erga Deum inimicitiis, totos se ei dedant, & ardentissimo vicissim amore eum complectantur. Vide 2 Cor. XI. 20, 21. Col. 1. 21, 22.

Occidens inimicitiam. Nempe utrorumque erga Deum, & alterorum erga alteros.

In ipsa. Id est per ipsam, nempe crucem Col. 1. 20. Dum enim utrique considerant, Filium Dei pro utrisque crucis mortem subiisse, deponunt inimicitias inter sese, idem & Angeli in cælis erga utrosque faciunt. Ita Christus dum in cruce occiditur simul in eadem cruce inimicitiam occidit.

Verf. 17. *Et veniens.* Docet quid amplius fecerit Christus. *Et veniens*, inquit, nempe per suos Apostolos, maxime per me Paulum.

Annunciavit pacem vobis qui longe, scilicet eratis, *& iis qui prope*, scilicet erant. Lætum nuncium prædicavit de pace, de vobis gentibus, & Judæis, sublatas nimirum esse omnes inimicitiæ inter vos causas, contra vero pacis & amicitiæ causas vobis datas maximas.

Verf. 18. *Quia per ipsum*, id est Christum, *habemus accessum utrique in uno spiritu ad Patrem.* Quæ major causa pacis & Judæis & Græcis inter se dari potuit, quam quod utrique per Christum accessum habeant in uno spiritu ad Patrem? Utrique per Christum unum spiritum acceperunt, & hoc tanto dono inter se sunt exæquati, utrique per eundem Christum, in hoc uno spiritu, proinde ex æquo, accessum habent ad Patrem, id est ad Deum, quem hic Patrem dicere maluit, ut significaret Deum Patrem esse singulari ratione, omnium in Christum credentium; quippe quos adoptarit in Filios, quibus proinde & spiritum adoptionis dederit, in quo clamamus Abba Pater Rom. viij. 15, quos & hæredes suos, ac Filii sui unici cohæredes facturus est. 17. Utrique & Judæi & gentes communem habent Patrem Deum, quid igitur restat quo minus inter se pacem colant & fraternam amicitiam exerceant?

Verf. 19. *Ergo igitur non amplius estis peregrini & extranei.* Conclusionem infert ex superioribus. *Peregrini & extranei*, nempe respectu politeiæ Israëlis ℣. 12.

Sed concives συμπολῖται sanctorum. Ejusdem cum sanctis reipublicæ cives. Sympolitas opponit alienatis a politeia. Sanctorum nomine intelligit veros Israëlitas, qui non tantum secundum carnem, sed etiam fidei respectu Israëlis sunt posteritas, id est qui credant in Christum, quos solos Deus habet pro sanctis.

Et domestici Dei. Οἰκεῖοι quos opponit παροίκοις, pertinentis ad domum, ad familiam Dei, tanquam illius pars, non minus quam Israëlitæ credentes.

Verf. 20. *Superædificati.* Quasi dicat, non tantum domestici Dei, sed etiam ipsius domus seu templi Dei pars.

Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Id est, quod sunt Apostoli & Prophetæ, nempe Novi Fœderis. Nam in hac structura & ædificio Dei, quod est ecclesia, Apostoli & Prophetæ sunt primi lapides, quibus cæteri superstruuntur.

Cujus angularis lapis est Jesus Christus. Alludit ad verba Psalmi quibus continetur vaticinium de Christo, quod & Petrus in hac ipsa materia allegat de Christo 1 Petr. 2. 5, 6. Lapis enim angularis præcipuus est lapis in fundamento, quod utrinque parietes sustineat. Ita simul superædificati erant ipsi Christo, qui primus ac princeps in hoc fundamento lapis est.

Verf. 21. *In quo.* Id est per quem, nempe Christum, *omne ædificium*, ἡ οἰκοδομὴ, cum articulo, certum ædificium, nempe Christianum ecclesiam designante.

Omne ædificium, id est universa ecclesia, *coagmentatum.* Ut lapides inter se in ædificio solent. Coagmentantur autem Christiani communione sacrorum & mutua charitate. Non sunt lapides dispersi, sed in unum ædificium coagmentati.

Crescit. Per Christum crescit hoc ædificium, quia Christus non tantum est lapis angularis in fundamento, sed etiam istius ædificii structor.

In templum sanctum, id est ut fiat templum sanctum, *in Domino.* Id est in Christo, qui absolute Dominus dicitur, ut Pater ejus absolute dicitur Deus 1 Cor. viij. 6. Addit hoc ad distinctionem a templo materiali, quale Hyerosolimis erat. Sic dicimus frater in Domino, ut fratrem spiritualem a fratre secundum carnem distinguamus.

Verf. 22. *In quo*, id est per quem ℣. 21, *& vos.* Qui scilicet Ephesi estis sancti & fideles in Christo Jesu cap. 1. 1.

Coædificamini, nempe cum sanctis ℣. 19, *in domicilium Dei.* Id est ut sitis domicilium & habitaculum Dei, non minus quam alia singularis quælibet ecclesia. Est enim οἰκητήριον minus quiddam quam ναὸς, ut ita ναὸς universalem, οἰκητήριον particularem significet ecclesiam.

In spiritu. Id est per spiritum, per spiritum enim & afflatum suum Deus habitat in ecclesia 1 Cor. iij. 16. VI. 19. Joan. XIV. 23.

CAPUT III.

Verf. 1. HUjus gratia, nempe quod dixi de vobis Israëli penitus consociatis.

Ego Paulus. Quasi dicat, quem nostis.

Qui vinctus sum, ὁ δέσμιος *Christi Jesu.* Nempe nunc, id est vinctus sum propter Christum Jesum, (est enim genitivus causæ,) & consequenter ad Christum

Christum Jesum, tanquam servus ad Dominum pertinens, qui scit mihi summam fieri injuriam, & me hæc vincula immerito pati. Ideo nec me deseret, & ego id mihi maximæ gloriæ duco, quod ipsi serviens, & propter ipsum, in hæc inciderim vincula, de quibus infra cap. VI. 20. Hæc & ego scribens non quidem vinctus, sed captivus sum Christi Jesu, nullo meo merito, salvo conductui, quia mihi nullius culpæ conscius eram, me credens. Sed Dominus Jesus Christus captivum suum curæ sibi habet. Novit enim me non tantum insontem esse, sed etiam nulla alia re magis quam invidia veritatis divinę, cujus professor sum, urgeri.

Pro vobis gentibus. Id est pro vestro maximo bono ac commodo, ut scilicet ex meis vinculis argumentum capiatis certissimum, me non mea sponte sed a Christo missum vobis Euangelium prædicasse, & sic in fide confirmemini: cur enim me vinciri paterer, & vincula tolerarem quod vobis gentibus Euangelium prædicaverim & prædicem, si ad id faciendum a Christo missus non essem?

Vers. 2. *Siquidem audivistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi erga vos*. Nempe gentes: quasi dicat, proinde non ignoratis me pro vobis gentibus vinctum esse. Munus suum Apostolicum gratiam Dei vocat, ut & infra ℣. 8, per metonymiam causæ. Sensus est, siquidem audivistis dispensatum esse mihi ex Dei gratia singulari munus Apostolicum, ut vobis gentibus Euangelium prædicem. Diu enim Paulus vixerat Ephesi munus suum peragens Act. XIX. 10. XX. 31. Cæterum hic incipit digressio Apostoli a ℣. 1 cœpta, & durat usque ad ℣. 14, ubi Apostolus resumit quod ℣. 1 dicere cœpit.

Vers. 3. *Quia secundum revelationem*. Id est per revelationem, credo cum raptus esset in tertium cælum 2 Cor. xij. 1 & seqq. κατὰ pro διὰ. ut & infra ℣. 7.

Notum fecit, nempe Deus, *mihi mysterium*. De vocandis nimirum in universum gentibus, ut infra explicatur. *Sicut ante scripsi paucis*. Nempe cap. 1. 9, 10, 11, 13 & sequentibus: quasi dicat, non ego mysterii hujus notitiam hausi ex meis meditationibus, sed Deus id mihi per revelationem expressam notum fecit.

Vers. 4. *Ad quod*. Nempe a me scriptum, tanquam ad specimen, licet exiguum,

Potestis legentes. Id est dum legitis ea quæ de hoc mysterio scribo cap. 1. 9, 10. cap. 2. 13 & sequentibus,

Intelligere scientiam meam in hoc mysterio Christi. Id est ad Christum pertinente; quam longe lateque scilicet sese effusura esset gratia Dei in Christo Jesu, nimirum tam longe & tam late quam humanum genus pateret. Potestis ex eo quod scripsi intelligere, quam sim edoctus in hoc Christi mysterio, quamque mihi probe sit notum & exploratum; nec mirum, cum ejus cognitionem non per me, sed per singularem revelationem habeam. Hæc eo fine per parenthesin dixit Apostolus, ut gentibus omnem de ipsorum per fidem in Christum salute scrupulum & dubitationem eximeret.

Vers. 5. *Quod in aliis generationibus non notificatum est Filiis hominum*. Redit post parenthesin ad mysterium sibi revelatum ut dicere cœpit ℣. 3. Docet quantum hoc fuerit mysterium & arcanum Dei, tantum nimirum, ut in aliis generationibus, quæ scilicet a mundo condito fuerant ad illud usque tempus, non fuerit notificatum ullis hominibus, imo nec Angelis, ut infra dicitur ℣. 10.

Sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, id est Christi, *& Prophetis*. Intellige ejusdem Christi. Nam quod attinet ad veteres Prophetas, illis mysterium hoc non fuit ita notificatum, ut illud cognitum haberent, sed tantum per eorum Scripturas ita fuit notificatum & proditum, ut nobis nunc rem tantam in effectu videntibus, ea notificatio plurimum esset ad fidem usui Rom. XVI. 26. 1 Petr. 1. 12. Ideo Apostolus dicit: *Sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis & Prophetis Christi*. Quasi dicat, fuit quidem & veteribus prophetis revelatum, sed non ita ut iis notum fieret, nec sicut Apostolis & prophetis Christi revelatum est.

In spiritu. Id est per Spiritum & afflatum Sanctum, ne scilicet Paulo contradicerent, sed cum eo conspirarent, quod etiam apparuit in Concilio Hierosolymitano Act. XV, Paulo per revelationem apertam, cæteris per inspirationem.

Vers. 6. *Esse gentes*. Exponit hoc mysterium seu arcanum. *Esse gentes*, nempe promiscue & sine ullo discrimine, quamvis Dei & Legis ejus essent ignaræ, imo ab ea penitus aversæ, idolis & omni impietati deditæ. *Cohæredes*. Nempe Israëlitis.

Et concorpores. Iisdem Israëlitis, ut una cum Israëlitis unum ecclesiæ Christi corpus constituant.

Et simul participes. Itidem cum Israëlitis, sine ullo discrimine.

Promissionis ejus, id est Dei, *in Christo*. Ἐν τῷ Χριστῷ, illo singulari videlicet, promissionis quam in Christo exhibituras erat, & exhibuit: promissionis nimirum de imputatione justitiæ per fidem, de vita æterna, de Spiritu Sancto, de adoptione in Filios, de libertate a Lege, & paterna gratia.

Per Euangelium. Ut scilicet iis non minus quam Judæis Euangelium prædicaretur, per quod ad Dei gratiam & promissionem in Christo vocarentur, illiusque per fidem in Christum participes fierent, sine Lege & circumcisione & ullis Legis ritibus.

Vers. 7. *Cujus*, nempe Euangelii, non minus gentibus quam Judæis prædicandi, *factus sum minister*, *secundum donum*, id est per donum, *gratiæ Dei quod datum est mihi*, *secundum efficaciam*, id est per efficaciam, *virtutis ejus*. Hebræa phrasi, id est per efficacem virtutem ejus: quasi dicat, donavit id mihi Deus, ut Euangelii etiam gentibus prædicandi minister essem, donavit autem per efficaciam virtutis suæ. Nam ego alioquin tanti ministerii capax nullo modo essem.

Vers. 8. *Mihi minimo omnium sanctorum*. Rem eandem cum admiratione repetit & celebrat. Minimum sanctorum, id est Christianorum se dicit, quod persecutor eorum fuerit 1 Tim. 1. 13, hinc & primum peccatorum se appellat ℣. 15, & minimum Apostolorum, nec dignum ut vocetur Apostolus 1 Cor. XV. 9.

Data est gratia hæc. Id est hoc munus, per metonymiam causæ. *In gentibus*. Id est inter gentes, vel gentibus, per Hebraismum, gentibus nimirum quibuscunque sine discrimine.

Annunciare imperv estigabiles divitias Christi. Id est quod Christus dives sit in omnes cujuscunque gentis & conditionis homines, dummodo in ipsum credant

Rom. x. 12, 13, quæ res nulli hominum nec Angelorum fuit pervestigabilis, ut & ipsa gratia quam attulit ac prædicavit.

Vers. 9. *Et illuminare omnes*. Ut scilicet veluti illata per meam prædicationem luce, credant & agnoscant omnes, etiam alii Apostoli, & Petrus ipse:

Quæ (sit) *communio mysterii absconditi a seculis in Deo*. Mysterium absconditum a seculis in Deo erat, quod vellet gentes sine circumcisione, sine Lege, una cum populo suo servare, per fidem in Christum: quæ autem esset istius mysterii communio, id est, quod ad omnes omnium gentium homines promiscue pertineret, etiam ad impios ac penitus profanos, Paulo datum erat, ut in hoc omnes illuminaret. Petrus quidem etiam ante Paulum gentibus incircumcisis prædicavit Act. xxv. 7; sed istæ gentes erant Cornelius cum domo sua, isque valde pius & Dei timens Act. x. 12. Paulus quibuslibet in universum gentibus prædicavit Euangelium, & quicunque ex iis crediderunt, omnibus fides imputata est ad justitiam, & in Filios à Deo sunt adoptati, ac Spiritum Sanctum non minus quam Judæi in Christum credentes acceperunt. Ita per Paulum demum cognitum & intellectum est, quæ sit communio istius in Deo a seculis absconditi mysterii Act. xv. 4, 12.

Qui omnia creavit per Jesum Christum. Ex effectu communionem mysterii istius ostendit. Quia enim Deus omnia creavit per Jesum Christum; hinc patet ad omnia, id est ad omnes mysterium istud pertinere. *Omnia* dicit, neutro genere pro communi. Vide cap. 1 10, 11, 14. Voci etiam πάντα addit articulum qui certa omnia, nempe homines designet, quos Deus creavit per Jesum Christum, quia eos per Jesum Christum renovavit ac restauravit cap. 2. 10, 15, hinc & nova dicuntur creatura 2. Cor. v. 17. Gal. vj. 15. Dicit Apostolus omnia esse creata, sicut & omnia nova facta 2 Cor. v. 17, omnia in summam collecta supra cap 1. 10, omnia reconciliata, pacata Col. 1. 20. Non tam respiciens ad effectum, qui impeditur in plerisque hominum, ipsorum obstinatione & contumacia, quam ad efficaciam Euangelii. Hic iterum docemur quæ creatio per Jesum Christum sit facta.

Vers. 10. *Ut nota facta sit nunc*. Nempe ex hac nova creatione omnium per Christum. *Principatibus & potestatibus in supercælestibus*. Quasi dicat, non Angelis tantum simplicibus, sed etiam eorum Principibus ac potestatibus.

Per ecclesiam. Quippe quæ ista in terris creatura est, & quotquot fideles continet, tot novas continet creaturas.

Multiformis sapientia Dei. Quæ scilicet in hoc Dei mysterio continetur, seu hoc arcanum Dei consilium quod multiplicem ac multiformem Dei continet sapientiam. De qua re vide Rom. xi. 30, 31, 32, 33 & sequentibus.

Vers. 11. *Secundum propositum seculorum*. Docet hoc quod Deus fecit, & in quo tam multiformis Dei sapientia continetur, esse secundum propositum seculorum, id est, antiquum & multorum seculorum vide cap. 1. 9.

Quod fecit. Id est & ad effectum produxit & executus est. Hoc enim est per positum facere. Aliud est proponere, aliud propositum facere.

In Christo Jesu Domino nostro. Id est per Christum Jesum Dominum nostrum.

Vers. 12. *In quo*, id est per quem, *habemus*. Nempe omnes, cujuscunque gentis & conditionis & vitæ anteactæ. *Libertatem*. παῤῥησίαν, audaciam liberalem, qualis in libere loquentibus cernitur, nempe erga Deum. *Et accessum*. Nempe ad Deum.

In fiducia. Id est cum fiducia, fore ut a Deo admittamur & omnia ab ipso consequamur.

Per fidem ejus. Id est ideo quod fidem ejus, Christi nimirum, habeamus. Fides Christi est fides in Christum, per genitivum objecti, sic & fides Dei est fides in Deum. Confirmat quod dixit, antiquum Dei propositum per Jesum Christum esse ad effectum perductum.

Vers. 13. *Propter quod*. Nempe ob res tantas a me per Euangelium administratas.

Oro, nempe Deum, *ne deficiam in afflictionibus meis pro vobis*. Id est quas imprimis pro salute vestra, qui gentes estis secundum carnem, patior, ut scilicet in fide confirmemini. Quam enim aliam ob causam etiam in hæc vincula incidi, nisi quia vobis gentibus Euangelium prædicavi? At si ego in afflictionibus meis pro vobis deficerem, quod Deus longissimè avertat, quid aliud sequeretur quam vestra in fide nutatio, & a fide defectio? *Quæ est gloria vestra*. Nempe quod ego Christi tantus Apostolus pro vobis tot afflictiones sustineam. Est hæc causa gloriæ vestræ, per metonymiam effecti, potestis ex eo maxime gloriari, quod & veritati credideritis, & tanti a Deo & Christo fiatis, ut me vestri boni & salutis causa tot afflictiones velit sustinere. Non igitur debetis vobis afflictiones & vincula mea pudori ducere, sed potius maximo honori. Vide 2 Tim. 1. 8, 12, 16.

Vers. 14. *Hujus gratia*. Postquam digressionem suam eo deduxit unde digressus erat, nempe ad afflictiones suas pro gentibus, fidem in Christum amplexis, redit etiam ad id quod initio capitis dicere cœperat. *Hujus*, nempe tanti boni, quod a Deo per Euangelium a me prædicatum adepti estis, *gratia*, ne scilicet eo unquam privemini aut excidatis.

Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi. Id est ad Deum illum unum. Includit orationem ac preces per synecdochen, ut sequitur. Notetur Christianorum orantium habitus Act. xx. 5.

Ex quo omnis familia. πατριὰ, ex uno patre cognatio.

In cælis & super terra nominatur. Id est nomen & appellationem suam habet; quem auctorem & parentem suum fert. Significat Apostolus & Christum Dominum nostrum & sanctos Angelos in cælis habitantes, eandem esse πατριὰν ac familiam cum Christianis in terra degentibus, & communem habere patrem Deum, licet is multo potiori ac singulari jure sit Christi pater. Hæc est illa ἀνακεφαλαίωσις omnium in Christo cap. 1. 10. Neque enim magis omnia in summam & in unum colligi poterant, quam ut una πατριὰ & familia fierent. Sic describit Deum ut preces suas non inanes fore significet, & credentes consoletur. Facile enim exoratur pater pro iis & ab iis qui ad ejus πατριὰν pertinent. Cæterum hinc docemur unum illum Deum non alium esse quam Jesu Christi patrem.

Vers. 16. *Ut det vobis secundum divitias gratiæ suæ*. Id est, secundum divitem & abundantem gratiam suam. Vide cap. 1. 7. Non tantum est Pater sed etiam ditissimus gratiâ, quod etiam satis testatus est in nobis.

Dicit

Dicit enim hoc Apostolus tanquam rem notam.

Virtute roborari. Ad superandas nimirum omnes tentationes.

Per spiritum suum. Tanquam per medium quo nos Deus virtute roborat.

Ad internum hominem. Id est secundum, vel quod ad internum hominem attinet. Animum intelligit; hujus non corporis respectu, virtute roborari nos a Deo Patre nostro petit.

Vers. 17. *Vt habitet Christus per fidem in cordibus vestris.* Alterum est quod petit, ut scilicet Christus in cordibus nostris habitet, id est ut Christum perpetuo in cordibus nostris habeamus.

Per fidem. Docet quomodo id fiat, nempe per fidem in ipsum constantem ac perpetuam. Itaque fidei in Christum constantiam nobis a Deo petit.

Vers. 18. *In charitate radicati & fundati.* Fidei addit charitatem, fides enim si charitatem non gignat, nihil est, & charitas fide major est 1 Cor. xiij. 2, 13. Petit a Deo ut in charitate simus radicati & fundati, id est ut non leviter & superficie tenus alii alios diligamus, sed ut charitas aliorum erga alios altas agat radices & bene sit fundata, ne levibus de causis labefactari & everti possit; vel etiam, ut per charitatem mutuam simus radicati & fundati. Mutua enim inter Christianos charitas facit ut firmiter stent, nec ullis adversis concuti possint. Alta radix & firmum fundamentum ecclesiæ est mutua Christianorum charitas.

Vt valeatis comprehendere. Animo videlicet & intellectu, intellige ἵνα δῷη ex ℣. 16 *det vobis.* Tertium est quod iis a Deo petit, augmentum nimirum & incrementum quam maximum, in rerum divinarum scientia, quod merito post fidem & charitatem illis precatur 2 petr. 1. 5.

Cum omnibus sanctis. Id est Christianis aliis.

Quæ latitudo & longitudo & profunditas & altitudo. Intellige mysterii Dei & Patris & Christi Coloss. 2. 2, cujus magnitudinem ut exprimeret, omnes illi dimensiones tribuit, per metaphoram a corporibus apte ad comprehensionem. Dicto ad Colossenses loco ℣. 3 eodem sensu, licet alia metaphora ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi.* Mysterii enim vocem hic ita late accipit ut omnia arcana ad salutem nostram spectantia, seu totum pietatis mysterium (1 Tim. iij. 16) complectatur. Ita hoc uno mysterio de gentium vocatione, & salute per fidem in Christum, Apostolus profunditatem divitiatum & sapientiæ & cognitionis Dei quantopere admiratur! Rom. xj. 33. Qui gratiæ Dei latitudinem & longitudinem & profunditatem & altitudinem intelligi putant, sine causa dimensiones tantas coarctant. Nam qui totum salutis nostræ mysterium animo comprehendunt, etiam vel imprimis gratiam Dei comprehendunt.

Vers. 19. *Cognoscereque superiorem cognitione dilectionem Christi.* Qua scilicet Christus nos omnes dilexit ac diligit, quam superiorem cognitione dicit, si nimirum mens nostra a Deo non illustretur & adjuvetur. Nam alioquin frustra peteret Apostolus a Deo ut nobis daret cognoscere dilectionem Christi, si ea etiam Deo adjuvante, & mentes nostras illuminante cognitionem nostram excederet ac superaret. Nisi quis tantam dilectionis Christi cognitionem ab Apostolo peti dicat, quanta maxima hominibus dari possit. Nam ut detur tanta quanta Christi dilectio in seipsa sit, humanæ mentis capacitatem omnem excederet. Et hoc verum est. Nam cujus mens satis capere, cujus lingua satis effari potest, quantopere Christus suos diligat, qui pro iis, etiam cum adhuc inimici essent, mortem eamque omnium ignominiosissimam ac durissimam oppetere non recusaverit! Ideo Apostolus in Epistola ad Romanos: *Quis nos separabit*, inquit, *a dilectione Christi? Afflictio, aut angustia, aut persecutio, aut fames, aut nuditas, aut pericula, aut gladius? Sicut scriptum est, quod propter te occidimur tota die, reputati sumus sicut oves mactationis. Sed in his omnibus supervincimus propter eum qui dilexit nos*, id est Christum cap. viij. 35, 36, 37.

Vt impleamini. Quasi dicat, ut sic impleamini, nimirum rerum divinarum & ad salutem spectantium cognitione. *Ad omnem*, id est usque ad omnem, *plenitudinem Dei.* Id est qua Deus homines implet per Christum, ne quidquam vobis ad hanc plenitudinem desit. Solebat Christianis ab Ethnicis, & imprimis a Philosophis objici simplicitas & inscitia. Apostolus ergo precatur iis veræ sapientiæ & cognitionis, quæ in Christiana continetur pietate, plenitudinem, cujus comparatione & respectu, omnis hujus mundi & Philosophorum omnium sapientia meræ sunt nugæ. Notetur etiam Christianis tribui omnem plenitudinem Dei, proinde Deitatis Col. 2. 9.

Vers. 20. *Ei vero qui potest super omnia facere.* Expositis iis quæ ipsis a Deo petat, doxologia concludit. Describere maluit Deum, suis petitionibus convenienter & accommodate, quam nominare.

Super ex abundanti, id est plus quam abundanter, *quæ petimus aut cogitamus.* Non tantum potest super omnia facere quæ petimus, aut quod plus est, quæ cogitamus, sed etiam plus quam abundanter super ea potest facere. Proinde & hæc quæ vobis peto, & his multo majora & abundantiora faciet.

Secundum virtutem qua operatur in nobis. Id est convenienter virtuti quę operatur in nobis. Virtutem Dei, quæ in Apostolo, & in ipsis, aliisque Christianis, tam admirabilia operabatur, ut linguis loquerentur, futura prædicerent, morbos sanarent, mortuos excitarent, ponit eis ante oculos, ut ex hac virtute, quæ Spiritus Sanctus est, argumentum capiant immensæ Dei potentiæ.

Vers. 21. *Ipsi gloria*, intellige *sit.* Ipse laudibus celebretur & gloria extollatur. Pronomen *ipsi* redundat, more Hebræo. *In ecclesia.* Id est in concione & congregatione Christianorum, ubi convenientissimus est locus, & tempus maxime idoneum, ad Deum laudibus & gloria efferendum.

In Christo Jesu. Id est per Christum Jesum, tanquam Dominum ac caput ecclesiæ ab ipso constitutum, ut in ipso & per ipsum glorificetur Deus Philip. 2. 11.

In omnes generationes seculi seculorum. Id est quamdiu generationes & secula hæc erunt. Locus iste docet, Paulum non ita propinquum mundi finem esse censuisse, ut non per multa adhuc secula sub Christi regno durare posset; quod etiam evenisse videmus. Docet idem locus ecclesiam & gloriā Dei in ecclesia,

in Christo Jesu, proinde & Euangelium ad omnes mundi hujus quæ secuturæ essent generationes pertinere.

Amen. Quasi dicat, sic se res habet & habeat.

CAPUT IV.

Vers. 1. Hortor igitur. Ex dictis de tanta Dei gratia infert adhortationem; *vos*, quos tanta sua gratia Deus complexus est, & tam sancta vocatione vocavit, *ego*: quasi dicat, ego Paulus gentium Apostolus.

Qui vinctus sum, ὁ δέσμιος, in Domino. Id est Domini, nempe Jesu Christi causa. Particula *in* vim causæ hic obtinet: quasi dicat, accesserunt ad muneris mei dignitatem etiam vincula propter Dominum, quod in prædicando gentibus Euangelio ministrum ejus agam, quæ ego propter vos lubens sustineo. Vide cap. iij. 1. Tanto igitur magis admonitioni meæ debetis obtemperare.

Ut digne ambuletis. Id est vitam agatis, ambulando enim vita transigitur: vide cap. 2. 2, 10.

Vocatione qua vocati estis. Quasi dicat, vocati estis ad hæreditatem vitæ æternæ & regni cælestis, ambulate igitur sicut hac vocatione dignum est. Nam alioquin vocationis istius fructu excidetis. Dignum autem omnino est ut omnia vitia abdicetis & omnibus virtutibus vos dedatis.

Vers. 2. *Cum omni humilitate.* Generalem admonitionem per specialia præcepta exponit. Humilitas, ταπεινοφροσύνη, prohibet τὸ ὑψηλὰ φρονεῖν, *alta sapere* Rom. xij. 16. Vult ergo Apostolus ut humilia cogitemus, nempe quo pacto alii aliis inserviamus, non quo pacto alii in alios dominemur. Indignum enim est ad cæleste regnum vocatis ulla rerum terrenarum ambitione vexari.

Et mansuetudine. Omni scilicet iracundiæ feritate deposita. Cur enim iracundia & affectibus agitetur qui ad cælestis regni possessionem vocatus est & adspirat totus?

Cum longanimitate. Hæc virtus facit ne patientia, quamvis sæpius læsa, unquam erumpat in furorem, quod certe vel maxime decet ad regnum Dei vocatos, qui tanti boni æstimatione omnes injurias pro nihilo ducunt.

Sustinentes alii alios. Quasi dicat, si forte, ut in societate fit, alter alteri aliquid molestiæ exhibeat aut ulla in re sit oneri.

In charitate. Id est per charitatem mutuam. Magna enim onera sustinet charitas, ac ne quidem onera sentit esse 1 Cor. xiij. 7.

Vers. 3. *Studentes servare unitatem spiritus.* Id est animi, ne scilicet unquam animo alii ab aliis abalienemini.

In vinculo pacis. Id est per vinculum, quod est pax, pace enim inter se vinciuntur & conjunguntur animi. Monet ne ulli pacem turbent, & alios infestent, aut causas discordiarum præbeant.

Vers. 4. *Unum corpus*, intellige *estis.* Exponit causas ob quas Christiani unitatem spiritus inter se debeant servare.

Et unus spiritus. Nimirum in hoc corpore & in omnibus ejus membris est. Corpus hoc est ecclesia cap. 1. 23. Spiritus istius corporis est Spiritus Sanctus, qui unus in omnibus est membris 1 Cor. xij. 4, 8, 9, 11.

Sicut & vocati estis in una spe vocationis vestræ. Quasi dicat, merito omnes unum corpus estis & unum spiritum omnes habetis; nam & vocati estis omnes,

In una spe. Id est unam spem habentes,

Vocationis vestræ. Id est quam vobis fecit vocatio qua vocati estis, per genitivum causæ, spem nimirum vitæ æternæ seu regni Dei. Quia ergo una vobis spes est, per divinam vocationem facta, proinde certa minimeque dubia, spes nimirum ejusdem in cælis hæreditatis; ideo unum etiam corpus estis, corporis enim omnibus membris idem est bonum; & Spiritus Sanctus, quia ejusdem spei in omnibus signaculum est, idem etiam in omnibus est. Particula *sicut* hoc loco vim causæ habet.

Vers. 5. *Unus Dominus.* Nempe omnium, qui Christus est. Hunc enim Deus omnium fecit Dominum Act. 2. 36.

Una fides. Itidem omnium. Omnes enim credimus Jesum ex mortuis esse suscitatum & Dominum ac Christum factum Actorum dicto loco. Rom. x. 9, 10.

Unum baptisma. Omnes enim in Jesum Christum baptizati sumus Act. 2. 38.

Vers. 6. *Unus Deus & Pater omnium*, intellige *est.* Deo illi uni titulum addit Patris, quia non tantum Deus nostrum omnium est qui credimus in Christum; sed etiam Pater. Nam nos suscepit pro filiis & pro hæredibus. Dei nomine qui nostrum omnium unus est, Deum intelligi absolute seu subjective & κατ' ἐξοχὴν dictum, id est, summum illum & altissimum, nemini dubium est. Quis autem is sit, declarat addita vox *Patris.* Itaque Deus ille unus est solus Pater, ex Pauli sententia; contra communis sententia. Deum illum unum dicit esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Nam qui voce Patris hic etiam Filium & Spiritum Sanctum intelligi dicunt, non considerant jam ante Filium, qui Christus est, tanquam peculiare Christianorum vinculum, sub vocibus unus Dominus, & Spiritum Sanctum, sub vocibus unus spiritus nominatum esse. Nec fieri potest, ut inter hæc vincula non etiam solus nominaretur Pater, à Filio & Spiritu Sancto distinctus, cum hoc vinculum omnium sit maximum & efficacissimum.

Qui super omnes, intellige *est.* Ita nimirum ut etiam sit supra Christum 1 Cor. iij. 23, xi 13.

Et per omnes. Quia per omnes sua providentia & cura diffunditur, interest & adest omnibus.

Et in omnibus vobis. Nempe per verbum ac spiritum suum, ut si supra Spiritus Sanctus nominatus non esset, hic intelligeretur.

Vers. 7. *Unicuique autem nostrum.* Quasi dicat, quod autem diversa ac differentia inter nos sint dona.

Unicuique nostrum data est gratia. Id est gratiæ effectus, per metonymiam.

Secundum mensuram doni Christi. Τῆς δωρεᾶς, insigne donum Christi designat, Spiritum nimirum Sanctum, secundum igitur mensuram Spiritus Sancti

cti, quam cuique Christus admensus est, data gratia est unicuique. Spiritus Sancti datio non est quidem ad mensuram adstricta, quatenus non omnibus eadem mensura Spiritus Sancti datur, sed datur aliis multo quam aliis, prout Deo libeat, copiosius Joan. III. 34. tamen etiam secundum mensuram datur, quatenus quisque certam ejus portionem accipit Hebr. 2. 4. Notetur Spiritum Sanctum donum Christi vocari, & secundum mensuram dari dici. Cum igitur cuique data sit gratia secundum mensuram doni Christi, non debent dona differentia ullius discordiæ inter nos esse causa, non debemus alii aliis invidere, vel alii alios contemnere, & hinc communem amicitiam dissolvere: hoc enim foret impium in ipsum Christum, imo & insanum. Nam sicut in uno corpore diversa membra eorumque officia esse necesse est ad totius corporis conservationem, sic non minus & in ecclesia, quæ Christi corpus est.

Vers. 8. *Propter quod*, nempe quia Christus daturus erat dona, *dicit*. Intellige Scriptura Psal. LXVIII. 19.

Ascendit in altum &c. Mystico sensu ad Christum respiciens. Nam alioquin sensu primario & aperto, verba hæc dicuntur de Deo, quibus triumphus ejus de populi sui hostibus celebratur, ut sequentia Psalmi verba docent. *Ascendit in altum, captivavit captivitatem, & dedit dona hominibus.* Metaphora sumitur a Regibus & Imperatoribus, qui devictis & debellatis hostibus reduces, ascendunt triumphantes in excelsas suas arces aut templa, captivant captivitatem, id est captivos, per Hebraismum substantivi pro adjectivo, quos in triumpho civibus suis ostentent. Captivitas pro captivis, ut circumcisio pro circumcisis, electio pro electis, & similia, dant dona hominibus, civibus nimirum & militibus. Hæc quia Christo magis proprie conveniunt quam Deo, mysticum in iis, Spiritu Sancto monstratore, observat & annotat Apostolus sensum, ad Christum collimantem: quasi dicat, quia Scriptura aut Spiritus Sanctus in Scriptura loquens, ad Christum respexit, ideo tanto magis talibus verbis de Deo usus est.

Ascendit in altum. Christus, cum ascendit supra omnes cælos, ut ℣. 10 dicitur.

Captivavit captivitatem. Seu captivos, principatus nimirum & potestates malorum spirituum, qui omnes captivi sunt Christi. Ideo in Epistola ad Coloss. huic parallela cap. 2. 15 dicitur exuisse principatus & potestates, ut victores solent victos exuere & spolia de illis legere, ostentasse in publico, ut solent captivi ostentari, triumphasse de iis per crucem, per crucem enim vicit Diabolum & captivum sibi fecit, ac omni potestate privavit, dum non tantum ex morte resurgit, sed etiam omnem in cælo & in terra potestatem accipit. Jam non est ut Diabolum metuamus, cum & ipsius mortis metu plane soluti simus, qua maxime terribilis Dei cultoribus Diabolus erat Hebr. II. 14, 15.

Et dedit dona hominibus. Accepto nimirum Spiritu Sancto a Patre Act. 2. 33. In Hebræo est *lakach*, quod accipere ad dandum sæpe significat Gen. xxxviij. 6. Exod. xxv. 2. 3 Reg. x. 11. Os. XIV. 2.

Nam *in hominibus*, per Hebraismum, dicitur, pro *hominibus*, vel *inter homines*.

Vers. 9. *Istud vero ascendit, quid est?* Quid sibi vult, quam vim in se habet? quid significat? quid innuit?

Nisi quod & descenderit primum. Merito. Nam & Deus de quo hæc dicta sunt sensu primario, cum dicitur ascendisse in altum, significatur prius ex alto descendisse. Deus enim semper in excelsis habitat, & ibi locus ejus est proprius. Ergo & Christus, cum dicitur ascendisse in altum, significatur prius descendisse. At quo descendit? non ex cælo in terram, tanquam ex suo proprio & naturali loco, cum in terris natus & educatus sit. Nam quod Christus ascenderit ex terra in cælum ante suam prædicationem, huc non pertinet. Hic enim descensus intelligi debet qui ascensionem præcesserit, non qui eam secutus sit, & locus hic significatur naturalis ac proprius, ex quo descensus sit factus, non in quem aliquis sit supra naturam omnem, extraordinaria Dei potentia raptus, quo igitur inquam primum descendit Christus, quam in altum ascenderet?

Non alio quam *in inferiores partes terræ.* Id est in infernum, quo descendere dicuntur omnes mortui: vide Ezech. XXVI. 20. XXXI. 14. XXXII. 10. Hinc & in symbolo quod Apostolicum dicitur, articulus est de Christi descensu in infernum, id est in naturalem mortuorum statum, & Christus ipse in persona Davidis, *Non derelinques*, inquit, *animam meam in inferno* Act. 2. 27, 31. Et sane, quia Christus exemplum resurrectionis nostræ debuit esse, vere eum mori & plane in naturalem mortuorum statum devenire oportuit: idque hic enim memorat, & hunc ipsum in finem inserit Apostolus, ne quidquam de exitu ex morte & inferno dubitemus, cum istius rei exemplum habeamus in duce & capite nostro Christo. Non dicit Apostolus, descendit in terram, sed in inferiores terræ partes, in quas descendit Christus cum descendit in infernum, quo nullæ inferiores terræ partes cogitari possunt. Inferiores terræ partes opponit superioribus. Nam Scriptura in voce inferni metaphora utitur, nihil aliud significans, quam eum esse mortuorum statum, ut ad superos, id est viventes redire, nullis naturæ viribus possint. Sunt qui ex hoc loco colligunt, Christum ex cælo, loco suo naturali, descendisse in terram, ut hic conciperetur & nasceretur. At quia hoc Apostolus non dicit, sed solum ejus descensum per mortem in infernum, seu ex superioribus terræ partibus in inferiores commemorat, manifestum est nullum alium Christi descensum qui huc pertineat Apostolo fuisse notum, alioquin enim illum commemorasset. Dicitur quidem & uterus maternus inferiora terræ, per metaphoram Psal. CXXXIX. 15, sed cum descensus inferioribus terræ adjungitur, semper infernus in quem mortui descendere dicuntur designatur, nec ullo modo verisimile est ut Paulus descensum Christi in infernum omitteret, ex quo ad nos maxima consolatio proficiscitur, quique solus in Apostolico symbolo memoratur, & resurrectioni ac exaltationi Christi immediate opponitur. Addit enim Apostolus.

Vers. 10. *Qui descendit.* Nempe in infernum & natura-

naturalem mortuorum statum, ita ut inter eum & inter alios mortuos, quod ad naturæ vires ex morte & inferno redeundi, nullum discrimen esset.

Ipse est etiam qui ascendit supra omnes cælos. Proinde nulla superest dubitatio, fore ut omnes qui Christi sunt, licet moriantur & descendant in infernum, etiam ascendant ad Christum supra omnes cælos. Hoc tam firmum & certum argumentum mire labefactant imprudentes, qui Christum ita hominem ita mortuum fuisse dicunt, ut etiam simul unus ille Deus sit. At nobis sufficit unum illum Deum fuisse in Christo, & Christum in uno illo Deo, quo summa inter Deum & Christum significatur conjunctio. Hæc effecit ut Christus ex mortuis resurgeret, & supra omnes cælos ascenderet: hæc eadem efficiet ut idem & omnibus qui Christi sunt eveniat. Locum omnium infimum & locum omnium excelsissimum inter se opponit.

Ut impleret omnia, τὰ πάντα. Certa omnia, nempe omnes in se credentes, neutro genere pro communi, vide cap. 1. 10, 23. 11. 14. 111. 9. *Impleret* Spiritus Sancti donis & rebus ad salutem æternam pertinentibus: Respicit enim ad id quod dixerat, *& dedit dona hominibus* vs. 8. Huc & sequentia faciunt. Vide cap. 1. 23. 111. 19. Hunc in finem Christus ex mortuis suscitatus & supra omnes cælos exaltatus est. Hinc & Col. 1. 18, 19 dicitur Christus esse *principium, & primogenitus ex mortuis, ut esset in omnibus ipse primatum tenens, quia* nimirum *bonum duxit* (Deus) *ut in ipso omnis plenitudo habitaret*, quæ scilicet ex ipso derivaretur in omnes Ephes. 1. 23. iij. 19. Coloss. 2. 9, 10.

Vers. 11. *Et ipse dedit, hos quidem Apostolos.* Id est Legatos, quatenus ipse eos misit, & donis instruxit Apostolicis. Apostoli primum ordinem ducebant in ecclesia, & fundamentum erant ecclesiæ cap. 2. 20. Ex effectis ostendit quomodo Christus omnia implevit.

Hos autem Prophetas. Viros Apostolis munere & dignitate proximos, qui profundiora mysteria divinæ veritatis exponebant, & futura etiam annuntiabant. Hos dedit Christus quatenus eos implevit spiritu Prophetico, & donis huic muneri convenientibus.

Hos autem Evangelistas. Qui circumeuntes prædicabant, Apostolorum Legati, ut Apostoli Christi, & hos peculiaribus instruxit & implevit donis.

Hos vero Pastores & Doctores. Qui certis ecclesiis affixi & adhærentes eas regebant & docebant, & hi pro muneris sui ratione acceperunt a Christo Spiritus Sancti dona.

Vers. 12. *Ad perfectionem sanctorum.* Id est eo fine ut sancti, qui Christiani sunt, perficiantur in cognitione, nimirum veritatis divinæ & Christiana pietate.

Ad opus ministerii. Id est, ad opus quod ministerium est, ut scilicet aliis in promovenda & curanda eorum salute ministrarent; non ut in eos dominarentur.

In ædificationem corporis Christi. Id est ecclesiæ Christianæ, quæ ædificatur cum crescit & rerum divinarum profectu, & pietate & numero. Ædificationi opponitur destructio. Ædificanda est ecclesia non destruenda, quam corpus Christi hic dicere maluit, ut tanto magis quam destruenda ac lædenda non sit appareat.

Vers. 13. *Donec deveniamus omnes*, οἱ πάντες. Certi omnes, nimirum Christiani.

In unitatem fidei, τῆς πίστεως. Nempe Filii Dei, ut sequitur. Vide Gal. 2. 20, id est, ne ullus inter nos in Christiana fide sit dissensus.

Et cognitionis Filii Dei, τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Absolute nimirum & subjective seu κατ' ἐξοχὴν dicti, qui Christus est, ne scilicet ullæ in cognitione Filii Dei sint inter nos diversæ sententiæ, sed in omnibus una fides, una Filii Dei cognitio, nempe vera. Ita enim unitatem fidei & cognitionis Filii Dei intelligit, ut veritatem includat, quid enim alias unitas juvaret, si veritas abesset? Nam nec falsa fides est Filii Dei fides, sed vana deceptio, nec falsa Filii Dei cognitio est ejus cognitio, sed inscitia & ignoratio. Cognitio Filii Dei continetur imprimis in cognitione eorum quæ Filius Dei a nobis cognosci, & credi, & fieri vult. Cæterum ex hoc ipso tam sublimi titulo patet, quam excellens sit hæc fides & cognitio.

In virum perfectum. Nempe omnes, proinde quisque nostrum. Metaphora est a corpore. Sicut enim homines ex infantia deveniunt in viros perfectos; sic & Christiani, respectu scientiæ rerum divinarum, (de hac enim nunc loquitur,) devenire debent.

In mensuram staturæ. Exponit prius, id est, ut deveniant in mensuram staturæ. Nam & viris sua mensura staturæ est. Cujus autem staturæ?

Plenitudinis, inquit, *Christi*. Id est, ne quid nili ad plenitudinem a Christo provenientem desit. Hanc qui pro suo statu & conditione adeptus est, ad mensuram staturæ virilis in Christo pervenit. Neque enim omnes viri æqualis staturæ sunt, sed qui jam justam staturam adeptus est vir est. Idem fit & in spirituali virorum in Christo statura. Justam quisque & suam staturam habere debet, etiamsi alios statura non æquet.

Vers. 14. *Ne amplius simus infantes.* Illustrat prius per negationem contrarii. Infantes enim opponuntur viris. Quasi dicat, eramus infantes, id est infantibus similes, cum primum nati sumus ex semine verbi Dei, eramus parvuli & adhuc infirmi in divina veritate; sed non amplius esse debemus.

Fluctuantes, & qui circumferamur omni vento doctrinæ. Id est undæ similes, quæ instabilis fluctuat & circumfertur omni vento. Hoc facit infantia in Christiana veritate, ut facile impellatur quovis doctrinæ vento 2 Petr. 111. 16.

In alea hominum. Id est per aleam hominum. Seductores comparat aleatoribus qui per aleam seu artem jaciendi talos, homines decipiunt & emungunt pecunià.

In astutia. Id est per astutiam. Declarat prius.

Ad circumventionem erroris. Id est, qua quis in errorem abducitur, per Genitivum effecti. Scopum istius astutiæ exprimit. Significat Apostolus non defuisse astutos seductores, qui artem circumveniendi & seducendi homines in varios errores callerent.

Vers.

Verſ. 15. *Vere autem agentes.* Quaſi dicat, contra autem vere agentes, (ἀληθεύοντες) *in charitate.* Id eſt ſincere & ſine fuco, ſine hypocriſi, in charitate alii erga alios agentes, & vos gerentes. In charitate ſemper eſſe debet veritas, etiamſi forte nondum omnes ad veritatem fidei & cognitionis Filii Dei pervenerint in omnibus. Medium oſtendit ad id quod ſequitur. Charitate enim vera ac ſincera manente, non difficulter ad veritatem & unitatem fidei, & cognitionis Filii Dei pervenitur.

Creſcamus in ipſum, Id eſt, ad modum ac proportionem ipſi reſpondentem.

Secundum omnia, τὰ πάντα. Phraſi Græca, per ellipſin particula κατὰ, nempe ſecundum omnia ad incrementum cujuſque noſtrum ſpirituale pertinentia.

Qui eſt caput, ἡ κεφαλή. Eccleſiæ nimirum. Membra capiti debent reſpondere commenſu.

Chriſtus, ὁ Χριστός. Ille inſignis & κατ' ἐξοχὴν dictus. Appoſitio eſt qua caput eccleſiæ declaratur, ſic 2 Cor. VIII. 6, ad unum Deum declarandum apponitur Pater.

Verſ. 16. *Ex quo.* Tanquam ex communi capite,

Omne corpus. Univerſa eccleſia,

Coagmentatum & compactum. Ex diverſis videlicet membris.

Per omnem commiſſuram ſuppeditationis. Docet nullam commiſſuram membrorum huic corpori deeſſe, qua membra inter ſe committuntur, quam vocat *ſuppeditationis*, per genitivum effecti, quod commiſſura membrorum fiat ut alterum alteri ſuppeditet.

Secundum efficaciam. Quam ſcilicet quodque membrum in ſe habet.

In menſura uniuſcujuſque membri. Id eſt, in menſura unicuique membro convenienti .

Augmentum corporis, id eſt quod toti corpori convenit, *facit.* Dum enim membra, quodque in ſua menſura, augentur & creſcunt, eo ipſo totum corpus augmentum ſuum facit, ut juſtum corpus fiat; quod augmentum in Epiſtola ad Coloſſenſes augmentum appellat Dei cap. 2. 19.

Ad ædificationem ſui. Quia de augmento ſcientiæ & cognitionis rerum divinarum loquitur; ideo hic docet quo fine augmentum iſtud membrorum, & conſequenter totius corporis fiat. *Ad ædificationem*, inquit, ſui, id eſt corporis, non ad deſtructionem ſui.

In charitate. Id eſt, per charitatem membrorum inter ſeſe. Charitas enim ædificat, ſcientia inflat, ſi ſcilicet charitas abſit, proinde magis deſtruit 1 Cor. viij. 1.

Verſ. 17. *Hoc igitur dico.* Quaſi dicat, ut igitur ad rem & admonitionem cœptam revertar, vide ỷ. 5.

Hoc dico & teſtificor in Domino. Id eſt coram Domino, ne quis id ſibi non dictum dicat.

Ne amplius ambuletis ſicut & reliqua gentes, quæ ſcilicet Chriſti fidem amplexæ non ſunt, *ambulant.* Quaſi dicat, nam ſi id facitis, nihil vobis proderit fides in Chriſtum, in vanum gratiam Dei accepiſtis 1 Cor. VI. 1. Omnia enim quæ Deus in Chriſto & per Chriſtum fecit, eo ſpectant ut nos a peccatis abduceret, & ſibi ſanctum ac peculiarem populum faceret. Omnis Dei gratia, omnes tam ingentes promiſſiones, & ipſa Chriſti mors huc pertinet 2 Cor. VII. 1. Tit. 2. 11 & ſequentibus. Hunc finem ſi Deus in nobis non aſſequitur. nec nos promiſſionum ejus effectum, mortis Chriſti fructum, qui peccatorum remiſſio eſt & vita æterna, conſequemur. Significat Apoſtolus eos antea ambulaſſe ſicut & reliquæ gentes ambulent; ſed non amplius debere. Vide 1 Petr. IV. 23.

In vanitate mentis ſuæ. Id eſt, per vanitatem vel ob vanitatem mentis ſuæ, vaniſſimis opinionibus & cogitationibus imbutæ, quod quia in vobis locum non habet, quorum mens Dei & Chriſti cognitione ac divina veritate repleta eſt; non debet etiam in vobis habere locum illorum ambulatio, id eſt, illorum vivendi & agendi ratio ac mores.

Verſ. 18. *Obtenebrati intellectu*, τῇ διανοίᾳ. Quaſi dicat, non quidem oculis corporis, ſed mente & intellectu, quia non admiſerunt lucem Euangelii, quæ tenebris iſtis opponitur Act. XXVI. 18.

Abalienati a vita Dei. Nullum ad eam habent jus, nullum acceſſum. Sic cap. 2. 12 *eratis*, inquit, *abalienati a Republica Iſraëlis.* Vita Dei eſt vita quam Deus ipſe vivit, nempe æterna, & quam largitur credentibus in Chriſtum.

Propter ignorantiam quæ eſt in ipſis. Ignorantiam nimirum Euangelii.

Propter duritiem cordis eorum. Ignorant Euangelium; ſed ſua culpa, hoc facit cordis eorum durities & callum. Euangelium enim audiunt, & diviniſſima illius argumenta vident, ſed iis non afficiuntur nec moventur.

Verſ. 19. *Qui dedolentes*, ἀπηλγηκότες. Excuſſa nimirum conſcientia, continuo male agendi uſu,

Seipſos tradiderunt laſciviæ, id eſt libidini, *ad operationem impuritatis omnis.* Quæcunque ab iis excogitari potuit.

In avaritia. Id eſt cum avaritia, ἐν πλεονεξίᾳ. Duo notat in gentibus. Unum quod ſe dederint libidinibus, alterum cupiditati habendi, ſine ullo æquitatis reſpectu: id enim ſignificat πλεονεξία. Nec mirum, aliud enim bonum ignorabant præter voluptates corporis & opes, quibus exiſtimabant ſe ad omnia & ad honores pervenire poſſe. Nam ipſa per ſe virtute pauci contenti erant. Et ſane, niſi virtus aliud aliquod bonum adferret, voluptatibus corporis, & operibus & honoribus majus ac certius, ne virtus quidem eſſet. Euangelium Chriſti verum ex virtute bonum manans oſtendit, vitam nimirum immortalem & Regni cæleſtis hæreditatem. Sed quia gentes non credebant Euangelio, non mirum eſt quod neglecta virtute toti ſeſe darent libidinibus & cumulandis opibus.

Verſ. 20. *Vos autem non ſic didiciſtis Chriſtum.* Quaſi ſcilicet id in Chriſtiana religione ullo modo liceat. Chriſtum ponit pro Chriſti doctrina, per metonymiam cauſæ. Sic Moſes, ſic Prophetæ, ſic Apoſtoli, ſic & auctores profani ſæpe ſolent accipi.

Siquidem eum, id eſt ejus doctrinam, *audiviſtis, & in illo*, id eſt in ejus doctrina, *edocti eſtis*, nempe etiam a meipſo.

Sicut eſt, id eſt non aliter quam *ſicut eſt veritas in Jeſu.* Qui Chriſtus ille Dei eſt. Veritati divinæ,

quæ

quæ in Jesu Doctrina est conformiter in omnibus, doctrinam ejus audivistis & in ea edocti estis. Significat Apostolus doctrinam Jesu proponi posse, sed non sicut est veritas in ejus doctrina. Multa posse affingi doctrinæ ejus & sub nomine Jesu tradi quæ frænos hominibus laxent ad vitia; quod etiam, ah nimium, evenisse experimur & dolemus!

Vers. 22. *Ut deponatis.* Exponit quomodo Christum audiverint & didicerint, & quomodo sit veritas in Jesu, *ut deponatis*, inquit, vos Christiani,

Secundum priorem conversationem. Quasi dicat, non secundum animam & corpus, sed *secundum priorem conversationem*, id est, secundum priores vivendi mores, libidinosos, impuros, avaros,

Veterem hominem. Judæum in commune & Ethnicum hominem intelligit, non secundum humanam naturam, sed secundum priorem conversationem, & consequenter secundum priorem mentis habitum, cum adhuc spiritu Christi destitueretur; qui mentis habitus proprie veterem hominem constituit. Nam vetus homo a suis actionibus distinguitur Col. III. 9.

Qui corrumpitur. Exponit veteris hominis conditionem & statum, quod scilicet corrumpatur & intereat Gal. v. 8. Nam & ratione morum corrumpitur 2 Petr. I. 4. *Secundum cupiditates deceptionis.* Docet quomodo corrumpatur, cum scilicet secundum cupiditates deceptionis agit, non secundum rectam rationem aut Dei voluntatem, vel, *secundum* ponitur pro *per*. Corrumpitur per cupiditates deceptionis, id est, quæ hominem decipiunt, per genitivum effecti, & in perniciem abducunt, dum ei malum sub specie boni exhibent, vel deceptrices, per Hebraismum duorum substantivorum pro substantivo & adjectivo.

Vers. 23. *Renovemini autem.* Docet quomodo sit deponendus & exuendus vetus homo, cujus tam misera est conditio.

Renovemini autem, inquit, *spiritu mentis vestræ.* Id est, spiritu quem mens vestra ex Christo & Evangelio ejus hausit. Spiritus enim istius tanta vis est, ut hominem plane renovare possit, novas illi cogitationes, nova consilia & instituta, novos mores indere, ut veteris hominis nulla vestigia remaneant. Hinc Christiani jubentur secundum spiritum, non secundum carnem ambulare, & caro dicitur esse mortua in iis in quibus est Christi spiritus Rom. viij. 1, 9, 10, 12, 13.

Vers. 24. *Et induatis novum hominem.* In textu sunt infinitivi, phrasi Græca. Rem declarat per magis expressam oppositionem. Veteri homini opponit novum, ille deponendus & exuendus, hic induendus est. Alludit ad baptismum, in quo aliæ exuebantur ac deponebantur vestes, aliæ induebantur, in signum & sacramentum istius ipsius rei de qua hic loquitur Apostolus. Ad hoc ipsum enim nos baptismo obstringimus, ut veterem hominem exuamus, & induamus novum, hic novus homo Christianus est.

Qui secundum Deum creatus est. Describit novum hominem, quod scilicet sit secundum Deum, id est ad imaginem & similitudinem Dei creatus Coloss. III. 10, ab ipso nimirum Deo per Christum cap. 2. 10, 15. Alludit Apostolus ad veterem creationem hominis, per quam etiam homo est ad imaginem Dei creatus, sed hæc imago est dominatus hominis in omnia; Apostolus autem aliam intelligit ad institutum suum pertinentem. Addit enim:

In justitia & sanctitate veritatis. Exponit quomodo sit secundum Deum creatus, seu qua in re similitudo ista & imago Dei consistat. Justitiam opponit avaritiæ, sanctitatem impuritati. Sanctitas veritatis dicitur pro sanctitate & puritate vera, Hebræa phrasi, per substantivum pro adjectivo. Sanctitas nimirum quę non in ritibus & ablutionibus, sed in sobrietate & castitate & vera animi puritate consistat. Hic iterum exemplum habemus creationis per Christum factæ. Creavit Deus hominem per Christum, sed novum, fecit & secula per Christum, sed nova, cælum novum & terram novam, secundum prædictiones Prophetarum, & mundus per Christum factus est Hebr. I. 2, quia per eum renovatus ac restauratus est, ut propter istiusmodi dicta necesse non sit Filium Dei φύσει & absolute seu subjective dictum, mundi servatorem quærere ante vel præter Jesum Christum hominem, ex Spiritu Sancto conceptum & ex virgine genitum. Hic omnibus ad salutem sufficit: Deus enim est qui nos per illum salvat.

Vers. 25. *Propter quod.* Nempe a me dictum. Infert varias admonitiones in specie,

Deponentes mendacium. A mendacii depositione incipit. Nam qui mendacium deposuit, omnia fere vitia deposuit. Homines enim peccant in spem mendacii, & per mendacia maxime injustitiam & alia peccata exercent.

Loquimini veritatem quisque cum proximo suo. Sive proximus iste sit Christianus, sive minus.

Quia sumus alii aliorum membra. In uno scilicet civitatis aut humanæ societatis corpore, quanto vero magis in uno ecclesiæ Christianæ corpore! Membra inter sese sincere & candide agunt, nec alterum decipere vult alterum, quia commune bonum quærunt. Hoc si extranei non attendunt, at Christiani debent attendere.

Vers. 26. *Irascimini.* Id est, si contingat vos irasci, quod quidem in vita humana frequens est,

Et non peccate. Quasi dicat, & hoc protinus addite ut non peccetis, id est ut iram cohibeatis, ne in peccatum aliquod, sive per verba sive per opera Christiana pietate indigna erumpat. Docemur hoc loco iram per se peccatum non esse. Est enim affectus naturæ nostræ ab ipso Deo inditus, proinde & utilis, dummodo a recta ratione regatur. Hinc & Christus ipse iræ non fuit exsors Marc. III. 5.

Sol ne occidat super ira vestra. Monet ut protinus iram abigamus, non ut quidam faciunt, qui iram quidem ad tempus frænant & cohibent, sed ut postmodum oblata occasione validius erumpat.

Vers. 27. *Neque date locum Diabolo.* Quippe qui se iram foventibus libenter insinuat ut eos in peccatum agat.

Vers. 28. *Qui furabatur.* Nempe ante fidem in Christum,

Non amplius furetur. Id enim Christianum nullo modo

modo decet, & qui furatur ipso facto Christianus non est.

Magis autem laboret. Remedium ostendit contra furacitatem, laborem nimirum: quasi dicat, hoc autem potius agat ut laboret.

Operans bonum manibus. Declarat hunc laborem, ut scilicet operetur bonum manibus, quibus antea malum operabatur, furans.

Ut habeat quod communicet opus habenti. Non tantum quibus ipse indiget & opus habet. Ita fiet pro malefico beneficus, quem Christianum esse decet.

Vers. 29. *Nullus sermo putridus.* Id est nullius usus, sicut lignum putridum aut arbor putrida nullius est usus.

Ex ore vestro egrediatur. Vide quomodo etiam in sermonibus sese gerere debeant Christiani, si Christiani velint esse, & vitam æternam adipisci.

Sed si quis bonus, intellige, hic egrediatur, *ad ædificationem usus.* Id est alicujus usus. Declarat quis sermo sit bonus, nempe qui sit utilis ad aliorum ædificationem.

Ut det gratiam audientibus. Id est, ut audientibus beneficium aliquod adferat, per metonymiam causæ, nec sit insipidus & insulsus, sed cum gratia conjunctus Col. IV. 6.

Vers. 30. *Et non contristate Spiritum Sanctum Dei.* Spiritus Sanctus contristari dicitur, quo pacto & animus noster dicitur contristari: animus enim noster Spiritu Sancto afflatur & afficitur. Contristatur autem animus noster, & consequenter Spiritus Sanctus in animo residens, cum aliquid dicimus vel facimus Spiritui Sancto & Christiana pietate indignum, nec ei satis conveniens. Semper enim mœrorem aliquem inde referimus, qui in Spiritum Sanctum redundat.

In quo, id est quo, ut Ephes. I. 13, vel per quem, *obsignati estis.* Id est, qui sigilli Dei rationem & vim in vobis habet,

In diem redemptionis. Id est, liberationis ex morte & malis omnibus ad vitam æternam, ut scilicet in illa die certo redimamini, quippe sigillo Dei obsignati, & vos redemptum iri ex hoc sigillo certo sciatis. Vide cap. I. 13. Causam adfert ob quam spiritum S. contristare non debeamus: nam alioquin facile fieri potest ut eum contristando a nobis abigamus, & sic obsignati in diem redemptionis esse desinamus.

Vers. 31. *Omnis amaritudo.* Id est, morum asperitas & insuavitas.

Et excandescentia, θυμὸς. Ira vehemens, quæ brevis est furor. *Et ira.* Hic iram ponit in vitio, vel quia injusta est, vel quia non satis cohibetur, etiamsi θυμὸς non sit,

Et clamor. Iræ non satis moderatæ effectus vociferatio, res Christiana mansuetudine indigna. Hinc de Christo, *non litigabit, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus* Matth. XII. 19, *sicut ovis ad mactationem ductus est, & sicut agnus coram tondente ipsum mutus est, sic non aperuit os suum* Act. VIII. 32.

Et blasphemia. Sermo & verba famam lædentia, quæ ira suggerit non cohibita.

Tollatur a vobis. Christi videlicet discipulis, quos ista omnia nullo modo decent,

Cum omni malitia. Ne ullo modo cuiquam malefaciatis. Ira enim vitiosa ad malefaciendum impellit.

Vers. 32. *Estote autem alii erga alios benigni.* χρηστοὶ. suaves non amari. *Misericordes.* Misericordia, non ira commoveamini.

Condonantes alii aliis. Non ulciscentes injurias.

Sicut & Deus in Christo, id est per Christum, *condonavit vobis.* Habetis exemplum Dei in vobis ipsis exhibitum. Deus enim vobis per Christum condonavit omnia vestra delicta. Vide Matth. XVIII. 23 & seqq.

CAPUT V.

Vers. 1. *Estote igitur imitatores Dei.* In condonandis videlicet aliorum delictis. Nam nisi id faciatis, revocabit Deus erga vos gratiam suam. Vide Matth. XVIII. 23 & seqq.

Sicut filii dilecti. Id est sicut decet filios, eosque dilectos, patris virtutes imitari. Vos enim Deus in filios suscepit & valde diligit, qui eratis tot peccatorum adversus ipsum rei.

Vers. 2. *Et ambulate in charitate.* Tanquam in via totius vitæ vestræ, id est, charitatem & dilectionem alii erga alios unice sectamini.

Sicut & Christus dilexit nos. Habetis Christi exemplum quod imitemini, Christus enim etiam dilexit nos.

Et tradidit seipsum pro nobis. Nempe in mortem. Vide cap. V. 25, quanta dilectione nulla est major. Tradidit autem ut esset victima pro peccatis nostris, & ut aliis maximis bonis per suam mortem nos afficeret.

Oblationem & victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ. Appositione declarat quam Christus hoc faciens Deo fuerit gratus & acceptus, metaphora est ab oblationibus & victimis olim pacificis, ex quatum incenso dicebatur odor ad Deum ferri bonæ fragrantiæ, proinde acceptus Deo. Similem appositionem habes Philip. IV. 18. Adeo autem hoc Christi factum, & hæc erga nos dilectio fuit grata & accepta Deo, ut ob eam omnibus qui sese Christo per fidem applicant, & eum imitantes in charitate ambulant, eandem cum Christo hæreditatem largiri velit, quem etiam ob id ipsum pro nobis in mortem tradidit, ut sanguine ejus hoc sese omnino facturum inscriberet. Non loquitur hic Apostolus de oblatione qua sese Christus in cœlis offert Deo, de qua Auctor Epistolæ ad Hebræos agit. Imitemur ergo Christum in dilectione mutua, ut similiter opera dilectionis, quæ alii erga alios exercemus, vere sint oblationes & victimæ Deo, in odorem bonæ fragrantiæ. Nam victimas illas & oblationes proprie sic dictas, & incensum ex illis non amplius curat Deus Hebr. xiij. 16.

Vers. 3. *Scortatio autem.* Cum scortis concubitus, cui accenseri debent stupra & adulteria, alibi distincte nominata Gal. v. 19. 1 Cor. vi. 9. *Et omnis impuritas.* Cujuscunque sit generis & quocunque nomine vocetur, impuritas enim longe latius patet quam scortatio & stupra.

Aut avaritia πλεονεξία *plus habendi.* Sine ullo æquitatis respectu cupiditas, inordinatus amor lucri & opum.

Neque nominetur in vobis. Id est inter vos. Adeo ab his vitiis abstinete, ut ne nomen quidem eorum inter vos exstet.

Sicut decet sanctos. Quasi dicat, qui vos estis, sanctificati Deo per fidem in Christum & fidei istius professionem. Itaque vobis aut sanctitas deserenda est, aut hæc vitia, sanctitati penitus adversa.

Vers. 4. *Et turpitudo,* αἰσχρότης. Nempe sermonis, αἰσχρολογία Col. iij. 8. Christiani non tantum turpitudinem in factis, sed etiam in dictis, sermones videlicet obscœnos vitare debent. Hinc infra ℣. 12 dicit, ea quæ gentes in occulto faciant turpe esse etiam loqui.

Et stultiloquium μωρολογία. Sermones stultitiæ affectatæ, ad risum & cachinnos commovendos, Christiani moros nec agere debent, nec alere.

Aut urbanitas εὐτραπελία. Honestior ratio movendi risus; sed tamen & hæc Christianis vitanda, si nimia sit, & si quis professionem ejus faciat, eamque exerceat.

Quæ non conveniunt. Nimirum Christianis, sunt enim contra Christianam gravitatem & sanctitatem: intellige, proinde a vobis absint.

Sed magis gratiarum actio. Nempe postquam epulis exempta fames est, quo tempore homines hujus seculi maxime sermonibus obscœnis & morologiis, & jocis ac risui indulgere & vacare solent. Quid diceret Apostolus de choreis & tripudiis, qui etiam jocosos sermones Christianis non permittit! Gratiarum actio Christianos decet, res gravis & sancta, postquam Dei donis refecti & recreati sunt. Vide infra ℣. 19, 20.

Vers. 5. *Hoc enim scitote, quod omnis scortator aut impurus, aut avarus, qui est idololatra, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Causam addit ob quam tantopere hæc vitia vitare debeant Christiani. Itaque aut hæc vitia omnino deponenda & abjicienda sunt, aut Regni Dei hæreditas amittenda. Nam qui dicunt verum hoc esse, nisi quis pœnitentiam agat; quam pœnitentiam intelligunt? Si vitæ emendationem & vitiorum istorum depositionem, verum dicunt, & hoc ipsum est quod hic urget Apostolus. Si id tantum ut vitiis istis dediti, antequam moriantur, dicant se peccatorum pœnitere, ii profecto omnibus scortis, & scortatoribus & impuris & avaris, Regni Dei hæreditatem addicunt, & vi suæ sententiæ faciunt, ut ne quidem ex animo vitia sua dolere unquam possint, qui sciant ea sibi ad salutis adeptionem nihil obfutura. Nam quod mortui non amplius peccent, non hoc fit ipsorum virtute, sed mortis necessitate, nec ipsi vitia reliquerunt, sed a vitiis relicti sunt. Avarum Apostolus idololatram dicit; ut quantum crimen sit avaritia doceat, & quam merito avari sortem in Regno Christi & Dei non habeant, quæ enim sors esse potest idololatris in Regno Dei? Avarus dicitur idololatra per Metaphoram, ob similitudinem avari cum idololatra. Quod enim est idolum idololatræ, hoc est aurum avaro. Idololatra confidit idolo, avarus confidit auro, ille servit idolo, hic servit auro, sicut autem idolum servare non potest idololatram, sic neque aurum servabit avarum.

In Regno Christi & Dei, τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ. Non posito ante vocem Dei articulo. Neque enim Græci semper apponunt articulos distinctivos, præsertim cum in rebus ipsis manifesta distinctio est. Christus enim est Dei absolute & subjective dicti Christus, & Deus absolute & subjective dictus est Christi Deus. Vide supra cap. 2. 20. Hinc Gal. 1. 7 dicit Apostolus, *si autem filius es, etiam heres es Dei per Christum.* In loco nostro ideo addit Dei vocem, ut ostendat quodnam sit regnum Christi, nempe quod sit regnum ipsius Dei, quo nulla major, nulla perfectior dari potest beatitas. Hac tanta beatitate excidunt scortatores & impuri & avari. Vide Hebr. xii. 16. Non sine causa Apostolus hic tacet de turpiloquio, stultiloquio, urbanitate, credo quod ista vitia, quæ in solis dictis, indecoris quidem, sed tamen innoxiis consistunt, castiget Deus aliis pœnis, nec eo pro gratia sua & clementia paterna semper progreditur, ut propter illa hæreditatem adimat Regni sui.

Vers. 6. *Nemo vos decipiat vanis sermonibus.* Id est, non patiamini vos ab ullo decipi. Neque enim hoc deceptoribus dicit Apostolus sed fidelibus. Sic Thimotheum monet: *Nemo tuam juventutem contemnat,* id est, id age & operam da ne te quispiam propter juventutem tuam contemnat 1 Tim. iv. 12.

Vanis sermonibus. Docet vanos & mendaces esse sermones illorum, qui scortatoribus, & impuris, & avaris, nisi hæc vitia deponant & excutiant, Regni Dei hæreditatem pollicentur, & deceptores agere qui hoc faciant. Confirmare magis voluit dictum superius. Merito autem hoc monuit. Nam nullum Christianæ pietatis articulum magis vexarunt & exercuerunt hominum ingenia, quam ut liceret his & similibus vitiis, per veram vitæ emendationem non depositis, Regni cælestis hæreditatem adire. Huc traxerunt justificationem ex Dei gratia non ex operibus, huc pœnitentiam & remissionem peccatorum, huc Christi obedientiam & pro peccatis nostris mortem, huc ipsam in Christum fidem, huc confessionem peccatorum & a peccatis absolutionem, huc baptismi & eucharistiæ sacros ritus, huc unctionem ægrotis olim adhiberi solitam, huc sanctorum in unius ecclesiæ corpore communionem, huc Adami lapsum, huc divinam prædestinationem & electionem, per varia pietati noxia hisce de rebus commenta, huc latronis in cruce morientis, huc publicani peccata sua deprecantis exemplum, huic fini reperta sunt sanctorum merita, & opera quæ vocant supererogationis, itemque opera quæ dicuntur satisfactoria, in quibus nulla vera est sanctitas; & his contraria opinio, quod nemo etiam ex illis qui Christi spiritu sunt præditi, legem Dei servare possit eo modo quo Deus eam servari vult, hinc invoca-

vocationes potius quam imitationes sanctorum, hinc imaginum & reliquiarum adorationes, hinc & alii varii externi & superstitiosi cultus ac ritus, hinc sacrificium quod vocant Missæ, pro vivis & mortuis, hinc & falsæ de Deo, de Christo, de Spiritu Sancto opiniones, veluti repensandæ per adulationem pietati & sanctis moribus, quin & piorum persecutiones ac cædes, & quæ non alia? In hoc tamen verecundiam illorum laudo, qui peccata ante mortem non deponentibus per vitæ emendationem & renovationem, non aliter in cælum patere viam dicunt, quam per purgatorium; quod profecto verum est Hebr. XII. 14. Apocal. XXI. 27. XXII. 15. 2 Petr. 1. 9. Sed quia purgatorium hoc statuunt post mortem, non ante mortem, etiam hoc ipsum purgatorium ad destruendum istud Apostoli pronuntiatum repertum est. *Propter hæc enim venit*, id est veniet, per temporis enallagen, *ira Dei*, id est, æternum exitium, per metonymiam causæ, *super filios inobedientiæ*. Id est, super eos qui Euangelio non credunt, qui illud sibi persuaderi non sinunt. *Filii inobedientiæ*, Hebræa phrasi dicuntur pro inobedientibus, per metaphoram. Confirmat Apostolus superius monitum: quasi dicat, propter hæc & his similia peccata Deus iram suam effundet super eos qui Euangelio non credunt, eosque perdet; quomodo vos effugietis, qui Euangelio credidistis, si vitia hæc non exuatis?

Vers. 7. *Ne igitur sitis participes illorum*, συμμέτοχοι αὐτῶν. Socii ipsorum, nempe filiorum inobedientiæ, ne partem cum illis habeatis, nempe in vitiis & in ira Dei seu æterno exitio.

Vers. 8. *Eratis enim quondam tenebræ.* Id est, tenebris ignorantiæ veri Dei & divinæ voluntatis penitus obsiti, antequam Euangelium vobis esset allatum. *Nunc autem.* Postquam scilicet Euangelio credidistis, *lux in Domino*. Id est, luce clarissima, nempe Euangelii, collustrati estis per Dominum, qui vobis Euangelium misit. Hic Christus ille Dei est, cui titulus Domini absolute tribuitur a Christianis, sicut titulus Dei tribuitur Patri 1 Cor. VIII. 6. In utroque membro substantivum ponit pro adjectivo, exaggerationis gratia: quasi dicat, eratis ipsæ tenebræ, nunc estis lux ipsa. Causam nimirum affert ob quam nullo modo socii eorum qui non credunt, quique sunt ipsæ tenebræ, debeant esse, cum ipsi sint lux ipsa in Christo. *Sicut filii lucis ambulate.* Infert ex dictis monitum: sic vos in omnibus vestris actionibus gerite, sicut homines decet in luce clarissima constitutos, seu qui sunt lux ipsa, in qua protinus apparent omnes maculæ. Homines in tenebris ambulant sine cura, sed qui in luce sunt, decoris rationem habent. Idem & vos agite, & operam date ne quidquam indecorum vestræ vocationi, & Christiana sanctitate indignum faciatis Rom. XIII. 12, 13, 14. 1 Thess. V. 5, 6, 7, 8. Filii lucis, eadem phrasi dicuntur qua supra filii inobedientiæ ℣. 6: quos antea dixit lucem, nunc seipsum declarans, dicit filios lucis, id est, homines luce collustratos & in ea agentes.

Vers. 9. *Fructus enim spiritus*, nempe sancti, quem scilicet vos habetis, & cujus participes facti estis per fidem Euangelii, *in omni beneficentia & justitia & veritate.* Intellige est, vel positus est. Causam in specie adfert contra crimen avaritiæ: quasi dicat, nullo modo vobis convenit ut avari sitis. Nam fructus spiritus, quem vos adserre debetis, (in hunc enim finem Spiritum Sanctum accepistis:) positus est in contrariis avaritiæ virtutibus.

In beneficentia. Ut cuique pro viribus benefaciamus.

In justitia. Ne cuiquam injuriam faciamus.

In veritate. Ne unquam mentiamur, sed semper vera loquamur, nec quidquam sit in nobis simulatum: quæ omnia penitus excludunt avaritiam. Avari enim non libenter benefaciunt, nummos malunt quam benefacere, accipere beatius ducunt quam dare, injusti etiam sunt & mendaces & fallaces, quoties per hæc rem suam augere possunt.

Vers. 10. *Probantes*, id est probate, participium pro verbo, Hebræa phrasi, sic ℣. 21, *quid sit beneplacitum Domino.* Id est Christo. Monet ut studiose exploremus & inquiramus quid sit beneplacitum, εὐάρεστον. Domino, ut scilicet id faciamus. Hoc enim decet fideles & frugi servos, qui id unice agunt ut Domino suo placeant. Non semper expressum exspectant mandatum, sed ipsi sagaciter indagant, quæ plane ad mentem & placitum Domini sint, eaque faciunt & exequuntur alacriter, vicissim etiam diligenter cavent, ne pro rebus Domino gratis, faciant quæ is non curet, imo aversetur. Vide ℣. 17. Rom. XII. 2.

Vers. 11. *Et non communicate operibus infructuosis tenebrarum.* Quasi dicat, illud facite, & hoc non facite ut communicetis operibus infructuosis tenebrarum. Nunc etiam in specie ab impuris vitiis dehortatur. Opera tenebrarum, sunt opera quæ in tenebris fiunt, & animi & corporis, opera nocturna, quæ pudor & metus facere prohibet in luce. His certe communicare non debent Christiani, qui lux ipsa sunt, & quorum lux ne noctu quidem ac in tenebris corporis cessat. Eo ipso igitur quod opera tenebrarum sint, in Christianis locum habere non debent: quæ appellat infructuosa, per μείωσιν, quod non solum fructuosa non sint, sed etiam valde damnosa. *Quem fructum*, inquit Apostolus alibi, *habebatis tunc, quorum vos nunc pudet? finis enim illorum mors* Rom. viij. 21. Voluptas quæ percipitur ex illis, momento perit & pro nihilo ducenda est: at pudor & turpitudo, & acerba mortis æternæ pœna manet. Tanto magis ergo Christiani ab illorum communitate debent abstinere.

Magis autem etiam redarguite. Quasi dicat, quam ut iis communicetis. Redarguuntur cum eorum ostenditur fœditas & turpitudo & noxa.

Vers. 12. *Quæ enim occulte fiunt ab ipsis, turpe est etiam dicere.* Quasi dicat, non tantum facere. Docet quam merito redarguenda sint quæ occulte fiant a gentibus. Ea nimirum tam fœda tam turpia esse, ut etiam ea dicere & effari fœdum ac turpe sit.

Vers. 13. *Hæc autem omnia cum redarguuntur a luce, manifestantur.* Id est, in lucem veluti protrahuntur, ut turpitudo eorum appareat, cum à luce, qui Christiani sunt, redarguuntur.

Omne enim quod manifestat. Quod tecta tenebris ostendit & exhibet,

Lux est. Quis videret quam hæc sint turpia, quam damnosa, nisi id per Christianos, qui lux mundi sunt, fieret?

Vers. 14. *Propter quod.* Nempe quod hanc vim habeat lux, & quod Christiani sint lux,

Dicit. Nempe Scriptura,

Excitare qui dormis. Somno nimirum vitiorum,

Et surge ex mortuis. Nempe ex mortuis secundum spiritum, seu qui animo sunt mortui, licet vivant corpore, ut de vidua lasciviente loquitur Apostolus 1 Tim. v. 5. ἐκ τῶν νεκρῶν, cum articulo, spiritualiter mortuos designans.

Et illucesset tibi Christus. Nimirum per Euangelium & suos discipulos. Jam lucet, jam exortus est, jam radios suos ubique spargit, ideo excitare ex somno, & surge ex mortuis. Hæc quidem verba si literam spectes, non reperiuntur in Vetere quam habemus Scriptura, sed reperiuntur si spectes rem & sensum. Vide Esaiæ xxvi. 19. li. 17. lii. lx. 1, 2, 3.

Vers. 15. *Videto igitur quomodo accurate ambuletis.* Occasione redargutionis & manifestationis vitiorum & turpitudinum mundi, quæ per Christianos tanquam per lucem fieri debet, monet Apostolus Christianos ut caute admodum & circumspecte agant.

Non tanquam insipientes, ἄσοφοι. Qui circumstantias loci, temporis, personarum non considerant, nec quid & quomodo dicant,

Sed tanquam sapientes. Qui hæc omnia probe considerant, & operam dant ut sermo eorum semper sit cum gratia, sale conditus, non insipidus, utque sciant quomodo unicuique & loqui & respondere debeant Coloss. iv. 6, ubi etiam hoc ipsum monitum sic effert ℣. 5, *in sapientia ambulate adversus eos qui sunt extra.*

Redimentes tempus. Quod posterius & hic addit, id est, non objicientes vos periculo. Tempus enim redimere & lucrari, per metaphoram dicuntur, qui pericula differunt ut interea transeant. Phrasin hanc habes Dan. 2. 8. *Quid facies lucri?* inquit Philosophus, Seneca Ep. xiij, *tempus. Multa interveniunt quibus vicinum periculum, vel prope admotum, aut subsistat, aut desinat, aut in alienum caput transeat, aliquando gladius ab ipsa cervice revocatus est, aliquis carnifici suo superstes fuit.* Patiamur mortem venire ad nos, non nos curramus ad ipsam.

Quia dies mali sunt. Tempora mala, propter malos homines & veritati ac pietati Christianæ valde infensos. Etiamsi Christiani verbis ac sermonibus mundi mores non redarguant; (nec enim semper possunt,) tamen exemplo redarguunt, & tanquam exprobrantes adspiciuntur.

Vers. 17. *Propter hoc.* Nempe quod dies mali sint.

Ne sitis imprudentes, ἄφρονες. Qui improvide & non necessario zelo ruunt in pericula & tentationem ac mortem.

Sed scientes quæ sit voluntas Domini. Multi enim voluntatem Domini putant esse quæ non est. Ipse Dominus, etiamsi nos jubet esse simplices tanquam columbas, tamen etiam jubet nos esse prudentes sicut serpentes, quæ artem norunt momento ex periculis elabendi Matth. x. 16. Idem etiam jubet ne margaritas projiciamus ante porcos, aut sanctum demus canibus, *ne forte*, inquit, *conculcent eas pedibus suis & conversi lacerent vos* Matth. vii. 6.

Vers. 18. *Et ne inebriemini vino.* Pertinet hoc ad prudentiam, ut semper simus sobrii. Vinum nominat tanquam notissimum, si eo abutaris, ebrietatis instrumentum, sed per synecdochen includit & alia omnia.

In quo. Id est qua in re, nempe in ebrietate, *est luxuria* ἀσωτία, ebrietas a Regno Dei excludit Gal. v. 21. 1 Cor. vi. 10. 1 Petr. iv. 3. Et merito, quæ enim pars est asoto cum salute?

Sed impleamini in spiritu. Id est spiritu, particula *in* redundante phrasi Hebræa. Vino si repleamur, inebriamur, at spiritu nempe sancto pro vino repleri, id vero sanctum & vere Christianum est. Replemur autem Spiritu Sancto cum eum in nobis excitamus, consideratione rerum divinarum, & tantæ Dei gratiæ quanta nos Deus affecit per Christum.

Vers. 19. *Loquentes alii aliis.* Nempe in conviviis Christianorum, ut scilicet alii alios doceatis & admoneatis Col. iii. 16.

Psalmis & hymnis & canticionibus spiritualibus. Talia enim dictat Spiritus Sanctus cum eo replemur: at qui replentur vino, alia loquuntur & canunt, profana nimirum, amatoria, obscœna.

Canentes & psallentes in corde vestro. Quasi dicat, etiamsi modulata vox absit, sufficit si cor adsit, hoc etiam vobis sit pro plectro & omnibus instrumentis musicis. *Domino*, id est Christo, qui tali Musica delectatur, præsertim cum in illa laudes ejus continentur. Ita fiet ut & ad vos summa redeat utilitas, & ad Dominum delectatio.

Vers. 20. *Gratias agentes.* Id est gratias agite, participium pro verbo, vide ℣. 21.

Semper. Etiam extra conviviorum tempus, & qualibet occasione.

Pro omnibus. Quæcunque vobis obvenerunt & obveniunt, etiamsi videantur adversa ac tristia bona sunt, Deus enim omnia in bonum convertet.

In nomine, id est, per nomen, *Domini nostri Jesu Christi.* Nomen Domini nostri Jesu Christi ponit pro ipso Domino nostro Jesu Christo, Hebræa phrasi. Nam in Epistola ad Colossenses huic parallela dicit: *Gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Id est, Dominum Jesum Christum cap. iij. 17. Gratias agere per nomen Domini nostri Jesu Christi, vel per Dominum nostrum Jesum Christum, est ipsius vel nominis ejus, tanquam Domini nostri nobis a Deo dati, in gratiarum actione mentionem facere, sæpe etiam ipsi Jesu Christo directe gratias agere ℣. 19. Nam & ista gratiarum actio non consistit in Christo, sed tendit & refertur in Deum.

Deo. Nempe absolute & κατ' ἐξοχὴν dicto, proinde illi uni & absolute summo, ex quo omnia & nos in illum; a quo hic Dominus noster Jesus Christus manifeste distinguitur.

Et Patri. Declarat quis sit unus ille Deus, nempe is qui Pater est omnium nostrum, & ipsius Christi Domini

Domini nostri. Is qui nullius est Filius, nec ulli quidquam debet, sed omnes illi debent omnia.

Vers. 21. *Subjicimini ὑποτασσόμενοι.* Per participium, Hebræo more.

Alii aliis. Unus enim est nostrum omnium Dominus in cælis, Jesus Christus; nos inter nos alii aliis subjecti debemus esse, in omnibus illis de quibus secundum Domini nostri Jesu Christi voluntatem monemur. Vide 1 Petr. v. 5. Nam etsi juniores senioribus sese debent subjicere, tamen & seniores recusare non debent quo minus sese junioribus subjiciant, si juniores rectiora moneant.

In timore Dei. Id est per timorem Dei. Nam timor hominum in ecclesia Christi locum non habet; quæ sola religione regitur & continetur. Unde patet neminem timore hominum ad Christi fidem ac religionem cogendum & in ea retinendum esse. Christi religio res plane spiritualis est, & spiritualibus tantum mediis propagari & conservari debet. Neque enim civitas cum ecclesia Christi debet confundi. Civitas suis legibus ac modis regitur, ecclesia Christi itidem suis, quæ tamen civilem societatem non tantum non tollit, sed etiam perficit.

Vers. 22. *Uxores propriis viris subjicimini.* Occasione subjectionis monet uxores, iisque præcipit ut sese propriis viris subjiciant: *tanquam Domino*, id est Christo.

Vers. 23. *Quia vir est caput uxoris, sicut & Christus caput (est) ecclesiæ.* Causam addit præcedentis præcepti: quasi dicat, quia vir similis est Christo, in eo quod huc pertinet. Nam vir est caput uxoris, sicut & Christus caput est ecclesiæ, unde mirum non est quod uxor viro suo debeat esse subjecta, tanquam Domino. Nam quatenus est uxor virum habet pro capite, quatenus est membrum ecclesiæ habet pro capite Christum: sicut ergo Christo se subjicit tanquam ecclesiæ membrum, sic etiam viro sese debet subjicere tanquam uxor. Non quidem hic paritas subjectionis debet intelligi; (multum enim distat vir a Christo;) sed subjectionis conjunctio: ut scilicet viro convenientem subjectionem præstet, non minus quam convenientem præstat Christo; præsertim quod in eo ipso sese etiam subjiciat Domino, cum sese subjicit viro. Hæc enim etiam est voluntas Domini, ut sese uxor subjiciat viro. Unde & præmium a Domino debet exspectare si id faciat, & pœnam si non faciat. Vide simile præceptum servis datum infra cap. vi. 5.

Et ipse est Servator corporis. Addit hoc, ut ostendat quod commodum habitura sit ecclesia ex capite suo. Hoc nimirum, quod eam tanquam corpus suum servaturus, id est ex omnibus malis & ex ipsa morte liberaturus, & in Regnum cæleste asserturus sit. Nam ubi caput est, ibi & corpus erit.

Vers. 24. *Sed*, intellige ut ad uxores revertar, *sicut ecclesia subjicitur Christo.* Nempe si officium suum faciat, & veram ecclesiam se præbeat; facere eam dicit, quod ut faciat ipsius officii est, & si id non faciat, nihil minus erit quam Christi ecclesia.

Sic & uxores propriis viris. Intellige subjiciuntur, id est subjicere sese debent, ut supra.

In omni. Nam & ecclesia in omni subjicitur Christo. Ponit enim viros nihil velle contra Christum. Nam alias Christo potius subjicere sese debet quam viro; cui & vir subjectus esse debet, nec quidquam velle quod Christus nolit & vetet.

Vers. 25. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam.* Monuit ut uxores ab ecclesia exemplum capiant subjectionis erga viros; nunc vicissim monet & præcipit, ut & viri exemplum dilectionis erga uxores capiant a dilectione Christi erga ecclesiam.

Et seipsum tradidit pro illa. Nempe in mortem. Exprimit dilectionem istam Christi, qua nulla major dari potest. Vidit plurimum interesse salutis ecclesiæ ut ipse sese traderet in mortem, eamque crucis, omnium dirissimam & ignominiosissimam. Non recusavit igitur id facere pro amore ecclesiæ suæ, licet tum adhuc maxima ex parte futuræ.

Ut eam sanctificaret. Id est sanctam redderet. Tantus enim Christi amor erga ecclesiam facit ut se totam Christo addicat & sancta sit.

Purificans lavacro aquæ in verbo. Docet quid Christus fecerit ut hunc mortis suæ pro ecclesia consequeretur finem, & ut fieret ecclesia. Verbum nimirum illi suum curavit prædicari, cui postquam credidit, purificavit eam, lavacro aquæ, qui baptismus est, & sic fecit ut esset ecclesia. Baptismus enim puritatis & initiationis Sacramentum est. Nam baptizati in Christi nomen initiantur Christo, & peccatorum remissionem consequuntur a Christo, & ipsi vicissim sese Christo obstringunt ad omnem vitæ puritatem per baptismum. Alludit ad sponsarum morem, quæ etiam lavacris aquæ ab omnibus sordibus purificari solent.

In verbo. Id est per verbum, Euangelii nimirum, tanquam per unicum medium quo Christus ecclesiam colligit & lavacro aquæ purificat. Ut per lavacrum aquæ spirituale lavacrum intelligamus, quod appositione vocum *in verbo* explicetur, nihil cogit; præsertim quod Apostolus non simpliciter dicat, *verbo*, sicut dixit lavacro, vitata, ut in appositionibus fieri solet, omni loquendi variatione, sed dicat *in verbo*.

Vers. 27. *Ut sisteret eam sibi ipsi.* Nempe & mortuus est pro ecclesia, & eam purificavit lavacro aquæ, per verbum. Post additum hunc alium amoris Christi effectum, sine quo prior ille, nempe quod mortuus sit pro ecclesia, infructuosus esset, explicatius proponit finem illum quem Christus intendit in ecclesia.

Gloriosam. Id est laudibus & gloria virtutum omnium celeberrimam, vel omni virtutum genere splendidam & radiantem. Alludit enim ad Regum sponsas, & ecclesiam comparat sponsæ seu uxori, Christum sponso seu marito, ut vidimus supra. Regum autem sponsæ seu uxores auro & gemmis radiare solent. Ideo etiam dicit ut eam *sibi* tanquam scilicet sponso ac marito sisteret gloriosam. Huc enim maxime facit mors Christi pro nobis & pro peccatis nostris, ut nos Christo penitus mancipet & addicat, & sic virtutibus reddat gloriosissimos. Quis enim totis viribus non amaret eum qui nos sanguine suo ab omnium peccatorum reatu redemit, præsertim si sciat non aliter sibi sanguinem hunc ad salutem profuturum esse? Quis puritati sese non dedat, qui

sese purificatum lavacro aquæ, per verbum Euangelii, maxima Christi gratia & curâ meminerit?

Ecclesiam. Vocem ecclesiæ repetit emphaseos gratia.

Non habentem maculam. Quasi dicat, toto etiam corpore pulcherrimam, non ornatu tantum.

Aut rugam. Quæ senectutis est index.

Aut aliquid istorum. Quæ scilicet pulchritudini & gratiæ aliquo modo officiant. Id vult ut ecclesia omni vitio ac turpitudine vacet, ut omni ex parte sit pulchra & gratiosa in oculis Regis Christi, sponsi ac mariti sui. Cur enim tantus Rex amaret & duceret sponsam aut uxorem non omni ex parte pulcherrimam? Cur maculas & nævos in corpore habentem, seniculam, cui jam frons & facies rugis arata sit, & aliquid adhuc ex vetere homine insideat?

Sed ut sit sancta & irreprehensibilis. Explicat metaphoram per verba propria, *sancta*, nihil profani habens, *irreprehensibilis*, nihil in se habeat quod mereatur reprehendi. Nam lapsus, qui nihil improbitatis ac malitiæ conjunctum habent, mortalis naturæ conditio, coram Deo & hominibus excusat. Vide qualem Christus ecclesiam suam velit esse! Proinde quæ ecclesia talis non est, nec vera Christi ecclesia est. Nam invisibilis, quam dicunt ecclesia, nusquam est; ut nec mirum sit quod a nemine videri queat.

Vers. 28. *Sic viri debent diligere suas uxores sicut sua corpora.* Redit ad dilectionem uxorum, & comparat eas corporibus. Uxor enim est corpus viri ob similitudinem. Sicut & maritus est caput uxoris. Caput & corpus mutuam inter se relationem habent, uam corpus est capitis corpus, & caput est corporis caput. Si ergo vir est caput uxoris, etiam uxor erit corpus viri. Merito igitur viri suas uxores sic diligere debent sicut sua corpora.

Qui diligit suam uxorem seipsum diligit. Quia nimirum corpus suum diligit.

Vers. 29. *Nemo enim unquam suam carnem odio habuit.* Causam reddit cur a corpore dilectionis argumentum sumat. Quia nemo unquam suam carnem odio habuit. Nemo ergo etiam uxorem suam odisse debet.

Sed enutrit & fovet eam. Duo sunt quæ carni seu corpori debentur; unum est ut nutriatur, alterum ut foveatur, & ab injuriis exterius advenientibus protegatur. Horum utrumque carni suæ quisque præstat quantum potest. Idem & uxori suæ maritus præstare debet.

Sicut & Dominus ecclesiam. Iterum exemplum Domini adfert, & ex illo sumit argumentum. Quia enim viri id sunt uxoribus quod Dominus ecclesiæ; debent etiam Dominum imitari. Exponit curam Domini quam habet de ecclesia sua, quæ non tantum ad corpus extenditur, sed multo magis ad animum & salutem æternam ecclesiæ.

Vers. 30. *Quia membra sumus corporis ejus.* Causam adfert tantæ dilectionis & curæ quam Christus exhibet ecclesiæ, ex comparatione nostri, seu ecclesiæ, cum Eva. Unde fit ut de Christo & de nobis loquatur per metaphoram & catachresin; quod in comparationibus, non tantum locum, sed etiam elegantiam habet.

Quia membra sumus. Id est, quisque nostrum qui ecclesiam constituimus, est membrum, *corporis ejus*, non secus ac Eva fuit membrum, & consequenter Evæ membra fuerunt membra corporis Adami.

Ex carne ejus, & ex ossibus ejus. Explicatio est superioris: quasi dicat, quia sicut Eva fuit ex carne & ex ossibus Adami; sic ecclesia, & consequenter quisque nostrum, est ex carne & ossibus Christi, id est ex Christo. Ecclesia enim & quisque in ecclesia originem suam habet ex Christo secundum spiritum, seu fidem ac pietatem Christianam. Transferendum enim hoc est a corpore ad spiritum, & a typo ad antitypum, ab imagine & figura ad rem ipsam. Ideo verba quæ figuræ proprie conveniunt, de Christo & Christianis sensu conveniente debent intelligi.

Vers. 31. *Propter hoc.* Nempe quod Eva mater nostra ex Adamo viro suo sit.

Derelinquet homo. Id est hæc lex esto perpetua & immutabilis, *ut homo*, id est vir omnis ex Adami & Evæ natus conjugio, derelinquant

Patrem & matrem. Id est separet se habitatione a patre & matre, si nimirum commode, ut fieri solet, cum iis habitare amplius non possit.

Et adglutinabitur ad uxorem suam. Ut scilicet ei semper cohabitet. Hæc sola societas separationem cohabitationis non novit. Parentes liberos, postquam adoleverunt, in aliam Coloniam mittunt, nec fratres & sorores diu simul versari possunt, nec ulla est tam beata societas. Solius concordis conjugii nullum est tædium, nullum fastidium.

Et erunt. Nempe dum vivent,

Hi duo. Nempe vir & uxor,

In carnem unam. Hebræa phrasi, id est caro una, corpus unum, & consequenter homo unus, cujus hominis caput est vir, corpus uxor. Hoc Deus ut significaret & in perpetuum sanciret, Evam ex Adami carne & ossibus fecit, qui primi conjuges & parentes nostri fuerunt. Hinc docemur inter virum & uxorem ullam esse debere separationem, non magis quam unius carnis, aut corporis, aut hominis a seipso. Docemur etiam non tres vel plures, sed duos tantum unam carnem esse factos, & revera, si tertius, aut etiam plures accedant, nunquam una caro, unum corpus erunt, nec in eam quæ unius hominis est concordiam conspirabunt. Nam & hoc est quod nos viri & uxoris in unam carnem conjunctio docet, ad polygamiam arcendam.

Vers. 32. *Mysterium hoc magnum est.* Nempe quod Eva ex Adamo esset, & quod vir & uxor inseparabiliter conjungantur & una caro fiant. Mysterium, seu arcanum magnum hoc esse dicit, per metaphoram, quia est mysterii seu arcani magni typus & figura. Addit enim seipsum explicans,

Ego vero dico in Christum & in ecclesiam. Quasi dicat, non in virum & in uxorem; nam quis nescit

nescit Evam ex Adamo formatam esse & virûm uxori cohabitare debere, & utrumque unam esse carnem? nullum in hoc arcanum est. At hanc esse Christi & ecclesiæ figuram ac typum, id vero magnum erat arcanum; quod nunc in Christo & ecclesia exhibitum ac manifestatum est. Unde patet supra *mysterium magnum* dici, pro figura ac typo magni mysterii, per usitatum tropum. Sicut & in ritu Eucharistico panis & vinum dicitur corpus & sanguis Christi, calix Novum Testamentum in sanguine Christi, quia sunt istorum omnium signa memorialia. *In Christum, in ecclesiam*, dicitur pro, *de Christo, de ecclesia*, ut 2 Cor. xij. 6.

Vers. 33. *Veruntamen & vos singuli quisque suam uxorem sic diligat sicut seipsum.* Quasi dicat, quanquam hæc quæ dixi, maxime in Christo & in ecclesia tanquam antitypo & figurato impleantur.

Et vos singuli. Non in genere tantum. *Quisque*, nemine excepto:

Suam uxorem sic diligat sicut seipsum. Est enim una cum uxore sua caro, unum corpus, unus homo. Et si proximum quisque diligere debet sicut seipsum; quanto magis uxorem! Quia nemo nobis est propinquior.

Uxor autem ut timeat virum. Intellige, præcipio. Nam & superius præceptum est. *Timeat*, nempe eo modo quo quisque timet seipsum, quo corpus timet caput suum, id est nihil viro suo contrarium faciat, viro suo semper concors maneat, semper adhæreat, a viro se regi & gubernari in omnibus patiatur. Nam si aliter faciat, unus homo, unum corpus, una caro cum viro non erit. Proinde nec vera uxor erit, sicut nec ecclesia est ecclesia Christi, si Christo non obtemperet. Et sicut tum ecclesiæ timendum esset ne Christus suo in eam uteretur jure ac potestate; sic & uxori refractariæ idem timendum esset a viro. At si vere uxorem agat, non magis timere debet a marito, qui idem vere maritum agat, quam ecclesia timet a Christo, corpus a capite, quisque a seipso. Huc pertinet locus Petri 1 Epistola iij. 6, in charitate enim non est metus, & perfecta charitas expellit metum 1 Joan. IV. 18.

CAPUT VI.

Vers. 1. **F***ilii obedite parentibus vestris in Domino.* *Τὰ τέκνα*. quo nomine includuntur & Filiæ. Voces *in Domino*, referuntur ad *τὰ τέκνα*, ne videretur Apostolus iis qui extra Dominum sunt præcepta dare. Extra Dominum sunt qui in Dominum non credunt, non quod sint extra illius dominatum, sed quod sint extra salutem æternam, quæ a Domino proficiscitur.

Hoc enim est justum. Nempe ut iis a quibus progenerati & educati sumus obediamus.

Vers. 2. *Honora Patrem tuum & Matrem.* Recitat præceptum ex Decalogo. In honore includitur & obedientia, & omnia quæ parentes juste poscere possint a filiis & prole sua.

(*Quod est præceptum primum in promissione.*) Id est cum promissione, singulari nimirum, & singulariter sibi annexa. Nam nec primum, nec secundum, nec tertium, nec quartum quæ antecedunt, ullam promissionem singulariter sibi adjunctam habent, imo nec sequentium in Decalogo ullum. Est hæc singularis præcepti istius commendatio.

Vers. 3. *Ut bene tibi sit, & sis longævus super terram.* Recitat hanc promissionem, id est ut vitam agas beatam & longævam. Significat Deus, eum qui auctores vitæ suæ non honoret, indignum esse ut ei bene sit in vita, imo ut vivat. Ingratus est indignus quem terra alat, quippe quæ gratam se præbeat conserentibus. At quæ major ingratitudo potest esse quam erga parentes!

Vers. 4. *Et vos patres*, includit & matres, *non irritate*, nempe erga vos, *Filios*, iterum *τὰ τέκνα*; qua voce includuntur & Filiæ, ut jam diximus, *vestros*. Hoc fit cum a parentibus inclementer & non paternè tractantur, cum illorum cura non habetur, & causa iis datur ut animum avertant a parentibus, nec tam pro beneficio ducant quod a parentibus progeniti sint, quam pro infelicitate ac miseria. Non debent quidem nati eo desperationis ac furoris devenire; sed nec parentes illis causam eo deveniendi præbere. Patribus nominatim hoc præceptum dat: nam matres utplurimum indulgentiores esse solent.

Sed educate eos in institutione & admonitione Domini. Id est quæ Dominum auctorem habet, Christum intelligit. Educate eos a teneris in veritate & pietate Christiana, quod multo magis fit per exempla parentum, quam per verba. Nihil amplius addit Apostolus; sed in hoc uno, quod omnium maximum est, cætera omnia includit, quæ a parentibus in liberos proficisci possint.

Vers. 5. *Servi.* Includit & servas,

Obedite dominis secundum carnem. Sic discriminat dominos hujus seculi a Christo, qui Dominus est etiam secundum spiritum. Domini hujus seculi nullum habent in spiritum seu animum nostrum citra carnem dominatum; at Christus habet, vide Matth. x. 28. Quod ideo videtur Apostolus addidisse; ne servi dominis secundum carnem sic obediant, ut aliquid Christi præceptis contrarium faciant, qui Dominus etiam secundum spiritum est: proinde omnibus dominis longe major, imo dominorum omnium Dominus absolutissimus.

Cum metu & tremore. Hoc addit, quia id jam servorum est, non filiorum. Domini enim servos tractant ut servos, parentes filios tractant ut filios. Metus & tremor custos est in servis obedientiæ, in liberis erga parentes amor. Non vult Apostolus ut servi metum & tremorem erga Dominos exuant, sed ut eum potius induant, si eum antea, ut sæpe fit in servis, deposuerant. Christiana pietas fortes quidem & constantes facit; sed projectos in desperationem & servilem contumaciam animos, etiam a servis arcet.

In simplicitate cordis vestri. Id est non in simulatione & hypocrisi.

Sicut Christo. Id est sic in simplicitate cordis dominis secundum carnem obedite, sicut obeditis Christo.

Vers. 6. *Non secundum servitium quod ad oculos exhibetur.*

exhibetur. Declarat prius per remotionem contrarii. Nam qui secundum servitium obedit quod ad oculos exhibetur, haud obedit in simplicitate cordis.

Sicut si qui hominibus placere studeant. Quos animum inspicere haud posse sciunt.

Sed sicut servi Christi. Id est sicut servos Christi decet.

Facientes voluntatem Dei ex animo. Exponit prius; ut scilicet voluntatem Dei, cujus pars est ut servi Dominis obediant, ex animo faciant, non ad oculum, & homines deludendo.

Vers. 7. *Cum benevolentia μετ' εὐνοίας*. Id est benevole & prompto cum animo.

Servientes Domino & non hominibus. Etiam in hoc cum servitiis hominibus, seu Dominis vestris secundum carnem. Christum opponit hominibus, sicut & Gal. 1. 1, quia ita homo est, ut simul sit rerum omnium cælestis Dominus a Deo effectus.

Vers. 8. *Scientes*. Causam adfert cur serviendo hominibus, servire debeant non hominibus sed Domino.

Scientes, inquit, *quod quidquid quisque fecerit bonum*. Proinde & hoc quod Domino suo secundum carnem servierit sincere fideliter & ex animo, & sicut ipsi Christo.

Reportabit a Domino. Id est Christo; (qui simpliciter & absolute Dominus dicitur;) quatenus nimirum reportabit boni istius retributionem a Domino, quæ regni Dei hæreditas est, per metonymiam causæ pro effectu. Bonum enim hoc fecit, non hominum, sed Christi respectu & causa. Vide Col. iij. 22, 23, 24 κομιεῖται, simplex pro composito, Hebræa phrasi.

Sive servus, sive liber. Non erit ad hoc quod aliquis fuerit servus aut liber, in retributione boni, sicut & mali, ullus apud Dominum respectus.

Vers. 9. *Et Domini eadem facite erga ipsos*. Eadem in genere, non in specie. Bona nimirum vicissim facite erga servos, licet Dominorum alia sint bona erga servos, alia servorum erga Dominos.

Remittentes minas. Id est non semper minantes, nec semper quæ minati estis exequentes, nec stricto jure cum servis agentes, benignitatem & clementiam erga eos exercentes. Hoc enim inter alia bonum est Dominorum erga servos.

Scientes quod & vestri ipsorum. Quasi dicat, non tantum servorum *Dominus*, ὁ κύριος. Cum articulo emphatico, id est Christus,

Est in cælis. Causam addit ob quam Domini clementer & benigne cum servis agere debeant.

Et personarum respectus non est apud ipsum. Non respicit in retributione malorum & irrogatione pœnarum ad id quod aliquis fuerit Dominus, aut Princeps, aut Rex, aut Imperator. Est enim Dominus in cælis habitans, & Dominus absolute seu κατ' ἐξοχὴν dictus. Docemur hoc loco, Christum servorum & Dominorum statum religione sua non sustulisse, quanto minus civium & magistratuum, subjectorum & potestatum? Civium enim ac subjectorum status multo liberalior est quam servorum; & magistratus ac potestates liberalius exercent imperium in cives & subjectos, quam Domini in servos; multo etiam facilius humana societas sine servili & herili statu consistere potest, quam sine magistratibus & summis potestatibus, quod docuit experientia, abrogato inter populos plerosque Christianos servili illo & herili, qualis olim fuit, & qualem Apostolus hic intelligit, statu. Nimirum Christus, legibus & præceptis suis, non ullum statum humanæ societati utilem, multo vero minus necessarium, tollere voluit; sed tantum perficere & sanctificare: quod solum totius mundi servatorem & lucem facere decuit.

Vers. 10. *Quod reliquum est, fratres mei, corroboramini*. Id est sumite animum & vires animo. *In Domino*. Id est per Dominum, freti Domino.

Et in robore virium ejus. Id est per robur virium ejus, freti robore virium ejus, qui vos non deseret, nec vinci ac succumbere patietur in fidei ac pietatis certamine.

Vers. 11. *Induite omnem armaturam Dei*. Non sufficit Deo fretum esse, ejusque viribus invictis confidere, ipsi etiam manum operi debemus admovere, & ad certamen nos parare, illudque cum opus est inire. Huc facit ut omnem armaturam Dei induamus, non partem tantum armaturæ, sed omnem armaturam, nec hominum armaturam, sed Dei, id est quam Deus ipse suppeditat, quippe in spirituali non in carnali certamine.

Ut possitis stare adversus insidias diaboli. Qui ex improviso solet adoriri. Ideo semper omni armatura Dei induti debemus esse, neque enim gravis aut onerosa est, nec alia armatura diabolo resistere possemus, præterquam Dei.

Vers. 12. *Quia non est nobis lucta*, ἡ πάλη, cum articulo: quasi dicat, lucta quam hic intelligo, *adversus carnem & sanguinem*. Causam addit cur dixerit ut possitis stare adversus insidias diaboli, ac proinde, cur Dei armaturam eamque omnem jusserit induere.

Quia, inquit, *non est nobis*, Christianis scilicet, *lucta*. Quam hic intelligo, nempe, ne nos ullis modis, ac ne morte quidem ipsa, a fide in Christum, a veritate ejusque confessione, a pietate ac justitia patiamur dimoveri. Neque enim hic Apostolus agit de lucta carnali.

Adversus carnem & sanguinem. Ut scilicet carnem nobis adversantem ferro cædamus, & sanguinem fundamus, & vicissim ejus ictus a carne & sanguine nostro carnalibus armis avertamus, & sic victoriam referamus. Alioquin enim etiam in hac lucta spirituali nobis cum carne & sanguine, id est cum hominibus res est, quorum opera diabolus adversum nos utitur; sed quia nobis in hac lucta non carnalibus armis utendum est, nec præcipuum certamen est cum hominibus, ideo nobis adversum carnem & sanguinem hæc lucta negatur esse.

Sed adversus principatus. Id est principes: quasi dicat, qui superari nulla alia nisi Dei armatura, eaque omni, possunt. Nec principes intelligit humanos: nam & hi caro & sanguis sunt; sed Principes spirituum, proinde qui & ipsi spiritualem habent naturam. Cæterum principatus dicit, plurale pro singulari, unus enim tantum est in hoc exercitu princeps, diabolus, ut modo dixit Apostolus *ṽs.* 11.

Adversus potestates. Id est potestate præditos, qui omnes

omnes Principi suo subsunt, licet in alios sibi subjectos potestatem habeant.

Adversus mundi potentes, κοσμοκράτορας. Qui mundum, id est homines suo robore complectuntur, & sibi mancipatos tenent.

Tenebrarum hujus seculi. Quod in tenebris hujus seculi id faciant. Si seculum hoc Euangelii lucem admitteret, facile vim & imperium illorum excuteret. Seculum hoc dicitur, pro hominibus hujus seculi, per metonymiam.

Adversus spiritualia malitiæ. Id est adversus eos qui spiritualem habent naturam, & summe mali sunt, per genitivum adjuncti, Hebræa phrasi: totum exercitum illorum designat.

In cælestibus, intellige *locis*. Id est in sublimi aëre, qui etiam cælum appellatur Hebræis. Vide cap. 2. 2. Nota spiritualium istorum locum, in quo versantur & degunt. Unde patet quam eorum natura longe absit a carne & sanguine, & ab omni crassitie ac pondere, quantamque illorum celeritatem ac vim esse necesse sit. Non mirum autem est quod Apostolus dicat, Christianis luctam esse cum Diabolo & universo illius exercitu. Nam quia Christiani Diabolum mundi dominatu volunt expellere, ut Christus regnet; hinc fit ut Diabolus cum suo exercitu, idque per mundum quem sibi tenet addictum, Christianos oppugnet.

Vers. 13. *Propter hoc.* Nempe quod dixi, de tantis talibusque vestris adversariis cum quibus vobis certamen ac lucta est. *Assumite.* Nempe ita ut induatis ỳ. 11, *Omnem armaturam Dei.* Nulla parte illius omissa. Semper hac armatura induti debemus incedere.

Ut possitis resistere. Constantiâ nimirum ac patientiâ.

In die mala. Id est tempore quo vobis calamitates & vexationes variæ, vel etiam mors ipsa intentetur, vel inferatur, propter Christi nomen ac veritatem & justitiam. *Et omnibus perfectis.* Id est omnibus tentationibus victis & superatis.

Stare. Tanquam victores qui adversarios fugarunt aut prostaverunt. Christiani tum maxime stant, cum pro Christo cadunt & occumbunt.

Vers. 14. *State igitur.* Nempe sicut milites in acie collocati, & ab Imperatore signum exspectantes pugnæ, semper estote parati & instructi. Vocem *standi* nunc alia significatione & metaphora accipit.

Circumcincti lumbum vestrum. Singulare pro plurali, id est lumbos vestros. Alludit ad militum armaturam. Solebant milites lumbos corporis circumcingere, Christiani lumbos animi debent habere circumcinctos. *In veritate.* Id est veritate. Particula *in* redundat, Hebræo idiotismo. Lumbi præcingebantur, ut homo esset agilis & expeditus. Idem & animo præstat veritas, in qua nulli sunt scrupuli, nulla dubitatio, nihil quod illam coarguere, & professores ejus confusos ac dubios possit reddere. Sciunt, non opinantur tantum se pro veritate pati. Ideoque sunt agiles & expediti ad quævis pro veritate patienda.

Et induti thoracem justitiæ. Id est thoracem qui justitia est, per genitivum speciei vel differentiæ. Veritati addit justitiam, ut Christiani pectus animi, justitia tanquam thorace munitum habeant. Ita enim non tantum nullius culpæ sibi erunt conscii, sed etiam scient se pro justitia pati. Vacare culpa magnum est solatium, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa, hic murus ahæneus esto. Justum & tenacem propositi virum, Non civium ardor prava jubentium, non vultus instantis tyranni, Mente quatit solida, si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Habet internam animi pacem, ideo exterius accidentia minus curat. At vero quorum vita non respondet veritati, cogitant nequiquam se pro veritate passuros, secundum quam non vivant, proinde si veritatis professionem deserant, hoc saltem in lucro habituros esse ut persecutionibus liberentur. Præterea si avaro divitiæ, ambitioso honores, intemperanti voluptates propter veritatem deserendæ sint, quis dubitet eum veritatem potius, quam vitiorum suorum oblectamenta relicturum esse? Justitiâ igitur, & omnium virtutum robore pectus muniendum est.

Vers. 15. *Et induti pedes in promptitudine.* Id est promptitudine, ut paulò ante ỳ. 14. ἐν ἀληθείᾳ, id est ut pedes prompti & parati sint. *Euangelii pacis.* Declarat quam promptitudinem intelligat, nimirum quam Euangelium pacis, id est de pace postulat, ut scilicet pedes nostri prompti sint & parati, non ad pugnam carnalem cum adversariis, ad sanguinem fundendum, sed ad fugam ex una urbe in aliam si liceat; aut ire in exilium, in carcerem, ad ignem, ad crucem ac mortem pro veritate & justitia, seu pro Christo. Pax æternæ salutis Christianis est annunciata, & ad eam consequendam, pacis cum omnibus hominibus colendæ maximum studium. Hinc fit ut injurias pati malint quam inferre aut propulsare Matth. v. 39, 40, 41. Rom. xii. 18, 19. 1 Cor. iv. 12, 13. Hebr. xii. 14. Col. iii. 15. Ita ergo milites hujus seculi prompti & parati sunt ad ulciscendas & propulsandas injurias; at spirituales isti milites, de quibus hic agitur, ad perferendas, secundum pacis Euangelium.

Vers. 16. *Super omnia.* Id est iis omnibus assumptis quæ dixi. Ad ea *Assumentes.* Id est assumite, participium pro verbo. ἐπὶ πᾶσιν. Vide Luc. xvi. 26.

Clypeum fidei. Τῆς πίστεως, nempe Christianæ, qua credimus in Christum, fore ut nos etiam ex morte resuscitet ad vitam æternam. *Clypeus fidei.* Clypeus qui est fides, per genitivum differentiæ, ut supra, thorax justitiæ. *In quo.* Id est quo, ut versu 14, 15, *Poteritis omnia tela illius mali.* Τοῦ πονηροῦ, cum articulo emphatico, id est Diaboli,

Ignita extinguere. Quippe quod in hunc clypeum incidentia extinguantur, ut si incidant in ferrum aut in lapidem. Tela ignita sunt maxime noxia & periculosa, & significant omnes maxime terribiles & perniciosas Diaboli tentationes, etiam cum ignibus nos adoritur & vivos comburit: quæ tela ignita clypeo fidei extinxerunt innumeri martyres, & effecerunt ne in iis a confessione veritatis & a justitia avertendis ullam vim & efficacim haberent. Cur enim fide hac præditi formidemus etiam ignis supplicium, cujus sensus momento transiturus, æternum pondus gloriæ nobis adferet? 2 Cor. iv. 17. Cur inquam recusemus ullas pro Christo perpessiones, si credimus ac scimus eas nullo modo comparari posse cum æternis illis ac cælestibus, quæ nos per Christum & in Christo manent gaudiis? Rom. viij. 18. Imo quis ultro non expetat, si hoc tandem res deveniat, fieri particeps perpessionum Christi, ut fiat particeps etiam regni Christi? Rom. viij. 16. 2 Tim. 2. 12. 1 Petr. iij. 12, 13.

Vers. 17. *Et galeam salutis*, τὸ σωτήριον. Sic σωτήριον accipitur Luc. 2. 30.

Accipite. Ut scilicet eam capiti imponatis. Hanc galeam ipse dicit spem salutis 1 Thess. v. 8. Ideoque hic salus accipitur pro spe salutis, per metonymiam. Nam & spes accipitur pro salute quam speramus Tit. 2. 13. Rom. viii. 24. Col. 1. 5. Spem æternæ salutis apponit fidei: ex fide enim nascitur, si fides exeat in opera, præsertim in patientiam constantem omnium afflictionum Rom. v. 3, 4, 5. Hinc fit ut in media morte, & jam victores, propter istam spem exultent pii. Paulus ipse morti vicinus; quem triumphum canit! 2 Tim. iv. 6, 7, 8. Eleganter hanc spem galeam dicit & capiti imponit, quia spes hæc facit ut capita audacter attollemus in maximis etiam terroribus ac periculis, scimus enim ea nihil nobis nocitura, imo salutem allatura esse.

Et gladium spiritus. Id est spiritualem, substantivum pro adjectivo, Hebræa phrasi.

Quod est verbum Dei. Exponit ipse quem gladium spiritualem intelligat, quo adversariorum, veritatem divinam aut fidem nostram impugnantium, aut ad quidpiam Christianæ pietati contrarium nos adducere conantium, animos vulneramus & confodimus. Cujus rei habemus exemplum in Christo, qui cum tentaretur, Diabolum hoc gladio confecit Matth. iv. Est enim Dei verbum ita comparatum, ut qui in eo versati sunt, ad omnes adversariorum objectiones & impetitiones paratam responsionem & veluti ictum in promptu habeant, quo eos feriant & conficiant.

Vers. 18. *Per omnem precationem & orationem.* Id est omni precatione & oratione, quæ scilicet dignè potest adhiberi, *precantes.* Neque enim sufficit nos armatos esse & pugnæ paratos ac intentos, etiam Dei auxilium omnibus precibus & orationibus expetendum est. Non exprimit ad quem preces & orationes dirigendæ sint, quia id Christianis notum est: quid etiam precari debeamus res ipsa docet, nempe id imprimis ut in hac spirituali lucta victoriam reportemus, & officia Christianæ pietatis digne obeamus, & sic æternæ vitæ præmium a Christo propositum consequamur.

In omni tempore. Non sufficit semel atque iterum omnem precationem & orationem adhibuisse; nullum precum & orationis tempus negligendum & prætermittendum est. Est enim cuique rei suum tempus, ut sapientissime dixit sapiens. Et Apostolus cum hæc scriberet, scribebat ista non orabat.

In spiritu. Id est spiritu, non nostro tantum naturali, sed etiam sancto ut Judas ait ℣. 20 spiritu, de quo supra cap. v. 18. Nimirum Spiritum Sanctum in precibus adhibere debemus, non sola lingua præcipitare verba, aut ex charta legere, vel memoriter, sine mentis intentione, & Spiritus Sancti in nobis excitatione & commotione preces recitare.

Et in hoc ipsum, nempe ut precemini, *vigilantes.* De somno aliquid detrahentes, vel saltem cum è somno evigilatis, in hoc ipsum vigilate ut preces ad Deum fundatis.

In omni, id est cum omni, *perseverantia.* Nulla in hoc molestia lassati, nullis adversitatibus victi.

Et oratione. Id est cum oratione.

Pro omnibus sanctis. Vult ut precibus pro nobis adjungamus orationem pro omnibus sanctis, id est Christianis, fratribus nostris in Christo, eandem iis precantes victoriam, & quidquid è re salutis eorum est. Nimirum salus omnium aliorum sanctorum tam nobis curæ cordique debet esse quam cuique nostrum sua propria. Unum enim corpus sumus omnes in Christo Jesu, & facilius communes omnium preces exaudiet Deus.

Vers. 19. *Et pro me.* Eorum & communibus omnium precibus & ipse vult includi tantus Apostolus. Vide quantum precibus istis tribuerit!

Ut mihi detur sermo in apertione, id est per apertionem, *oris mei, in parrhesia.* Id est cum parrhesia seu libertate loquendi. Exponit qualem sermonem sibi dari a Deo cupiat, nempe sermonem per apertionem oris sui cum loquendi libertate, vide versum sequentem.

Ut notum faciam mysterium Evangelii. Nempe gentibus omnibus patere viam ad salutem per solam in Christo fidem, & fidei istius fructus, de quo mysterio supra cap. iii. 3 & seqq.

Vers. 20. *Pro quo*, ut illud scilicet prædicem & notum faciam, *legatione fungor in catena.* Id est catena vinctus ac religatus ad manum militis mihi custodiæ causa appositi. Et hæc vincula Paulo præcipue erant ob id injecta, quod gentibus Evangelium annuntiaret Act. xxii. supra cap. iii. 1. Legati Regum ac principum hujus seculi catenis aureis ornati incedunt, ut se magnorum Principum Legatos ostendant: at Legatus Christi, Regum omnium Regis, legatione sua fungebatur in catena ferrea, ut se a Christo missum esse testaretur. Cur enim alioquin catenam hanc ferret, si missus a Christo non erat? An eam ipse sibi sciens prudens indueret, & tot calamitatibus ultro sese subjiceret? Neque enim nescire poterat se missum a Christo non esse, si missus non erat? Impostores & pseudo-Prophetæ catenas aureas quærunt, non ferreas, opes, non inopiam, voluptates, non carceres & mortem.

Ut in illo. Id est, in illius prædicatione & manifestatione, per metonymiam,

Libere loquar. Id est sine metu ac trepidatione, sine animi ulla consternatione, ob vincula quæ porto, & ob adversariorum splendorem, potentiam, ac Cæsaris majestatem.

Sicut oportet me loqui. Id est nullius conspectu territus & conturbatus, sed omnia securo & libero animo, eaque sapientia ac decore proferens, qui Dei & Christi legato, tantoque mysterio conveniat.

Vers. 21. *Ut autem sciatis & vos res meas.* Τὰ κατ' ἐμέ intellige ὄντα, per ellipsin.

Quid faciam. Hac scilicet in legatione mea.

Omnia vobis nota faciet Tychicus dilectus frater & fidelis minister in Domino. Id est & frater & minister in Domino, sunt enim fratres & ministri etiam extra Dominum. Vide Col. iv. 7.

Vers. 22. *Quem misi ad vos.* Onesimi non meminit, credo quia is tantum ad Colossenses fuit missus, quod esset ex ipsis Col. iv. 9.

In hoc ipsum ut cognoscatis res nostras. Τὰ περὶ ἡμῶν.

Et consoletur corda vestra. Tum nuncium vobis optatum

optatum adferens de rebus ad promotionem mysterii Euangelii pertinentibus Philip. I. 12, 13, haud dubie enim ob vincula mea in tristitia estis; tum sermonibus ex Euangelio Christi summum solatium adferentibus, vide Col. IV. 8.

Vers. 23. *Pax fratribus*, intellige *sit*. Fratres enim decet ut pacem inter se habeant, non litigent, non diffideant.

Et charitas. Pacis mater & nutrix.

Cum fide. Quæ mater charitatis est. His tribus omnia complexus est quæ ad officium nostrum pertinent, ut tacite circumcisionem & ritus Legis excluderet, & de iis contentiones.

A Deo Patre, & Domino Jesu Christo. Qui bonorum omnium in nobis auctor est; Deus ille unus, qui solus Pater est, tanquam is ex quo omnia; & Dominus a Deo factus, unus ille qui Jesus Christus est, tanquam is per quem omnia 1 Cor. viij. 6.

Vers. 24. *Gratia cum omnibus*, intellige *sit*. Hic jam precatur id quod ad felicitatem eorum pertinet. Nam superius votum ad officium pertinebat.

Qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum. Eleganter gratiæ Christi erga nos, respondentem facit ex parte nostra dilectionem nostram erga Christum. Christum diligat qui gratiam ejus habere velit.

In incorruptione. Id est constanter & incorrupte, Hebræa phrasi. Ita scilicet ut se in dilectione Christi Domini nostri corrumpi non sinant, per eos qui circumcisionem & Legem ei volunt adjungere, quasi gratia ejus, & fides in ipsum per charitatem operans ad salutem non sufficiat 2 Cor. XI. 3. Respicit Apostolus in utroque voto ad mysterium illud Euangelii pro quo legatione fungebatur vs. 19, 20.

Amen. Hoc votum haud dubie sua manu adscripserat. Vide 2 Thess. III. 17, 18.

Deo gloria per Jesum Christum Dominum nostrum. AMEN.

COMMENTARIUS IN Epistolam Apostoli PAULI AD COLOSSENSES.

CAPUT I.

Vers. 1. P*Aulus Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei, & Timotheus frater, iis qui Colossis sunt sanctis & fidelibus fratribus.* Epistolam hanc Epistolæ ad Ephesios parallelam esse etiam ipsa inscriptio & salutatio docet; hoc uno tantum excepto, quod hic addatur Timotheus; quippe qui Epistolam hanc scribenti Apostolo adesset; quem fratrem tantum nominat, quamvis alioquin Euangelistæ munus gereret, credo quod nullus alius titulum muneris sui tunc scriberet præter Apostolos. Vide 1 Cor 1. 11. 2 Cor. 1, quod neque hi semper fecere, ubi jam satis erant noti Philip. 1. 1 Thess. 1. 2 Thess. 1.

Vers. 2. *Gratia vobis & pax, a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.*

Vers. 3. *Gratias agimus* Deo, τῷ Θεῷ. Cum articulo emphatico, nempe illi uni.

Et Patri Domini nostri Jesu Christi. Declarat quis Deus ille unus sit, nempe Pater Domini nostri Jesu Christi:

Semper pro vobis orantes. Testantur & exprimunt amoris sui effectum erga fratres istos, & simul occasionem gratiarum actionis pro ipsis, ut sequitur.

Vers. 4. *Audientes fidem vestram in Christo Jesu.* Hebræa phrasi, pro in Christum Jesum. Exponit quid se ad gratiarum actionem impulerit, proinde gratiarum istam actionem esse pro ipsis. Et hic veri amoris Christiani effectus est, gratias agere Deo pro bonis in aliquem collatis, iisque maximis, & ad salutem æternam spectantibus.

Et charitatem erga omnes sanctos. Id est, fratres in Christo, quæ charitas fidei fructus & effectus est, sine quo fides vana est.

Vers. 5. *Propter spem repositam vobis in cælis.* Id est, propter æternæ vitæ præmium vobis in cælis repositum: quod spem vocat per metonymiam, ut Tit. 2. 13. Rom. vi 11. 24. Nimirum amore cælestis præmii amamus omnes sanctos, ut autem præmium istud nobis despondeamus pro charitate erga sanctos, facit fides in Christo.

Quam prius audivistis. Nempe antequam ego ad vos venire & vobis prædicare potuerim. Vide cap. 2. 1.

In sermone veritatis. Id est, per sermonem verissimum, Hebræa phrasi, per sermonem qui veritas est ipsa.

Euangelii. Exponit hunc sermonem, nempe qui Euangelio continetur. Commendat Euangelium a veritate, ut doceat Christianos ipsi veritati credidisse, & solidissimam illorum spem esse.

Vers. 6. *Quod adest apud vos,* τοῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς pro ἐν ὑμῖν. Sequitur enim,

Sicut & in toto mundo. Intellige adest, per synecdochen hyperbolicam, ut infra vs. 2, sic ἐν ὑμῖν, mox significat *apud vos.* Ex tanta Euangelii diffusione & propagatione, sine ulla carnali potentia, imo contra omnem carnalem potentiam & sapientiam, sumi vult Apostolus argumentum veritatis & operis divini. Sane merito. Neque enim id ulla alia ratione fieri potuisset, nisi Deus ipse manum suam admovisset.

Et est fructum ferens. Nempe in toto mundo.

Sicut & in vobis. Id est apud vos. Fert eundem sicut apud vos fidem & charitatem & spem, hi enim Euangelii sunt fructus, quæ Euangelii efficacia itidem divinitatem ejus arguit.

A qua die audivistis & cognovistis gratiam Dei in veritate. Intellige fructum fert. Gratia Dei audita & cognita in veritate protinus fert fructum, ab illa ipsa die qua auditur & cognoscitur.

In veritate. Id est, qualis vere est in seipsa, sine ulla admixtione falsi, quod vim & virtutem ejus impediat; quæ gratia in eo est, quod Deus omnes homines velit servare, qui fidem habeant in Christum per charitatem operantem, non attendens ad Legem, nec ullos Legis ritus. Notat enim hic Apostolus eos qui Legem adjungebant Euangelio. De hac Dei gratia idem Apostolus alibi, *gratia Dei apparuit salutaris*

lutaris omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem & mundanas cupiditates, temperanter & juste & pie vivamus in præsenti seculo &c. Tit. 2. 11, 12, quis enim tanta Dei gratia cognita, non totum sese dedat Deo, sciens aliter sese fructu seu effectu ejus, id est æterna vita potiturum non esse? Gratiam enim Dei non cognoverunt in veritate, qui eam ad homines secundum carnem ambulantes, seu vitiis deditos extendunt, sine vera emendatione vitæ, qualis hic describitur, ut scilicet abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & juste & pie vivant in præsenti seculo. Hoc est gratia Dei abuti in perniciem, non uti ad salutem, & unicam animorum medicinam convertere in venenum præsentissimum.

Vers. 7. *Sicut etiam didicistis.* Nempe in veritate: quasi dicat, ut mirum non sit vos gratiam Dei in veritate cognovisse, quandoquidem etiam eam in veritate didicistis. Particula *sicut* causam hic notat.

Ab Epaphra. Notat a quo primum Euangelium didicerunt, eique testimonium præbet.

Delecto conservo nostro. Non eum suum vocat servum, licet ad ipsos a se missum, sed conservum, quod una secum uni Domino, id est Christo serviat.

Qui est fidelis pro vobis. Id est in usum vestrum.

Minister Christi. Qui Christo in vobis docendis fideliter ministrat & servit, ut hactenus perinde sit atque si ex me ipso Euangelium audivissetis. Nihil ille vos docet, nisi quod ab ipso Christo profectum est. Argumentum ejus fidelitatis erat, quod Paulinæ captivitatis esset socius Philem. 13.

Vers. 8. *Qui etiam significavit nobis vestram dilectionem.* Nempe erga omnes sanctos ℣. 4. Non tacuit hoc Apostolus, ut ei etiam amorem conciliaret apud Colossenses, sicut superioribus conciliavit auctoritatem.

In Spiritu. Id est per Spiritum, nempe Sanctum, ex fide in Christum profectum. Nam Spiritum Sanctum qui visibiliter & miraculose dabatur per impositionem manuum Apostolicarum, nondum acceperant, quia Apostolum non viderant cap. 2. 1, & Epaphras illis erat pro Apostolo. Declarat medium per quod fiat ut Christiani sese invicem diligant, nempe per Spiritum Sanctum, quem qui non habent, nec eo sese implent, quid mirum est si nec dilectionem hanc sanctam & spiritualem habeant. Vide Rom. VIII. 7, 8, 9, 10.

Vers. 9. *Propter hoc.* Nempe propter hanc vestram dilectionem.

Et nos. Nempe vicissim, ego & Timotheus ℣. 1.

A qua die audivimus. Nempe vos tales esse.

Non cessamus. Suis nimirum temporibus, vide Eph. VI. 18.

Pro vobis precantes & petentes. Id est precari & petere, per participia more Hebræo, ut scilicet vobis dilectionem dilectione rependamus, & vestram pietatem ac salutem promoveamus.

Ut impleamini cognitione voluntatis ejus, nempe, *Dei.* Exponit quid iis precetur, id est, ut nihil vobis ad plenitudioem cognitionis divinæ voluntatis desit. πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν, verbum passivum regit casum sui Activi.

In omni sapientia & intelligentia spirituali. Id est, per omnem sapientiam & intelligentiam spiritualem. Exponit qua ratione id fiat quod dixit, nempe cum alicui datur omnis sapientia & intelligentia spiritualis, id est, ad spiritum non ad carnem pertinens, vide locum parallelum Eph. 1. 16, 17. Videmus cognitionem Dei, & omnem sapientiam & intelligentiam spiritualem in eo consistere, ut Dei voluntatem cognoscamus, quid nimirum Deus nos scire, quid credere, quid facere velit.

Vers. 10. *Ut ambuletis digne Domino.* Finem exprimit superioris petitionis. Hoc enim facit plena voluntatis divinæ cognitio, ut ambulemus digne Domino, id est Christo, quod fit cum in omnibus vitæ nostræ actionibus Christo & ejus Euangelio conformiter nos gerimus. Locum huic parallelum vide Eph. IV. 1.

Ad omnem complacentiam. Id est, ut omni ex parte placeatis, Deo nimirum, & Christo.

In omni opere bono. Id est, per omne bonum opus.

Fructum ferentes. Ne in fructibus quos fertis ullum boni operis genus desit.

Et crescentes. Nempe in pietate, tanquam arbores & plantæ.

Ad cognitionem Dei. Id est, ut vestra pietas par & æqualis fiat cognitioni Dei ℣. 9. Ne scientia superet conscientiam, sed utriusque idem isque summus sit modus.

Vers. 11. *In omni.* Id est omni, per Hebraismum,

Robore corroborati. Id est, ut omni robore corroboremini, intellige ex versu 9, non cessamus precari & petere.

Secundum, id est per *robur gloriæ.* Id est gloriosum, Hebraismus, *ejus*, quo etiam Christum suscitavit ex mortuis & supra omnia exaltavit. Vide locum parallelum Eph. 1. 19, 20.

Ad omnem patientiam. Id est, ut omnia pro veritate & justitia, & quæcunque alia inciderint adversa, constanter patiamini.

Et longanimitatem. Quamvis afflictiones pro Christo & adversa diutius durent & protrahantur; ad quas virtutes magno & divino robore opus est.

Cum gaudio. Ut etiam in adversis omnibus præsertim pro Christo gaudeatis. Probatur enim & exploratur per hæc vestra fides, & vobis egregius datur campus exercendæ patientiæ constantiæ, & reportandæ victoriæ, proinde & cælestis illius ingentis præmii, tanto vero magis si pro Christo patiamini. Sicut enim cum Christo communicatis in afflictionibus, sic communicabitis in gloria; & afflictiones vestræ quas pro Christo sustinetis, demonstratio sunt justi judicii Dei, ut digni habeamini Regno Dei, pro quo non tantum pie vivitis, sed etiam patimini. Siquidem justum est apud Deum, retribuere affligentibus nos afflictionem, & nobis afflictis relaxationem in revelatione Domini nostri Jesu Christi 2 Thess. 1. 5, 6, 7. Philip. 1. 28, 29.

28, 29. Quomodo igitur in afflictionibus & adversitatibus nostris non etiam gaudere & exultare debeamus? quod & Christus monet Luc. VI. 23, & pii fecerunt Actor. V. 41. 1 Thess. 1. 6.

Vers. 12. *Gratias agentes Patri.* Nempe Christi & nostro per Christum. Adhuc locutus est de suis pro ipsis precibus, nunc etiam venit ad suas pro ipsis gratiarum actiones. Locum huic parallelum vide Ephes. 1. 15, 16.

Qui idoneos fecit vos. Legendum est ὑμᾶς, non ἡμᾶς, neque enim de eo agebatur an Paulus & Timotheus pro se gratias agerent,

Ad partem sortis, id est hæreditatis, *sanctorum.* Id est, Judæorum in Christum credentium, vide locum huic parallelum Eph. 1. 13. 2. 11 & seqq. III. 6. Significat Apostolus Gentes valde fuisse ad partem hæreditatis sanctorum inidoneas & inhabiles, & penitus ea indignas, quod explicatur dicto loco ad Eph. 2. 12. Hæreditas sanctorum est vita æterna & regnum cæleste.

In luce. Id est per lucem, Euangelii nimirum, ut sequentia docent. Locum hunc egregie declarat quod dicitur Actor. XXVI. 10.

Vers. 13. *Qui eripuit vos*, (nam & hic legendum est ὑμᾶς non ἡμᾶς, de gentibus enim hic agitur,) *ex potestate tenebrarum.* Id est Diaboli, per metonymiam continentis, quod Diaboli regnum sit in tenebris Eph. VI. 12, & locus hic parallelus est loco ad Eph. 2. 2, & potestati tenebrarum mox opponit regnum Filii Dei. Possunt tamen & ipsæ tenebræ, id est ignorantia veri Dei intelligi, quæ ita Gentes tenebat constrictas, ut ex ejus potestate non aliter quam solius Dei virtute potuerint eripi.

Et transtulit in regnum Filii dilecti sui. Id est, in ecclesiam, in qua regnat dilectus ejus Filius, idque ita ut in cælestis regni possessione suos omnes collocaturus sit. Τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης, phrasi Hebræa, ut supra, *sermo veritatis* ℣. 5. Christus absolute Filius Dei dilectus dicitur, quod omnes alios dilectione apud Deum longissime excellat. Hinc & unigenitus dicitur. Ex quo ipso patet quanta sit istorum beatitas qui transferuntur in regnum tam dilecti & unice chari Filii Dei, qui etiam ideo Rex & hæres omnium a Deo factus est.

Vers. 14. *In quo habemus.* Nempe utrique, & nos Judæi, qui etiam peccatores eramus Eph. 2. 3, & vos Gentes,

Redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Ne quem scilicet præterita peccata sub potestate tenebrarum commissa turbarent. Nam postquam ex potestate tenebrarum erepti, & in regnum Christi translati sumus, non amplius peccatis servimus. Per hoc enim idonei facti sumus ad partem capiendam in sorte sanctorum, quod Deum verum cognoscamus, & peccatis abdicatis totos nos justitiæ & sanctitati dedidimus Eph. 1. 4. Locus hic ad amussim parallelus est loco ad Eph. 1. 7, quem fusius istic explicatum vide.

Vers. 15. *Qui est imago Dei inconspicui.* Effert Christum summis laudibus, ut Christianos in ejus sanctissima religione retineat. Christum esse Deum illum inconspicuum, quem scilicet nemo hominum vidit neque videre potest 1 Tim. VI. 16, dicere non potuit; dixit id quod verum & proximum est, quod sit ejus imago, in qua scilicet Deus ille inconspicuus videatur. Hinc patet Christum hic non considerari, quatenus & ipse nunc est inconspicuus; sed quatenus conspici & videri, id est cognosci potest. Agitur enim de visione quæ fit oculis animi, non corporis, qualem & Christus ipse intelligit Joan. VI. 40. XIV. 9 coll. cum ℣. 2 & 10, & hæc sola salutaris est. Videtur autem ac cognoscitur Christus, cum ejus Euangelium cognoscitur 2 Cor. IV. 4, & in hujus cognitione cognoscitur ipse Deus, quatenus nimirum in hac mortali vita a nobis videri & cognosci potest, ac si salvi velimus esse, cognosci debet. Hoc nimirum est quod Joannes dicit cap. 1. 18, *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius qui erat in sinu Patris* (proinde solus vidit Patrem Joan. VI. 46.) *ille enarravit.* Enarratione igitur hac sua factus est imago Dei, omnibus aliis inconspicui. Unde etiam, dicto loco, audivisse a Patre, & didicisse dicuntur, qui præbent assensum Euangelio. *Non quod quis Patrem viderit*, addit ibidem Christus, *nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem*: quasi dicat, sed qui hunc audit & ab illo discit, perinde est atque si Deum ipsum docentem audiret, & ab eo disceret. Erat quidem Christus in terris versans & Euangelium prædicans imago Dei inconspicui, etiam quatenus illius divinam sapientiam & potentiam & bonitatem ac majestatem factis & operibus divinissimis referebat, quo respexit Paulus Philip. 2. 6, & Auctor ad Hebr. 1. 3, sed hactenus jam ex oculis nostris sublatus est; se tamen nobis reliquit in Euangelio, & hactenus etiam imaginem Dei inconspicui. Docet Apostolus, frustra alibi veram & salutarem Dei cognitionem quæri. In solo Christo quærendam esse. In hoc solo gratia illa Dei salutaris omnibus hominibus apparuit Tit. 2. 11, in hoc solo bonitas illa & φιλανθρωπία ejus ineffabilis manifestata & conspecta est Tit. III. 4, & ut Joannes loquitur, *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est* Joan. 1. 17. Qui hic disserunt de imagine Dei inconspicui, quæ non minus sit inconspicua quam ipse Deus, imo quæ sit ipse Deus, patiantur nos hæc tam sublimia & in seipsa incurrentia tantisper ignorare, donec illa claris Scripturæ testimoniis aliunde prius evicerint, præsertim cum hæc ad fidem illam qua credimus Jesum esse Christum, (Rom. X. 9. 1 Joan. V. 1.) & ad charitatem ac mandatorum Dei observationem ex hac fide manantem, (1 Cor. VII. 19. VI. 15, 16) quæ sola in Christo Jesu æstimantur, adeo nihil faciant, ut eam potius, ne quid gravius dicam, plurimum obscurent.

Primogenitus omnis creaturæ. Pergit in extollendo Christo; quem quia & hic Creatorem illum principem & solum increatum dicere non potuit, creaturamque ipsum etiam esse fateri necesse habuit; quod itidem proximum erat, primogenitum omnis creaturæ appellat, id est inter omnes creaturas & tempore & dignitate primum. Primogenitus enim semper est ex eorum numero quorum dicitur primogenitus, ut primogenitus filiorum, fratrum, regum, mortuorum, nec ullum dari potest dissimile exemplum, ipsaque ratio ac relatio manifesta id requirit, & frustra sunt qui tam evidentem veritatis lucem defugi-

defugiunt, & conantur obscurare. Aliud enim est dicere genitum ante omnes creaturas, (quod illi, quanquam & hoc frustra, arripiunt, cum etiam generari creari sit, hinc & liberi dicuntur a parentibus procreari, & sic ante omnes creaturas genitum esse, principii privationem non ponit, sed tollit) aliud primogenitum omnis creaturæ, seu inter omnes creaturas. Illud aliquomodo, saltem ex numero istarum creaturarum ante quas genitus dicatur, illum eximit: at hoc in numerum earum illum reponit, eique etiam primum inter illas locum assignat. πρωτότοκος recte vertitur *primogenitus*, licet derivetur a verbo τίκτω, quod significat pario. Nam non matres tantum, quæ proprie loquendo pariunt, sed & Patres dicuntur τοκεῖς parentes. Cæterum non dicit Apostolus primo creatus; (quod poterat; nam Apocal. III. 14 dicitur idem Christus principium creaturæ Dei, quod ille primus a Deo sit creatus. Nam & hic paulo post principium ex mortuis dicitur, quod ille primus ex mortuis ad vitam immortalem evaserit:) sed primogenitus; nec dicit, omnium filiorum vel fratrum, (quo eum vox primogeniti invitabat,) sed omnis creaturæ, seu omnium creaturarum; (nam vox κτίσις hic non creandi actionem, sed *creatum* significat, & *omnis creatura* in singulari idem valet, quod omnes creaturæ in plurali;) illud quidem, ut ostendat Christum sic a Deo creatum esse ut ejus creatio fuerit ejus generatio, quatenus illum Deus sic creavit, ut illum sibi similem, id est Regem ac Dominum omnium fecerit. Deus enim per metaphoram ab hominibus generare dicitur. Nam proprie loquendo, non cadit in Deum unicum & immortalem generis propagatio, quæ solis mortalibus in remedium mortalitatis propria est; & hinc fit ut generationem Christi ad creationem Apostolus referat. Deinde, quod primo creatus, dignitatem præ cæteris non tam significat, quam primogenitus. Primogeniti enim cæteros prærogativa dignitatis antecellunt. Hinc & David primogenitus Regum appellatur, quod apud Deum esset Regum omnium, etsi non tempore, tamen dignitate primus: Hoc vero, nempe Christum esse primogenitum omnis creaturæ, non filiorum vel fratrum Apostolus dicit, quia non omnium talis facta est hæc creatio, ut propter vel per eam Filii Dei & Christi fratres fierent, Angelorum puta, quorum ea de qua hic agitur, seu quæ per Christum facta est creatio, ut in seqq. videbimus, ad filiationem non pertinet.

Vers. 16. *Quia in ipso*, id est per ipsum, ut mox dicitur, *creata sunt omnia*. Rationem reddit cur dixerit Christum inter omnes creaturas esse primum tempore. Hoc enim mirari poterat aliquis qui sciret Christum non ita pridem genitum & exortum fuisse. Ostendit igitur Apostolus se ideo sic loqui, quod per Christum creata sint omnia; quod quia de nova creatione per Christum facta intelligendum est, idcirco nec alias hic intelligi creaturas quam novas. Nam novam omnium creationem secundum Prophetarum vaticinia per Christum esse factam, non Apostolica tantum scripta tot locis clarissime docent, sed etiam res ipsa. Et si Augustus Imperator, Christo præludens, (ejus enim tempore Christus est natus,) omnia fecit nova & secula nova, quanto magis id de Christo vero Augusto & Imperatore dicendum est! De Augusto Philo, legatione ad Cajum: Hic est qui & aperta & occulta bella per prædonum insidias sustulit, hic est qui mare piraticis quidem navibus vacuum fecit, onerariis autem implevit, hic est qui civitates omnes in libertatem vindicavit, qui confusionem in ordinem reduxit, ὁ τὴν ἀταξίαν εἰς τάξιν ἀγαγών. De Numa Historicus, *qui*, inquit, *regno ita potitus, urbem novam, conditam vi & armis, jure eam legibusque ac moribus de integro condere parat*. Lib. I: nam quæ in novam formam & ordinem redigantur, condi & creari dicuntur, idque etiam κτίζειν significat. Christus nimirum est sermo Dei, per quem omnia facta, omnia creata sunt in creatione hac nova Joan. I. 3, quam creationem novam, quia non observarunt Christiani, sicut oportuit, in has de Christo opiniones inciderunt, ut eum, non contenti homine Jesu, personam fecerint quæ ante veterem creationem reipsa extiterit, & per quam vetus creatio peracta sit; ulteriusque etiam progressi, ex Christo fecerunt ipsum unum illum Deum, & hunc rursum numero unicum in plures personas, id est, in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum aperta contradictione distinxerunt. At si de veteri creatione loquitur Apostolus, dicant quicquid velint, Arianis ut concedant necesse est. Cum omnis primogenitus ex numero sit eorum quorum primogenitus est, ut supra diximus. Sed absit ut homini Jesu non acquiescentes, Deum illum unum, aut personam antequam homo Jesus nasceretur pridem existentem, ipsum esse dicamus. Manebimus in creatione nova, & Prophetarum vaticiniis, & Apostolorum testimoniis tantopere celebrata, & rerum eventu clarissime exhibita, tantisper, donec claris Scripturæ verbis aliunde doceamur Jesum Christum duo hæc esse quæ ab aliis dicitur. Neque enim ex his intelligendus est Christus, sed hæc intelligenda sunt ex Christo. Nos hominem Christum, quantis possumus maximis honoribus extollimus. Nam & Deus ipsum sic extulit, ut sublimius efferre neminem possit. Ut vero his non contenti dicamus insuper Christum hominem, Deum illum unum esse, id est unum tollamus per alterum, & nisi sit idolum esse, ac divinis indignum honoribus, scripturæ diserta verba merito petimus: quid enim scriptura clarius & apertius diceret quam hoc, si ab hominibus credendum erat? Omnes loci circumstantiæ, ut videbimus, creationem hic intelligi novam evincunt, & hoc ipsum comma. Agitur enim de creatione quæ facta est per intermediam personam, (id enim & ratio primogeniti omnis creaturæ, & verba ipsa requirunt,) hoc est per Christum, quod novæ creationi proprium est. Nam vetus Creatio a solo Deo per jussum ac voluntatem ejus, sine ullius intermediæ personæ opera perfecta est. Et cum Apostolus his verbis rationem adferat, cur Christum tempore primum inter omnes creaturas dixerit, patet a nemine tum fuisse creditum, Christum inter veteres creaturas tempore fuisse primum. Cur enim alioquin id probatum iret Apostolus, idque per id quod æque, imo magis, foret dubium: Sed quia non protinus aliquis animadvertere poterat novam intelligi

intelligi creationem, ideo commate hoc rationem dicti reddit, & lectorem ad novam rerum omnium creationem per Christum factam revocat, quam unusquisque Christianorum animo complecti facile poterat. Ait ergo per Christum creata esse omnia, id est in novum reducta statum, seu renovata ac ordinata. Eodem sensu Apostolus idem, in epistola ad Ephesios, huic parallela, dicit *Deum omnia creasse per Jesum Christum*, quod istius loci docent circumstantiæ, ut ibi vidimus, & hæc creatio in terris per ecclesiam istic explicatur cap. III. 9, 10, sic & nos dicimur ποίημα, *opus Dei*, *creati per Christum Jesum ad bona opera* cap. 2. 10, sic Judæus & Græcus dicitur a Christo creatus in unum novum hominem ℣. 15, sic dicitur & nova creatura Gal. VI. 15: *Si quis est in Christo*, inquit idem Apostolus, *nova est creatura*, *vetera transierunt*, *ecce nova facta sunt omnia* 2 Cor. V. 17, ita, Apostolo teste, omnia creata sunt dum nova facta sunt. Nam & infra cap. III. 10 renovationem pro creatione posuit. Hinc & Jacobus de Deo, *volens*, inquit, *genuit nos*, *verbo veritatis*, *ut essemus primitiæ quædam creaturarum ejus* cap. I. 18, id est Christianorum, qui nova sunt creatura. Nam ut homines simpliciter, non Christianos homines in specie, intelligens, tam generali creaturarum voce hic uteretur, causa non erat: dixisset potius primitias hominum ut Apoc. XIV. 4. Et primitias Christianorum esse, seu ecclesiam primogenitorum, in cælis descriptorum Hebr. XII. 23, singularem habet prærogativam. Hinc & magistratus cum ordinantur creari dicuntur, & Apostolus Petrus, ordinatos magistratus humanam appellat creaturam 1 Petr. 2. 13, sic Psal. CIV. 30 creari dicuntur a Deo quæ per spiritum ejus reficiuntur ac renovantur. Hinc & Augustus Masgabam κτίστην, id est conditorem insulæ dixit, quam in novum statum reduxerat, id est incolis frequentaverat & restauraverat, ipso Augusto auctore, qui eam fecit, ἴδιον κτίσμα. Quin & ait Strabo, Romani conditor imperii & Romanæ gentis Augustus erat, quatenus Romanum Imperium & gentem Romanam novum in statum, pacatis & compositis rebus omnibus sub se uno principe reduxerat. Cuncta bellis civilibus fessa, inquit Tacitus, nomine principis sub imperium accepit. Et Apostolus ipse, creationem hanc omnium per Christum factam eodem modo infra exponit ℣. 20, 21. Atque hinc etiam est, ut quia non omnia in universum seu absolute intelligit, dicat τὰ πάντα cum articulo, certa omnia designans, id est, mente & intellectu prædita, Angelos nimirum & homines, ut ipse docet in sequentibus. Sic & infra dicuntur reconciliata esse omnia, τὰ πάντα, & Apoc. III. 14 Christus dicitur esse principium creaturæ Dei, τῆς κτίσεως cum articulo certam designante creaturam Dei, nempe novam.

Quæ sunt in cælis & quæ sunt super terram. Ipse Apostolus docet quæ omnia intelligat, nempe non cælum nec terram, proprie loquendo, non inanimata, nec bruta; sed Angelos in cælo degentes, homines degentes super terram. Nam & infra pacificasse dicitur Deus ea quæ in cælis & quæ in terris, per sanguinem crucis Christi, per ipsum; quod de solis Angelis & hominibus intelligendum est. Veteris creationis respectu, quoties dicuntur creata esse quæ in cælis & in terris sunt, nusquam ipsum cælum & terra omittitur.

Visibilia & invisibilia. Aliis vocibus rem eandem exprimit, ne quis dicat, atqui ea quæ in cælis sunt videri non possunt, proinde nec eorum ulla per Christum facta creatio. Nihil refert, inquit, etiam invisibilia per Christum creata & in novum reducta sunt statum.

Sive throni, *sive Dominationes*, *sive Principatus*, *sive potestates.* Exponit illa invisibilia & ad solos refert Angelos, ut hinc intelligamus, & visibilia, illis opposita, ad solos etiam pertinere homines. Nam & mox, ut videbimus, ecclesiam pro iis reponit ℣. 18. Dum autem Apostolus dicit, sive throni sive dominationes &c, perinde est atque si dicat, non vulgares tantum Angeli, sed & omnes alii, (de quorum ordinibus vide Eph. I. 21) quocunque tandem dignitatis nomine designentur, per Christum sunt creati, id est ordinati & in novum reducti statum.

Ideo rem resumens addit omnia, τὰ πάντα. Iterum cum articulo, vocem omnia ad supra dicta referente.

Per ipsum, *& in ipsum.* Id est, in ejus gloriam & usum creata sunt, id est novum in statum sunt reducta. Quis vero sit iste status infra explicat ℣. 20,

Vers. 17. *Et ipse est ante omnia.* Hic jam, quia dixit omnia in Christum creata esse, porro docet, Christum etiam dignitate primum inter Angelos esse, quippe Regem ac Dominum illorum omnium cap. 2. 10. 1 Petr. iij. 22. Eph. I. 21. Nam quatenus tempore primus esset jam docuit: neque enim inanis est in Apostoli verbis tautologia, & præpositio πρὸ, non de tempore tantum dicitur, sed etiam de loco ac dignitate Jacob. V. 12, & quod hic dicit, *ipse est ante omnia*, loco nimirum & dignitate, mox ℣. 18 dicit, illum *in omnibus*, seu inter omnes πρωτεύειν, id est, *primum esse* seu *primatum tenere*,

Et omnia. Iterum τὰ πάντα, nempe quæ dixit.

In ipso constiterunt, συνέστηκε. Id est consistunt, præteritum pro præsenti, per Hebraismum. Consistunt in suo statu per Christum, tanquam per communem omnium Regem ac Dominum, per quem a Deo creata sunt, per eundem etiam a Deo in statu conservantur.

Vers. 18. *Et ipse est caput corporis ecclesiæ.* Id est corporis quod est ecclesia, per genitivum differentiæ: quasi dicat, & idem ipse Christus non tantum est caput omnium Angelorum, seu corporis, quod sunt Angeli cap. 2. 10; sed etiam corporis quod est ecclesia. Ita quoque inter omnes creaturas quæ sunt in terris dignitate primus est. Non frustra cum de ecclesia loquitur, capitis & corporis vocibus utitur. Quia nimirum Christus peculiarem & propinquiorem conjunctionem habet cum ecclesia quam cum Angelis, propter generis communitatem. Cæterum, dum pro iis quæ in terris creata sunt, ecclesiam ponit Apostolus, quod idem facit & in epistola parallela

rallela ad Eph. cap. III. 9, 10. Significat apertissime, qualem creaturam in terris intelligat, nimirum novam, ecclesia enim nova creatura est, quippe ex novis creaturis universa composita. Hinc & in Epistola ad Romanos creaturæ τῆς κτίσεως nomine designatur cap. VIII. 19, 20, 21, 22. Sed quam hic una ecclesię voce denotavit creationem & creaturam in terris factam, paulo post pluribus, & hanc, & in cælis factam exponit ℣. 20.

Qui est principium. Nempe ex mortuis, ut mox addit. *Primogenitus.* Alia voce rem declarat, per appositionem.

Ex mortuis, ἐκ τῶν νεκρῶν. Verba hæc & ad *principium*, & ad *primogenitum* referuntur. Articulus certos mortuos designari ostendit, nempe vitę æternę destinatos, ex quibus Christus principium & primogenitus dicitur, quod primus ex illis a Deo ad vitam æternam sit resuscitatus, quæ resuscitatio, per elegantem metaphoram, generatio appellatur; cujus etiam resuscitationis respectu dixit Deus ad Christum suum, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* Actor. XIII. 33, & ipse Christus, filios ejusdem resurrectionis, id est, eos qui ad vitam æternam resuscitabuntur ex mortuis, Dei Filios fore dixit Luc. XX. 36. Hinc patet, Christum, quia respectu resurrectionis suæ a Deo genitus dicitur, etiam ejusdem respectu Filium Dei dici; & hactenus etiam unigenitum, (licet non ob hoc solum,) quatenus nullus adhuc præter Christum ex mortuis ad vitam æternam resuscitatus est. Hoc elogium de Christo subjicit tanquam causam tantę dignitatis, quod sit caput ecclesię, ideo addit:

Ut fieret in omnibus ipse primatum tenens. Quasi dicat, hunc ipsum in finem, ut esset ecclesię caput, seu, ut alibi loquitur, *in hoc Christus & mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut vivis & mortuis dominaretur* Rom. XIV. 9. Hoc enim hic est πρωτεύων.

In omnibus. Id est inter omnes, solita Hebræorum phrasi Rom. VIII. 29. Intelligit omnes Dei filios, ex quibus ecclesia constat. Nisi enim ex mortuis fuisset resuscitatus, quomodo potuisset πρωτεύειν, id est primus esse, seu primatum ac principatum tenere? Si vero alius ante ipsum principium & primogenitus esset ex mortuis, illi potius tanquam primogenito dignitas ista competeret. Solent enim primogeniti inter alios fratres omnes dignitate præire, & si Regum sint filii, in alios fratres dominatum obtinere. Vides Christum ideo primatum ac principatum inter omnes & in omnes adeptum esse, quia & ex mortuis resuscitatus est, & ex illis principium ac primogenitus est.

Vers. 19. *Quia in ipso bonum duxit.* Εὐδόκησε, nempe Deus. Solet enim ex re ipsa subaudiri, ut & in superioribus vers. 16, 17, & ex sequenti commate intelligitur. Causam adfert Apostolus cur Deus voluerit Christo primatum hunc dare, quia nimirum εὐδόκησε.

Bonum duxit, (non fecit hoc ex necessitate, sed ex mero beneplacito ac liberali voluntate,) *ut in ipso omnis plenitudo habitaret.* Nempe rerum ad salutem nostram spectantium, & imprimis cognitionis omnium de salute generis humani arcanorum Dei, quæ deinde dirivaretur ac redundaret ex Christo in ecclesiam, quod ut fieret, opus erat ut Christus primatum inter omnes obtineret. Vide Eph. I. 23, ubi ecclesia plenitudo dicitur Christi, earum nimirum rerum quarum & in Christo habitat plenitudo: & cap. III. 19, ubi sanctis omnibus precatur ut impleantur ad omnem plenitudinem Dei; quam etiam in hac ipsa ad Colossenses Epistola infra cap. 2. 9, plenitudinem Deitatis dicit. Nec refert quod hic non addat cujus rei plenitudinem designet. Id enim ex materia subjecta relinquit intelligendum. Sic etiam in Epistola ad Ephesios, *ut possitis*, inquit, *comprehendere*, (animo nimirum ac cognitione,) *quæ sit latitudo & longitudo & profunditas & altitudo.* Non addit sapientiæ & gratiæ divinæ in salutis nostræ mysterio, quia id ex re quam tractabat Apostolus poterat perspici Eph. III. 18. Hoc nimirum est quod Joannes de sermone dixit, *plenus gratiæ & veritatis*, quia perfectam gratiam & veritatem annunciabat, *& ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia* Joan. I. 16. Vides hic non dici Christum habere divinam essentiam, seu Deum illum unum esse: neque enim hoc ex cujusquam pendet beneplacito.

Vers. 20. *Et per eum reconciliare omnia erga seipsum*, Εἰς αὐτὸν pro αὐτῷ *sibi*, per Hebraismum. Nam εἰς respondet τῷ *lamed*, articulo dativi casus: quasi dicat, & sic per eum reconciliare omnia &c. Prius nimirum illud huic posteriori inservit. Neque enim per Christum reconciliatio ista fieri poterat, nisi in ipso omnis illa plenitudo habitaret. Quia igitur Deus & omnem in Christo plenitudinem habitare, & porro per eum omnia sibi reconciliare bonum duxit, merito ei primatum inter omnes, eadem illa sua bonitate detulit. Venit nunc ad exponendam omnium quæ in cælis & quæ in terris sunt creationem per Christum factam.

Per eum. Tanquam causam intermediam; Deus est causa princeps 2 Cor. V. 18, 19, 20,

Reconciliare omnia, τὰ πάντα. Cum articulo restrictivo, omnia nimirum quæ huc pertinent, id est homines sine discrimine omnes, cujuscunque gentis & conditionis, qui animo erant a Deo alieni & Deo inimici per opera mala, ut versu sequenti dicitur.

Erga seipsum, εἰς αὐτόν. Deus iste unus designatur. Ut hinc appareat cujus beneplacito facta sint hæc omnia, Deus per Christum publicari fecit gratiam illam suam salutarem omnibus hominibus, invitans eos ad inimicitiam erga se deponendam, & ad amorem sui. *In hoc est illa charitas*, inquit Joannes Apostolus, *non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris* 1 Joan. IV. 10. Patet hinc non Deum fuisse hominibus inimicum, cum Christum Filium suum ad eos mitteret: proinde nec Deum fuisse hominibus per Christum placatum; sed Deum potius homines sibi placasse per Christum, adeo ut hunc in finem etiam eum voluerit esse propitiationem, seu victimam expiatoriam pro peccatis omnium; quo penitus esse certi possent de

gratia

gratia sua, deque peccatorum suorum omnium remissione, & dono vitæ æternæ; & ut tanta Dei gratia, & tanto Filii ejus amore, tanto magis ad deponenda peccata & reconciliationem erga Deum incitarentur; quæ conditio iis erat apposita, si fructu tantæ Dei gratiæ & mortis Christi velint frui. Ideo nec dicit ut reconciliaret secum, quod videri poterat mutuam inimicitiam innuere, sed erga se. Vide plura Rom. v. 5, 6, 7, 8, 9, 10. Victimæ enim expiatoriæ, ἱλασμοί dicebantur, non quod Deum iratum placarant ac mitigarent; sed quod ex gratia ejus ac clementia facerent, ne Deus irasceretur & pœnam irrogaret. Ipe Dens enim illas instituerat, & hunc modum expiandi peccata illa, quibus remissio sub Lege indulgebatur, præscripserat.

Pacificans, εἰρηνοποιήσας. Docet Apostolus quid Deus simul per Christum fecerit in hac hominum omnium erga seipsum reconciliatione, ut tanto magis creationem omnium per Christum factam exprimat, eamque ad cælestia etiam extendat. Pacificavit, seu pacavit,

Per sanguinem crucis ejus. Id est, per sanguinem ejus in cruce effusum. Sanguis crucis dicitur, pro sanguine in cruce, vel per crucem effuso, per genitivum instrumenti. Docet quo singularissimo & efficacissimo medio sit usus ad reconciliationem & & pacificationem promovendam & perficiendam, Christum Filium suum tradidit in mortem, eamque omnium dirissimam & ignominiosissimam, in mortem inquam crucis, ut in cruce sanguinem suum & animam simul profunderet pro salute omnium hominum: qua tanta Dei gratia, & ipsius Christi charitate conspecta, reconciliatio ista & pacificatio perfecta est. *Per ipsum*. Redit ad Christum, tanquam intermediam personam, per quam, sicut reconciliationem erga seipsum, sic & pacificationem Deus peregit, postquam eum suscitavit ex mortuis, & Regem ac Dominum omnium effecit, ut supra habuimus.

Sive ea quæ in terris, sive ea quæ in cælis sunt. Exponit quos pacaverit per Christum, homines nimirum qui in terris sunt, & Angelos qui in cælis sunt. Quæ hominum & Angelorum pacificatio tres in se partes habet; prima est hominum cum hominibus, dum nimirum omnium Gentium homines Deo reconciliat, & unam Gentem, unam ecclesiam Christianam facit, in qua non est Judæus, neque Græcus, neque circumcisus, neque præputiatus, neque Barbarus, neque Scytha, neque servus, neque liber, neque vir, neque fœmina, sed omnia in omnibus est Christus Gal. III. 28, infra III. 11. Secunda est Angelorum cum hominibus. Angeli enim videntes homines esse Deo reconciliatos, & Dei Filios factos per fidem in Christum Gal. III. 27, & Deum tantopere homines dilexisse, ut pro iis Filium suum unicum, id est Christum illum suum, in mortem crucis impendere non recusaverit, omnes inimicitias deposuerunt adversus homines, etsi diversi Angelici principatus, diversarum Gentium erant principes ac patroni, ut legimus apud Danielem, tamen aliarum erant inimici, qnin & illarum ipsarum quibus pro patronis erant dati, quatenus malis operibus erant deditæ. Nunc omnes Angeli omnium Gentium ex æquo facti sunt amici. Unde tertia pacificationis istius pars exoritur, Angelorum nimirum cum Angelis. Inter quos cum antea diversa essent studia pro diversis Gentibus; (quisque enim studebat suæ Genti,) nunc omnia ista composita sunt, & Angelis omnibus idem est amor, idem studium pro quibusvis Gentibus. Hæc quia per Christum perque sanguinem ejus in cruce fusum perfecta sunt, merito omnia in cælis & in terris, per eum ex mortuis suscitatum, creata dicuntur esse, ut Apostolus iisdem pene verbis seipsum hic explicet. Nam confusa in ordinem reducere, diffidentia componere, inimica pacare, & sic omnia novum in statum reducere, quid aliud est quam creare? Ipsa vetus creatio ordinatione, dispositione, & contrariorum inter sese compositione ac pacificatione perfecta est. Hæc est ἀνακεφαλαίωσις illa omnium quæ sunt in cælo, & quæ sunt in terra, quam per Christum factam esse celebrat Apostolus in Epistola ad Ephesios parallela cap. I. 10, haudquaquam omissurus & veterem creationem, si per Christum, jam tum in alia natura existentem, non minus facta esset quam nova. Hæc est omnis illa πατριὰ seu familia in cælis & in terris, quæ communem habet Patrem Deum, (cujus eadem in Epistola meminit cap. III. 15) Angelis & hominibus in unam familiam per Christum redactis. Nec refert quod hominum plurimi suam ob malitiam & contumaciam Deo non sint reconciliati nec pacificati. Hoc enim non attenditur, ubi causæ sunt efficacissimæ ad producendum effectum. Sola vis causarum spectatur, ut asseratur effectus.

Vers. 21. *Et vos*. Superiorem thesin applicat ad hypothesin, & in illis ipsis reconciliationem & consequenter pacificationem hanc peractam esse dicit. *Et vos*: quasi dicat, non tantum alios, *qui quondam*, antequam scilicet Eangelio crederetis,

Eratis abalienati. Nimirum a Deo,

Et inimici. Deo videlicet,

Mente, τῇ διανοίᾳ. Sic vox διάνοια accipitur & Eph. I. 18. Hebr. viij. 10. 1 Petr. I. 13. 2 Petr. iij. 1.

In operibus malis. Exponit prius, dum scilicet opera mala patraretis, quæ Deus detestatur; nec enim aliter Deus ab hominibus lædi potest.

Nunc autem. Præsens tempus opponit præterito, postquam scilicet Euangelio credidistis,

Reconciliavit. Nempe Deus sibi, effecit ut totam mentem & animum ad se diligendum converteretis.

Vers. 22. *In corpore carnis*. Id est per corpus carneum: *in* pro *per*, & duo substantiva ponit pro substantivo & adjectivo, Hebræa phrasi, quibus perpauca sunt adjectiva. *Ejus*, nempe Christi. Distinguit corpus Christi carneum in quo passus est, a corpore ejus spirituali & glorioso in quo nunc vivit & regnat 1 Cor. xv. 45, 47, 48. Philip. iij. 21.

Per mortem. Modum exponit reconciliationis istius per corpus Christi carneum. Docet nimirum Apostolus illos esse reconciliatos Deo, sicut & omnes alios Christianos, per id quod Deus Filii sui corpus illud carneum, in quo mortalis vixit, cruci affigi & morte tam dira & intestabili permiserit affici, humani generis maximo bono, quod illum inquam qui peccatum non noverat, peccatum pro nobis fecerit, nt nos qui peccatum ipsum eramus, fieremus justitia Dei per ipsum,

Quo argumento, utpote omnium efficacissimo, idem Apostolus utebatur in adducendis ad reconciliationem erga Deum hominibus 2 Cor. v. 21.

Exhibere. Id est, ut exhiberet & constitueret,

Vos sanctos. Finem reconciliationis istius exponit, qui idem etiam est omnis divinæ gratiæ, & eorum omnium quæ Deus ad reconciliationem hanc perficiendam adhibet, ut sancti simus in posterum, non ut antea profani.

Et irreprehensibiles ἀμώμους. Ut nihil in nobis sit quod reprehendi mereatur.

Et inculpatos, ἀνεγκλήτους. Ut omni culpa & crimine vacemus.

Coram se. Coram oculis suis. Refertur ad illud παραστῆσαι, *exhibere.* Nimirum non sufficit si sancti & irreprehensibiles & inculpati simus coram oculis hominum; sed oportet ut tales etiam simus coram Deo Patre nostro benignissimo, qui summo nobiscum non aget jure. Nec refert etiamsi homines immerito nos damnent, ut profanos, & reprehendant, & in crimen vocent, dummodo Deus aliter de nobis judicet. Tanto vero magis, si id ipsum nobis crimini & culpæ detur, quod sancti & irreprehensibiles & inculpati coram Deo simus. Finis hic nostræ reconciliationis erga Deum docet, Christum non eò mortuum esse ut nostra debita, proprie loquendo, dissolveret: hoc enim si verum foret, quid nos stringeret a peccatis in posterum abstinere? Sed ut nos quam maxime Deo & sibi obstringeret ad fugienda totis viribus peccata, & si id faciamus, ad obtinendam præteritorum omnium remissionem ac veniam, sicut & eorum quæ in ardenti studio pietatis accidant, Legi divinæ non satis respondentia, cum æternæ vitæ dono: Nam *si Deus Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus eum tradidit, quomodo non etiam cum ipso nobis omnia donabit?* Rom. VIII, 32. v. 9, 10.

Vers. 23. *Siquidem manetis in fide fundati & stabiles.* Fidem intelligit Euangelio adhibitam, qua labante, pietatis Christianæ studium collabi necesse est: at si maneamus in illa fundati & stabiles, non erit nobis arduum, ut nos sanctos & irreprehensibiles & inculpatos coram Deo sistamus. Quid enim arduum esse potest credenti quod Deus pro nobis Filium suum in mortem tradiderit, quodque nobis vitam æternam per eundem daturus sit, si nos ei præbeamus obsequentes, quæ fides est Euangelii? Nam credere Christum omnia nostra debita dissolvisse, dum modo nobis ejus applicemus merita; sicut infrugifera est, sic nec Euangelii fides est.

Et immotos a spe Euangelii. Id est, a spe quam Euangelium efficit & animis nostris inserit, per genitivum causæ efficientis. *A spe*, nimirum vitæ æternæ, quæ oritur ex fide Euangelii, in quo continetur vitę æternæ promissio. Qui enim hanc spem habet, purificat seipsum sicut Deus purus est 1 Joan. III. 3.

Quod audivistis. Nempe ab Epaphra, supra ℣. 7, etsi non a me ipso.

Quod prædicatum est omni creaturæ quæ sub cælo est. Quasi dicat, non tantum vobis, ne hinc scrupulus aliquis vobis hæreat. Ἐν πάσῃ τῇ κτίσει, *in omni creatura.* Particula *in* ex Hebraismo redundat. Supra dixit, *in toto mundo* ℣. 6. Duplex synecdoche, & totius pro parte, & generis pro specie. Solos enim intelligit homines. Commendat per hoc Euangelium, & divinum ostendit esse, quod non tantum uni Genti, ut Lex olim Mosaica, sed omnibus Gentibus sit prædicatum, tanquam commune & divinitus datum omnium bonum; quæ & ipsa tam brevi temporis spacio, tam longe lateque & in omnes mundi plagas diffusa prædicatio, nullis humanæ potentiæ viribus suffulta, maximum continet divinitatis argumentum. Certe nulla gens paulo cultior & Euangelio apta tum erat, ad quam illius prædicatio non pervenisset. Vide Rom. x. 18. Deus enim id curabat per Christum, ut per eum omnia reconciliaret erga se, ut pacaret omnia inter se, quæ in terra & quæ in cælis sunt, nec quisquam esset qui sibi causam & occasionem reconciliationis & pacificationis istius defuisse prætexeret.

Cujus, nempe Euangelii, *factus sum ego Paulus minister.* Nempe ut non Judæis tantum, quod cæteri curabant Apostoli, sed omnibus etiam aliis Gentibus, seu, omni quę sub cælo est creaturę, prædicaretur. Ministrum intelligit principalem & primarium, nempe Apostolum. Nam & Epaphras & alii ejusdem Euangelii ministri erant; sed secundarii, & Paulo succenturiati. Ita Paulus Euangelii prædicationem Colossensibus, licet ab aliis factam, ad se revocat, ne quid prædicationis istius auctoritati apud ipsos desit.

Vers. 24. *Nunc gaudeo in perpessionibus meis pro vobis:* Quasi dicat, perfunctus meo munere ac ministerio in circumferendo ad Gentes omnes Euangelio, quia id nunc, catena illigatus, facere non possum, hoc nunc facio ut

Gaudeam in perpessionibus meis. Id est, ob perpessiones meas, Hebræa phrasi:

Pro vobis. Id est, quas sustineo vestro bono ac commodo, vestrę salutis causa, ut scilicet in fide & spe Euangelii confirmemini, videntes me talia tam constanter, tam alacriter, ex causa & occasione prædicati Gentibus Euangelii, perpeti. Hoc mihi nunc restat, ut pro vobis, Gentibus nimirum Eph. III. 1, & imprimis *pro vobis Colossensibus patiar*, quibus ipse in persona non prædicavi, & qui faciem meam in carne non vidistis cap. 2. 1, & ob has perpessiones gaudeam & animo exultem. Ita nihilominus etsi non prædicando, tamen perpetiendo vobis inservio.

Et adimpleo, ἀνταναπληρῶ, *defectus afflictionum Christi.* Id est quod afflictionibus Christi defuit; quatenus scilicet, quia Gentibus non prædicavit, idcirco nec afflictionibus suis prædicationem quę Gentibus fiat confirmavit, ego, vicem Christi subiens, id adimpleo, ne quidquam desit ad faciendam Gentibus fidem.

In carne mea. Quasi dicat, nam in spiritu meo eo nomine gaudeo & exulto.

Pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Ex omnibus nimirum gentibus meo ministerio collecta: quasi dicat, meretur id corpus Christi, quod ecclesia est, ut carnem meam pro illius æterna salute afflictionibus omnibus tradam. Nam & Christus ipse pro mea & ecclesię salute idem facere non recusavit.

Vers.

Vers. 25. *Cujus*, nempe ecclesiæ, *factus sum ego minister*. Quasi dicat, ut proinde mirum non sit, quod carnem meam pro illa patiar affligi.

Secundum dispensationem, id est donum vel munus, *Dei* Eph. iij. 7. Dona enim ac munera per dispensationem obveniunt: quasi dicat, non meo proprio motu me in hoc ministerium intrusi, quod neque potui.

Quæ data est mihi ergà vos. Nempe Gentes.

Implere sermonem Dei. Ut scilicet sermonem Dei, quod Euangelium est, Gentibus omnibus implerem. Similem hypallagen habes Rom. xv. 19.

Adeo ut ab Jerusalem & circa, usque ad Illyricum, impleverim Euangelium Christi.

Vers. 26. *Mysterium absconditum a seculis & a generationibus*. Appositione rem quanta & quam divina esset exponit: quasi dicat, quæ res mysterium erat absconditum, ab eo tempore quo secula & quo generationes cœperunt, nempe velle Deum omnes sine discrimine Gentes absque circumcisione & Legis ritibus, per solam in Christum fidem, & ejus fructus una cum populo suo servare, nec velle eas esse sub Lege, sed sub gratia. Vide Eph. iij. 6.

Nunc autem manifestatum est. Nempe tantum mysterium quod antea semper fuit absconditum,

Sanctis ejus, Nempe Apostolis aliis, & Prophetis, per Spiritum Sanctum Eph. iij. 5.

Vers. 27. *Quibus voluit Deus notificare quæ sint divitiæ gloriæ*. Id est divitiæ gloriosæ, per Hebraismum, divitiæ omni gloria & celebratione dignæ. Quas hic divitias dicit, in epistola parallela ad Ephesios dicit communionem cap. iij. 9.

Mysterii hujus in Gentibus. Id est quam longe lateque pateat hoc mysterium in Gentibus; in tantum nimirum, in quantum ipsæ Gentes & orbis terrarum patet. Ne scilicet si cæteris Apostolis & Prophetis id notificatum non esset, Paulinæ prædicationi contradicerent.

Qui est Christus in vobis. Exponit hoc mysterium in Gentibus. *Qui est*, pro, *quod*, scilicet mysterium, *est*. Articulus imitatur genus nominis sequentis. *Christus in vobis*, nempe Gentibus, per fidem in vobis habitans, & vos donis suis omnibus, æque ac Judæos in se credentes complens.

Spes gloriæ. Id est spem gloriæ illius cælestis afferens certissimam, per metonymiam effecti pro causa. Ita & vos Gentes spem certissimam in vobis ipsis habetis futuræ illius gloriæ, quod unquam ita in universum, idque sine circumcisione & Legis ritibus, sine Lege, per solam in Christum fidem, & ejus fructus esse futurum, nulli hominum imo nec Angelorum in mentem venerat. Mirum in modum commendavit Apostolus suum Euangelium, & ex effectu habitantis in Gentibus Christi, divinum esse ostendit.

Vers. 28. *Quem nos annuntiamus*. Quasi dicat, non annuntiamus Mosen & Legem, aut Philosophica dogmata, sed Christum, & quæ is docuit ac doceri præcepit, quippe qui unica spes est cælestis illius gloriæ.

Admonentes omnem hominem. Cujuscunque Gentis ac conditionis, ut scilicet in Christum credat, & ei se totum tradat.

Et docentes omnem hominem. Nempe ea quæ ad fidem in Christum & pietatem Christianam & salutem æternam, quæ nusquam est alibi quam in Christo, pertineant.

In omni, id est, *cum omni sapientia*. Doctori nihil magis convenit quam sapientia, & imprimis doctori qui sit Apostolus Christi ad Gentes. Intelligit autem sapientiam veram, sapientiam non hujus seculi, sed divinam, quæ consistit in arcanorum Dei & rerum omnium notitia, pertinentium ad salutem æternam humani generis, qua sane Paulus præ cæteris omnibus excellit, ut ejus Epistolæ docent, de quibus ipse Petrus vide quid dicat 2 Petr. iij. 15, 16. Significat Apostolis Christi ut & sibi veram sapientiam non deesse, quamvis sapientibus hujus seculi aliter videatur, quorum sapientia stultitia est coram Deo, & qui doceri opus habent ab Apostolis Christi, & eorum discipulis, si fieri velint vere sapientes. Ille demum vere sapiens est qui novit & exequitur rationem consequendæ salutis æternæ.

Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu. Id est in Christiana religione ac pietate, per metonymiam causæ.

Vers. 29. *In quod*. Id est in quem finem,

Et laboro. Non tantum admoneo, doceo, sed etiam laboro.

Certans. Exponit quomodo laboret, nempe quod certet, id est afflictiones, captivitatem, vincula, & quæ hæc comitari solent, patienter sustineat, pro suo quod obibat in admonendis & docendis, & ad Christi fidem adducendis omnibus hominibus, munere. Hinc enim omnes homines argumentum certissimum capere poterant, eum veracem esse, nec ullo modo seductorem & impostorem agere: quod argumentum Paulo, magnis laboribus, magnis certaminibus cum tot adversitatibus, consistit.

Secundum efficaciam ejus. Nempe Christi Jesu, id est per efficaciam Jesu Christi. Significat sibi tantum virium non esse, ut tantos labores, tanta certamina sustinere possit, si Christi virtus & efficacia sibi non adesset.

Quæ operatur in me in potentia. Id est potenter, periphrasi adverbiorum Hebraica: quasi dicat, hæc facit ut tot laboribus, tot certaminibus par sim & superior. Spiritum Sanctum haud dubie designat Apostolus, qui virtus & efficacia est Christi, potenter operans in omnibus ejus servis.

CAPUT II.

Vers. 1. VOlo enim vos scire. Rationem addit cur certamen suum commemoret.

Quantum certamen habeam. Nempe Romæ, catena ligatus propter Euangelium cap. iv. 3, 10, 18.

Pro vobis, & qui in Laodicæa sunt, & quotquot non viderunt faciem meam in carne. Nempe ex credentibus in Christum. Pro his imprimis certamen istud se habere dicit. Nam qui Christianorum Paulum viderant, & ex ejus ore fidem in Christum didicerant,

non tam opus habebant hoc illius certamine, jam satis superque confirmati per eam quam in Paulo conspexerant divinitatem, accepto etiam per manuum ejus impositionem Spiritu Sancto, quod cæteris non contigerat. His igitur Pauli tam illustribus vinculis, & in urbe Roma captivitate pro Euangelio, confirmandi erant: *Faciem in carne* dicit, per Hebraismum, pro facie carnali. Nam animi faciem omnes videbant.

Vers. 2. *Ut consolationem accipiant corda ipsorum compactorum in charitate.* Id est per charitatem. Exponit quo pacto pro illis certamen tantum sustineat, nempe ut cum sint omnes charitate inter se compacti, propter communem in Christum fidem, consolationem ipsorum corda seu animi simul accipiant, per tantam confirmationem Euangelii, cui crediderunt. Quomodo enim magis hoc Euangelium confirmari & a Deo profectum esse demonstrari potest, quam per tantum certamen meum? Tacite simul & veluti aliud agendo, monet Apostolus, ut Christiani omnes charitate tanquam cæmento sint inter se compacti, & constituant unum Dei templum Eph. 2. 21.

Et in omnes divitias plenæ certiorationis intelligentiæ. Intellige, certamen tantum habeo ac sustineo: quasi dicat, hac enim ratione fiet ut consolationem accipiant maximam corda illorum. Ait igitur se hunc in finem certamen hoc sustinere, ut non tantum plene sint certi de sua intelligentia; sed etiam ut omnes plenæ certiorationis divitias habeant, & in ea quammaxime abundent. Intelligentiam notat in rebus fidei Christianæ, ex materia subjecta.

In cognitionem. Quasi dicat, ut sic perveniant in cognitionem, nempe plenam & perfectam,

Mysterii Dei. De salute nimirum omnium in universum Gentium cap. 1. 26, 27. Ideo articulus determinativus voci μυστηρίου in Græco additur.

Et Patris, καὶ πατρὸς. Notat quis sit unus ille & absolute ac subjective seu κατ' ἐξοχὴν dictus Deus, nempe non alius quam Pater.

Et Christi, καὶ τοῦ Χριστοῦ. Christum apposito articulo distinguit ab uno illo Deo & Patre. Unde patet Christum non magis unum illum Deum esse quam Patrem. Mysterium Dei & Patris, dicit etiam esse mysterium Christi, quia Christus illud primum a Deo & Patre accepit, & sic Christi factum est, quod deinde Christus communicavit Paulo, & consequenter aliis sanctis Apostolis & Prophetis.

Vers. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi.* Docet quantum sit in eo situm ut ad plenam & perfectam mysterii istius cognitionem perveniant, quia nimirum in illo sint omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi. Sapientiam & cognitionem intelligit salutarem. Nam quia in hoc mysterio continetur varia & multiformis Dei sapientia Rom. xi. 33 & seqq. Eph. iij. 10, quæ etiam hic explicatur infra ℣. 11 & sequentibus, necesse est ut in eo contineantur omnes thesauri sapientiæ & cognitionis salutaris quæ cadit in homines. Variam enim & multiformem Dei sapientiam in salutis nostræ negotio cognoscere, quid aliud est quam omnes thesauros veræ & salutaris sapientiæ & cognitionis hominibus competentes possidere? Eleganter *thesauros* dicit. Sapientia enim & cognitione hac nihil est pretiosius; quæ quia multiplex est, multos etiam thesauros continet. Vox *absconditi* respicit ad vocem *mysterii*, ut non tantum ex orationis Apostolicæ serie, qua docet, ut dicimus, quantum sit in eo situm ut mysterium hoc cognoscamus; sed etiam ex hac ipsa conjugatione vocum, (mysterium enim arcanum & absconditum significat) manifeste pateat, verba *in quo*, non ad Christum proxime nominatum; sed ad *mysterium*, ex Apostoli mente referri. Nam Deum & Christum sapientem esse ponitur hic extra controversiam.

Vers. 4. *Hoc autem dico.* Nempe de thesauris omnibus sapientiæ & cognitionis in mysterio Dei & Christi absconditis.

Ut ne quis vos falso ratiocinando fallat, in persuasorio sermone. παραλογίζηται ἐν πιθανολογίᾳ, *in pro per*, persuadens nimirum vobis alibi etiam & extra Christum, sapientiam & cognitionem salutarem esse quærendam, non omnem in Christo sapientiam hanc esse. Non credite homini, argumenta ejus meri sunt παραλογισμοὶ, & sermo ejus persuasorius est valde fallax. Vide supra cap. 1. 28.

Vers. 5. *Etsi enim*, εἰ γὰρ τῇ *carne absum.* Causam addit cur de iis sit solicitus, suum erga illos amorem contestans; ne quia longe abesset, imo nunquam eos adierit & inviserit, minus se ab illo amari & curari putarent.

Sed spiritu, id est animo & cogitatione, *vobiscum sum gaudens & videns*, spiritu nimirum, *vestrum ordinem.* Dum quisque suum facit officium, nec ulla inter vos est confusio, nemo inordinate ambulat aut ambulare permittitur 2 Thes. iij. 11.

Et soliditatem in Christum fidei vestræ. Id est solidam, firmam, stabilem vestram in Christum fidem, quæ ordinis illius est mater, per Hebraismum duorum substantivorum, pro substantivo & adjectivo.

Vers. 6. *Sicut igitur accepistis Christum Jesum.* Infert adhortationem ad constantiam, ut sicut acceperint Christum Jesum, dum scilicet acceperunt, id est in animum admiserunt ejus Euangelium.

Dominum, τὸν Κύριον. Commendat Christum Jesum, quod sit Dominus ille & Messias a Deo promissus, Rex Regum, & Dominus dominantium a Deo factus, ut videant quam merito eum acceperint & ei sese submiserint, & quam merito eidem in posterum adhærere debeant.

In ipso ambulate. Id est sic in ipso ambulate, per ellipsin particulæ similitudinis in apodosi: quasi dicat, causæ quæ vos adduxerunt ut Christum Jesum Dominum reciperetis, eædem faciant ut in ipso ambuletis, Hebræa phrasi, id est omnes vitæ actiones ex ejus præscripto obeatis, nec usquam ab eo recedatis.

Radicati & superædificati in ipso. Aliis duabus metaphoris constantiam in Christi fide declarat. Radices in Christo agere, & in Christi ædificari, est firmiter in Christo stare ac persistere.

Et confirmati in fide. Ἐν τῇ πίστει, cum articulo, nempe ea de qua agitur, id est in Christum. Declarat priora: quasi dicat, nolite suscipere dogmata in Christiana fide quæ non estis edocti, quæque cum iis quæ edocti estis non consentiant, puta, fidei in Christum addendam esse circumcisionem, & Legem Mosaicam, & quæcunque hujus generis dari possint alia. Vide Gal. 1. 8, 9.

Abundantes in ea, id est per eam, nempe fidem, *in gratiarum actione.* Merito, nam quæ satis dignæ & satis abundantes gratiæ Deo reddi possunt, pro eo quod nos, cujuscunque gentis & conditionis, per solam in Christum fidem, & ejus fructus, sine circumcisione, sine Lege & Legis ritibus justificet? Per hanc igitur fidem, seu fidei istius perpetuo impulsu, assidui debemus esse in gratiis Deo agendis.

Vers. 8. *Videte ne quis vos prædam agat.* Ἔσται ὁ συλαγωγῶν, per participium pro verbo. Redit ad id quod ℣. 4 cœperat, & dehortans a contrario, monet ut sibi diligenter caveant, ne quis eos in religione ad dogmata abducat noxia. Nam qui prædâ aguntur, in misero & calamitoso sunt statu.

Per Philosophiam Id est per Philosophica argumenta, ad Philosophica nimirum dogmata & traditiones, ut mox dicitur.

Et vanam deceptionem. Id est per paralogismos, ut supra dixit ℣. 4.

Secundum traditionem hominum. Exponit quæ sint ista dogmata, nempe quæ sunt secundum traditionem hominum, quamvis magnorum Philosophorum. Quo etiam dogmata referri debent, quamvis a magnis conciliis tradita, si non sint secundum Christum, ut mox additur.

Secundum elementa mundi. Id est secundum Legem, quamvis ab ipso Deo traditam, quippe quod Deus in Lege elementa tantum & principia quædam religionis mundo dederit.

Et non secundum Christum. Ita ut nihil cum Christo & ejus Euangelio commune habeant, imo ejus Euangelio ac disciplinæ sint contraria. Non frustra monuit hoc Apostolus, haud dubie Spiritus Sancti impulsu, ut via præcluderetur hæresi dictæ τῶν ὀφιτῶν, ubi Colossæ & Laodicæa erant; quæ hæresis continebat Pythagorica & Judaica dogmata, ut patet ex ℣. 16, 17, 18, 21, 23.

Vers. 9. *Quia in ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Rationem reddit cur nulla in religione suscipere debeant dogmata, quæ non sint secundum Christum, quamvis sint secundum traditionem hominum, secundum ipsam Legem a Deo olim traditam; quia nimirum in Christo & in ejus disciplina habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, ita ut extra Christum & ejus disciplinam nihil unquam sit, quod ad veram Dei & voluntatis ejus notitiam pertineat. Deitatem opponit Apostolus humanitati & hominum traditionibus: Deitatis enim nomine intelligit ea quæ Deum habent auctorem, & ad salutem nostram pertinent, per metonymiam causæ. Ideo in epistola parallela ad Ephesios cap. iij. 19, pro voce *Deitatis*, ponit vocem *Dei*: *Ut impleamini*, inquit, *ad omnem plenitudinem Dei.* Porro plenitudinem Deitatis, eamque omnem, opponit elementis mundi, quæ etiam Deitas erant, & Deum habebant auctorem; sed longe aberant ab omni plenitudine Deitatis: quam porro in Christo & ejus disciplina corporaliter dicit habitare, quod in Lege magna Deitatis pars per umbram habitaret, non per corpus. Qua de re, id est de Legis institutis infra agens ait, *quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi* ℣. 17. Cum igitur hoc ita sit; soli Christo & ejus disciplinæ, in rebus ad religionem & salutem nostram spectantibus, adhærere debemus. Quo pertinet in epistola ad Ephesios huic parallela monitum cap. iv. 14, 15, ubi etiam quæ hic dicitur plenitudo Deitatis, appellatur plenitudo Christi ℣. 13. Qui hoc loco dici putant Christi personam fuisse & Deum illum unum & hominem, velim ut aliis claris Scripturæ dictis id doceant. Nam locus hic Christum manifeste distinguit ab omni plenitudine Deitatis, tanquam continens a contento, & habitatum ab habitante, nec Deus ille unus pars esse potuit, qui cum homine, parte altera, Christum componeret, ut Deus ille unus diceretur in Christo habitasse tanquam pars in toto: nec tanquam pars habitare potuit in parte, sicut anima habitat in corpore. Totus enim Christus hic ponitur, in quo habitavit omnis plenitudo Deitatis, non pars Christi, nec unus ille Deus, qui infinitis partibus major est quam homo, habitare sic potuit in homine, sicut anima habitat in corpore, ut scilicet cum eo unam constitueret personam. Et cum plenitudo opponatur non plenitudini, omnis plenitudo non omni plenitudini, dicant quo pacto Deitatis, cum proprie Deum illum unum seu ejus essentiam significat, plenitudo & non plenitudo, omnis & non omnis plenitudo possit esse? Cum etiam corporaliter habitare corpus requirat habitantis, quod corpus assignabunt divinæ essentiæ? Aliud enim est in corpore habitare, aliud corporaliter habitare. Illud alienum corpus significat, hoc suum proprium. Denique cur non simpliciter diceret Apostolus, quia Christus est Deus ille unus, si hoc volebat dicere?

Vers. 10. *Et estis in ipso*, id est per ipsum, *impleti.* Eadem nimirum illa Deitatis plenitudine. Hinc ecclesia dicitur Christi plenitudo, omnia implentis omnibus Eph. 1. 23. Eandem Deitatis plenitudinem tribuit Apostolus & Christianis Eph. iij. 19, iv. 13, & Joannes de eadem agens plenitudine, *ex plenitudine ejus*, inquit, *omnes accepimus* Joan. 1. 16. Non ergo omnis plenitudo Deitatis Dei unius essentiam significat.

Qui est caput omnis principatus & potestatis. Nimirum Angelicæ cap. 1. 16. Effert Christum quam maxime, ne quis objiceret Legem esse per Angelos latam, Christum fuisse hominem. Verum hoc est, inquit Apostolus, sed hic homo factus est caput & Dominus omnis Angelici Principatus ac potestatis. Hoc eodem argumento & auctor epistolæ ad Hebræos pugnat, ut Euangelium Lege multo præstantius & divinius evincat esse Hebr. 1. 4 & seqq. ij. 1, 2, 3. At si Christus unus ille Deus erat, nonne

nonne hoc potius dixisset Apostolus? Nam caput Angelorum omnium factus est Christus, cum Deus omnia & Angelos omnes ei subjiceret 1 Petr. iij. 22. Dicit igitur Apostolus, quia per Christum impleti estis, qui est caput omnis principatus & potestatis Angelicæ, quid Legis dogmata aut hominum traditiones adhuc requiratis? Jam vobis nihil ad plenitudinem, eamque Deitatis, deesse potest. Incipit hic Apostolus explicare, & in sequentibus continuat, multiplicem Dei sapientiam & impervestigabiles divitias Christi in mysterio, ac vocationis Gentium.

Vers. 11. *In quo*, id est per quem, *& circumcisi estis*. Quasi dicat, non tantum rerum divinarum notitia per Christum repleti, sed & per eundem circumcisi estis, ut vobis nulla amplius circumcisione sit opus.

Circumcisione non manufacta. Quasi dicat, qualis est circumcisio qua Judæi gloriantur: hanc qua vos per Christum estis circumcisi, nulla hominum manus facere potest, proinde hæc Judæorum circumcisione longe præstantior est.

In depositione, id est per depositionem, *corporis peccatorum*. Explicat hanc circumcisionem, quod fit facta per depositionem non exiguæ cuticulæ carnis; sed totius corporis peccatorum, id est corporis quod sunt peccata, per genitivum differentiæ, vel speciei.

Carnis. Quasi dicat, quod corpus carni tanquam causæ suæ adhæret. Alludit ad cuticulam carnis quæ præcidebatur in circumcisione carnali. Ideo infra ℣. 13, hoc ipsum corpus peccatorum appellat præputium carnis.

In circumcisione Christi. Quasi dicat, per circumcisionem, inquam, Christi, id est quam Christus facturus erat, & Christo dignam, multo majore ac diviniore quam Moses erat magistro.

Vers. 12 *Consepulti ipsi*. Rem eandem aliter, seu alia similitudine exponit, sepulti, inquit, cum ipso, proinde & mortui. Sepultura enim mortem præsupponit. Unde & mox sepulturæ isti resuscitatio opponitur: sed sepulturam dicere maluit quam mortem, ut ad baptismum alluderet, in quo etiam sepultura quædam fit. Addit enim:

In baptismate. Id est per baptisma, ἐν τῷ βαπτίσματι, cum articulo, ad Christianorum baptisma designandum, quod quia sacramentum ac signum & professio est spiritualis istius sepulturæ, seu sepulturæ cum Christo, proinde & obligatio ad illam, merito dicit Apostolus, eos, ut & omnes Christianos, per baptisma suum Christo consepultos esse. Nam cum Christo mori & sepeliri est peccatis mortuum ac sepultum fieri. Hoc effecit in nobis Christus tanta nostri dilectione, ut pro nobis mori non dubitaverit. *Charitas Christi constringit nos*, inquit alibi Apostolus, *judicantes hoc, quod si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt non amplius sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resuscitatus est* 2 Cor. v. 14, 15. Et iterum alibi, *vivo, non amplius ego; sed vivit in me Christus, quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & seipsum tradidit pro me* Gal. 2. 20.

In quo. Nempe baptismate, id est per quod baptisma, eodem scilicet modo quo prius.

Simul suscitati estis. Id est suscitati estis cum Christo; Christus quidem ex morte corporali, vos autem ex morte spirituali, ex morte peccatorum, ut vivatis vitam novam, nimirum ut vivatis justitiæ, seu Deo & Christo. Docet hic locus, quod fit & alibi, baptismum Christianorum ita tum administratum fuisse, ut contineret imaginem sepulturæ & resurrectionis, immersione nimirum totius hominis sub aquam, & ex aqua emersione, quod etiam ipsa vox baptismi docet, & longo tempore continuata veteris ecclesiæ praxis.

Per fidem. Exponit medium quo fiat ut cum Christo suscitemur in baptismate, fides id facit, qua credimus fore ut & nos, si Deo & Christo in posterum vivamus, resuscitemur ex mortuis ad vitam immortalem; hinc enim fit ut in hujus suscitationis sacramentum baptismum suscipiamus, & re ipsa suscitemur.

Efficaciæ Dei. Id est quam efficit Dei efficacia, per genitivum causæ.

Qui excitavit ipsum ex mortuis. Deum describit ab efficaciæ istius effectu, ex quo cognoscimus Dei efficaciam in mortuis excitandis, proinde fidem in Deum concipimus de resurrectione nostri, siquidem id se facturum promisit per hunc ipsum Christum quem suscitavit ex mortuis; tanto vero magis quod hunc ipsum in finem eum ex mortuis suscitaverit, ut promissioni ejus credamus, & ut promissionis ejus effectum nobis exhibeat per Christum. Unde fit ut etiam in Christum credamus & per Christum in Deum. Vide parallelum locum Eph. 1. 19, 20. Hinc & Petrus; *per Christum creditis*, inquit, *in Deum, qui suscitavit eum ex mortuis, & gloriam illi dedit, ut fides nostra & spes esset in Deum* 1 Petr. 1. 21. At si Christus unus ille Deus erat, & seipsum ex mortuis suscitandi vim habuit, adeoque & suscitavit; actum est de suscitationis nostræ exemplo, qui mortui nullam nosmet excitandi vim habemus.

Vers. 13. *Et vos*. Quasi dicat, non tantum Christum:

Cum essetis mortui in peccatis. Id est morti damnati propter peccata. *In* pro *per* vel *propter*, Hebræa phrasi, & damnati ad mortem, vel mortis rei, per metonymiam effecti, jam dicuntur mortui. Vide locum parallelum Eph. 2. 1, 5. Supra loquebatur de morte qua mortui eramus justitiæ, seu quæ in peccatis consistit, ex qua nos Deus suscitavit per fidem, quam in nobis efficacia sua Christum resuscitans effecit, hic loquitur de morte quæ propter peccata irrogatur, seu peccatorum est pœna.

Et præputio carnis vestræ. Nempe illo quod est corpus peccatorum ℣. 11, quod verum præputium est, & solum mortem adfert æternum.

Simul vivificavit cum ipso. Id est, vitæ æternæ cum Christo asseruit.

Condonans vobis omnes transgressiones. Exponit quo pacto eos omni mortis reatu exsolvat, dum iis omnes transgressiones condonat, & jus vitæ æternæ largitur, sicut igitur vivificati sunt, sic & mortui erant, vivificati sunt jure ad vitam, mortui erant damnatione ad mortem. Vide transgressiones

siones nostras omnes nobis a Deo condonatas esse. Non ergo Christus pro iis est mortuus, ut Deus solutionem pro iis exigeret; sed ut condonationis eorum certissimum & maximum pignus, proinde & jus nobis daret, quod immensam prorsus gratiam ostendit.

Vers. 14. *Delens quod adversum nos erat chyrographum placitis.* Supra docuit nos amplius sub lege non esse, quandoquidem & peccatis mortui, & omni eorum reatu soluti simus; nunc in specie docet etiam ritualem illam legis partem esse deletam.

Quod adversum nos, nempe Judæos, *erat.* Quatenus nos Judæos obligabat. Ideo hic mutat personam secundam in primam.

Placitis, τοῖς δόγμασι. Id est, quo nos obstrinxeramus ad placita & ritus Legis servandos. Vide Eph. 2. 15.

Quod erat contrarium nobis. Id est, summam nobis molestiam adferebat & oneri maximo erat. Hinc Petrus eandem Legem rituum appellat *jugum quod*, inquit, *neque patres nostri, neque nos potuimus portare* Actor. xv. 10, *& illud sustulit ex medio*, ne scilicet ullam nos amplius obligandi vim haberet.

Affigens illud cruci. Quasi dicat, iisdem clavis quibus Christum cruci permisit affigi, & chyrographum istud a Deo cruci affixum, & sic laceratum ac perforatum est. Chyrographa autem cum lacerantur ab eo cui serviunt, eo ipso invalida redduntur, & sic delentur ac tolluntur è medio. Affixit autem cruci chyrographum hoc Deus, quatenus Christi cruce ac sanguine novum sanxit fœdus, ad quod Lex illa ritualis nihil pertinet. In Christo Jesu enim nihil valet, neque circumcisio neque præputium, nisi fides per charitatem operans & nova creatura Gal. v. 6. vi. 15.

Vers. 15. *Exuens principatus ac potestates.* Pergit in recensenda Dei sapientia & ingentibus divitiis in Christo. Intelligit principatus ac potestates Diabolicas, quibus antea totus mundus erat obnoxius. Has Deus exuit, id est penitus devicit. Solent enim victores exuere & despoliare victos.

Ostentavit, ἐδειγμάτισεν, *palam*, ἐν παῤῥησίᾳ. Periphrasis adverbii, ex Hebræorum idiotismo. Solent victores captos ostendere civibus hostes.

Triumphans ipsos, θριαμβεύσας αὐτοὺς. Principatus enim ac potestates istæ, Angelos Deo adversantes significant. Solet de victis ac debellatis hostibus triumphus duci.

In ipsa, id est per ipsam, nempe crucem, ἐν αὐτῷ, id est σταυρῷ. Tanta fuit Dei potentia ut per Christi crucem ac mortem, Diabolum & omnes ejus principatus ac potestates devinceret, despoliaret, captos ac debellatos omnibus Gentibus ostenderit & triumpharit. Dú enim Christum cruci affigi ac morte affici permittit, & eundem postmodum ex morte resuscitat, omnes Gentes ex Diaboli potestate eripuit, & ad se Christumque suum traxit. Nam non tantum in resurrectione Christi maxima vis est omnes attrahendi, sed etiam in ipsa morte, postquam eam secuta est resurrectio, qua ipsa quoque mors Christi, veluti animata est & efficacissima reddita. Ita *per mortem destruxit eum qui mortis*, (id est mortiferum Hebræa phrasi,) *habebat imperium* Heb. xi. 14. Ideo & Christus ipse mortem suam instare videns, *nunc*, inquit, *princeps mundi ejicietur foras, & ego si exaltet ex terra, omnes traham ad me* Joan. xii. 31, 32, arma etiam quibus maxime fidebat Diabolus, id est terror ac metus mortis, per Christi mortem è manibus illi sunt extorta. *Liberati enim sunt omnes quicunque metu mortis per totam vitam obnoxii erant servituti* Hebr. xi. 15. Nam non solum in perpetuo metu mortis versari, servitus est per se perpetua. Servorum enim est metuere; sed etiam necesse est ut qui mortem timet, servus sit ejus qui mortis in eum habet potestatem.

Vers. 16. *Ne igitur quisquam*, Judæorum videlicet, *vos.* Quasi dicat, tanta, tam ingentia per Christum adeptos, nobis etiam qui Judæi nati sumus obligatione chyrographi in ritibus liberatis.

Judicet in cibo aut in potu. Id est propter cibum aut potum, vel de cibo aut potu, per Hebraismum, cui similem vide Hebr. xi. 2, ut scilicet quod cibo aut potu aliquo utamini, sententiam contra vos ferat.

Aut in parte festi. Id est aut in re festi, quod scilicet festum aliquod non obeatis. Sic 1 Petr. iv. 16, *glorificet Deum in parte hac*, id est in hac re, aut de hac re.

Aut novilunii, quod novilunium non obeatis.

Aut sabbatorum. Quod sabbatis non feriemini Judæorum more.

Vers. 17. *Quæ sunt umbra futurorum.* Id est eorum quæ futura erant, temporibus nimirum Messiæ seu Christi.

Corpus autem, nempe umbræ illius, *est Christi.* Id est Christus habet, *in quo*, ut supra dixit, *omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, non per umbram, *habitat* ℣. 6. Habet nimirum abstinentiam ab omnibus vitiis, festa & sabbata perpetua, ferias spirituales, adorationem Dei in spiritu & veritate Joan. iv. 23, 24.

Vers. 18. *Nemo*, hominum videlicet & Philosophorum, *vos debito certaminis præmio privet.* Nempe sua sententia, quasi victos in sanctitatis certamine.

Καταβραβευέτω. Καταβραβεύειν τινα. Est aliquem certaminis præmio privare, seu illud ei abjudicare.

Volens. Id est voluntarius, particula pro nomine.

In humilitate, ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Id est, propria voluntate humilitatem exercens, quæ a Christo præcepta non est. Nam alioquin Christus vel maxime τὴν ταπεινοφροσύνην præcepit, vide infra cap. iij. 12.

Et cultu Angelorum. Quasi non audens ad Deum ipsum accedere. Effectum humilitatis istius notat. Quod hic dicit, *volens in cultu Angelorum*, infra ἐθελοθρησκείαν appellat ℣. 23. Describit hominem ex eo propter quod Christianis, quasi a se in pietatis certamine victis, præmium abjudicat, quia scilicet Christianis multo sit humilior, & Angelos colat, non audens ad Deum accedere. Ex quo patet monitum istud ad Philosophos pertinere. Judæis enim Angelorum & Geniorum cultus non fuit in usu. Nec Apostolus inani tautologia laborat, repetendo hic quod modo monuit ℣. 16. *In ea quæ non vidit invadens.* Exponit Apostolus suum de hoc homine sensum, ut quam futilis sit istius hominis præsumptio appareat.

In ea quæ non vidit. Quasi dicat, nam ex Dei verbo ea non didicit. *Invadens*, ἐμβατεύων, fastuosum ingressum significat, & quasi cothurnis tragicis, qui ideo ἐμβάδες dicuntur. Humilis ille tam fastuose agit. Angelos & Angelorum secreta nunquam vidit; & tamen in ea animo & cogitatione invadere audet, & de iis præsumere ac statuere.

Frustra inflatus. Quasi dicat, cum se humilem puteт,

tet, inflatus est; frustra autem inflatus est, nempe opinione sapientiæ & sanctitatis & beatitatis. Non enim ideo sapiens & sanctus & beatus est.

A mente carnali sua. Ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς. per Hebraismum dicitur, per duo substantiva pro mente carnali. Carnalem huic homini tribuit mentem, quod carnalia spectet ac cogitet, nempè famam & existimationem apud homines sapientiæ & sanctitatis. Hęc mens ita hominem fascinavit ut etiam ipse sibi placeat, ac videatur præ cæteris multo sapientior & sanctior ac beatior. Philosophorum notat fastum, quamvis etiam in corporis cultu humilitatem præferrent.

Vers. 19. *Et non tenens caput.* Quasi dicat, quæ res adhuc majoris stultitiæ & iusaniæ est. Caput est Christus & Angelorum omnium, & speciatim ecclesiæ cap. 1. 18: supra ℣. 10. Et hic solus est Mediator inter Deum & homines 1 Tim. 2. 5. 1 Johan 2. 1, 2. *Tenere*, κρατεῖν hoc *caput*, est in Christum firmiter credere. Manu fidei tenetur hoc caput. Qui caput hoc tenent, protinus omnia deserunt quæ ab ipso nec præcepta nec commendata sunt, multo vero magis quæ præceptis ejus sunt contraria, quamvis vel maximam religionis speciem haberent.

Ex quo. Ἐξ οὗ, in Græco, quia κεφαλὴ Christum significat. Similem constructionem, vide ℣. 15.

Totum corpus. Nempe ecclesia.

Per commissuras & nexus. Christianæ nimirum consociationis & communionis.

Suppeditationem accipiens, ἐπιχορηγούμενον. Membra enim membris, quo opus habent, suppeditant, & ideo commissuris & nexibus inter se conjuncta sunt.

Et compactum, συμβιβαζόμενον. Nempe mutua charitate.

Crescit incrementum, αὔξει τὴν αὔξησιν, per duas cognatas voces, sicut vivere vitam, *Dei*. Quale Deus dat, per genitivum causæ efficientis. Deus enim dat incrementum 1 Cor. iij. 6. Vel, *incrementum Dei*, per Hebraismum, significat incrementem maximum, & ultra communem fortem, non vulgare. Quo sensu dicuntur montes Dei, id est montes altissimi, tuba Dei, id est clangoris maximi, & similia. Incrementum autem intelligitur scientiæ rerum divinarum & pietatis Christianæ. Vide locum parallelum Eph. iv. 15, 16.

Vers. 20. *Si igitur mortui estis cum Christo.* Ut scilicet supra dictum est ℣. 12.

Ab elementis mundi. Id est a Legis ritibus. Generi subjicit speciem, nam qui mortuus est cum Christo, omnibus est mortuus quæ cum Christo nihil habent commune.

Quid tanquam viventes in mundo. Id est tanquam non mortui cum Christo, sed adhuc in mundo viventes.

Placita docemini, δογματίζεσθε. A Philosophis nimirum, ut ex ℣. 22 patet: quasi dicat, suis dogmata præscribant in mundo viventibus, non vobis cum Christo mortuis, qui neminem in religione ac pietate ducem habetis præter Christum. Id enim de vobis morte sua meruit, idque etiam per baptismum estis professi. Lex Mosis, quamvis Deum auctorem habuerit, placitis & ritibus suis vos non obstringit; quid ergo homines id sibi juris in vos usurpant? Nam Apostolus nunc agit de traditionibus hominum; quod etiam diserte dicit ℣. 22, & eas ab elementis mundi, id est a Lege distinguit ℣. 8.

Vers. 21. *Ne tangas.* Nempe ut edas.

Neque gustes. Quod minus est quam prius.

Neque attingas. Ne digito quidem, quod adhuc minus. Refert in exemplo ista dogmata quæ Christiani à Philosophis imponi sibi pati non debent. Omnia enim pura sunt puris Tit. 1. 15. Vide 1 Tim. iv. 3, 4.

Vers. 22. *Quæ sunt omnia.* Nempe quorum usu interdicunt, animalium imprimis.

In corruptionem usu, τῇ ἀποχρήσει, quæ vox à Gręcis in bonam partem accipi solet, καταχρῆσις abusum significat 1 Cor. vii. 31. ix. 18, id est in id sunt à Deo condita ut usu corrumpantur, proinde ut ea mactare iisque frui fas sit.

Secundum mandata & doctrinas hominum. Intelligę sunt omnia ista. Vide Matth. xv. 9. Hinc patet Apostolum hic de ciborum abstinentia in Lege præscripta non loqui. Nam hæc Deum latorem habuit. Significat Apostolus hominum mandata & doctrinas Christianos in religione non obligare, etiamsi sint maximorum Conciliorum. Solus Deus & Christus Christianæ religionis auctor id facere potest. Nam & Concilia homines erant, qui si tradiderint ab Apostolis tradita, cur ea non discamus ab Apostolis? Si nova nec ab Apostolis tradita, hominum sunt mandata & doctrinæ. Apostoli enim docuerunt omnia hominum saluti necessaria, in hoc enim missi & tanta Spiritus Sancti copia instructi erant. Nec ratio consequendæ salutis, initio per Christum tradita, ullis unquam seculis mutabitur. Obscurius, inquis, ab Apostolis dicta declararunt & interpretati sunt. Atque nihil Apostoli in rebus ad salutem necessariis ita obscure dixerunt, ut id aliis in locis clarissime non prodiderint. Traditiones, inquis, Apostolorum non scriptas repetiverunt. Id vero mirum sit non omnia in eorum quæ exstant scriptis contineri quę ad fidem in Christum & fructus ejus pertineant; cum tamen qui ista habeat quæ scriptis eorum docentur, haud dubie sit sanctissimus. Atqui Conciliorum Patres, Scripturas allegant; quas si claras habent, quid eorum Conciliis opus erat? Si non habent, nova dogmata condiderunt. Multoque satius est obscuriora non intelligere, quam quæ ab Apostolis clarissime nusquam sint prodita, pro fidei articulis statuere, tanto vero magis si etiam clarissime proditis sint contraria. Dicit enim Apostolus, *si quis vobis annuntiet præter id quod accepistis, anathema sit* Gal. 1. 8, 9.

Vers. 23. *Quæ rationem quidem habent sapientiæ.* Suum de mandatis istis & doctrinis prodit judicium. Habent quidem, inquit, rationem sapientiæ: quasi dicat, sed inordinatam, nec suis modis definitam, seu non ad ea quę par est applicatam. Nam tale quid deesse intelligitur ex particula quidem.

In voluntario cultu, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ. Exponit quibus in rebus sapientiæ istius ratio consistat, *in voluntario cultu*, inquit: quasi dicat, qui quidem laudem mereretur, si non inanis sit, & fundamentum in rebus ipsis habeat, qualis Angelorum cultus non est. Ideo non tantum à Deo & Christo præceptus non est; sed etiam est prohibitus.

In humilitate. Quasi dicat, & humilitas valde bona est;

est; sed humilitatem ostendere velle in Angelorum cultu, aut eam ad humilem aliquem corporis cultum, ejusque certam formam, & ad alia, citra vel extra quę vera animi humilitas esse potest, restringere, bonum non est, tanto minus si humilitas ista fastuosa sit & superbiam redoleat ℣. 18. *Et non parcendo corpori,* ἀφειδίᾳ σώματος. Quasi dicat, non parcere corpori bonum est, sapiens est; sed cum id pietas aut aliud aliquod officium à Christo præceptum requirit; at carnibus aut aliis aliquibus cibis non vesci, aut corpus sine ulla necessitate duriter tractare, superstitiosum?

Non in honore aliquo. Nempe corporis, id est non in cura corporis. Nam τιμή, quę vox hic est, curam complectitur 1 Tim. IV. 12. *Ad repletionem carnis.* Ut scilicet corpus carne repleatur, vel etiam ut caro repleatur cibis variis: quasi dicat, corpus non ita curare ut repleatur, ut cibo & potu gravetur, seu ut repleatur ad cupiditates Rom. xiij. 14, bonum ac sanctum & Christianum est; sed à carnibus aut aliis aliquibus cibis illud perpetuo & per se continere, nihil ad veram pietatem facit. Atque hinc etiam factum est ut licet jejunia nobis commendentur, & consequenter, diebus jejunii, finito jejunio, ab omni delicatiori cibo & potu abstinentia; & Apostolos ipsos & ecclesiam primitivam sæpe jejunasse legamus, & jejunium humiliatio quædam & contritio fit coram Deo, & ad impetranda quędam necessarium fuerit, & multis profuerit; nullum tamen jejunii præceptum Christus in sanctissima & plane spirituali disciplina dederit, aut exemplum in se reliquerit. (Nam miraculosum illud quadraginta dierum & noctium jejunium huc non pertinet.) Nimitum ne jejuniorum fiducia, in verę sanctitatis pręceptis remissiores, imo eorum prorsus incurii fieremus: quod, postquam jejunia, eaque etiam falsa, (ut mox dicemus,) in leges abiverunt, in ecclesia evenisse videmus. Nam & Pharisæus ille, quia bis jejunabat in septimana, minus erat de vera animi coram Deo humilitatione, deque aliis justitiæ & dilectionis erga proximum officiis, forte & de perpetua vitę temperantia seu sobrietate & castitate solicitus; & tamen satis superque sanctus ac justus sibi videbatur esse. Si quis talia facere velit, si ἀσκήσεως, & exercitii cujusdam causa, id ei per Christum liberum erit; dummodo meminerit, non hęc, sed longe alia Christum præcepisse, de quibus sequenti capite Apostolus agit. Nam à cibis abstinere διὰ βδελυρίαν, ut loquitur canon Apostolicus LI. Christianæ disciplinę contrarium est. Jejunia quæ nunc dicuntur, in ecclesia, tam Gręca, quam Latina, id tantum ex veris & veteris seu Apostolicæ ecclesiæ jejuniis retinuerunt, ut in iis abstineatur à carnibus & lacticiniis; quod vetus ecclesia ab omni delicatiori cibo & potu, jejunium cum die claudens, abstinuerit. At nunc delicatissimis cibis, optimo vino ac potu, etiam ad intemperantiam ac ebrietatem uti, jejunium dicitur, dummodo carnes & lacticinia illo die absint. Hoc inane ludicrum ac simulachrum est verorum jejuniorum, a quibus omnis cibus ac potus exulat, & insuper coronis illis imponitur, ab omni delicatiori cibo ac potu abstinentia, puta nudi sępe panis & aquę usus. Et tamen hodiernis, per quæ vera jejunia penitus sublata sunt, jejuniis tantum fiditur, & fidendum esse docetur, (præsertim si assa tantum adsint, & cocti nihil,) ut quamvis variis vitiis dediti simus, veri Christiani nobis esse videamur, & nihil de salute nostra dubitemus. En quo tandem sanctissima Christi disciplina abierit!

CAPUT III.

Vers. 1. *Si igitur resuscitati estis cum Christo.* Postquam Apostolus monuit, ne ullas pietatis regulas vel ex Lege rituali, vel ex hominum ac Philosophorum placitis peterent; nunc iis præscribit verum pietatis ac sanctitatis Christianæ typum, quem ut vita ac moribus suis exprimant, hortatur. *Si igitur,* inquit, *estis cum Christo.* Quasi dicat, quod & supra dictum est (versu nimirum 12, 13) & etiam me tacente res ipsa loquitur. Per Christi enim resurrectionem & nos resuscitati sumus; Christus ipso facto, nos jure haud dubio ad vitam immortalem cum Christo in cælis agendam. Deinde, Christus ex morte corporali, nos ex morte spirituali, seu peccati, ipso facto. De illa resuscitatione vide ℣. 13, de hac re ℣. 12. Hoc igitur fundamento posito, ait:

Ea quæ supra sunt quærite. Id est cælestia illa loca, sedes illas beatas. *Ubi Christus est.* Eadem enim & vos manet patria. In hanc patriam Christus per resurrectionem & post resurrectionem suam pervenit; ad hanc & vos cum ipso resuscitati, perpetuo adspirate, hanc unice quærite.

In dextra, id est ad dextram, Hebrea phrasi, Dei, *sedens.* Loco post Deum honoratissimo, cum omni in cælo & in terra potestate, ut tanto certior sit spes vestra.

Vers. 2. *Quæ supra sunt cogitate.* Id est cælestia illa bona quibus nunc Christus fruitur.

Non quæ in terra sunt. Id est peccata & peccatorum causas, voluptates, opes, honores hujus seculi.

Vers. 3. *Mortui enim estis.* Nempe his omnibus. Redit ad mortem cum Christo, ne quis dicat, etiam hæc interea cogitari & quæri posse.

Et vita vestra abscondita est cum Christo. Tanquam cum sua causa. Ne quis iterum dicat, atqui tamen vivimus. Non hæc est vestra vera vita, inquit, vestra vita abscondita est cum Christo. *In Deo.* Proinde ibi ubi Deus habitat in illa luce inaccessa. Deus enim hic consideratur cum majestate sua abscondita, & significatur vitam nostram tuto in loco asservari.

Vers. 4. *Quando Christus manifestabitur.* Ne quis dicat, quando ergo fiet, ut hæc vita nostra proferatur in apertum, & sic deducatur in effectum? Tum, inquit, quando Christus manifestabitur.

Vita vestra. Id est vitæ vestræ effector & causa, per metonymiam effecti. Nam vita nostra proprie dicta distinguitur a Christo, cum quo est abscondita.

Tunc & vos cum ipso manifestabimini. Quippe ab ipso vitam vestram adepti. Quam ergo certum est Christum manifestatum iri, tam certum est & vos cum ipso iri manifestatum, toti scilicet mundo. *In gloria:* Id est gloriosissimi, cælesti radiantes splendore, Hebræa phrasi; cui similes habes 1 Tim. 2.7. 1 Cor. xv. 42. De hac Christianorum gloria vide Rom. viij. 18, 19. Matth. xiij. 43.

Vers. 5. *Mortificate igitur membra vestra quæ in terra sunt.* Id est peccata omnia, quippe quæ in terra non in cælo locum habent, morte afficite, è medio tollite; quæ membra nostra vocat, ratione corporis peccati, quod per Christi mortem in nobis mortuum est, & cujus respectu nos mortui sumus, de quo vide supra cap. 2. 11.

Scortationem. Qua & adulterium & stuprum hic complectitur.

Impuritatem. Marium inter se stupra. Distinguit enim hic ab impuritate nominatim scortationem. Ideo impuritatis vocem strictius accipit.

Pathos. Unde pathici dicti; impuri agunt, hi patiuntur.

Cupiditatem malam. Quamvis non exeat in actum.

Avaritiam. Plus habendi cum defraudatione alterius cupiditatem.

Quæ est idololatria. Aurum enim avaris idolum est. Vide plura Eph. v. 3 loco parallelo.

Vers. 6. *Propter quæ venit ira Dei super filios inobedientiæ.* Id est Euangelio credere nolentes. Quanto magis igitur veniet in vos si ea non mortificetis?

Vers. 7. *In quibus & vos.* Quasi dicat, non minus quam filii inobedientiæ.

Ambulavistis quondam, quum viveretis in eis. Id est inter eos, cum nondum essetis ad Christum conversi & cum Christo mortui. At nunc fas amplius non est in istis ambulare, id est talia facere, Hebræa phrasi.

Vers. 8. *Nunc vero.* A filiis inobedientiæ separati & cum Christo mortui,

Deponite & vos. Non minus quam alii sancti,

Hæc omnia. Quæ scilicet sequuntur.

Iram, excandescentiam, malitiam, blasphemiam turpiloquium ex ore vestro. Vide Eph. IV. 31. V. 4.

Vers. 9. *Ne mentiamini alii erga alios.* Vide Eph. IV. 25.

Exuentes veterem hominem. Id est Judæum vel Ethnicum; veterem animi habitum, qualis erat ante Christi cognitionem.

Cum actionibus ejus. Nempe modo recensitis & earum similibus ℣. 5.

Vers. 10. *Et induentes novum.* Nempe hominem Christianum, cujus plane novus est mentis habitus & animi constitutio.

Qui renovatur. Id est creatur Eph. 2. 15. IV. 24, nec aliter novus homo renovatur, quam cum creatur. Exemplum hic habemus, renovationem pro creatione dici, quid ergo mirum si etiam creatio pro renovatione dicatur?

In cognitione, εἰς ἐπίγνωσιν. Id est per cognitionem, εἰς pro διὰ, ut Actor. VII. 53, & sæpe εἰς ponitur pro ἐν, hoc pro διὰ, per Hebraismum. Cognitionem intelligit quam nemo præter Christianum hominem habet, cognitionem nimirum mysterii Dei & Christi cap. 2. 23, cognitionem Dei cap. 1. 10. Docet per quid homo novus renovetur, id est fiat & creetur.

Secundum imaginem ejus qui creavit ipsum. Docet qualis creetur & fiat, secundum imaginem, inquit, creatoris sui, nempe Dei. Hic novus homo creatus expresse significatur; quæ vero sit hæc imago, vide locum parallelum Eph. IV. 24. Alludit ad locum Genes. quo Deus hominem creasse dicitur ad imaginem sui. Nam in hoc novo homine multo perfectius Dei conspicitur imago. Cæterum in *exuendi & induendi* vocibus, respicit ad id quod circa baptismum, idque in hujus ipsius rei typum fiebat, ut aliæ vestes exuerentur, aliæ induerentur.

Vers. 11. *Ubi*, nempe in homine novo, *non est Græcus & Judæus, circumcisio & præputium.* Id est circumcisus & præputiatus. Hoc addit quia circumcisum esse latius patebat quam Judæum esse.

Barbarus, Scyta, servus, liber. Hoc habet novus homo præ veteri: nam in veteri omnes isti sunt, id est in veteri ad hæc attenditur, in novo nihil.

Sed omnia, intellige *est*, omnia valet, *& in omnibus*, non in Judæo tantum & Græco &c, sed in quolibet, *Christus.* Id est Christi religio, per metonymiam causæ. In quo Christus est & ejus sanctissima religio, proinde fides in ipsum & ejus fructus, in hoc sunt omnia ad salutis æternæ adeptionem necessaria. Vide similem locum Gal. iij. 28, ubi omnes isti unus esse dicuntur homo in Christo Jesu, proinde nullum esse discrimen inter ipsos, novi hominis respectu.

Vers. 12. *Induite igitur.* Quasi dicat, ut vobis hunc novum hominem particulatim explicem.

Tanquam electi Dei. Quasi dicat, & causas etiam addam quæ vos ad hoc penitus incitent, nec aliter facere permittant. *Electi Dei*, nempe ad vitam æternam.

Sancti. A profano hominum vulgo ad sanctissimam vitam segregati.

Et dilecti. Tanquam Filii Dei, cujus & hæredes estis futuri: quæ omnia per fidem in Christum Jesum estis consecuti.

Viscera miserationum. Imitantes exemplum Patris vestri, qui omnia miserationum suarum in vos effudit viscera.

Benignitatem. Erga omnes videlicet, etsi non miseros.

Humilitatem. Ταπεινοφροσύνην; ut humilia cogitetis, alta non spiretis, non curetis ut honoremini ab aliis, sed ut alios honoretis, non ut dominemini aliis, sed ut serviatis omnibus, ut sperni vos spernatis, & omni ambitione vacui sitis. *Mansuetudinem.* Effectum humilitatis. Humiles enim non facile irascuntur, quia se ipsos parvi pendunt, at superbis quantulacunque adeo est occasio, sufficit iræ; mansuetudo autem facit ne irascamur levi de causa.

Longanimitatem. Hæc facit ne facile irascamur, etiam gravibus de causis.

Vers. 13. *Tolerantes alii alios.* Effectum longanimitatis, tolerare eum qui mihi gravis est, non impatientia dejicere & excutere; sed alia lenia remedia adhibere.

Et condonantes alii aliis, si quis adversus aliquem habeat querelam. Etiam nulla accepta satisfactione. Nam & Pater noster idipsum erga nos fecit Eph. IV. 32. Vide Matth. xviij. 21, 22 Christi hac de re præceptum, & ei subjectam parabolam de servo Regis.

Sicut & Christus condonavit vobis, sic & vos. Exemplum adducit Christi, qui Dei nomine condonavit nobis omnia delicta. Ideo id Deus fecisse dicitur per Christum dicto loco ad Ephesios.

Vers. 14. *Super omnibus autem his*, ἐπὶ πᾶσι δὲ τούτοις, *ad omnia hæc*, ut Luc. XVI. 26, *charitatem, quæ est*

vinculum

vinculum perfectionis. Id est perfectum, Hebræa phrasi, varia sunt hominum inter se vincula, sed charitate mutua nullum est perfectius. Charitas enim mutua multos homines unum facit hominem, & Christiani omnes unus esse debent homo novus, in quo non est Græcus & Judæus &c. Recte super omnibus aliis virtutibus hoc charitatis mutuæ vinculum jubet induere. Nam etiam super alias vestes incingimur vinculo, ut perfecte simus induti.

Vers. 15. *Et pax Dei præmia certaminis dividat, βραβευέτω, in cordibus vestris.* Id est, sit in cordibus vestris pro distributore præmiorum certaminis, ad quem omnes qui certant respiciunt, a quo se regi & judicari sinunt. Pacem commendat & imperat Christianis, quam Dei vocat, quod Deum habeat auctorem, qui vicissim etiam Deus pacis appellatur quod pacis sit auctor, & eam valde amet. Jubet ergo Apostolus, ut Christiani omnes, sive inter se, sive cum aliis hominibus controversias ad pacis arbitrium componant, hanc pro judice & directore habeant. Ita enim futurum, ut Deus pacis sit cum illis. Nam cum hic Apostolus officia Christianæ pietatis describat, non intelligit pacem illam Dei quæ pro singulari præmio Christianis a Deo confertur, ut mediis in afflictionibus securi sint & exultent, quæ ideo etiam omnem humanam mentem superare dicitur, de qua Philip. IV. 7.

Ad quam etiam vocati estis. Quasi dicat, non tantum hoc nomine pax vobis esse debet commendata quod Dei sit, & Deum auctorem habeat, sed etiam quod ad eam vocati estis.

In uno corpore. Dum scilicet unum corpus, unus homo, una ecclesia effecti estis, nullo cujusquam habito vel gentis, vel conditionis, vel sexus discrimine.

Et grati estote, εὐχάριστοι γίνεσθε. Ut scilicet Deum pro tanta gratia perpetuis laudibus celebretis: quasi dicat, tantum abest ut rixis & turbis inter vos debeatis collidi. Vide quam hujus Apostolici præcepti & divinæ vocationis obliti sint Christiani, inter quos perpetua fere sunt bella bellarumque clades & cædes! Nec mirum. Ita enim Christiana veritas falsis dogmatibus est oppressa, ut vim suam in illorum animis exercere non possit.

Vers. 16. *Sermo Christi habitet in vobis abundanter.* Merito: hic enim solus est qui nos renovare, & omnium virtutum, ac inprimis pacis cum omnibus hominibus, sectatores potest efficere. Cujus sermonis incuria quia Christianos invasit, & pauci sunt qui serio dent operam ut in se habitet Christi sermo abundanter, hinc fit ut tot errores & omnis generis vitia, & sæva inter ipsos bella Christianum orbem continuo inundent. Vide quantum huic Apostolico præcepto derogent, qui Sacram Scripturam, qua Christi sermo continetur abundanter, paucis, iisque sibi tantum auctoratis, legere permittunt.

In omni sapientia. Exponit quid sit sermonem Christi abundanter in aliquo habitare, nimirum si habitet, *in omni*, id est cum omni *sapientia*, ne quid rerum divinarum ad salutem pertinentium ignoremus, aut a veritate Christiana uspiam aberremus: hanc enim sapientiam Christi sermo docet.

Docentes & admonentes alii alios. Vide Eph. v. 19.

Psalmis. Sive Davidicis, sive ad imitationem illorum compositis: sic dictis, quod olim instrumentis musicis accini solerent.

Hymnis. Quibus laudes Deo & Christo canuntur Actor. XVI. 25. Hebr. 3. 12. Matth. XXVI. 30.

Cantionibus spiritualibus. Quasi dicat, sive sint Psalmi, sive hymni, sive aliæ aliquæ, dummodo sint spirituales non carnales cantiones. Generali voce omnes cantiones spirituales includit.

In gratia. Id est, cum gratia, seu gratiose, jucunde, per Hebraismum. Vide cap. IV. 6.

Canentes. Cantus enim fit jucunditatis & delectationis causa. Refertur ad omnia tria superiora.

In corde vestro. Tanquam in organo musico aut plectro. Hinc vocem *psallentes*, proxime conjungit cum corde Eph. v. 19. Exponit per appositionem, quid sit gratiose canere, nimirum canere in corde, etiamsi vocis absit modulatio. Nam & in Epistola ad Eph. v. 11 ait, *loquentes vobis mutuo.* Organa & instrumenta musica Deus & Christus non requirit, nec iis quidquam delectatur. Hominum hæc inserviunt delectationi, solum cor Dei & Christi.

Domino. Id est Christo. Solent cantores & musici dominis suis canere & psallere ad eorum delectationem. Et Christiani cantores sunt ac Musici, quorum officium est ut Domino, id est Christo, & per illum Deo, quam suavissime modulentur & canant, & psallant in cordis plectra. Quod quid aliud est, quam ut Christo laudes dicant ex animo, Christo gratias agant, Christum invocent. Cantiones enim spirituales utplurimum invocationes continent. Hinc Plinius ad Trajanum, Christianos ait in conventibus suis Christo hymnum canere, ut Deo. Est enim Deus ab uno illo Deo factus.

Vers. 17. *Et omne quodcunque feceritis in sermone aut in opere.* Id est sermone aut opere, particula *in* redundat, Hebræo more. *Omnia.* Hoc repetitur itidem per Hebraismum.

In nomine Domini Jesu, intellige *facite*. Hoc fit, cum nominis Domini Jesu, quod profitemur, in omnibus nostris factis & dictis memores sumus; ne quid scilicet huic nomini indecorum aut eo indignum faciamus vel dicamus.

Gratias autem agentes Deo. Τῷ Θεῷ, illi uni, & κατ' ἐξοχὴν dicto,

Et Patri. Vide, unum illum Deum solum dici Patrem.

Per ipsum. Id est Dominum Jesum. Vide Dominum Jesum ab uno illo Deo distingui, & ei tanquam diversum opponi, & tanquam eum per quem Deo illi uni agendæ sint gratiæ, quod fit, cum in gratiis Deo agendis Christi Domini nostri, tanquam ejus per quem nobis omnium a Deo conferantur meminimus, aut etiam ipsi Christo tanquam tali gratias agimus. Talis enim gratiarum actio non terminatur in Christo, sed per Christum tendit & refertur ad Deum.

Vers. 18. *Uxores subjectæ estote propriis viris sicut*

convenit in Domino. Id est, in Domini seu Christi sanctissima religione, per metonymiam causæ.

Vers. 19. *Viri diligite uxores, & ne estote amarulenti erga eas.* Una voce prohibet omnia dilectioni & charitati contraria.

Vers. 20. *Filii*, τὰ τέκνα, includuntur & filiæ, *obedite parentibus secundum omnia.* Id est per *omnia*, nisi forte parentes aliquid vero illi omnium parenti contrarium præcipiant, quod monet res ipsa.

Hoc enim est acceptum Domino. Id est Christo, & consequenter Deo.

Vers. 21. *Patres.* Nam matres blandiores esse solent.

Ne irritate ἐρεθίζετε. In Epistola ad Ephesios ait μὴ παροργίζετε, eodem sensu,

Filios vestros. Iterum τὰ τέκνα.

Ne animum despondeant. Et sic alienentur a parentibus.

Vers. 22. *Servi obedite secundum omnia*, id est per omnia, ut supra ℣. 20, *secundum carnem dominis.* Vide Eph. vi. 5.

Non in servitiis, id est per servitia, *ad oculum tanquam hominibus*, id est solis hominibus, *placentes.* Qui animum non vident.

Sed in simplicitate cordis, (intellige *servite*,) *timentes Deum.* Quasi dicat, qui animum inspicit & videt quo pacto dominis serviatis.

Vers. 23. *Et omne, quodcunque feceritis, ex animo operamini, tanquam Domino.* Quasi dicat, cui oportet ex animo operari omnia, tanquam animorum inspectori. *Et non hominibus.* Quibus animi non patent.

Vers. 25. *Scientes quod a Domino accepturi sitis retributionem illius hæreditatis.* Quasi dicat, etsi servi estis.

Nam Domino Christo. Apponit vocem *Christi*, ad Dominum hunc declarandum.

Servitis. Quasi dicat, qui Dominus servis suis cælestem daturus est hæreditatem. Ducit enim eos pro fratribus suis & pro Dei Patris sui filiis. Locus hic docet, Christo tanquam Domino cælesti, ut mox cap. iv. 1 dicitur, serviendum esse: quod servitium, & fidem in ipsum, & obedientiam, & cultum, adorationem, honorem ei convenientem, & invocationem complectitur.

Vers. 25. *Qui autem injuriam facit.* Quasi dicat, quales sunt qui servis suis fideliter sibi servientibus jus debitum non reddunt, & omnia sibi in eos licere putant.

Portabit, id est referet, *id quod injuste fecit*, ὃ ἠδίκησε. Id est, pœnam referet pro injuria quam intulit. Similem locutionem habes 2 Cor. v. 10.

Et non est, nempe apud Deum, *personarum acceptio.* Omnibus est apud Deum & Dominum Christum jus æquale, sive sint domini, sive servi. Multum errant qui in servos injuriam dari non putant,

CAPUT IV.

Vers. 1. DOmini *quod justum est*, contrarium, de qua dixit, injuriæ, *& æqualitatem.* Justum enim in æqualitate consistit.

Servis exhibete. Ne putate servo nullum esse jus erga dominum.

Scientes quod & vos habeatis Dominum in cælis. Eundem nimirum quem & servi, seu cum servis communem, qui Christus est, supra ℣. 24. Huic, tanquam Domino cælesti, plus juris ac potestatis est in vos, quam vobis in servos vestros: quasi dicat, qui proinde vobis jure retribuet, si quid a vobis in servos vestros factum fuerit injuria.

Vers. 2. *Precationi assidue incumbite*, προσκαρτερεῖτε. Vide Act. 1. 14. Jubet ut in precationibus & orationibus indefessi simus. Vide hac de re parabolam Christi Luc. XVIII.

Vigilantes in ea. Quasi dicat, etiam noctu, cum alii dormiunt, orantes,

In, id est cum, *gratiarum actione.* Oratio & gratiarum actio pulcherrime conjuguntur.

Vers. 3. *Precantes simul & pro nobis.* Nam & Timotheus illi aderat cap. 1. 1. Vide Eph. VI. 19.

Ut Deus aperiat nobis januam sermonis. Id est, latam aliquam & prolixam occasionem Euangelii prædicandi, per metaphoram.

Ad loquendum mysterium Christi. De vocatione videlicet & salute gentium per solam in Christum fidem & ejus fructus, sine circumcisione, & Lege ac Legis ritibus cap. 1. 26. ij. 2, 3.

Propter quod & vinctus sum. Paulus enim quia Gentibus hoc mysterium annunciabat, in summum Judæorum odium inciderat, & captivus Romam deductus erat, & Romæ catena ad manum militis illigatus detinebatur: quæ vincula sustinebat ut se vere Christi Legatum esse testaretur. Vide Eph. vi. 20.

Vers. 4. *Ut manifestum faciam illud*, eo scilicet modo, *sicut oportet me loqui.* Id est cum omni parrhesia, ad Ephesios dicto loco.

Vers. 5. *In sapientia*, id est sapienter, per Hebraismum *ambulate*, id est, agite & conversamini adversus eos, *qui sunt extra.* Nempe extra ecclesiam.

Tempus redimentes. Vide Eph. v. 16.

Vers. 6. *Sermo vester semper in gratia.* Intellige sit. Et hoc ad sapientiam cum extraneis conversandi pertinet.

Sermo vester. Nempe de Christiana veritate ac pietate.

Semper in gratia. Id est cum gratia, seu gratiosus sit, per Hebraismum. Neminem offendat, omnibus placeat.

Sale conditus. Id est sapidus, non insipidus sit, per metaphoram.

Ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. Quasi dicat, non enim omnibus eadem responsio est apta. Oportet semper ad circumstantias, loci, temporum, personarum, rerum respicere.

Vers. 7. *Res meas omnes*, τὰ κατ' ἐμὲ πάντα, *significabit vobis Tychicus dilectus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino.* Id est, Domini respectu.

Refertur

refertur ad omnia tria, de Tychico vide Actor. xx. 4.

Vers. 8. *Quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscat res vestras, & meã ὑμῶν, & consoletur corda vestra.* Quasi dicat, contristata haud dubie meas ob afflictiones. Vide Pauli de Colossensium ecclesia curam ac solicitudinem.

Vers. 9. *Cum Onesimo.* Haud dubie jam Philemoni per Epistolam illam Pauli reconciliato.

Fideli & dilecto fratre, qui est ex vobis. Id est ex numero vestri. Vide similem phrasin vers. 11, 12.

Omnia vobis nota facient, quæ hic (Romæ scilicet,) intellige *fiunt.* Quasi dicat, ut me vobis illa scribere necesse non sit.

Vers. 10. *Salutat vos Aristarchus qui mecum captivus est.* Credo quod nollet Paulum deserere. Vide Actor. xix. 29. xx. 4. xxvii. 2. Hunc primo loco ponit propter hanc captivitatis secum prærogativam.

Et Marcus consobrinus Barnabæ. De hoc Marco vide Act. xii. 12. xiij. 13. xv. 37, 38, 39. Commendat eum etiam a propinquitate Barnabæ.

De quo accepistis mandata. Forte ab ipso Paulo,

Cum venerit ad vos. Dimissus scilicet à Paulo.

Recipite eum. Nempe tanquam fratres fratrem.

Vers. 11. *Et Jesus qui dicitur Justus, qui sunt ex circumcisione.* Id est ex circumcisis, per Hebraismum. *Hi soli*, nempe duo proxime nominati,

Cooperarii. Nempe mei, Romæ videlicet, & ex Judæorum gente. Nam alias & Aristarchus & Epaphras & Lucas & Demas erant Pauli cooperarii, Philem. ℣. 23, 24.

In regnum Dei. Id est, ad promovendum regnum Dei. Hinc patet Petrum Romæ non fuisse cum Paulus ista scriberet. An enim Petrum potuisset excludere?

Qui fuerunt mihi consolatio. Nempe in mea captivitate & vinculis. Anne ergo & Petrus non fuisset Pauli consolatio, eaque etiam præcipua? Nam eorum sententiâ qui Petrum Romę sedisse statuunt, jam tum, idque etiam a tempore non exiguo, Petrus Romæ erat. Cæterum Marcus strenue nunc repensat Paulo quod antea discessu suo neglexerat, & quo meruerat ut eum Paulus usque ad exacerbationem cum Barnaba, & ab eo separationem in comitatum ręcipere recusaret.

Vers. 12. *Salutat vos Epaphras qui ex vobis.* Intellige *est.* Ex vestro numero ac civitate.

Servus Christi. Nempe in Euangelii prædicatione. Tales enim peculiariter servi dicuntur Christi, de quo supra cap. 1. 7.

Semper certans pro vobis in precationibus. Id est, ea contentionę pro vobis semper orans, qua solent in certaminibus uti qui certant.

Ut stetis perfecti. Nempe in fidei & pietatis Christianæ certamine.

Et impleti in omni voluntate Dei. Id est, impleti omni eo quod vult Deus, per duplicem Hebraismum. Nam & particula *in* redundat, & voluntas Dei ponitur pro eo quod Deus vult.

Vers. 13. *Testor enim illi quod habeat zelum multum pro vobis, & iis qui in Laodicea, & qui in Hierapoli sunt.* Ne scilicet ullis aliis fidelibus in fide & pietate Christiana cedatis. Credo quia ipsius ministerio conversi ad fidem erant, & ipse eorum esset conterraneus ℣. 11. Itaque abundantiori ęrga illos ducebatur zelo. Cæterum vicina erant hæc tria oppida. Apparet Epaphram jam fuisse vinculis & captivitate solutum: fuerat enim socius captivitatis Paulinæ, Philemonem ℣. 23. Nam Epistolam hanc ad Colossenses post reconciliatum Philemonem Onesymo scriptam esse, ex ℣. 9 colligitur. At cum ad Philemonem scriberet Paulus, Aristarchus erat liber, Epaphras captivus ad Philemonem ℣. 23, 24. Nunc Aristarchus est cum Paulo captivus, ut vidimus ℣. 10, de Epaphra hoc non scribitur, quod neutiquam omisisset Paulus.

Vers. 14. *Salutat vos Lucas, medicus dilectus.* Hunc, ad Philemonem, suum cooperarium vocat vers. 24. Idem solus cum Paulo Romæ remanserat 2 Tim. iv. 11. Ideo non sine causa putatur hic esse qui scripsit Euangelium & Apostolorum acta.

Et Demas. Hic est qui postea Paulum Romæ captivum reliquit, diligens hoc seculum 2 Tim. iv. 10. Verebatur nimirum ne sibi moriendum esset cum Paulo. Vide 2 Tim. iv. 10, quod Lucas non fecit.

Vers. 15. *Salutate eos qui in Laodicæa sunt fratres.* Nempe per nuntium & crebra commercia, ob vicinitatem loci.

Et Nympham, & eam quæ in domo ejus est Ecclesiam. Nympham inter Colossenses nominatim salutari vult, cum ecclesia cujus patronus erat, seu quæ in domo ejus congregabatur.

Vers. 16. *Et cum lecta fuerit apud vos* &c. Nimirum utraque Epistola, sic erat ab Apostolo scripta, ut utrique vicinæ prodesse posset & Ecclesiæ.

Vers. 17. *Et dicite Archippo.* Meo videlicet nomine. Ecclesiæ ipsorum erat minister, quem ad Philemonem ℣. 2 commilitonem suum appellat, & Philemoni tanquam præcipuo ecclesiæ membro adjungit. Onesimus certe, pro quo ad Philemonem scribit, Colossensis erat. Vide supra ℣. 9, ut proinde Philemon Colossensis ecclesiæ præcipuum membrum, Archippus autem minister fuisse videatur.

Vide ministerium quod accepisti in Domino. Id est ad Dominum pertinens, qui Christus est.

Ut illud impleas. Id est, vide ut ministerium impleas quod in Domino accepisti, sed pronomen redundat, per Hebraismum: ministerium intelligit ecclesiæ, quod, ut & alia, suam habet mensuram; quam implet quisquis suo ministerio ac munere rite fungitur, & ei satis facit omni ex parte. Nam ut alibi, idem Apostolus, *si vero etiam certet aliquis non coronatur nisi legitime certaverit* 2 Tim. 2. 5.

Vers. 18. *Salutatio mea manu Pauli.* Tandem ipse sua manu salutationem adscribit ad omnem ecclesiam, & quæ sequuntur verba, in signum nimirum Epistolæ a se dictatæ & missæ 1 Cor. xvi. 21. 2 Thess. iij. 18.

Memine-

Memineritis meorum vinculorum. Generalis admonitio, quæ omnia officia vinctis pro Christo, præsertim tanto Apostolo debita, complectitur, quam sua manu exaravit, ut esset tanto efficacior.

Gratia vobiscum. Solita sibi subscribendi formula; licet hoc loco elliptica; sed quæ suppleri poterat ab omnibus. AMEN.

COM-

COMMENTARIUS
IN
Epistolam Apostoli
PAULI
AD
PHILIPPENSES.

CAPUT I.

Vers. 1. **E**T *Thimotheus*. Aderat enim tum Paulo Romæ captivo, ut etiam cum ad Colossenses & ad Philemonem Româ scriberet Coloss. I. 1. Philem. vers. 1.

Cum Episcopis & Diaconis. Quasi dicat, non solis Episcopis & Diaconis. Vide 1 Thes. v. 27, & quia de Paulo omnes in Philippensium ecclesia bene meriti erant vide ℣. 4, 7, 8. Episcoporum nomine Seniores intelligit ecclesiæ qui eam regebant. Diaconi specialiter sic dicti, usibus ecclesiæ ad corpus spectantibus destinati erant Act. VI. 2, 3, 4.

Vers. 3. *Gratias ago Deo meo in omni mentione vestri.* Id est quoties mentionem vestri in precibus meis facio, semper Deo gratias ago.

Vers. 4. *Semper in omni petitione mea*, id est quotiescunque Deum peto, *pro vobis omnibus, cum gaudio petitionem faciens.* Ne putarent rarò sui mentionem fieri, & gravatè.

Vers. 5. *Pro communione vestra in Evangelio.* Exponit pro quo gratias agat, εἰς τὸ εὐαγγέλιον, εἰς pro *in*.

A prima die, nempe communionis vestræ, *ad hoc usque tempus.* Quasi dicat, ita vos semper egregie gessistis.

Vers. 6. *Persuasus hoc ipsum*, nempe quod sequitur, *quod qui incepit in vobis opus bonum, perficiet usque ad diem Jesu Christi.* Mortis non meminit, quia morientibus mors diem Jesu Christi protinus exhibet. Neque enim mortuis ullus est intermedii sensus temporis.

Vers. 7. *Sicut est justum mihi.* Sicut mihi omnino convenit.

Hoc cogitare, τοῦτο φρονεῖν. Id est hoc curare, de hoc semper cogitare ac solicitum esse.

Pro omnibus vobis. Id est ut hoc vobis omnibus eveniat, quod scilicet confido & persuasus sum vobis eventurum ℣. 6.

Propterea quod habeam vos in corde, id est in animo & cogitatione, *qui & in vinculis meis*, quæ scilicet nunc Romæ patior, *& defensione*, τῇ ἀπολογίᾳ,

Et confirmatione Evangeli. Id enim agebat Paulus ut defenderet & confirmaret Euangelium quod prædicabat.

Consortes mei hujus gratiæ, τῆς χάριτος. id est in hac gratia, *omnes vos estis.* Quasi dicat, non quidam tantum ex vobis: quatenus nimirum Paulo subsidium mittebant in istis versanti cap. IV. 13, 18, (unde & mox ℣. 9 iis precatur ut adhuc magis & magis charitas eorum abundet,) & quatenus ipsi etiam similia paterentur & facerent ℣. 28, 29, 30. Gratiam vocat Paulus, nempe Dei & Christi, in vinculis & certaminibus esse pro veritate Christi. Vide ℣. 29. Cujus gratiæ socii & participes sunt, qui tales officiis juvant omnibus.

Vers. 8. *Testis enim mihi est Deus quam desiderem omnes vos*, quasi dicat, nullo excepto, *in visceribus Jesu Christi.* Quasi dicat, ut ideo mirum non sit quod vos in corde habeam & perpetuò de vobis cogitem. Desiderium est amoris effectus. Viscera sunt intimi sedes amoris. Ideo hic per metonymiam, intimum significat amorem. Intimus amor Jesu Christi, per genitivum causæ efficientis, significat intimum amorem, quem Jesus Christus & sanctissima ejus religio efficit in animis Christianorum aliorum erga alios. Locus hic docet, Deum advocare testem rebus in magnis & ad ædificationem spectantibus, peccatum haud esse.

Vers. 9. *Et hoc precor.* Ex tanto nimirum amore ac desiderio vestri.

Ut charitas vestra adhuc magis & magis abundet. Respicit ad id quod de illis dixit vers. 7.

In cognitione, id est cum cognitione, *& omni sensu.* Nempe animi, id est cum omni intelligentia, rerum nimirum divinarum & ad salutem pertinentium. Duo illis precatur, charitatem & scientiam.

Vers. 10. *Ad probandum differentia.* Id est ea quæ speciem habent veritatis & pietatis, sed re ipsa non sunt talia.

Ut sitis sinceri. Sine ulla admixtione eorum quæ ad Christianam veritatem ac pietatem non pertinent.

Et sine offendiculo, ἀπρόσκοποι. Id est, ne usquam in cursu pietatis offendatis, *ad diem Christi*, ut vers. 6.

Vers. 11. *Impleti fructibus justitiæ.* Id est, fructibus quæ sunt justitia, per genitivum differentiæ vel speciei.

Qui per Jesum Christum. Intellige proferuntur: quasi dicat, non per Mosaicam Legem, quorum maxima pars ritus sunt, & qui præter hos ad veram justitiam pertinent, haudquaquam ad illius perfectionem pertingunt: at per Jesum Christum, id est disciplinam ac spiritum ejus, veri demum ac pleni & perfecti justitiæ fructus proferuntur. Hinc Christus ipse suis discipulis dixit, *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum*; (è quibus tamen Paulus secundum justitiam in Lege traditam erat irreprehensibilis, infra cap. III, 6, 9) *non ingrediemini in Regnum cælorum* Matth. v. 20. De fructibus istis justitiæ qui per Christum proferuntur, vide infra cap. IV. 8.

In gloriam & laudem Dei. Qui scilicet tantos & tam uberes justitiæ fructus in vobis produxit per Jesum Christum. Vide Matth. v. 16.

Vers. 12. *Scire autem vos volo fratres.* In solatium nimirum vestrum,

Quod res mea, τὰ κατ' ἐμέ. Id est, mea captivitas & vincula vers. 13.

Magis in profectum Euangelii venerint. Quasi dicat, quam ut iis Euangelii progressus impediretur. Ideo & ad Timotheum scribit, ob Euangelium patior usque ad vincula, sicut maleficus, sed sermo Dei non est ligatus 2 Tim. 2. 9.

Vers. 13. *Adeo ut vincula mea manifesta in Christo facta sint.* Id est, vincula mea in Christo manifesta facta sunt, per transpositionem.

In Christo. Id est propter Christum, seu Christi causa, per Hebraismum.

In toto prætorio. Ubi custodiebatur Paulus militari custodia.

Et reliquis omnibus. Non tantum prætorianis militibus, sed etiam omnibus Romanæ urbis incolis. Ita omnibus occasio & causa præbita est audiendi & inquirendi de Christo.

Vers. 14. *Et plures fratrum in Domino, confisi vinculis meis*, me scilicet vera loqui, *abundantius audeant sine metu sermonem*, Euangelii nimirum, *loqui.* Quasi dicat, animus plerisque fratrum crevit ex meis vinculis Euangelii prædicandi.

Vers. 15. *Aliqui quidem etiam propter invidiam & contentionem.* Id est, ideo etiam quia invident prædicari & recipi Christum sine Lege Mosis, & contentionis causa cum Christianis aliis.

Quidam etiam propter beneplacitum. Quasi dicat, quamvis ad id non missi, solo studio Christi,

Christum prædicant. Id est prædicant Jesum esse Christum. Docet hic locus, Christum etiam propter beneplacitum prædicari posse, idque singulari cum laude fieri, ut frustra sint qui missionem semper exigant.

Vers. 16. *Alii quidem*: quasi dicat, alii quidem, inquam, *ex contentione.* Id est, contentionis & litium studio,

Christum annuntiant, non pure. Non Christi amore & studio, ideo nec sic ut est veritas in ipso, adjungunt enim circumcisionem & Legem Mosaicam Euangelio, & illud reddunt impurum.

Existimantes afflictionem adferre se vinculis meis. Id est, se mihi ob vincula afflicto, afflictionem superaddere, & sic vincula mea multo graviora reddere.

Vers. 17. *Alii autem ex dilectione.* Nempe Christi, solo Christi amore ac studio.

Scientes quod in defensionem Euangelii. De salute videlicet Gentium per solam in Christum fidem,

Positus sim. A Deo nimirum & Christo, & huc spectare etiam hæc ipsa mea vincula.

Vers. 18. *Quid enim?* Scilicet angar & affligar animo.

Tamen omni modo, sive prætextu. Id est prætexendo Christum, ut interea Legem introducant.

Sive veritate. Id est, vere nomen ponitur pro adverbio.

Christus prædicatur. Id est, Jesus prædicatur esse Christus.

Et in hoc gaudeo. Id est, propter hoc quod scilicet Christus omni modo prædicetur.

Sed & gaudebo. Quasi dicat, quidquid tandem mecum eveniat.

Vers. 19. *Scio enim quod hoc.* Nempe quod mecum sit, mea captivitas, mea vincula,

Mihi eveniet in salutem. Animæ nimirum, & æternam illam.

Per vestram petitionem. Quam scilicet pro me facitis ad Deum & Christum.

Et suppeditationem spiritus Jesu Christi. Nisi enim hic suppeditetur, facile est in tentationibus succumbere. Vide hic Spiritum Sanctum suppeditari a Christo, qui etiam propterea Christi spiritus vocatur. Suppeditatur a Christo, quia illum accepit a Patre Act. 2. 33.

Vers. 20. *Secundum solicitam exspectationem & spem meam quod nulla in re pudefiam.* Si scilicet non satis pro officio meo ulla in re me gererem, aut veritatis adversariis ulla in re succumberem, & timorem ac trepidationem ab illis incuti mihi paterer.

Sed in omni loquendi libertate, παῤῥησίᾳ. Id est per omnem loquendi libertatem. *Sicut semper*, toto prædicationis meæ tempore: quam parrhesiam ubique videre est in Paulo, coram Sergio Paulo Proconsule, in synagogis Judæorum, coram Gentibus, Athenis, Hierosolymis, coram Judæorum Synedriis, coram Præsidibus, coram Rege Agrippa & aliis. Nimirum quia non tantum veritatis & optimæ causæ fiduciam habebat; sed etiam Christi spiritu abunde præditus & instructus erat.

Et nunc. Id est sic & nunc, per ellipsin particulæ similitudinis.

Magni-

Magnificabitur Christus. Id est magnum consequetur nomen, magnam nominis celebritatem.

In corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Nempe meam, utrolibet modo res ceciderit; sive me vivere patientur per vitam, sive mori me cogent per mortem meam, Christus magnificabitur in meo corpore.

Vers. 21. *Mihi enim vivere Christus*, intellige est, *& mori lucrum.* Causam addit superioris dicti: quasi dicat, nam si vivam, quid aliud est mea vita quam Christus, quam ut Christum spirem, Christum prædicem, Christum honorem, colam, invocem, Christum omnibus actionibus meis exprimam, omnia ad nominis ejus gloriam dicam & faciam? Vitam ponit pro vitæ actionibus, & Christum pro iis quæ pertinent ad Christum, utrumque per metonymiam: sin autem moriendum erit, mori, idque etiam pro Christo, maximum est mihi lucrum. Ideo lubentissime pro ipso moriar, quod summa cum nominis ejus gloria fiet, dum me ita Christo confidere, ita eum amare, ita vera esse quæ de ipso annuntio testabor; ut pro iis mortem oppetere, cum certissima spe resurrectionis ad vitam immortalem per ipsum consequendæ, nihil dubitem. Iis quibus vivere Christus est, (Nam hoc ut præcedat oportet) mors semper est lucrum; etiamsi non ex Christi causa moriantur. Jam enim requiescunt a laboribus suis, & opera eorum sequuntur eos. Tanto vero magis mors est lucrum iis qui eam propter Christum patiuntur, quia per eam & propter eam eximium æternæ gloriæ decus in immortali vita & Regno Christo consequentur. Ideo Christus exultare jubet præ gaudio in illa die qua propter ipsum patimur: *Ecce enim*, inquit, *merces vestra multa est in cælis* Luc VI. 23.

Vers. 22. *Si autem vivere in carne.* Intellige, mihi continget, (est enim elliptica oratio,) si diutius mihi vivendum erit in carne: quasi dicat, nam ego etiam deposita carne vivam, Deo nimirum & Christo, cui omnes licet mortui vivunt, quatenus eos semper facere vivos potest & suo tempore faciet.

Hoc, si scilicet in carne vivam, *mihi fructus operis*, intellige, *erit.* Id est hunc fructum per id consequar, ut operer, in prædicatione nimirum Euangelii & Regni Christi promotione. Fructus operis per genitivum differentiæ dicitur, pro fructu qui est opus, & vivere in carne dicitur hic fructus, per metonymiam causæ; quia per vitam in carne fructus hic producitur.

Et quid eligam nescio. An vitam scilicet an mortem. Utrumque mihi bonum, utrumque expetendum est. O beatos qui Christo serviunt, adeo mortem non metuunt, nec malum putant, ut ambigant quid sibi magis eligendum sit, an vivere, an mori?

Vers. 23. *Constringor enim ex istis duobus*, ἐκ τῶν δύο. Urgeor ab utroque istorum & a vita & a morte, ut nesciam quo me vertam in eligendo. Utrumque pro se magna habet momenta.

Cupiditatem habens ad solvendum, εἰς τὸ ἀναλῦσαι. Nempe ex hujus vitæ vel ex carnis statione.

Et cum Christo esse. Videtur ad Christi illa verba latroni dicta respicere, *hodie mecum eris in paradiso*, nam & alibi idem Apostolus, *scientes*, inquit, *quod dum adsumus*, (ἐνδημοῦντες) *in corpore, absumus* (ἐκδημοῦμεν) *a Domino: Confidimus autem & approbamus magis abesse ex corpore, & adesse apud Dominum* 2 Cor V. 6, 8. Nimirum quia mors piorum momenti tantum rationem in ipsis habet, & in eo sunt statu ut amplius a Christo separari non possint.

Multo enim melius, πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον. Nempe quam in carne vivere, & sic a Christo abesse, & in opere continno ac periculo versari. Exposuit quo pondere urgebatur ex parte mortis.

Vers. 24. *Manere autem in carne.* Et sic in carne vivere.

Magis necessarium, propter vos. Exponit quo urgebatur ex parte vitæ, quod nimirum vita sua magis adhuc esset necessaria fidelibus quam mors. Itaque significat si commodi sui rationem habere debeat, mortem se vitæ longe præferre; sed si commodi fidelium, utiliorem esse suam vitam.

Vers. 25. *Et hoc confisus scio.* Decidit rem & electionem ex utilitate fidelium.

Et hoc. Nempe me mansurum adhuc in carne.

Confisus. Nempe Deo & Christo.

Scio. Tali nimirum scientia qualis dari potest in iis de quibus nulla est certa Dei promissio. Nam ipse infra cap. 2. 17, etiam rem aliter evenire posse significat, quod & paulò ante ✠. 20 fecit, cum Christum magnificatum nunc iri in suo corpore dixit, sive per vitam sive per mortem. Propterea dicit, *confisus scio*, hactenus igitur sciebat, quatenus Deo confidebat: at Deo in hoc ita confidebat, ut nihilominus suam voluntatem divinæ subjiceret voluntati, paratus & in partem alteram.

Quod manebo. Nempe in carne.

Et simul permanebo cum omnibus vobis. Id est ita manebo in carne, & in vita, ut non detinear in vinculis, sed una permaneam vobiscum omnibus.

In vestrum profectum. In re videlicet salutis.

Et gaudium fidei. Id est, quod ex fide in Christum proficiscitur, per genitivum causæ. Ut nimirum per me majores in fide sumatis profectus, & quod ex fide manat, maximum consequamini gaudium.

Vers. 26. *Ut gloriatio vestra abundet in Christo Jesu.* Id est, per Christum Jesum, pro ipsius beneficio *in me*, id est de me.

Per meam præsentiam rursus apud vos. Quasi dicat, gloriamini nunc de me, sed per meam præsentiam rursus apud vos abundantior fiet, Christi beneficio, vestra de me gloriatio. Multo plura enim per me poteritis adipisci.

Vers. 27. *Tantum digne Euangelio Christi vos gerite*, πολιτεύεσθε. Quasi dicat, omnia bene habebunt, tantum digne &c. Euangelium Christi, est de vita æterna & cælestis Regni hæreditate: hoc Euangelio digne se gerit, qui mundana omnia contemnit præ cælestibus, nec mundanarum rerum causa quidquam facit, quod cælestium hæredi futuro sit indignum & indecorum, qui omne vitium longe fugit, omne decus sectatur. Similem admonitionem vide 1 Thess. 2. 12.

Ut sive veniens & videns vos, sive absens. Et hinc patet Apostolum in utrumque paratum fuisse, proinde non ita scivisse se evasurum, ut nesciret rem aliter posse cadere. Vide vers. 25.

Audiam res vestras, τὰ περὶ ὑμῶν. Vide cap. 2. 19, 20.

Quod statis. Tanquam milites in acie,

In uno spiritu, una anima. Id est, in summa unitate & concordia, non secus atque si omnium unus esset spiritus, una anima. Sic & Lucas, *multitudinis*, inquit, *credentium erat cor unum & anima una* Actor. IV. 32. Nam & milites omnes debent unanimes esse.

Simul certantes. Id est uno agmine, junctim, non singuli, non alii ab aliis separati. Ita enim fieret, ut dum singuli pugnarent, universi vincerentur. Non debent Christiani in hoc afflictionum pro Christo certamine causam suam alii ab aliis separare; communis hæc est causa, communibus auxiliis agenda, quod unus patitur, omnes ad se revocare debent. Vide vers. 7.

Fide Evangelii. Quasi dicat, non armis, non viribus corporis, non lacertis, sed fide Euangelii, id est Euangelio adhibita, per genitivum objecti. Hac fide omnia pro fide certamina facile sustinebitis, & omnibus afflictionibus superiores eritis patientia. Hoc enim certamen non aliter quam patiendo peragitur.

Vers. 28. *Et non territi in ullo.* Id est ulla re. *In* redundat per Hebraismum.

Ab adversariis. Nam & milites esse debent interriti, ad quos in hac admonitione Apostolus alludit.

Quæ ipsis quidem est demonstratio exitii. Id est hoc quod vobis adversentur, vos oppugnent, & modis affligant variis, est demonstratio & argumentum evidentissimum, ipsis quidem exitii, id est, quod ipsos quidem exitium maneat:

Vobis autem salutis. Id est vos autem salus maneat. Hoc uberius exponit alibi: *Demonstratio*, inquit, nempe afflictiones quas sustinetis, *justi judicii Dei ut digni habeamini regno Dei, pro quo etiam patimini, siquidem justum est apud Deum retribuere affligentibus vos afflictionem, & vobis qui affligimini relaxationem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cælo cum Angelis potentibus suis* 2 Thess. 1. 5, 6, 7, *& hoc a Deo.* Quasi dicat, & hoc non temere fit ut affligamini, non fit hoc sine singulari permissione divina.

Vers. 29. *Quia vobis donatum est.* Causam addit cur id Deus permiserit, quia vobis, inquit, donatum est, nempe a Deo, tanquam munus singularissimum, quo non omnes Deus dignatur.

Hoc, ut pro Christo, τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, intellige *patiamini*. Sed hic suspendit orationem quam in sequentibus repetit & perficit. Addit enim, *non tantum*: quasi dicat, non tantum inquam, *hoc ut in ipsum credatis*, τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν.

Sed etiam. Quasi dicat, ut cœpi dicere, hoc *ut pro ipso patiamini*, τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν. Videte quanto munere quam cumulato vos Deus dignatus sit. Magnum & ingens munus est in Christum credere; sed pro Christo etiam simul pati, longe majus & cumulatius illud ad regni Dei possessionem aditum patefacit, hoc ad eximium & singularissimum decus in regno Dei, & nos de adeptione Regni Dei plane certos reddit. Hinc fit ut de afflictionibus propter Christum gloriemur Rom. V. 3, 4. & affligi propter Christum pro singulari ducamus gaudio Jacob. 1. 2. Communionem enim afflictionum Christi, sequitur & communio gloriæ ac regni Christi 2 Tim. 2. 11, 12. 1 Petr. IV. 13, 14.

Vers. 30. *Idem certamen habentes.* Per antiptosin nominativi pro dativo, respicit enim ad id quod dixit, *vobis donatum est*, nunc exponens quomodo id illis donatum sit; nempe quatenus habeant idem certamen secum.

Quale vidistis in me Actor. XVI. 19 & seqq. *& nunc auditis in me.* Id est certamen injuriarum, opprobriorum, captivitatis, vinculorum propter Christum.

CAPUT II.

Vers. 1. *Si quæ igitur consolatio in Christo*, intellige *est*. Quasi dicat, cum igitur sciatis quanto in certamine nunc verser, & ipsi etiam in eodem versemini, ut quo animo esse me oporteat ex vobis ipsis optime intelligatis, obsecro vos & obtestor per eam si quæ est in Christo consolationem &c.

Si in talibus, vehementer affirmat: quasi dicat, quæ sane est omnium maxima.

In Christo. Id est per Christum, in ejus nimirum discipulis; de his enim hic agitur, & verba *in Christo*, referuntur etiam ad omnia membra sequentia: quasi dicat, si quid discipuli Christi alii aliis solatii afferre possunt.

Si quod solamen, παραμύθιον, *charitatis.* Id est, si quod solamen & allevamentum animo charitas afferre potest, qua Christiani inter se devincti sunt: quasi dicat, obsecro vos per si quod est charitatis inter Christianos solamen.

Si qua communio Spiritus. Nempe Sancti, inter Christianos videlicet per Christum est: quasi dicat, obsecro vos per eam si quæ inter Christianos est communionem Spiritus Sancti. Vide quid communio Spiritus Sancti significet; nempe communem Spiritus Sancti participationem 2 Cor. XIII. 13.

Si quæ viscera & miserationes. Nempe in Christianis per Christum sunt: quasi dicat, obsecro vos per ea si quæ Christianis per Christum insunt viscera & miserationes. Viscera miserationum sunt sedes, ideo conjungit utraque.

Vers. 2. *Implete meum gaudium.* Hoc est quod eos obsecratur per tanta vincula: quasi dicat, habeo quidem non parum gaudii ex vinculis meis quæ propter Christum patior, & quod vincula mea in tantum Euangelii profectum exiverint cap. 1. 13, 18, sed ut pleno gaudio potiar & perfruar, vos per ea quæ dixi sanctissima vincula præstate.

Ut

Ut idem sentiatis. Incipit exponere quo pacto gaudium ejus plenum facere debeant, ut nimirum idem sentiant, id est ne ullæ sint inter ipsos dissensiones. Ex dissensionibus facile possunt exoriri & animorum abalienationes.

Eandem charitatem habentes. Hoc fit cum alter alterum sic diligit sicut seipsum, nec ullum inter se & alterum in charitate facit discrimen, sicut membrorum omnium in uno corpore charitas est eadem.

Unanimes, σύμψυχοι. Quasi dicat, non secus atque si unam communem haberetis animam, sicut fit in uno corpore.

Unum curantes, τὸ ἓν φρονοῦντες. Nempe commune bonum omnium, quod unum est.

Vers. 3. *Nihil secundum contentionem*, id est per contentionem, intellige *facite*. Priora declarat per contrarii remotionem. Nulla sit inter vos contentio.

Aut vanam gloriam. Id est vanæ gloriæ studio. Nam qui vanæ gloriæ student, contentiosi solent esse, dum alter alteri non concedit, verens ne aliquid sibi vanæ laudis & existimationis decedat.

Sed humilitate, τῇ ταπεινοφροσύνῃ. Id est per humilitatem, quæ facit ne quidquam de vana gloria cogitemus, humilibus enim studet, unde & nomen habet, alta vitat, imo spernit vera humilitas.

Alii alios ducentes excellentiores vobis ipsis. Id est alii alios supra vos ipsos honorate, proinde cum nemine de vana gloria certate, quisque eam alteri protinus concedite. Humilitate alii alios nobis excellentiores ducere debemus, etsi non semper sententiâ, si res aliter se habeat. Non enim vetat Apostolus vera sentire, aut quæ Deus nobis contulit agnoscere, hoc enim absurdum foret; sed vetat ob ea superbire, & aliquid de humilitate dimittere: quin tanto humiliores, & hac ratione alios tanto nobis excellentiores ducere, eosque tanto magis honorare debemus, quanto nos iis excellentiores à Deo factos esse videmus. Deus enim nos donis suis ad humilitatem vocat, non ad superbiam & animi elationem.

Vers. 4. *Non sua quisque spectate.* Alterum fontem contentionum tangit, proprii commodi studium. Hoc vetat Apostolus, nempe sic, ut non simul etiam spectemus quæ sint aliorum. Ideo addit:

Sed & ea quæ aliorum sunt quisque. Quasi dicat, licet quidem & sua cuique spectare; sed ita ut simul & aliorum quisque spectet utilitatem; sicut fit in membris unius corporis: quorum quodque non suam propriam & privatam seu communem spectat utilitatem. Suam utilitatem spectare, natura quemque docet: at spectare commoditatem alterius, divina Lex docet. Illud est diligere seipsum; hoc est diligere alterum: illud nullum à Deo præmium habet; hoc habet omnium maximum.

Vers. 5. *Hoc enim sentiatur in vobis quod & in Christo Jesu.* Intellige sentiebatur. Id est hic sit animorum in vobis sensus & habitus qui erat in Christo Jesu. Confirmat superiora ab exemplo Christi, quod nobis pro cujusque copia & facultate imitandum est. In quo & summa Christi humilitas in summa ejus excellentia elucet, & quam Christus non sua spectarit, sed spectarit etiam ea quæ omnium nostrum erant, quamvis maximis suis cum incommodis ac laboribus essent conjuncta. Utrumque nimirum istorum, ad quæ in superioribus exhortatus est, in hoc exemplo Christi conspicitur.

Vers. 6. *Qui cum in forma Dei esset.* Non dicit Christum Deum illum unum fuisse, quod haud dubie dixisset si verum erat, sed ait Christum in forma Dei fuisse, formam Dei gessisse, sicut & mox dicit, quod formam servi sumpserit, etiamsi servus haudquaquam esset. Erat enim Dei Filius, à Deo per Spiritus Sancti virtutem genitus, & in Regem illum à Deo promissum electus ac sanctificatus, non juris & dominii alieni, nedum absoluti: sed formam servi sumpsit, cum se tractari serviliter & in crucem agi passus est, quod etiam ideo servile dicebatur supplicium. Sic ergo & in forma Dei erat, cum divina opera & miracula solo jussu & nutu suo ederet, & ab hominibus eo nomine adoraretur.

Non rapinam duxit quod esset æque Deo, ἴσα Θεῷ. Neutrum plurale more Græcorum adverbialiter capitur, Latini dicerent, quod esset ceu Deus, aut æque ac Deus, vel instar Dei. Sic Job. x. 10: ἔπηξάς με ἴσα τυρῷ, *compegisti me ceu caseum* cap. xl. 10, χόρτον ἴσα βουσὶν ἐσθίει, *gramen æque ac boves comedit.* Declarat illam Dei formam. Nam ceu Deum esse quid aliud est quam in Dei forma esse? Vere autem Christus ceu Deus, seu æque ac Deus, vel instar Dei erat, in divinissimis suis operibus ac miraculis, quorum ne numerus quidem iniri facile queat Joan. xxi. 25. Hic iterum non dicit Apostolus quod Christus esset unus ille Deus, sed quod esset ceu Deus seu æque ac Deus, vel instar Dei. Omnimode ajunt æqualis Deo dicitur. Ergo non dicitur idem. Neque æqualitas ultra rem subjectam debet extendi. Deinde de re loquitur quam aliquis rapinam posset ducere: quis vero dicat rapinam duci posse, quod unus ille Deus sis? Neque enim hic essentiales proprietates; sed liberrimæ voluntatis actiones in Christo laudantur, & nobis imitandæ proponuntur. Et cum Apostolus dicit, *non rapinam duxit quod esset æque ac Deus*, seu (ut nunc communem interpretationem sequamur,) *æqualis Deo*; tacite significat quod id duxerit rem rapinæ contrariam, nempe Dei gratiam, seu donum: quasi dicat, non rapinam, sed Dei gratiam ac donum id duxit; propterea nec ob tantam divinitatem ac dignitatem suam superbiit, nec eam longius ac diutius retinuit quam auctor & dator illius vellet; (ut solent qui aliquid quod sibi magno sit ornamento ac decori rapuerunt;) sed ad ejus nutum ac voluntatem protinus eâ se abdicavit. Ideo addit Apostolus:

Vers. 7. *Sed seipsum exinanivit.* Exponit prius per contrarii affirmationem, id est illa Dei forma, illa cum Deo æqualitate, protinus eum Deus vellet, semetipsum inanem ac vacuum reddidit; cessavit à miraculis & operibus illis divinis, & eam quam præferebat divinam majestatem, in servi formam, ut mox additur, Deo sic volente ac jubente, & humani generis salute id postulante, commutavit. Non igitur hic dicitur quod Deus ille unus homo factus sit. Neque enim si hoc fieri posset, (quod

planè contradictionem implicat,) seipsum propterea exinanivisset, & Deus ille unus esse desiisset. Et quomodo hic sensus & habitus animi in ullo hominum esse posset, ut idem faceret?

Formam servi sumens. Exponit quo pacto se exinaniverit, sic nimirum ut pro Dei forma sumeret formam servi. Nam sicut Deus & servus extrema sunt opposita, ille omnium altissimus, hic omnium infimus, sic & forma Dei & forma servi opposita sunt, & una pellit aliam, nec simul in eodem subjecto consistere possunt. Sumpsit ergo formam servi, quamvis nihil minus esset quam servus, cum se tractari serviliter permisit ac sustinuit. Sic & formam Dei acceperat, quamvis unus ille Deus non esset. Humanam, ajunt, naturam assumsit. An ergo & nunc formam servi habet, postquam rerum omnium Dominus effectus est? Quis vero hominem absolute dicere volens, servum dicat? Aut humanam naturam significare volens, dicat μορφὴν δούλου, *formam servi*? Præsertim cum μορφὴ, formam significet externam, non internam aliquam rationem essentiæ, quæ μορφὴ non dicitur, ne Philosophis quidem ipsis, quanto minus Apostolis & sacris illis viris, qui proprios Philosophorum terminos, aut Latinorum Scholasticorum formas & formalitates penitus ignorant?

In similitudine hominum factus. Per Hebraismum, pro similis hominum factus. Hebræi enim adjectiva sic solent describere. *Doctor gentium in fide & veritate*, id est fidelis & verax 1 Tim. 2. 7 & similia. Atqui si Deus ille unus humanam naturam assumpsisse modo dictus est, non similis hominum, sed verè homo factus est, nec figura inventus est ut homo; sed reipsa fuit homo, ut sanè Christus homo fuit, idque haud dubiè dixisset Apostolus, si nunc de eo loqueretur. Et quomodo hæc obsecro cohærerent, naturam humanam assumpsit, similis hominum factus est, & figurâ inventus ut homo? Nam vel mera tautologia esset; quis enim nesciat eum qui sit homo, similem esse hominum aliorum, & figuram habere ut hominem? Vel falsa foret oratio. Neque enim si quis sit similis hominum factus, ut figuram habeat hominis, protinus sit homo. Docet igitur Apostolus, qui factum sit, ut Christus qui erat in forma Dei & instar Dei operibus admirandis, proinde qui Deo haud dubiè similis esset virtute, formam servi sumeret & se tractari permitteret serviliter? Similem, inquit, hominum se fecit, quasi scilicet non posset adversariis resistere, qui virtute similis erat Deo, & adversarios suos nullo negotio posset prosternere.

Vers. 8. *Et figura repertus est ut homo.* Explicatio est prioris. *Figura*, id est non reipsa, sed apparenter & externa specie tantum. *Repertus est.* Nempe ab adversariis suis.

Ut homo. Qui reipsa erat ut Deus. Non enim hic agitur de homine simpliciter; sed de homine simplici, qui nullas in se vires habeat divinas, aut humanis multo majores. Nam alias Christus non figura tantum erat ut homo, sed vere homo erat. Ideo & Samson, etsi homo erat, dicit tamen se fore ut hominem, si hoc & illud secum fiat; donec tandem verum fassus diceret, si capilli sibi detondantur, futurum se ut hominem; quibus etiam detonsis, non ut Christus figura tantum & specie externa, sed vere ac reipsa repertus ac deprehensus est ut homo.

Humiliavit seipsum. Apostolus ipse exponit quid sibi per superiora velit, id nimirum quod Christus seipsum humiliaverit, id est valde humilem fecerit, & ad infimum humilitatis gradum ex summo qui cadat in hominem sese dimiserit: humiliavit, inquam, seipsum, non ab aliis humiliatus est, quod iis non posset resistere. Poterat omnino, sed nolebat, quia hoc mandatum acceperat à Patre, Deo suo.

Factus obediens. En quo pacto sese humiliaverit, non factus homo, cum Deus ille unus esset; sed factus obediens, cum similis esset Deo, Deo primum factus est obediens, deinde & ex Dei voluntate, Principibus Judæorum, & Præsidi Pilato. Non temere ipse sese in tantam humiliationem conjecit; sed obedientiæ jure. Obedire autem servorum est, eo præsertim modo sicut additur.

Usque ad mortem. Id est adeo ut se ad mortem etiam duci sit passus.

Mortem autem crucis. Id est omnium ignominiosissimam ac dirissimam ac planè servilem. Hoc jam in humilitate & obedientia summum ac extremum erat. En exemplum Christi, quod nobis imitandum proponitur admirandæ humilitatis, seu ταπεινοφροσύνης, quæ profecto vera est animi magnitudo. Quid enim excellentius esse potest, quam omnes seculi hujus honores, omnia commoda, omnem contemptum & ignominiam contemnere, ut Deo placeas, & hominum salutem promoveas ac procures?

Vers. 9. *Propter quod etiam Deus ipsum superexaltavit.* Nimirum summam humiliationem & obedientiam, summa prosecutus est exaltatione. Hæc pulcherrime inter se cohærent, & posterius ex priore consequitur. Sed si dicas Deum illum unum sese hominem fecisse, vel naturam humanam induisse, & à Deo illo uno propter hoc exaltatum esse, & Deum illum unum nomen Deo illi uni donasse supra omne nomen, rem dicas ipso auditu absurdam, & sibi ipsi repugnantem. Nec duarum personarum distinctione absurditatem effugias, si nihilominus utraque persona sit unus ille Deus; nec distinctione duarum naturarum, divinæ & humanæ in una persona, cum humana natura altius extolli non possit, quam si recipiatur in unionem personalem cum divina, quod adhuc in utero matris longe ante hanc obedientiam ajunt evenisse. Quæ vero est ista natura humana, quæ ipsa per se non subsistat? Et quale est obsecro, divinam personam, quæ humanam naturam assumpserit in unionem personalem, secundum hanc naturam, sua humiliatione & obedientia usque ad mortem crucis meruisse, ut secundum eandem naturam ab altera persona exaltaretur, & maximis donis remuneraretur, cum utraque persona sit unus

unus ille Deus? Et quare una persona Deus absolute & κατ' ἐξοχὴν, proinde unus ille Deus diceretur, & hoc nomine distingueretur ab altera, si tam hæc quam illa unus ille Deus esset? Quis hæc capiat, quis intelligat, quis sciat quid dicatur? At veritas plana est & expedita, & mire efficax ut nos excitet ad imitationem humilitatis & obedientiæ Christi; veritas, inquam, quâ docemur Jesum Christum hominem, & non Deum illum unum, aut aliam aliquam quæ humanam naturam assumpserit personam, quia Deo illi uni fuit obediens, seseque mandato ejus demisit usque ad mortem crucis; à Deo super omnia evectum & rerum omnium Dominum effectum esse.

Propter quod, Διό. Quasi dicat, quæ tanta humilitio effecit ut *etiam*, id est vicissim, *Deus*, ὁ Θεὸς, ille nimirum unus, seu absolute & κατ' ἐξοχὴν sic dictus,

Ipsum. Id est Christum Jesum. Distinguitur ergo Christus ab uno illo Deo, & ei tanquam diversus opponitur, ac unius illius Dei nomine solus intelligitur Pater.

Superexaltavit. Tantæ exaltationi propter tantam humiliationem & obedientiam, quia sufficiens vocabulum requiri non poterat, *superexaltavit*, ὑπερύψωσε dixit, non tantum exaltavit, sed ita exaltavit, ut neminem altius efferre posset. Nam & Christus ita se humiliavit, ut se humilius demittere & perfectius obedire non posset. Addere igitur homines Christo nihil possunt, cum Deus ipse non possit; sed quod Deus ipse facere non potuit, homines faciunt, ut Christum dicant esse ipsum illum unum Deum: quod profectò non Christo addere aliquid est; sed Christum aliud facere quam id quod est, seu Christum facere non Christum. Unus enim ille Deus & Christus ejus, contradictorie opponuntur. Hæc tanta exaltatio alibi sessione Christi ad dextram Dei declaratur. Nam ultra hunc locum nullus cuiquam dari potest sublimior.

Et donavit ei, ἐχαρίσατο *gratis largitus est*. Quasi dicat, et si Christi summa & perfectissima humilitio & obedientia erat; non potest tamen æquiparari cum illius exaltatione, & efficere, quin hæc ejus exaltatio gratia & donum Dei maximum dicatur. Vide quam proprie loquendo Christus sibi meritus ipsi non est tantæ exaltationis & gloriæ præmium, nedum ut proprie loquendo aliis meruerit. Ideo nec usquam in sacris Literis meriti aut merendi voces magis de Christo quam de nobis, respectu Dei, usurpantur; ut longe præstet cum Scriptura loqui, & Christi obedientiæ potius ac morti salutem nostram tribuere quam meritis, per illud enim gratia Dei non tantum non obscuratur, sed etiam longe magis illustratur: at per meritum proprie dictum imminuitur & tollitur.

Nomen. Id est dignitatem ac majestatem. Neque enim illi nomen inane & titulum rebus vacuum donavit, idque pro tantis laboribus ac obedientia. Quia nominibus dignitates ac majestates significari ac declarari solent; ideo nomen pro ipsa dignitate ac majestate usurpatur.

Quod super omne nomen est. Id est super omnem dignitatem ac majestatem. Vide Eph. I. 21, 22. Manifestum est, ut in re simili loquitur Apostolus, Dei solius majestatem excipi, quæ nulli donationi subjecta est 1 Cor. xv. 27. Qui per hoc nomen unius illius Dei nomen designari putant, non considerant nomen hic intelligi quod alicui donari possit, ab uno illo Deo, quale profecto unius illius Dei nomen, ut & ipsa res hoc nomine significata haudquaquam est. Qui declarationem ajunt hic denotari, quasi scilicet Christus pro uno illo Deo sit declaratus; ii Christo pro tantis laboribus, verba data esse affirmant. Quasi vero is qui unus ille Deus est, opus habeat ulla humiliatione sui, ulla obedientia, nedum tam dura, ut ab alia persona unus ille Deus esse declaretur? Nonne ipse se eum esse, quando vult, declarare potest? Hæ & similes interpretationes, quid aliud sunt quam elusiones & obscurationes manifestæ veritatis?

Vers. 10. *Ut in nomine Jesu*. Exponit quo fine nomen tam sublime ipsi donatum sit, & simul quanta sit nominis istius supra nomen omne sublimitas. *Ut*, inquit, *in nomine Jesu*, id est per nomen & propter nomen, (Hebræa phrasi,) Jesu propter tantam obedientiam donatum. Non enim ipsum nomen Jesus intelligitur. Hoc enim ex quo natus est statim obtinuit, & cum multis commune habuit. Ut perinde mos ille quo ad nomen Jesus capita aperiuntur, aut inclinantur, aut genua flectuntur, ex hoc loco præter omnem Apostoli mentem promanarit, & exemplo esset, quam traditiones, licet antiquissime, & ab ipso ferè principio ducentes originem, frustra nihilominus sese ad Apostolorum referant auctoritatem. Non quidem hoc per se illicitum est; sed nunc de eo agitur quid Apostolus dicat. Nec ulla causa est ut ad nomen Jesu honoris edantur signa, & ad nomen unius illius Dei non edantur. Non igitur hoc est quod docet Apostolus; sed ut propter majestatem Jesu donatam

Omne genu sese flectat, κάμψῃ. Activum sæpe ponitur sensu reciproco. Non addit cui sese flectere debeat. Id enim res ipsa docet, nempe ipsi Jesu, cui tanta majestas concessa & à Deo donata est.

Cælestium. Id est Angelorum omnium.

Et terrestrium. Id est hominum mortalium.

Et inferorum. Id est mortuorum. Tanta igitur est Christi Jesu majestas, tam longe supra omnes alias dignitates & majestates evecta, ut propter eam Jesu, omnes, & Angeli, & homines, adeoque etiam non tantum vivi, sed & mortui genua flectere, id est omnia submississima honoris exhibere signa debeant. Finis hic in Angelis quidem omnibus, quia Jesum omnes vident, ad effectum est deductus; in hominibus multis, quia multi credunt, in mortuorum adhuc nullis, quia mortui nondum resuscitati sunt, nec redierunt ad vitam; sed cum per Christum omnes resuscitabuntur, tum omnes mortui, ut & omnes homines alii, tanquam cælesti judici & in sua majestate conspicuo, Christo genua sua flectent, eumque proni ac supplices adorabunt. Et tunc perfecte implebitur quod à Deo per Prophetam promulgatum est: *Vivo ego, dicit Dominus, quod mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur* Rom. xiv. Deo enim id fiet per Christum, quod fiet Christo, ut sequenti versu dicit Apostolus. Locus hic aperte docet, Christo cultum

cultum & adorationem ab omnibus deberi, ut in eo adoretur ipse Deus.

Vers. 11. *Et omnis lingua confiteatur.* Planè respicit Apostolus ad modo memoratum ex Propheta locum. *Omnis lingua*, nempe sicut omne genu. Et Angelis, sicut genu, sic & lingua tribuitur, per metaphoram ab hominibus.

Confiteatur. Lingua, confessione & pronuntiatione, genu-flexione & incurvatione significat.

Quod Dominus, nempe sit, *Jesus Christus.* Dominus nimirum omnium à Deo factus est, ut Petrus loquitur Act. 2. 36, & Paulus docet 1 Cor. xv. 27, 28. Eph. 1. 22. *Subjectis ei Angelis & Potestatibus & virtutibus* 1 Petr. iij. 22. Dominus enim iste ad donatam refertur majestatem, & distinguitur ab uno illo Deo, qui solus Pater dicitur. Addit enim Apostolus:

Ad gloriam Dei Patris. Alius igitur est Deus ille unus, qui solus est Pater, alius iste Dominus, qui solus est Jesus Christus. Hoc nimirum addit Apostolus, ne quis putet, per tantam Christi majestatem, & quæ illi deferendi est adorationem, illiusque confessionem, aliquid de gloria Dei illius unius, qui solus est Pater, diminui eique decedere. Tantum enim abest ut id fiat, ut hoc ad Dei Patris gloriam omninò faciendum sit; cum Deus ipse in Christo ad tantam majestatem extollendo, hunc gloriæ suæ finem maximè spectarit. Omnia enim quæ Christo tribuntur, quia ipsi à Deo sunt collata; in Deum redundant. Hinc etiam patet Christum à fidelibus meritò invocari. Quis enim in necessitate positus, Dominum suum non invocet? Eumque talem ac tantum, qualis & quantus Christus est, qui nisi vota nostra audire ac percipere & nos juvare posset in omnibus, Dominus noster cælestis haud esset. En Christi veram divinitatem ac majestatem hic ab Apostolo descriptam, quæ quia non in eo est ut Christus sit unus ille Deus, donata enim est Christo, donata à Deo Patre, donata propter obedientiam, donata per exaltationem, donata ad Dei Patris gloriam, cur hac contenti non sumus? Cur confundimus, quæ non possunt confundi? Cur Christum Deum illum unum, & Dominum simul ab uno illo Deo factum esse credamus, idque non a sua sed ab aliena unius illius Dei persona? Unus enim ille Deus ipsis una persona non est, sed plures, quarum singulæ sint unus ille Deus, & sic unus ille Deus nil minus quam unus sit. Cur inquam, credentes ac confitentes Christum à dextris Dei sedere, dicamus Christum esse Deum ipsum eundem illum qui Pater est? Quid nos hic juvat vel personarum distinctio, si altera ad alterius dextram non sedeat, cum utraque unus numero Deus sit, & sessio a dextris Dei donum sit, Christo propter obedientiam collatam; vel distinctio naturarum, si natura humana non a dextris, sive Patris, sive Filii, sedeat; sed in unionem personalem a Filio suscepta sit? Missis igitur istis, credamus secundum Apostolorum prædicationem, & primam simplicem ac planam primorum Christianorum fidem, unum esse Deum, absolutè seu κατ' ἐξοχὴν dictum, eumque Patrem esse Jesu Christi, & Jesum Christum esse Dominum omnium ab ipso factum, cui cultus & honor debeatur ab omnibus ad Dei Patris gloriam. Hinc fit, ut solus Pater dicatur absolutè & κατ' ἐξοχὴν Deus, solus Christus absolutè & κατ' ἐξοχὴν Dominus ab ipso factus.

Vers. 12. *Itaque dilecti mei.* Quasi dicat, quandoquidem tanti præmii & tantæ obedientiæ habetis exemplum in Jesu Christo duce vestro.

Sicut semper obedivistis. Nempe mandatis quæ vobis dedi Christi nomine.

Non sicut in præsentia mea solum. Id est non solum sicut in præsentia mea, intellige *obedite.* Particula solum est transposita.

Sed nunc multo magis in absentia mea cum metu & tremore. Nempe coram Deo. Servos enim decet metus ac tremor coram Domino Eph. vi. 5.

Salutem vestram perficite. Obediendo nimirum Dei & Christi mandatis cum metu & tremore: proinde summa cura & cautione ne unquam Deum offendatis. Hæc pietatis & obedientiæ Christianæ summa est. Nihil ultra hoc requirit a nobis Deus. Si quid semper obedire, nunquam offendere conantibus, interveniat, non imputabit hoc optimus ac benignissimus Pater; sed petulantiam non feret. Pertinet huc Apostoli Petri monitum 1 Petr. 1. 17.

Vers. 13. *Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari.* Docet quare multo magis in absentia sua cum metu & tremore salutem perficere debeant. Quia nimirum negotium sit illis nunc immeditatè cum ipso Deo, qui operæ suæ circa eos eorumque salutem nullo modo parcat: quasi dicat, antea per me Deus operabatur in vobis velle & operari, nunc operatur per se. Ergo nunc multo magis in absentia mea salutem vestram operamini ac perficite. Deus ipse vobis non deest, dummodo ipsi vobis & Deo non desitis. Excusatio nulla est. Ut velitis benè operari & ut voluntatem ad effectum deducatis seu ipso facto operemini, Deus in vobis operatur per spiritum suum, per spiritum illum adoptionis qui manat ex fide in Christum, & cognitione tantæ divinæ gratiæ in Christo; quem spiritum Deus auget, & uberiorem reddit quoties opus est, & quantum opus est. Frustra sunt qui Deum talem in Christianis operatorem putant, ut qui volunt, & operantur, non potuerint etiam nolle & non operari, & qui nolunt, nec operantur, non potuerint etiam & velle, & operari. Deus ita operatur, ut tamen nemini vim faciat, nec quisquam culpam & causam conferre possit in Deum. Et si Deus ita in nobis operaretur & velle & operati ut non possemus resistere, aut operationi divinæ obsequi, & non obsequi; quæ esset in volentibus & operantibus virtus, in nolentibus & non operantibus culpa? Et cur nos moneret Apostolus, ut tanto magis, cum metu ac tremore, ipsi etiam salutem nostram operaremur & perficeremus? Spiritu suo Deus operatur ut diximus. At si quis Spiritui Sancto resistat, & carnem malit sequi, si quis Spiritum Sanctum contristet, ipse sibi causa erit mali. *Si spiritu vivimus*, inquit Apostolus, *spiritu etiam incedamus, spiritu ambulate & cupiditatem carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Hæc autem opponuntur sibi invicem, ut non quæ velitis hæc faciatis.*

faciatis. Si autem spiritu ducimini, non estis sub Lege; proinde nec sub damnatione Gal. v. 16, 17, 18, 25. Si quis alicui administret omnia quæ pertineant ad id ut aliquid velit, & ut quod velit operetur, nonne operatur in ipso & velle & operari? Si tamen iste nolit, nec operetur; num propterea ille utrumque non operari dicendus est? Operatur utrumque Deus, quantum in se est, salva cujusque virtute, salva & nequitia, ut locus sit præmio & pœnæ. *Has igitur habentes promissiones dilecti*, inquit iterum Apostolus, *purificemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctitatem in timore Dei* 2 Cor. VII. 1. Et alibi. *Apparuit gratia salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes omnem impietatem, & mundanas cupiditates, temperanter & juste & pie vivamus in præsenti seculo, exspectantes beatam illam spem & apparitionem gloriæ magni illius Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi; qui dedit seipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum* Tit. 2. 11, & seqq. Duo sunt efficacissima media per quæ Deus in nobis operatur & velle & operari; gratia ejus salutaris, & mors Christi. Nam nec gratiæ divinæ effectus, id est æterna salus, cuiquam continget, nisi volenti, & operanti bona, & morte sua Christus pro nobis & peccatis nostris non solvit proprie loquendo debita nostra Deo; sed & Deum ad illa nobis, si sancte in posterum vivamus, remittenda penitus obstrinxit, nosque de illorum remissione sub eadem conditione plane certos reddit; & vicissim sibi & Deo penitus addixit ac mancipavit. Locus hic docet nequaquam satis esse ut Christiani velint, sed etiam ut operentur. Deus enim in illis non tantum illud; sed etiam hoc operatur. Itaque in iis qui Christi spiritum habent, locum non habet illud; *Velle adjacet mihi, at ut perficiam bonum non reperio: Non enim quod volo, facio bonum; sed quod nolo malum hoc ago* Rom. VII. 18, 19. Christianorum est dicere, *cum Christo crucifixus sum: Vivo autem non amplius ego: sed vivit in me Christus, quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me & tradidit seipsum pro me* Gal. 2. 10. Illud prius Apostolus dixit, sumptâ personâ hominis sub Lege constitui Rom. vij. 9. hoc posterius dicit, personam sustinens hominis Christiani.

Pro beneplacito, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Id est ut beneplacitum habeat, nempe in vobis. Unde patet, nisi bene operemur, Deum Patrem nostrum, nullum in nobis habiturum esse beneplacitum. Sancta opera Deus amat, quæ ut in nobis efficeret, & sic nos servaret, omnia illa fecit quæcunque in Christo Jesu fecit. Hinc tendit universa Dei gratia, & tantus hominum amor per Christum declaratus & exhibitus, ipsaque ejusdem Christi in mortem crucis pro nobis & peccatis nostris traditio.

Vers. 14. *Omnia facite sine murmurationibus & disceptationibus.* Nempe quæ Deo placent. Nihil contra ea murmurate, aut disceptate, ut solent servi nequam & contumaces. Hoc enim non esset cum metu ac tremore salutem operari. Vide 1 Petr. IV. 9.

Vers. 15. *Ut sitis inculpati & sinceri.* Quales non sunt qui non faciunt quæ jubentur, vel non omnia faciunt, vel non sine murmurationibus & disceptationibus faciunt.

Sinceri, ἀκέραιοι. Sine ulla mixtura malitiæ, vel innoxii.

Filii Dei irreprehensibiles. Quasi dicat, Filii Dei estis, per fidem in Jesum Christum Gal. III. 26. Ex Deo enim estis nati. Operam ergo date ut nihil sit in vobis quod reprehendi queat.

In medio generationis pravæ & perversæ. Quasi dicat: quæ etiam optima & sanctissima carpit, Dei Euangelio, & lucidissimæ veritati & doctrinæ, quæ secundum pietatem est, adversatur eamque calumniatur.

In quibus. Id est inter quos, generationis enim nomine homines intelligit.

Lucete. Omni justitia, puritate & sanctitate, sine labe & macula. In luce enim apparet vel minima macula.

Tanquam luminaria in mundo, intellige *lucent*. Lucete inter homines, sicut stellæ lucent in mundo. Mundus tenebris esset obsitus, si abessent luminaria, idem & humano generi fieret si abessent Christiani. Pertinet huc Christi dictum Matth. v. 14, 15, 16.

Vers. 16. *Sermonem vitæ retinentes*, ἐπέχοντες. Id est sermonem seu Euangelium de vita æterna, deque illius adipiscendæ ratione, per fidem scilicet in Jesum Christum. Sermo vitæ, per genitivum objecti, dicitur. Hic sermo vitæ, lux est illa nocturna ad quam omnes cursum dirigant. Hanc lucem Christiani constanter retinere & omnibus exhibere debent.

In gloriationem mihi, in diem Christi. Id est ut gloriari possim in die Christi: *in diem*, pro in die. Dies enim Christi veniet, sive homines credant, sive non credant, sive sint constantes in fide, sive deficiant à fide.

Quod non in vanum cucurrerim. Exponit hanc gloriationem, id est quod non in vanum Euangelium omni conatu prædicarim, per metaphoram à certantibus cursu. De hoc cursu alibi, *cursum consummavi*, inquit 2 Tim. IV. 7. In vanum autem id fecisset, si homines ab Euangelio defecissent.

Neque in vanum laborarim. Id est Euangelium prædicando tot calamitatum labores exhauserim. Cujus rei exemplum illustre Philippenses ipsi habuerunt supra cap. 1. 30. Act. XVI. 19 & sequentibus.

Vers. 17. *Sed si etiam liber.* Quasi dicat, tantum abest ut me laborum aliorum pigeat & pœniteat! Sensus est, sed si etiam similis fiam vino quod libatur & effunditur circa sacrificia, si etiam sanguis meus effundatur & spargatur super terram. Merito ad libationem alludit vini, non tantum propter similitudinem, sed etiam quia vinum in sacris erat vice sanguinis. Sic & Thrasea ille postquam cruorem effudit humum superspargens, *Libemus*, inquit, *Jovi liberatori*. Vide Tacit. Annal. XVI.

Super victima & ministerio (λειτουργίᾳ) *fides vestra.* Id est super fide vestra, dum scilicet fidem vestrâ ad Dei gloriâ operor & Euangelium annuncio: sed *victimam & λειτουργίαν fidei* dixit, per genitivum differentiæ, convenienter libationi quæ fiebat circa victimas & liturgias.

Liturgia enim erat victimæ præparatio solemni ritu. Σπονδὴ libatio, erat vini super terram in sacrificiis effusio, & omnia fiebant in honorem Dei; in quem etiam Apostolus operabatur gentium fidem, & ipse libari paratus erat. *Gaudeo.* Necdum libabatur Apostolus, necdum etiam hoc nomine gaudebat; & tamen tanquam in re præsenti jam versans loquitur. Sic enim animum omnino induxerat. Meminerat nimirum dicti Christi: *Gaudete & exultate in die illa, quia merces vestra multa est in cælis* Luc. VI. 23. Ideo & cum dies ut libaretur venit, triumphat & factis exhibet, quod hic verbis testatus est 2 Tim. IV. 6, 7, 8.

Et gratulor omnibus vobis. Quod scilicet Apostolus vester super fide vestra sanguinem profuderit. Hinc enim certissimum argumentum capere potestis haud dubiæ veritatis.

Vers. 18. *Hoc ipsum*, id est ob hoc ipsum, *& vos gaudete.* Magnum enim ex hoc consequimini bonum.

Et gratulamini mihi. Quod scilicet mihi tantum honorem Christus habeat, & tanto me prosequatur dono cap. I. 29. En animum piorum, quando pro veritate & pietate, pro Dei & Christi gloria, proque hominum ædificatione ac salute occumbendum est!

Vers. 19. *Spero autem*, quasi dicat, quamvis mihi sit moriendum, *in Domino Jesu.* Vides Dominum Jesum curare res nostras, præsidere consiliis & actionibus piorum, easque promovere & ad effectum perducere, ut merito spem in eo collocare debeant. Nec mirum. Dominus enim est noster, hunc ipsum in finem nobis à Deo datus. Vide & infra ℣. 24.

Timotheum. Cujus nomen Paulus una secum epistolæ huic præscripsit, quippe tum sibi præsentis

Celeriter, sine mora, *missurum me vobis, ut & ego bono sim animo, postquam cognovero res vestras.* Nimirum per Timotheum reducem: quasi dicat, non minus quam vos, postquam cognoveritis res meas per Timotheum ad vos profectum.

Vers. 20. *Neminem enim habeo pari animo praeditum, qui genuine*, id est sic ut oportet, *de rebus vestris sit solicitus.* Exponit parem istum animum Timothei animo. Commendat eum singulariter Philippensibus, ut tanto magis desiderium excitet illius videndi & apud se habendi.

Vers. 21. *Omnes enim.* Οἱ πάντες, cum articulo restrictivo, qui scilicet nunc a me mitti possent.

Sua quærunt. Id est sua carnalia commoda.

Non ea quæ Christi Jesu sunt. Id est quæ pertinent ad Christi gloriam promovendam. Ingens crimen eorum, qui sciunt Christum Jesum adeo non sua quęsivisse, sed nostra; ut cum tantus esset, mortem crucis pro nobis subire non recusaverit ℣. 5, 6 & seqq. Comparatè quidem Apostolus videtur locutus, ut ex versiculo pręcedente colligitur, sed qui res suas Christi rebus comparant, adeoque & præferunt, merito negantur curare res Christi.

Vers. 22. *Probationem autem ejus nostis.* Id est nostis quam sit probatus, substantivum ponitur pro adjectivo, per Hebraismum: quasi dicat, ne videatur ejus commendatio niti solo testimonio meo. Ipsi nostis quam sit probatus, & quantum experimentum dederit suæ probitatis.

Quia sicut Patri Filius mecum servivit in Euangelio, εἰς τὸ εὐαγγέλιον. Id est Euangelio, per Hebraismum, quo *lamed* dativi casus notam, Græci vertunt, per εἰς. Non dicit mihi servivit, sed mecum servivit, nempe Euangelio & consequenter Christo; sed servivit ita ut ego Patris, ille Filii haberet rationem, dum mihi adhæreret, me observaret, mihi omnibus obsequentem se præberet.

Vers. 23. *Hunc quidem igitur.* Quasi dicat, hunc talem qualem dixi & vos nostis,

Spero me missurum. Vocula *quidem*, docet aliquid intelligendum esse, nempe, sed certo promittere nihil possum, ut sit in spe nulla certa promissione divina subnixa.

Cum videro res meas. Quo scilicet sint inclinaturæ, ut vobis certi aliquid nuntiare de me possim.

E vestigio. Ἐξαυτῆς, conjungendum est cum verbo *mittere*: est enim transpositio. Nihil morabor, & ut supra dixit, *celeriter.*

Vers. 24. *Confido autem in Domino.* Nempe *Jesu* ℣. 19.

Quod & ipse celeriter, id est brevi, *veniam.* Ne quis putet Paulum de suo adventu desperare; quia Timotheum velit mittere. Cæterum hęc Pauli fiducia in Domino Jesu sic fuit comparata, ut se totum voluntati ejus permitteret. Sufficiebat Paulo quod sciret id Dominum facile posse efficere, & facturum etiam id quod suæ gloriæ & Paulinæ saluti maximè expediret. Si non faciat Deus quod volumus, faciet quod melius.

Vers. 25. *Necessarium autem duxi Epaphroditum fratrem & cooperarium & commilitonem meum.* Ad spiritualia respicit, fratrem nimirum in Christo, & socium laborum ac periculorum adversorumq; meorum.

Vestrum autem legatum. Quem scilicet ad me captivum Christi misistis.

Et ministrum necessitatis meæ. Qui ministravit necessitati meæ, deferens ad me missum subsidium cap. IV. 14, 16, 18.

Mittere ad vos. Nempe in præsenti. Ut tunc Timotheum mitteret necessarium non duxit; at ut mitteret Epaphroditum duxit necessarium.

Vers. 26. *Quandoquidem desiderabat omnes vos, & angebatur quia audivistis quod ægrotaret.* Causas adfert facti sui, quandoquidem & ipse maximo desiderio tenebatur vestrûm omnium, & maxime anxius erat vestri causa, quod se ægrotare audivissetis. Ideo unice cupiebat ut ipse vobis nuntium adferret valetudinis a se recuperatæ.

Vers. 27. *Nam & ægrotavit proxime mortem.* Quasi dicat, nam etiam non falsus erat hic nuncius, & morbus erat gravissimus qui eum proxime mortem admoverat, ut jam nihil aliud restaret præterquam mori.

Sed Deus ipsius misertus est. Haud dubie etiam respiciens ad id quod in tam pio & sancto versaretur ministerio.

Non ipsius autem tantum sed & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Id est ne ad captivitatem & vincula mea accederet mors viri tanti & tot nominibus mihi conjuncti, idque etiam in ipso necessitatis meæ ministerio ℣. 25, & propter illud ℣. 30. Locus hic docet Christi servos cum versantur in

afflictio-

afflictionibus & adversis, etiamsi secundum spiritum pleni sint gaudio; tamen etiam tristari secundum carnem.

Vers. 28. *Studiosius igitur misi ipsum.* Id est majore studio & diligentia in eo mittendo sum usus, ne quidquam tardarem.

Ut videntes eum, rursus gaudeatis, & ego minus tristis sim. Sopita nimirum & sublata vestra tristitia.

Vers. 29. *Suscipite igitur ipsum in Domino.* Id est Domini respectu, seu ut servum Domini decet suscipi.

Cum omni gaudio, & hos tales pretiosos habete. Proinde omni honore, omnibus officiis prosequimini.

Vers 30. *Quia propter opus Christi.* Id est a Christo mandatum & ad gloriam ejus pertinens,

Usque ad mortem appropinquavit, non habita ratione vitæ. Παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ, *non consulens animæ.* Quod scilicet morbo affectus, nollet usquam in itinere subsistere, & valetudinis suæ curam habere. Idem sensus erit, si ut alii putant, scripserit Apostolus παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ, quod animam in discrimen conjecerit. Periculosa Græcis παράβολα. Hinc Latinis parabolani qui cum vitæ periculo ægrotis adsunt. *Ut repleret vestrum defectum erga me ministerii.* Quasi dicat, defectus vestri erga me ministerii in eo erat, quod me nullo in hac necessitate subsidio allevaretis ℣. 25. Hunc ergò defectum vestrum ut repleret, *animam*, id est, vitam suam in periculum conjecit. Nam si majorem vitæ suæ quam hujus ministerii rationem habuisset, in itinere substitisset alicubi, principiis obstans morbi, non itineris incommodis eum exasperans; sed quia nolebat rem tam sanctam diutius differri, aut etiam impediri, si quid interea sibi humanitus accidisset, properaverit ut ad me perveniret, & defungeretur officio, antequam penitus opprimeretur a morbo, paratus mori ministerio suo perfecto. Non dicit, ut repleret defectum meum: tanti enim id non putabat Apostolus; sed officia debita, etiam cum vitæ periculis implere, laudabile & præclarum est.

CAPUT III.

Vers. 1. **Q***Uod reliquum est fratres mei, gaudete in Domino.* Id est per Dominum qui Jesus Christus est. Dominus absolute dictus; sicut Pater & Deus Domini nostri Jesu Christi, absolutè dicitur Deus. Dominus hic vobis fit fons & causa jugis & perrennis gaudii, ob spem certissimam æternæ vitæ quam ex ipso habetis.

Eadem scribere vobis. Intellige, quæ sæpè ex me audivistis, nempe de cavendis pseudodidascalis, qui circumcisionem & Legem Mosaicam Evangelio conabantur adjungere, quos tetigit supra cap. 1. 15, 16, & Philippensibus antea sæpe inculcavit, ut ipse dicit infra ℣. 18.

Mihi quidem non grave, οὐκ ὀκνηρόν. Nullum mihi tædium affert, non piget me.

Vobis autem tutum, intellige *est.* Id est ne scilicet subvertamini.

Vers. 2. *Videte*, id est diligenter observate, & consequenter cavete, *illos canes* τοὺς κύνας. Quos scilicet vobis sæpè dixi, Judæos nimirum, circumcisionis & Legis Mosaicæ inter gentes doctores; quique etiam ob id ipsum Christum prædicabant, ut simul Legem suam Gentibus obtruderent cap. 1. 15, 16. Quos *canes* appellat, quod allatrarent & morderent veros Apostolos & discipulos Christi, & nil nisi offas quærerent.

Videte illos malos operarios. Qui scilicet Christi discipulos a Dei gratia & veritate ad Legem, ad circumcisionem & ritus Mosaicos ducunt.

Videte illam concisionem. Τὴν κατατομὴν opponit τῇ περιτομῇ: quasi dicat, neque enim sunt digni ut appellentur circumcisio. Concisio, κατατομή dicendi sunt, quia conscindunt & dilacerant ecclesias Christi. Videte scissores ecclesiarum Christi.

Vers. 3. *Nos enim sumus circumcisio*, ἡ περιτομή. Vera illa: quasi dicat, non illi. Causam reddit cur eos concisionem, non circumcisionem dixerit.

Qui spiritu Deo servimus. Id est animo ac mente, non ritibus carnalibus.

Et gloriamur in Christo Jesu. Id est de Christo Jesu, quod scilicet in eum credamus & ejus discipuli simus.

Et non in carne confidentes. Id est in rebus carnalibus, substantivum pro adjectivo, Hebræo more.

Vers. 4. *Quanquam.* Quasi dicat, quod ad me attinet.

Ego habeo, ἔχων, *habens.* Participium pro verbo.

Fiduciam & in carne. Id est causam fiduciæ & in carne, non minus quam illi, imo etiam magis quam illi, si vellem in carne confidere, per metonymiam effecti pro causa. Ne scilicet dicant me ideo in carne non confidere, quod carnalia ista non habeam. Habeo, & quidem in summa excellentia.

Si quis videtur alius confidere in carne. Id est causas in carne confidendi habere, eadem quâ prius metonymiâ, *ego magis.*

Vers. 5. *Circumcisio octavo die*, intellige, *mihi adest.* Non sum proselytus.

Ex genere Israëlis. Non sum Ismaëlita, nec Idumæus, sed ex Jacobi genere, qui Israëlis nomen obtinuit à Deo.

Tribu Benjamin. Id est ex tribu Benjamin, non ex ulla earum tribuum quæ semel abductæ, nunquam iterum reductæ sunt, quod à domo Davidis abscessissent, & idololatriam Jeroboami secutæ essent.

Hebræus ex Hebræis, intellige *sum.* Id est talis Hebræus cujus omnes majores Hebræi fuerunt. Non sum in Hebræorum gentem, vel ipse, vel per aliquem ex majoribus meis insertus, sed per omnes majores meos ex illa natus. Consequens est priorum.

Secundum Legem. Id est quod ad Legem & Legis disciplinam attinet.

Pharisæus, intellige *eram.* Id est ex Pharisæorum regula, quæ secundum Legem perfectissima censetur.

Vers. 6. *Secundum zelum*, id est quod ad zelum pro Lege attinet, *persequebar ecclesiam*. Christianam videlicet, quod videretur Legem solvere.

Secundum justitiam. Id est, quod ad justitiam attinet.

Quæ in Lege est. Id est, in Lege continetur & per Legem traditur, sensu nimirum literali & aperto, non mystico, quem revelat Euangelium. Quod quia liberaliter homines tractat, non serviliter, gratiam quidem illis facit omnium rituum; sed veræ sanctitatis ac justitiæ multo majorem perfectionem requirit.

Eram inculpatus. Nam si quid in levioribus peccatum erat, quia Lex illorum dabat expiationem, adhibere eam non omittebat; quæ tamen expiatio nihil pertinet ad tollendam vitæ privationem æternæ, nec dabatur in peccatis, quibus pœna mortis erat constituta: quibus etsi Paulus secundum exteriorem Legis sensum carebat: at secundum sensum interiorem magnus & ipse peccator erat Gal. 2. 17. Eph. 2. 3. Tit. III. 3, 4, & quia non tantum non credebat in Christum, sed etiam persequebatur ecclesiam, peccatorum erat primus & maximus I Tim. I. 15, 16.

Vers. 7. *Sed quæ erant mihi lucra*. Id est, quæ me faciebant magnum & eximium in oculis hominum, & ex quibus magna poteram habere lucra, honores & opes adipisci.

Hæc duxi propter Christum damnum. Id est damnosa, proinde eorum omnium jacturam feci, ut Christum lucrarer, sicut ipse mox dicit, jacturam feci, quia Christianus factus sum, quædam enim plane abjeci, ut Pharisæum esse, ecclesiam persequi, quædam mihi prorsus inutilia reddidi, non secus atque si mihi non adessent, ut circumcisum esse octavo die, ex Israëlis esse genere, ex tribu Benjamin, Hebræum ex Hebræis, secundum justitiam Legis inculpatum esse, neque enim hæc attenduntur & spectantur amplius in me ex quo Christianus sum factus. Omnia per hoc amisi.

Vers. 8. *Sed imo vero etiam duco omnia damnum esse*. Ne forte quis putet me facti pœnitere, & si nunc mihi res esset integra, haudquaquam id facturum esse. Imo vero, inquit, quo animo tunc fui, & nunc sum, nihil muto, etiam nunc duco omnia damnum esse, si quis scilicet vel ipsa, vel eorum usum utilitatemque retineat.

Propter excellentiam cognitionis Christi Jesu Domini mei. Id est, adipiscendæ excellentiæ cognitionis Christi causa: quasi dicat, quæ tanta est, ut omnia illa penitus obruat, nec in ullam secum venire sinat comparationem. Illa enim carnalem & levem & temporariam ac brevem afferunt utilitatem; hæc spiritualem & veram ac solidam & æternam. Illa ergo retinere, ex hac excidere ingens & immensum foret damnum, neque enim simul haberi ac retineri possunt. Τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως dixit, adjectivum neutrum usurpans pro substantivo, excellens pro excellentia, Græca phrasi.

Propter quem hæc omnia perdidi, ἐζημιώθην. Vide Matth. XVI. 26. Nam quia Christianus erat, nullius erant ipsi hæc usus. Bonus vir Cajus Sejus, tantum quod Christianus, & si illa retinuisset, Christianus esse Christumque lucrari non potuisset.

Et duco stercora esse. Quasi dicat, adeo me damni non pœnitet istius, ut ea omnia pro stercoribus ducam, eo scilicet respectu,

Ut Christum lucrer. Per illorum amissionem. Stercora sunt hæc omnia, & omnes mundi hujus opes & honores, decora & ornamenta, ad Christum collata.

Vers. 9. *Et inveniar in ipso*. Tanquam scilicet ejus discipulus. Exponit quid sit Christum lucrari.

Non habens meam justitiam quæ ex Lege est. De qua nimirum vs. 6 dixit, quamvis secundum eam inculpatus esset. Hanc se non habere eaque carere dicit, quatenus in Christo nullus est ad eam respectus, quippe quæ multis partibus erat manca, & potissimum in ritibus consistebat. Hujus ergo justitiæ, quam supra omnia Pharisæi & Judæi omnes æstimant, & qua se beatos ferunt, lubenter jacturam facio & eam penitus abdico ac nihili pendo.

Sed eam quæ est per fidem Christi. Id est, quæ per fidem Christi contingit, intellige, [illegible] *habens*, hanc cupio, hanc amplector, hanc priori illi modis omnibus præfero.

Fidem Christi, dicit, pro fide in Christum, per genitivum objecti.

Eam quæ ex Deo est justitiam. Appositione exponit justitiam quæ est per fidem Christi, quod scilicet sit justitia ex Deo, id est ex Dei dono ac munere, proinde non ex Lege, nec nostra; quam idcirco etiam opponit suæ justitiæ.

Super fide. Id est fidei causa, seu propter fidem, quia scilicet Deus fidem nobis imputat ad justitiam, & sic justitiam nobis donat, pro justis nos habet, & tractat ut justos, ex sua paterna gratia. Nam etiamsi fides hæc in omnis generis fructus exuberet, ante fidem tamen maximorum criminum ac peccatorum eramus rei, & in fide ac per fidem non tanta in nobis est perfectio, ut si Deus ex Lege nobiscum agere velit, jus damnandi nos non habeat. Hinc fit etiam ut nobis credentibus in Christum, & secundum spiritum ex hac fide manantem ambulantibus, legis gratiam faciat, seu nolit nos esse sub Lege, sed sub gratia Rom. VI. 14. Galat. V. 18, 23.

Vers. 10. *Ut cognoscam eum*. Nempe Christum. Loquitur de penitiori cognitione Christi quæ post fidem in Christum & justificarionem sequitur, per Spiritus Sancti communicationem, de qua Christus ipse Joan. XIV. 12.

Et virtutem, δύναμιν, *resurrectionis ejus*. Similiter ut cognoscam penitius; quam scilicet, resurrectio Christi necessario secum inferat omnium in ipsum credentium resurrectionem, qua de re vide cap. XV Epistolæ ad Corinthios.

Et communionem perpessionum ejus. Hæc cognoscitur experiundo. Sic Christus dicitur peccatum non cognovisse, quia peccatum nunquam est expertus. Proinde inveniri voluit Apostolus in Christo, ut communionem haberet in perpessionibus cum Christo, quod fit cum affligimur propter Christum.

Confer-

Conformatus morti ejus. Quasi dicat, adeo ut etiam morti ejus conformer, id est, morte violenta & infami moriar propter Christum. Hoc ut assequeretur Apostolus omnia mundi hujus lucra pro stercoribus duxit. Ita infamem pro Christo mortem omnibus hujus mundi decoribus longe prætulit.

Vers. 11. *Si quomodo perveniam ad resurrectionem mortuorum.* Nempe qua mortui resurgent ad vitam immortalem & regni Dei hæreditatem. Videbat Apostolus tantum bonum esse quærendum, omni contentione & perpessionum Christi communione, & morti ejus conformatione, si non semper ut occidamur pro Christo, (neque enim omnes Deus ad tantum decus vocat;) at semper ut occidi pro Christo parati simus, utque moriamur peccato & crucifigamus carnem cum affectibus & concupiscentiis Gal. 2. 20. v. 24.

Vers. 12. *Non quod jam acceperim.* Rem modo dictam exponit per negationem contrarii. Nam qui jam accepit, non habet amplius opus ulla contentione ut accipiat. Negat igitur, se jam accepisse, nempe coronam & brabæum æternæ vitæ. Loquitur de pleno accipiendi jure, ut scilicet sibi nihil amplius perficiendum restet. Nam eum reipsa nondum factum fuisse immortalem, non indigebat ulla negatione.

Aut jam consummatus sim. Perfecto nimirum omni eo quod mihi perficiendum erat, quo sensu Auctor ad Hebræos, *spiritus* dixit *justorum consummatorum* cap. XII. 23. Quia nimirum justis istis nihil amplius, ipsorum ex parte, deerat ad salutis adeptionem, quippe vita jam defunctis, & spiritibus eorum corpore jam exsolutis. Dum igitur in hoc mortali corpore vivimus, nondum accepimus, nondum consummati sumus, semper ultra omni studio contendendum est. Ideo & addit Apostolus

Persequor autem. Rem magis declarat affirmatione contrarii, similitudine sumpta ab iis qui cursu contendunt, ut aliquid assequantur & apprehendant.

Si & apprehendam. Id est ea spe, fore ut etiam apprehendam, nempe beatæ resurrectionis & æternæ vitæ brabæum.

Eo quod etiam apprehensus sim a Christo Jesu. Nempe dum Damascum tenderem ad persequendam ejus ecclesiam. Hoc igitur mihi certam spem facit fore ut apprehendam, quia etiam ego apprehensus sum a Christo, nihil ea de re cogitans & a Christo penitus aversus, quod certe Christus non alio fine fecit, quam ut vitæ æternæ brabæum persequerer & apprehenderem. Hinc & ad Thessalonicenses idem Apostolus scribens, induere eos jubet galeam, spem nimirum salutis, *quia*, inquit, *non posuit vos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum* 1 Thess. v. 8, 9. Vocatio nostra certissimum est argumentum propensæ in salutem nostram divinæ voluntatis, dummodo Apostoli exemplo nobismet ipsi non desimus.

Vers. 13. *Fratres, ego me non existimo apprehendisse.* Immoratur huic rei Apostolus, compellans ipsos, nempe ut suo doceantur exemplo, semper ultra, quoad vivimus, contendendum esse in cursu Christianæ pietatis; neminem sibi sic debere salutem æternam despondere, quasi jam in eum statum pervenerit, ut ea non possit excidere. *Qui existimat se stare*, inquit alibi Apostolus, *videat ne cadat* 1 Cor. x. 12. Loquitur de apprehensione, (ut modo de acceptione,) quæ in pleno consistat jure, non in ipso facto. Quis enim id de se nesciat quod vitam æternam ipso facto nondum apprehenderit?

Vers. 14. *Unum autem*, intellige ago, *eorum quidem quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ ante sunt me extendens.* Similitudinem sumit a currentibus in stadio, significat se in iis quæ adhuc in Christiana pietate fecerit, nullo modo consistere, sed ultra semper toto pectore ac viribus ferri ad alia quæ pietatis ejusdem sint facienda. Oblivisci se dicit ea quibus solis non acquiescebat, per metonymiam effecti pro causa. Nam proprie loquendo recte factorum conscientia & memoria manet, & mansit in Apostolo cum esset in ipso certaminis exitu & stadii illius decursu 2 Tim. IV. 7, 8. Sed nimirum etiamsi nobis recte factorum excide et memoria, ut sane multorum eam excidere necesse est; quanto minus nos eorum meminimus, tanto magis eorum meminit Christus.

Secundum scopum. Id est, scopum versus & recta ad scopum, calcem in stadio scopum vocat, per metaphoram.

Persequor (διώκω) id est feror, *ad brabeum.* Solent enim ad scopum seu metam ac calcem curriculi, brabæa constitui. Curriculi vero nostri scopus ac meta, eadem est quæ mortalis nostræ vitæ.

Superna vocationis Dei. Docet quod brabæum intelligat, illud nimirum de quo agit superna Dei vocatio, per genitivum continentis. Vocatio Dei superna, id est cælestis, quæ scilicet argumenta cælestissima sibi habet conjuncta, ut nemo dubitare jure possit eam ex cælo profectam esse, quanquam Pauli vocatio sic erat comparata ut ex cælo se vocari audiret.

In Jesu Christo. Id est per Jesum Christum. Docet per quem Deus hanc cælestissimam vocationem fecerit, nempe per Jesum Christum; quia & Paulum ex cælo vocavit, & nos vocat per Euangelium ad fidei certamen & cursum, proposito cælestis vitæ brabæo. Neque enim tam cælestis vocatio, aliud quam cæleste brabæum continere debuit, quæ quia cælestis est, ex Deo ut sit oportet, & quia ex Deo est, nullum de brabæi istius adeptione in hoc stadio legitime decurrentibus esse potest dubium. Hoc unum igitur agebat Apostolus, id est in hoc totus erat: hoc unum & nos agamus, in hoc toti simus. Huc pertinet ejusdem Apostoli dictum 1 Cor. IX. 26. Nam si tantus Apostolus omni conatu id agebat, ne quomodo, postquam aliis prædicasset, ipse reprobus fieret; quanto magis id nobis verendum & omni studio cavendum ac vitandum est.

Vers. 15. *Quotquot igitur perfecti.* Non addit *sumus*, sed intelligendum relinquit.

Hoc sentiamus. Nempe de quo principaliter agitur. Nam quod non eximet se jam apphehendisse, sed currat, ut apprehendat, veluti obiter ac in parenthesi dictum est, nec tale est ut alicui aliter in eo aliquid sentiendi libertatem concedat. Principaliter

id agebat Apostolus, ut doceret omnia quibus fidant Judæi, nihil esse, nec ullum ad salutem adferre momentum, non circumcisionem, non ipsam justitiam Legalem, etiamsi aliquis secundum eam sit inculpatus. Hoc ergo sentire jubet omnes perfectos, nempe in cognitione veritatis Christianæ.

Et si quid aliter sentitis. Quasi scilicet vobis quibus illa carnalia adsunt, profutura sint ad salutem.

Et hoc, quid scilicet hic sentiendum sit, *Deus vobis revelabit.* Quasi dicat, revelavit alia, revelabit & hoc. Vide quam diversæ sententiæ tolerandæ sint in ecclesia? Perfecti, qui veram habent sententiam, contemnere non debent alios; nec hi illos condemnare. Veniet tempus, manente charitate & mutua tolerantia, ut Deus revelet quæ imperfectos adhuc latent. Vide Rom. xiv. xv, ubi Apostolus fuse tractat hoc argumentum.

Vers. 16. *Veruntamen* (cap. iv. 14.) Quasi dicat, diverso in cæteris sensu non obstante.

Ad quod pervenimus. Neminem scilicet ideo damnandum esse, quod ei hæc desint, Gentibus imponendam non esse circumcisionem, nec ullos ritus Legales, præterquam ut abstineant ab idolothytis, a sanguine, a suffocato. Nam scortatio per se res fœda ac turpis est.

Eadem incedere regula. Per infinitivum, id est incedamus, neminem damnemus, nemini ea imponamus.

Idem sentire. Id est idem sentiamus, id est in sententia vera ad quam pervenimus maneamus, non iterum ad dissensiones & controversias relabamur.

Vers. 17. *Una imitatores mei estote fratres.* Id est omnes simul me imitemini. Habuistis ante oculos exemplum meum, vidistis quam ego neminem circumcisione & ritibus Legis gravarim, & ex altera parte tolerarim infirmos, quam fuerim omnibus omnia 1 Cor. ix. 20, 21 & seqq. Vidistis etiam ac videtis, quam nihil pro Euangelio defugiam.

Et spectate. Id est observate diligenter,

Eos qui sic ambulant. Id est sic se gerunt.

Sicut habetis exemplar nos. Ut scilicet eos qui se aliter quam ad exemplar nostrum gerunt, vitetis.

Vers. 18. *Multi enim ambulant.* Id est se gerunt. Causam moniti præcedentis addit.

Quos sæpe dixi vobis. Cum scilicet apud vos, & in libertate essem.

Nunc autem. In vinculis scilicet & in hac calamitate positus.

Etiam flens dico. Quasi dicat, ita me jam alioquin afflictum, homines isti affligunt.

Inimicos crucis Christi. Ex hac descriptione apparet quomodo ambularent, nempe quod urgerent circumcisionem, ne ipsi cruce Christi urgerentur, vide Gal. vi. 12, 13. Hos ipsos intellexit & supra ℣. 2, & cap. i. 15, 16. Qui certe non ambulabant ad exemplum Pauli. Nam hic adeo amabat crucem Christi, ut in ea sola gloriaretur, dicto ad Galatas loco.

Vers. 19. *Quorum finis interitus.* Corrumpunt enim gratiam Euangelii, & ejus incrementis obstant, Deo & Christo se opponunt, idque sub ejus nomine.

Quorum Deus venter. Dicunt se Dei servos esse, sed revera ventri serviunt, ventrem factis & operibus suis longe præferunt Deo, ventrem curant, & ad hujus curam omnes cogitationes & consilia, ac prædicationem & actiones suas dirigunt; qua itidem in re non ambulabant ad Pauli exemplum.

Et gloria in pudore eorum. Gloriantur enim de circumcisione, quæ est in pudendo membro, in eo quod sint apellæ & recutiti.

Qui terrena sapiunt. Id est unice curant ac spectant, opes nimirum & honores inter suos.

Vers. 20. *Nostra enim civitas in cælis est.* Rationem dicti affert per occupationem, ne quis objiciat cur hoc vituperas Paule, si quis inter suos cives esse velit in honore ac reputatione? Jure inquit hoc reprehendo in iis qui cum Christiani dici velint, animum ad hæc non minus applicant quam alii.

Nostra enim civitas. Qui scilicet Christiani sumus,

In cælis est. Non in terris. Nos hic in terris peregrini sumus. Proinde omnis nostra cura & cogitatio in cælestem illam patriam ac Jerusalem ferri ac spectare debet.

Ex qua etiam Servatorem exspectamus. Quasi dicat, tanquam prioris effectum & consequens. Nam quia civitas nostra in cælis est, ideo etiam ex ea Servatorem exspectamus. Ne quis dicat, at quomodo in civitatem illam perveniamus? Expectamus, inquit, ex ea Servatorem.

Dominum Jesum Christum. Hic ubi venerit, nos servabit, & in civitatem illam transferet.

Qui transfigurabit corpus humile nostrum. Exponit quo pacto nos servabit & in civitatem illam transferet, cum in ea locus non sit corpori nostro humili, id est vili, terreno, corruptibili, ignominioso, infirmo, per metonymiam effecti. Τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως, dicit per duo substantiva, Hebræa phrasi, pro substantivo cum adjectivo.

Ut fiat conforme corpori ejus glorioso. Id est, cælesti luce ac splendore radianti, τῷ σώματι τῆς δόξης, eadem qua prius phrasi. Hujus transfigurationis specimen quoddam ac imago verius fuit in monte illo sancto Matth. xvii. Nam vera transfiguratio & transformatio corporum nostrorum describitur 1 Cor. xv. a ℣. 42 ad ℣. 56.

Secundum efficaciam, id est per efficaciam, *qua potest etiam subjicere sibi omnia.* Quasi dicat, non tantum corpora nostra transfigurare & corpori suo glorioso conformia reddere. Ne quis dubitet de Servatoris istius nostri potentia: potest sibi subjicere omnia, omnem principatum ac potestatem, omnes inimicos, proinde mortem ipsam, cujus ultimus & maxime terribilis est impetus; (oportet autem eum regnare donec ponat omnes inimicos suos scabellum pedum suorum 1 Cor. xv. 25, 26,) quomodo igitur non etiam nos servare, corpora nostra transfigurare, & suo corpore glorioso conformare, & sic in civitatem illam transferre possit, cum in hunc ipsum finem omnia sibi subjiciendi efficaciam a Deo Patre suo acceperit.

CAPUT

CAPUT IV.

Vers. 1. *Itaque fratres mei dilecti & exoptati.* Concludit superiorem admonitionem amicissimis compellationibus.

Gaudium & corona mea. Quod essent ei maximo gaudio, & coram Deo & Christo maximo decori ac gloriæ, de quibus etiam in Christi die sit valde gloriaturus cap. 2. 16. Effectum ponit pro causa, per metonymiam: in voce coronæ etiam est metaphora. Sic & de Thessalonicensibus scribit, *quæ enim est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriationis, annon etiam vos coram Domino nostro Jesu Christo in ipsius adventu? Vos enim estis gloria nostra & gaudium* 1 Thess. 2. 19, 20. *Sic.* Nempe sicut dixi, ut sitis summe concordes & idem sentientes.

State in Domino. Id est, in religione a Domino Jesu Christo tradita, per metonymiam causæ.

Dilecti. Iterum hoc repetit, quia satis amorem suum erga illos exprimere non potuit.

Vers. 2. *Euodiam rogo & Syntychen rogo ut idem sentiant in Domino.* Ne inter se dissentiant in rebus ad Religionem ac pietatem Christianam spectantibus, occasione credo rituum Legalium, & rerum quibus Judæi multum tribuebant, de quibus supra cap. III. 5, 6.

Vers. 3. *Et rogo etiam te conjunx germana.* Verisimile enim est mulierem fuisse, quia mulieribus conjungitur, proinde Pauli conjugem, quam apud Philippensium ecclesiam reliquerit ex mutuo consensu, quod ita magis expediret promotioni Euangelii. Vide 1 Cor. IX. 5.

Adjuva eas. Nempe quibus potes officiis,

Quæ in Euangelio. Id est, in Euangelii prædicatione,

Una certarunt mecum. Dum scilicet mei curam gesserunt, & sic in meo certamine partem habuerunt? his ergo nunc redde pro me debitam vicem.

Et cum Clemente & reliquis cooperariis meis. Qui similiter me Euangelio vacantem omnibus officiis juverunt, & sic plurimum mecum operati sunt. Vide 3 Joan. ✠. 8.

Quorum nomina in libro vitæ. Intellige, *sunt*, ob tam præclarum illorum factum. Nam qui prædicantes Euangelium suis officiis juvant, in partem eorum operæ veniunt.

Vers. 4. *Gaudete in Domino*, id est per Dominum, qui Jesus Christus est, *semper.* Nullum tempus vobis vacet gaudio, Dominus enim est fons perpetui gaudii, quippe cujus beneficio, omnium in ipsum credentium, proinde & vestra nomina scripta sunt in libro vitæ, proinde qui Dominum in corde per fidem habet, fontem habet in animo perennis gaudii.

Rursus dico gaudete. Quasi dicat, quia ut id etiam atque etiam dicam ipsi meritissimam videtis causam.

Vers. 5. *Æquitas vestra*, τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν. Adjectivum neutrum pro substantivo.

Nota sit omnibus hominibus. Omnes homines sciant quam sitis æquis, quam libenter remittatis de jure vestro; quam sitis faciles in concedendis & injuriis, & rebus iis de quibus facile oriretur contentio, quam omnia æqui bonique consulatis, æquam servetis mentem rebus in arduis. Egregie hoc convenit cum perpetuo gaudio.

Dominus prope. Intellige, *est:* quasi dicat, ut nullam habeatis causam animi ullis in rebus non satis æqui. Dominus autem prope est, quatenus singulis momentis venire & adesse potest, seu ut Petrus loquitur, in promptu habet judicare vivos & mortuos 1 Petr. IV. 5. Et sicut mors cuique nostrum prope est, sic & Dominus. Nam sicut iis qui nondum vivunt, nullum est tempus, sic & iis qui vivere desierunt, donec iterum vivant, quod fiet in adventu Domini. Si igitur mors, quia singulis horis cuilibet imminet, cuncta quieto ferre jubet animo, quanto magis adventus Domini?

Vers. 6. *Nihil solliciti estote.* Nulla animi ægritudine laborate. Hoc enim contrarium est & gaudio illi perpetuo, & mentis æquitati.

Sed in omni. Intellige negotio, quidquid acciderit,

Precatione & petitione cum gratiarum actione. Quæ nunquam debet omitti, etiam pro adversis. Nam & hæc Deus nobis convertit in bonum.

Postulata vestra. Id est, necessitates vestræ, per metonymiam effecti.

Notificentur apud Deum. Docet quid ergo sit faciendum in necessitatibus, si animus curis & sollicitudini tradendus non sit. Patet, inquit, accessus ad Deum, notificentur apud ipsum necessitates vestræ, precatione & petitione, non una, sed crebra, idque etiam addita pro his ipsis necessitatibus & adversis constanti gratiarum actione. Hoc nimirum est curas suas conjicere in Deum, qui ferendis iis & nullo negotio expediendis par erit. At enim, inquies, quid opus est ut Deo notificentur necessitates nostræ precatione & petitione, cum ejusdem divinitatis sit necessitates nostras cognoscere, cujus & precationes ac petitiones. Sic est sane, sed Deus preces & orationes nostras gloriæ suæ causa requirit, quas nisi adhibeamus, nihil vult scire de nostris necessitatibus.

Vers. 7. *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem mentem.* Docet quis futurus sit precationum & petitionum nostrarum haud dubius effectus. Non pollicetur quidem Apostolus omnino fore ut nos Deus ex calamitatibus & angustiis in hac vita liberet, cum causas habere possit justissimas nos in hoc fidei & patientiæ certamine relinquendi, ad majorem & suam, & nostram in Christi adventu gloriam; sed pollicetur nobis id quod omnibus hujus vitæ bonis majus & optabilius est, pacem nimirum illam Dei quæ exsuperat omnem mentem. Intelligit animi securitatem & tranquillitatem summam, in mediis etiam iisque maximis adversitatum fluctibus ac tempestatibus: quam merito Dei pacem appellat, per genitivum causæ, quod nemo nisi Deus eam possit efficere. Et Hebræa phrasi quæ summa sunt & maxima, dicuntur Dei, ut, montes Dei & similia. Nec enim vulgarem intelligit pacem Apostolus; sed eam quæ exsuperat omnem mentem, nempe humanam, quam humana mens non satis capere, nec ullo modo eloqui

eloqui, multo vero minus efficere queat. Multa scripserunt Philosophi de animi tranquillitate, sed eam argumentis suis præstare non potuerunt, quæ cum hac, cujus ipse Deus per spiritum suum auctor est, comparari possit. Mihi in arce Spandaviana captivo, semper hæc erant ante oculos, fiducia in Deum, innocentia, patientia, mens secura seu pax Dei, gaudium in Spiritu Sancto, oratio, gratiarum actio. His continuo refovebatur animus, & nihil de consuetis laboribus & sacris commentationibus remittebat.

Custodiet corda vestra & cogitationes vestras. Non secus ac præsidia militiaria custodiunt arces. Est enim verbum φρουρεῖν, φρουρὰ præsidium significat militare.

In Christo Jesu. Ut scilicet Christo Jesu constanter adhæreant, nec ob ulla adversa, ab eo deficiant.

Vers. 8. *Quod reliquum est fratres.* Iterum hæc verba repetit, quod tollere non posset manum de tabula, & ne quid omitteret eorum quæ saluti ipsorum essent necessaria cap. III. 1.

Quacunque sunt vera. In quibus nihil est mendax, nihil simulatum, nihil fucatum, omnia sincera, aperta, candida.

Quacunque veneranda. In quibus nihil leve, nihil sanctis indignum, sed omnia quæ vos reddant venerandos apud omnes homines. Vide Tit. 2. 2. 1 Tim. 2. 2. III. 4.

Quacunque justa. Ut cuique tribuatis quod suum est, nemini faciatis injuriam, benefici sitis in omnes.

Quacunque casta. In quibus nihil obscœnum, nihil impudicum, nihil impurum.

Quacunque amabilia. Quæ omnibus hominibus grata sunt & accepta, suaves nimirum & jucundi mores.

Quacunque bonæ famæ. Quidquid bene audit apud homines. Hinc patet quam debeamus abstinere ab iis quæ malæ sunt famæ, etiamsi per se nulla eis insit turpitudo.

Si quæ virtus. Nullam omittite virtutem cujus exercendæ sese offert occasio.

Et si quæ laus. Id est si quid laudabile, per metonymiam effecti, per Hebraismum. Laus enim Christianorum omnis redundat in Dei gloriam, & veritatis quam profitentur ornamentum.

Hæc cogitate. Id est, animo perpetuo versate ut ea faciatis.

Vers. 9. *Quæ etiam didicistis, & accepistis.* Nempe vobis a me tradita.

Et audivistis, & vidistis in me. Voces *in me* referuntur ad utrumque, *audivistis in me*, id est de me, *& vidistis in me.* Hæc omnia primo de me audivistis ab aliis, deinde ipsimet in me vidistis. Non ea vos docui & vobis tradidi, quæ non præstem ipse; sed quorum exemplum ipse præbeo, ut non sermone tantum & præceptis, sed etiam exemplo doceam. Vide quomodo se gerant veri Christi ministri!

Hæc facite. Meo scilicet exemplo. Non enim satis est hæc cogitare, etiam facienda sunt.

Et Deus pacis. Qui pacis est auctor & pacem omnem præstare potest, per genitivum effecti.

Erit vobiscum. Si nimirum hæc feceritis, erit vobiscum, sua cura, sua potentia, pacem vobis præstabit etiam secundum carnem, conciliatis vobis adversariorum animis, & si qui irreconciliabiles sint, compressis & cohibitis Actor. 2. 47. IX. 31. Hæc Apostolica præcepta si semper observarent ecclesiæ Christi, plus pacis haberent. Nec enim haberent opus persecutionibus & afflictionibus castigari & emendari, aut ut aurum a scoriis purgari; nec ipsi sibi suis actionibus huic Apostolico præcepto contrariis accerserent malum, accedentibus ad invisam immerito veritatem, merito invisis factis ac moribus.

Vers. 10. *Gavisus autem sum in Domino.* Id est per Dominum, seu gratia Domini.

Magnopere. Absolutis pietatis præceptis ac monitis, venit ad subsidium sibi missum per Epaphroditum, cujus supra cap. 2. 3 obiter tantum, & ex occasione remissi Epaphroditi mentionem fecerat; nunc de industria hac de re, quia id merebatur, agit.

Quod jam tandem revirescere feceritis. Ἀνεθάλετε, quæ vox hic transitive capitur, ut Ezech. XVII. ℣. 24.

Pro me curam. τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν, per infinitivum, phrasi Græca.

Eo quod etiam curam haberetis, temporis autem opportunitate careretis. Causam addit cur dixerit curam eorum pro se reviruisse, quia nimirum non nunc primum animum eorum subierit curam pro Paulo habere, jam pridem hic succus in animis eorum erat, qui nunc revirescat, temporis tantum opportunitatem mittendi subsidii illis defuisse, non voluntatem. Nam nec plantæ virent ante tempus.

Vers. 11. *Non quia secundum penuriam, dico.* Id est, ob penuriam. Non quia me penuria ad hoc dicendum adigat. Sapiens nunquam eget.

Ego enim didici in quibus sum, contentus esse, αὐτάρκης εἶναι. Quacunque in sorte versor, hæc mihi sufficit, & hoc est vere divitem esse. Pauper non est qui plura non appetit, nec dives est qui plura cupit. Hæc erat illa αὐτάρκεια cum qua pietas magnus est quæstus 1 Tim. VI. 6. Hanc ex præceptis ac disciplina Christi didicisse oportet omnes Christianos, & imprimis Christi ministros. Non negat Apostolus sortis suæ tenuitatem ac penuriam, sed negat se illius impatientem esse.

Vers. 12. *Novi autem humiliari.* Id est, ad humilem & pauperem sortem redigi.

Novi & abundare. Id est in copia & abundantia esse: quasi dicat, expertus autem sum utramque sortem, ne quis putet me soli penuriæ semper assuetum esse, & sic eam æquo ferre animo didicisse.

In omni. Ἐν παντὶ, scilicet πράγματι, negotio, in omni re,

Et

Et in omnibus. Nempe ad rem illam pertinentibus.

Institutus sum. Per exercitationem videlicet.

Et saturari, & esurire, & abundare, & carere. Intellige, ex institutione illa didici. Opponit extreme contraria, ut ostendat se ab uno extremo ad aliud, per institutionem illam volutatum esse.

Vers. 13. *Omnia possum.* Nihil mihi est difficile, possum & adversas res ferre, possum quod adhuc multo difficilius est, & secundas. Adversæ enim exercent, secundæ vero corrumpunt.

In eo qui me corroborat Christo. Id est per Christum qui me corroborat, qui mihi vires suggerit, spiritu nimirum suo, ut omnia & secunda & adversa ferre, ac ut par est, in iis me gerere possim. Vide nihil in opibus & abundantia per se mali esse, sicut nec in penuria ac paupertate, sed in eo malum esse, si quis utramque fortunam nesciat.

Vers. 14. *Veruntamen bene fecistis.* Quasi dicat, quamvis ita se res mecum habeat, ut dixi.

Simul communicantes συγκοινωνήσαντες. Id est simul impertinentes, collato nimirum in commune subsidio; sic vocem communicandi mox accipit ℣. 15.

Meæ afflictioni. Id est meæ captivitati, & quæ captivitatem comitari solent, penuriæ. Non ambivit Apostolus hanc illorum opem, sed nec repudiavit, quin imo grato animo suscepit; sic tamen ut non tam sui rationem habuerit, quam ipsorum egregii per se facti. Ochinus ille Romani Pontificis Confessionarius, cum Roma veritatis causa profugus in Polonia peregrinaretur, & in gravissimo pestilentiæ periculo versans, a Philippovio, fratre nostro, omnibus officiis adjutus, & ex peste servatus, benefactorem suum adiisset, Paulum imitatus, dixit: Bene fecisti frater, quod me juveris, & age gratias Deo, qui tibi hanc juvandi mei & voluntatem & facultatem dederit, Nimirum opera bona ipsis eorum factoribus maxime prosunt.

Vers. 15. *Scitis autem etiam.* Quasi dicat, ut plures vobis ejusmodi communicationes in memoriam revocem, quo intelligatis, me illarum immemorem haud esse.

Vos Philippenses. Quasi dicat, vos Philippenses alloquor & non ullos alios, ad vos solos hæc laus pertinet.

Quod in principio Euangelii. Nempe apud vos prædicati.

Cum abirem ex Macedonia. Et consequenter a vobis.

Nulla mihi ecclesia communicavit, ad rationem dati & accepti. Id est, nulla in usum & necessitatem meam misit, aut mihi dedit, ut mox ℣. 16, 17 loquitur. Habent enim qui piis communicant & imprimis Christi ministris, rationes dati & accepti cum Deo. Fert iis acceptum Deus omnia quæ in ejus nomine communicant & expendunt, ut ea maximo cum lucro recipiant, vide ℣. 17.

Nisi vos soli. Credo quod ab aliis ecclesiis nollet accipere.

Vers. 16. *Quia & Thessalonicam.* Ἐν Θεσσαλονίκῃ, ἐν pro εἰς.

Semel atque iterum, καὶ ἅπαξ, καὶ δίς. Vide 1 Thess. 2. 18.

In necessitate, ℣. 19, *mihi misistis.* Quasi dicat, non tantum alio sed etiam Thessalonicam, idque semel ac iterum. Thessalonicensium enim opibus uti noluit 1 Thess. 2. 6, 7 & sequentibus.

Vers. 17. *Non quia quæro donum.* Intellige, hæc dico & memoro, & quæ mittitis accipio.

Sed quæro fructum abundantem in rationem vestram. Id est, quem Deus cum lucro referat in rationem vestram. Solent enim & usuræ accepti in rationem referri, quas vel maximas a Deo accipere bonum est. Non ergo id agebat Apostolus ut sibi bene fieret a Philippensibus, sed ut ipsis abundanter bene fieret a Deo pro illorum collatis in se beneficiis.

Vers. 18. *Accepi autem omnia,* significat se omnia accepisse, *& abunde impletus sum, acceptis ab Epaphrodito ea quæ a vobis missa sunt.* Transtulit me nunc in abundantiæ & plenitudinis statum ℣. 12.

Odorem bonæ fragrantiæ. Appositione metaphorica declarat quam subsidium hoc, sibi missum, Deo sit gratum, metaphora ab incensis in honorem Dei, ex quibus qui ferebatur odor, dicebatur bonæ fragrantiæ.

Victimam acceptam placentem Deo. Metaphora a victimis Deo acceptis & placentibus. Hæ nunc sunt victimæ quæ Deo placent & acceptæ sunt, hæc incensa quorum odor est bonæ apud Deum fragrantiæ, beneficentia & communicatio Hebr. XIII. 16.

Vers. 19. *Deus autem meus impleat omnem necessitatem vestram, secundum divitias suas, in gloria.* Id est cum gloria, nempe sua, vel gloriose 1 Tim. III. 16.

In Christo Jesu. Id est per Christum Jesum. Votum pro subsidio sibi misso: quasi dicat, Deus autem vobis eandem pro me reddat vicem, ut sicut vos necessitatem meam implevistis, sic & ille vestram omnem impleat; impleat autem pro divitiis suis, sua cum gloria maxima, per Christum Jesum, per quem facit omnia.

Vers. 20. *Deo autem & Patri nostro,* quippe qui nos genuit & adoptavit per Christum, *gloria in secula seculorum,* intellige *sit. Amen.* Finit doxologia.

Vers. 21. *Salutate omnem sanctum in Christo Jesu.* Id est omnem Christianum. Omnis enim qui est in Christo Jesu, id est in Christum credit, sanctus est.

Salutant vos qui mecum sunt fratres. Nempe continuo, ut mihi semper vacent in Euangelii ministerio.

Vers. 22. *Salutant vos omnes sancti,* οἱ ἅγιοι. Nempe qui Romæ sunt.

Maxime vero qui sunt ex Cæsaris domo. Ita etiam in Cæsaris domum fides in Christum penetraverat. Aliquos credo ex Cæsaris libertis aut servis intelligit. Pauci enim ex nobilibus credebant in Christum, quamdiu veritas erat pura 1 Cor. 1. 26, 28.

Verſ 23. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis*, intellige *ſit*. Salutatio ipſius Pauli manu pro more ſubſcripta 2 Theſſ. III, 17, 18. Curat ergo Jeſus Chriſtus eccleſiam, cum ejus gratiam omnibus precetur Apoſtolus, nec mirum, Dominus enim eſt omnium. AMEN.

COM-

COMMENTARIUS IN priorem Epistolam Apostoli PAULI AD THESSALONICENSES.

CAPUT I.

Vers. 1. PAulus, & Sylvanus, & Timotheus. Vide 2 Cor. I. 19. Sylvanum hunc Silam puto. Vide Actor. XVII. 4, 10, 14, 15. Uterque enim cum Paulo Thessalonicæ prædicaverat, ut patet ex locis allegatis cum ℣. 1 ejusdem capitis collatis. Et Sylas erat qui Philippis cum Paulo virgis est cæsus, & in carcerem conjectus Act. XVI. 19, 23, 24, 25. At hoc ipsum hic Paulus narrat de se & Sylvano cap. 2. 1, 2. Vide infra hunc locum.

Ecclesia Thessalonicensium in Deo Patre, & Domino Jesu Christo. Ecclesiæ Christianæ descriptio, id est, quæ colit Deum Patrem & Dominum Jesum Christum. Nam, *ἐν*, omnis generis causam, & respectum, & rationem, ac formam cujusque rei, Hebræis declarat, vide cap. 2. 14.

Θεῷ πατρὶ. Dei Patris appellatione, intelligitur unus ille Deus, quippe qui Pater est Domini Jesu Christi, & ut mox additur, omnium in Dominum Jesum Christum credentium, a quo Dominus Jesus Christus hic manifeste distinguitur; cæterum una cum Deo Patre a Christianis colitur, cum sit Dominum omnium a Deo Patre factus Act. 2. 36. Videant hic Christiani ecclesiæ Apostolicæ faciem, & agnoscant quem illa coluerit, nempe non alium quam Deum Patrem, & Dominum Jesum Christum. Et tamen repertus est nuper qui librum ausus est edere de uno Christianorum Deo, Patre, Filio & Spiritus Sancto contra Novatores? An ergo Paulus novator erat, qui solius Dei Patris nomine unum illum Deum intellexit, qui Jesum Christum Filium, ab eo distinxit tanquam Dominum ab illo factum, qui Spiritus Sancti personam penitus tacet? Nonne ipsi novatores sunt qui talia scribunt, qui unum illum Deum tres personas faciunt, qui Dominum ab ipso factum, seu Christum ejus abolent, qui Patris & Filii & Spiritus Sancti, sacratissimis nominibus, aliam prorsus quam quæ fuit antiquitus & ab initio significationem subjiciunt? Commode vocem *Patris* ad *Dei* vocem adjecit Apostolus. Affirmassent enim isti qui primorum Christianorum sectatores novationis accusant, Jesum Christum hic Deum illum unum dici, quod in alio simili loco eos facere non pudet Tit. 2. 13.

Gratia vobis & pax a Deo Patre nostro. En hic iterum vide Deum illum unum solius Dei Patris nostri nominibus designari.

Et Domino Jesu Christo. Vide hic iterum Jesum Christum ab uno illo Deo distingui, tanquam Dominum ab ipso factum, seu tanquam Christum ejus, quod & semper fit in sequentibus.

Vers. 2. Gratias agimus Deo, *τῷ Θεῷ*. Nempe illi uni, qui Pater est Jesu Christi, & per eum noster.

Semper. Nullo hujus rei tempore prætermisso. Vide cap. III. 6.

Pro omnibus vobis, περὶ πάντων ὑμῶν. Per genitivum causæ impellentis, quod scilicet vos Deus ad fidem in Christum converterit.

Mentionem vestri facientes. Id est dum mentionem vestri facimus.

In precationibus nostris. Nullæ nobis precationes sunt sine vestri mentione, nulla vestri mentio sine gratiarum pro vobis actione.

Vers. 3. *Sine intermissione commemorantes.* Exponit istam quam dixit mentionem. Quod prius dixit *semper*, nunc dicit *sine intermissione*. Nempe suis temporibus.

Vestrum opus fidei. Opus quod est fides, qua Euangelio credidistis, per genitivum speciei. Qui fidem opus esse negant, hoc loco refutantur. Magnum & arduum opus est Euangelio ac veritati credere, præsertim si te videas protinus ob id afflictum iri. Credere enim intelligimus quod exeat in professionem. Fides qua credimus Euangelio & consequenter in Christum, adeo est opus, ut sit omnium aliorum operum effectrix. Vide 2 Thess. I. 11.

Et laborem charitatis. Id est laborem quem ex charitate in nos exhausistis, dum nos ex præsentissimis periculis magna cura & vestro cum periculo eripuistis, ne nocti quidem parcentes Actor. XVII. 5, 6, 10. Laborem charitatis dicit, per genitivum causæ efficientis. Laboriosa est charitas, nec laborem etiam ullum sentit.

Et patientiam spei Domini nostri Jesu Christi. Id est patientiam ac tolerantiam adversorum, a propriis vestris tribulibus vobis illatorum ob fidem in Christum susceptam ✝. 6. cap. 2. 14. III. 3, 4. 2 Thess. I. 4, 7. Actor. XVII. 5, 6. Hanc patientiam dicit esse spei Domini nostri Jesu Christi, per genitivum causæ efficientis similiter. Spes enim Domini nostri Jesu Christi facit ut omnia constanter ac libenter toleremus, quæ nobis propter nomen ejus inferuntur mala. Spes Domini Jesu Christi dicitur, itidem per genitivum causæ. Ideo & spes nostra dicitur Christus, spes gloriæ Coloss. I. 25.

Coram Deo & Patre nostro. Referuntur hæc verba ad superiora illa, *sine intermissione commemorantes.* Etiam hic Dei nomine, nempe illius unius, non alius quam Pater noster intelligitur, ac Dominus noster Jesus Christus ab eo distinguitur.

Vers. 4. *Scientes*, nempe vos, *fratres dilecti*, etiam hac amabili compellatione testatur quam sibi essent chari, *a Deo*, nempe esse, *electionem vestram.* Quasi dicat, merito spem hanc habetis, quia scitis a Deo esse vestram electionem, non ab hominibus; quod fieret, si non ex Dei voluntate, nec secundum eam vobis Euangelium & fidem in Christum annuntiaremus, si Deus, inquam, nollet, vel Gentibus fidem annunciari, vel annunciari sine circumcisione ac Mosis Lege. Scitis ergo vos ab ipso Deo ex aliorum hominum numero, ob fidem in Christum electos ad salutem esse.

Vers. 5. *Quia Euangelium nostrum non fuit apud vos*, εἰς ὑμᾶς, vide cap. 2. 9, *in sermone tantum.* Quasi dicat, quod factum fuisset, si non ex Deo, sed ex hominum consilio vobis prædicassemus.

Sed & in virtute. Id est cum virtute, cum divinissimis operibus. Virtutem dicit, sed simul & effecta ejus intelligit, per metonymiam synecdochicam.

Et in Spiritu Sancto. Id est, cum Spiritu Sancto, quatenus scilicet omnes in Christum baptizati, per manuum mearum impositionem Spiritum Sanctum accepistis.

Et in certioratione multa. Qua scilicet certissima ostenduntur esse quæ prædicamus.

Sicut scitis. Propriam illorum hac in re conscientiam appellat.

Quales fuerimus. Id est, quam omnibus divinitatis argumentis instructi. *In vobis*, id est inter vos.

Propter vos. Id est propter vestram salutem, non propter vanam nostram gloriam.

Vers. 6. *Et vos imitatores nostri facti estis.* Quasi dicat, ut etiam ex vobis ipsis argumentum capere possitis electionis divinæ; cum vobis, postquam credidistis, Deus dederit, ut imitatores nostri, (nempe mei, & Sylvani, & aliorum credentium Judæorum) facti sitis; persecutionem nimirum patiendo a propiis vestris tribulibus. Vide cap. 2. 14.

Et Domini. Quasi dicat, quid dico nostri? & Domini ipsius imitatores estis facti, qui etiam a popularibus suis, seu proprio suo populo persecutionem sustinuit. Hoc nomine etiam gaudere nunc debent ecclesiæ Polonicæ, quas populares earum exactas volunt ex communi patria, propter solius Catholicæ Christianæ veritatis professionem, seu propter id ipsum quod sint ecclesiæ, *in Deo Patre, & Domino Jesu Christo* ✝. 1.

Recipientes sermonem, τὸν λόγον. Nempe Euangelii.

In afflictione, id est cum afflictione, *multa.* Exponit quomodo facti sint imitatores, dum eos statim post susceptum Euangelii sermonem persecutiones variæ a propriis popularibus exceperunt.

Cum gaudio Spiritus Sancti. Id est, cum gaudio quod Spiritus Sanctus in vobis excitavit, per genitivum causæ. Solet enim Spiritus Sanctus in animis eorum qui propter Christi veritatem affliguntur, inenarrabile gaudium excitare. Hinc etiam fit ut non tantum afflictionibus istis non deterreantur ac depellantur a veritatis professione, sed etiam longe reddantur alacriores. Vide Act. V. 40, 41, 42. Unde vero esset hoc Spiritus Sancti gaudium, si electio vestra non esset a Deo?

Vers. 7. *Adeo ut facti sitis exemplaria omnibus credentibus in Macedonia.* Cujus civitas erat Thessalonica.

Et Achaia. Regione finitima. Hic erat effectus gaudii Spiritus Sancti. Facti erant exemplaria fidei in Christum, patientiæ, constantiæ, gaudii, mediis in afflictionibus propter Christum.

Vers. 8. *A vobis enim personuit sermo Domini.* Id est magna famæ celebritate diffundi cœpit; hoc fecerunt perpessiones vestræ, hæ & sermoni Domini & vobis magnum fecerunt nomen, ut mirum non sit a vobis exempla sumi ab aliis credentibus.

Non tantum in Macedonia & Achaia, intellige personuit, *sed etiam in omnem locum.* Ἐν παντὶ.

Fides vestra. Id est fidei vestræ fama, per metonymiam.

Erga Deum. Nempe illum unum. Intelligit fidem in Christum, quia fides in Christum est fides in Deum, per Christum enim creditur in Deum 1 Petr. I. 21.

Exivit, adeo ut non habeamus opus dicere aliquid. Nempe de fide vestra & persecutionibus vestris, ut vos in exemplum aliis fidelibus adducamus.

Vers. 9. *Ipsi enim*, nempe credentes alii, *de vobis annuntiant*, non dicunt, sed prædicant, *qualem introitum habuerimus ad vos*, id est quam gloriosum Deo & Christo, *& quomodo conversi sitis ad Deum*, nempe unum illum, *ab idolis.* Id est, a simulacris & Diis falsis qui nihil sunt in mundo 1 Cor. VIII. 4.

Ut serviatis Deo viventi & vero. Epitheta Dei illius unius; quod sit vivens, non anima & vita carens ut simulacra & Gentium Dii, homines pridem mortui ac vita functi; quod sit verus, non falsus, non vana hominum opinione ac decretis inductus, ut omnes Gentium Dii. Vide quam indigne sanctos vita functos ac mortuos tractent, qui iis simulacra (quæ etiam ipsa per se non nisi falsa possunt esse,) constituunt, in quibus eos adorent, & religiose colant, & sic eos faciunt Deos, quamvis a Deorum nomine

nomine abstineant. Angelorum etiam cultores Angelos contumalia afficiunt, dum hoc ipso cultu iis tribuunt id quod non habent, nempe rerum omnium quæ fiant & cogitentur a mortalibus scientiam, & hactenus eos Deos falsos faciunt; augent injuriam dum eos simulacris effingunt. De aliarum creaturarum cultu religioso loqui nihil attinet, cum similiter religiose coli nemo possit nisi Deus, vel is in quo Deus coli velit, qui Christus est. Vocatur autem Deus ille unus, vivens, & verus Deus, κατ' ἐξοχὴν, quod ex seipso vitam habeat, & quod ex seipso Deus sit. Hinc etiam solus vivens ac verus Deus dicitur. Et Christus, Patrem suum, qui Deus ille unus est, solum verum Deum dixit Joan. XVII. 3. Hinc & unus tantum Deus esse dicitur, voce Dei absolute ac subjective & κατ' ἐξοχὴν accepta. Nam alioquin multi sunt Dii, & sensu sibi conveniente viventes ac veri, quorum respectu etiam unus tantum absolute & κατ' ἐξοχὴν Deus, & altissimus Deus, & Deorum Deus appellatur. Vide 1 Cor. VIII. 4,5,6. Christus etsi unus ille Deus non est, quia tamen unus ille Dominus est, id est talis Dominus qui absolute ac subjective & κατ' ἐξοχὴν Dominus appellatur, omnium quippe Dominus ab uno illo Deo factus, & caput Angelorum & hominum omnium constitutus; ideo cælesti ac religioso cultu ad gloriam unius illius Dei Patris sui afficiendus est. In Christo enim colitur & adoratur ipse Deus Philip. 2. 11, & Thessalonicenses cum conversi ad Deum essent, ut ei fervirent, simul conversi sunt & ad Christum ejus, ut per Christum servirent Deo. Hinc etiam Christiani, dicuntur Christi servi. Servire Deo est voluntatem ejus per Christum annuntiatam facere.

Vers. 10. *Et exspectetis Filium ejus.* Id est Christum ejus, qui absolute & κατ' ἐξοχὴν & per antonomasiam Filius Dei dicitur, quia est Filius singularissimus, talis nimirum qui omnibus in se credentibus vitam æternam largiatur. *Ex cælis.* Hoc alterum est quod indivulso nexu cum servitio Dei & Christi cohæret. Expectamus non Deum ipsum ex cælis, sed ejus Filium. Vide alium esse Deum illum unum, alium ejus Filium. Vide item, frustra Dei Filium expectari ex cælis, nisi Deo serviamus, & serviamus ut fideles ac industrii servi; sicut nec fideliter Deo serviri potest, nisi adsit & Filii ejus ex cælis expectatio; qua continetur & fides & spes in Dei Filium cælestis illius remunerationis ac hæreditatis. Vide Tit. 2. 12, 13.

Quem suscitavit ex mortuis. Nempe ut eum in cælos transferret, & ei potestatem omnem in cælis & in terris daret, ac Dominum omnium faceret, & simul exemplum in ipso resurrectionis ex mortuis exhiberet, omnibusque fidem faceret veritatis ab ipso prædicatæ.

Jesum. Edit nomen & personam Filii Dei ex mortuis suscitati. Non ergo Filius iste Dei præter vel ante Jesum quærendus est.

Qui eripit. Id est eripiet, per enallagen temporis, *nos.* Nempe Deo servientes & ipsum exspectantes ex cælis.

Ab ira. Intelligendus est simul & effectus iræ, nempe horrendum illud ignis supplicium 2 Thess. 1. 8,9. Iram enim designat Dei, de qua vide Rom. 1. 18.

Quæ venit. Id est veniet, eadem qua prius enallage. Docet quid facturus sit Dei Filius cum venerit. Id nimirum ut nos eripiat ab ignis æterni exitio, quo peribunt omnes impii & inobedientes Euangelio, nosque servet in cæleste Regnum Patris sui. O beatos qui in Filium hunc sperant, eique serviunt, nec eum, quia Deus ille unus non sit, spernunt ac fastidiunt, ejusque cultores persequuntur!

CAPUT II.

Vers. 1. *Ipsi enim scitis fratres introitum nostrum ad vos quod inanis non fuerit.* Quasi dicat, ut mirum non sit eum ubique ab omnibus credentibus celebrari. Non fuit autem inanis quod tot essent ad fidem in Christum conversi, idque etiam inter medias persecutiones. Introitum dicit ut & supra ℣. 9, quia propter pericula ingruentia non diu apud ipsos versari potuit Act. XVII.

Vers. 2. *Sed & prius passi, & contumelia affecti.* Id est, virgis in foro cæsi & in carcerem conjecti.

Sicut nostis, Philippis. Se & Sylvanum intelligit. Unde patet Sylvanum hunc esse Sylam, qui in hac perpessione & contumelia Paulo adjungitur Actor. XVI. 19, 23, 25, 29.

Libertate loquendi usi sumus, (ἐπαῤῥησιασάμεθα) *in Deo nostro, ut loqueremur apud vos Euangelium Dei in multo certamine.* Quasi dicat, ut mirum non sit introitum nostrum ad vos non fuisse inanem, an enim hoc faceremus si nobis optime non essemus conscii nos Dei servos & legatos esse? Quid nos juvaret virgis cædi, in carcerem condi, publicis affici contumeliis? Quis furor esset, ab una contumelia dimissos, in aliam ruere? Unde nobis hæc parrhesia & loquendi libertas, ita castigatis, ita tractatis, nisi ex hac fiducia quod Dei servi ac legati simus? Cur apud vos, non longe a Philippis, & in eadem Macedonia, tanta cum loquendi libertate prædicaremus, idque non sine multo certamine?

In Deo nostro. Id est per Deum nostrum, confisi ejus protectioni, & scientes nos ejus legatos ac servos esse.

Ut loqueremur apud vos Euangelium Dei. Quasi dicat, hinc nobis ista fiducia ac libertas, quod Euangelium Dei loquamur.

In multo, id est cum multo, *certamine.* Nempe in sustinendis ob Euangelii prædicationem afflictionibus & adversis. Significat etiam Thessalonicæ non parum sed multum sibi fuisse certaminis, quod & Lucas Pauli comes narrat Act. XVII. Neque tamen se Euangelii prędicatione deterritos aut in ea segniores fuisse factos, ut hinc videant & agnoscant, quam vere Dei Euangelium prædicent, & Dei servi ac Legati sint.

Vers. 3. *Nam consolatio nostra.* Id est Euangelium quod prædicamus, quid enim Euangelium aliud est quam summa consolatio. Vel, *exhortatio nostra,* (est enim in Græco παράκλησις ἡμῶν) qua scilicet exhortamur & admonemus homines ut credant & obtemperent Euangelio. Causam adfert cur pro Euangelio

 nulla

nulla certamina defugiant.

Non ex errore, intellige *est*. Non ex eo quod ab ullo seducti simus, vide 2 Petr. 1. 16. Nec enim locum hic habet ulla seductio. Quis enim mente sanus seduci potest, ut se dicat Apostolum Dei & Christi?

Neque ex impuritate. Quod scilicet per Euangelium libidines & stupra quæramus, ut faciunt qui nova sacra & religiones excogitant.

Neque in dolo. Id est dolosa, per Hebraicam descriptionem adjectivi: quasi dicat, neque ullum alium dolum & fraudem continet. Nec seducti sumus, nec seducimus. Seductorum enim sunt doli ac fraudes, commoda sua quærentium: quasi dicat Apostolus, si ex aliquo istorum fontium manaret nostra prædicatio, nunquam eam adiissemus, vel protinus deseruissemus aditam. Pro voluptatibus enim & commodis, diras persecutiones invenimus.

Vers. 4. *Sed quemadmodum probati sumus à Deo.* Id est pro probatis habiti & reputati.

Ut nobis concrederetur Euangelium, sic loquimur. Nempe fideliter, nihil addentes, nihil dementes, nihil mutantes. *Non tantum hominibus placentes.* Ipse exponit quomodo loquantur, primò per remotionem contrarii, id est non tanquam ii qui id agunt ut hominibus placeant, & sic hominum favorem sibi concilient. Monet hoc contra Judæos, qui Apostolum accusabant quasi in hominum gratiam circumcisionem & Legis Mosaicæ ritus non prædicaret, imo lege solveret homines, & sola Dei gratia eos servari diceret: quod verum quidem erat, sed simul omni lege ad omnem sanctitatem efficacius, & ritibus omnibus longè præstantius.

Sed Deo. Intellige placentes loquimur. Nunc ponit prioris contrarium, ita loquimur ut Deo placeamus, dum nimirum ea sola & omnia loquimur quæ nobis mandavit loquenda.

Qui probat. Id est penitus nota habet, per metonymiam causæ.

Corda nostra. Proinde quem fallere non datur ullo modo.

Vers. 5. *Neque enim unquam.* Probat quod dixit.

In sermone adulationis, id est adulatorio, per Hebraismum, *fuimus*. Id est sermone adulatorio usi sumus. *Sicut scitis.* Ipsorum hac in re conscientiam appellat. Solet enim sermo adulatorius animadverti, si non statim ab illis quibus adulamur, at ab aliis: nunquam laudavimus aut excusavimus quod vituperandum erat, nunquam ullis vitiis aut vitiosis blanditi sumus. *Neque in prætextu avaritiæ.* Id est quem avaritia suggereret, per genitivum causæ, obtendentes aliquid avaritiæ & cupiditati lucri.

Deus testis. In hoc Deum appellat testem. Avaritia enim occultius est vitium quam adulatio vel sermo adulatorius, nec prætextus tam facilè deprehendi possunt ab hominibus, cum semper speciem habeant honestatis.

Vers. 6. *Neque quærentes ex hominibus gloriam.* Ne quis diceret, eos, etsi non voluptates, non commoda & lucra; tamen laudem ex hominibus captasse. Negat & hoc Apostolus, & sic omnia removet, quibus remotis nulla falsi remanet suspicio. Nam falsi doctores, vel ipsi in errorem seducti sunt, vel si seducunt, aut voluptates, aut lucra, aut gloriam quærunt.

Neque a vobis, neque ab aliis. Generi subjicit species. Non id agamus, ut vel vos, vel ulli alii nos laudent & gloria efferant, quod iis æternam salutem annuntiemus per solam in Christum fidem, sine Lege & circumcisione adipiscendam.

Cum possemus in onere, id est onerosi (per Hebraismum) *esse, tanquam Christi Apostoli.* Nempe in sumendis ab ecclesia rebus ad vitæ sustentationem necessariis. Id enim jus Christus Apostolis suis dedit. Vide 1 Cor. IX. Oratio Pauli ἀναβάρητοι, intellige, neminem oneravimus, jure & potestate nostra non sumus apud vos usi, ut vel hinc intelligatis, nos in prædicatione nostra, seu in eo quod gentibus prædicemus, nulla quærere commoda, sed id solum agere ut Deo obsequamur.

Vers. 7. *Sed fuimus benigni* (ἤπιοι) *in medio vestri.* Concedentes de jure & potestate nostra.

Ut si nutrix foveat liberos suos. Proindè quos genuit. Ita nutricem intelligit, quæ simul sit mater: quasi dicat, sic vobiscum egimus. Nutrix nihil accipit à liberis suis quos fovet, & tamen eos fovet, solo liberorum amore. Similiter & nos vobis fecimus, ut Dei servos & Christi Apostolos tanto magis agnosceretis.

Vers. 8. *Sed cupidi vestrum.* Prosequitur similitudinem nutricis, nempe sicut nutrix liberorum suorum.

Pro bono ducebamus, εὐδοκοῦμεν. *impertiri vobis non tantum Euangelium Dei.* Quasi dicat, per cujus impertitionem & communicationem nobis nihil deperit.

Sed etiam nostras animas. Quas tanto cum periculo apud vos prædicando, vobis impendebamus. Hoc & nutrices ac matres faciunt, non enim tantum lac sugere faciunt liberos ex uberibus suis, sed etiam animas pro liberis profunderent.

Quia dilecti nobis facti estis. Quasi dicat, non alia de causa, non ullius nostri commodi causa, quod enim nos maneret commodum, anima profusa? Eatantum de causa quia nobis dilecti facti estis. Nam & matres ac nutrices solus amor, sola dilectio liberorum cogit ad tantam illorum curam. Dilecti autem Paulo facti erant, quod Euangelium suscepissent, idque cum afflictione multa cap. 1. 6 Undè verò hæc dilectio in Apostolis, nisi ex Deo?

Vers. 9. *Meministis enim fratres.* Proprio ipsorum testimonio comprobat quæ dixit.

Laborem nostrum, & defatigationem. In quærendo scilicet propriis manibus victu.

Noctu enim & interdiu operantes. Nempe manibus. Probat quod dixit.

Ne gravaremus aliquem vestrum. Poscendo nimirum ab aliquo vestrum vitæ necessaria.

Prædicavimus vobis, εἰς ὑμᾶς, per Hebraismum. Sæpè enim εἰς respondet τῷ *lamed*, articulo dativi casus Joan. viij. 26. Mar. xi. 1.

Euangelium Dei. An ergo hoc non erat nutricem agere, quæ similiter noctu & interdiu laborat, ut liberos suos alat ac foveat?

Vers. 10. *Vos testes, & Deus.* Quasi dicat, vobis multo testis major.

Quam sancte & juste & inculpate vobis credentibus fuerimus. Quasi dicat, nam de adversariis Euangelii non loquor, qui nos ex odio & malita omnis impietatis immeritò damnant. Nullam in vita & moribus nostris

nostris labem observastis. Et ne quis putet nos hominum tantum oculos esse veritos, ipsum Deum qui videt omnia testem appellamus. An ergo ita viventes, ita conversantes, impostores ageremus, & pro Dei Apostolis nos falso ac nequiter venditaremus?

Vers. 11. *Sicut scitis.* Quasi in argumentum proximè dicti.

Quemadmodum unumquemque vestrum. Non tantum in commune vos omnes.

Tanquam Pater liberos suos. Nunc etiam se comparat Patri, sicut paulò ante matri nutrienti ꝟ. 7.

Rogantes, vel adhortantes, *& consolantes.* Participia pro verbis, id est rogavimus vos, vel adhortati & consolati sumus. Solent enim patres hæc omnia facere, & rogare liberos & adhortari & consolari, animosque eorum erigere.

Vers. 12. *Et testantes.* Id est obtestantes, simplex pro composito. Et hic participium pro verbo, id est obtestati sumus.

Ut ambularetis digne Deo, qui vocat vos in suum regnum & gloriam. Proinde ut abstineatis ab omni vitio ac turpitudine, & sectemini decus ac honestatem omnem. Sicut ergò vos omni studio ac contentione virium hortati sumus ad omnem sanctitatem; sic & ipsi vobis exemplo præivimus.

Vers. 13. *Propter hoc etiam nos.* Quia nimirum tanto studio vos monuimus.

Gratias agimus Deo, indesinenter. Id est nullum gratiis Deo agendis tempus idoneum prætermittendo; quanquam etiam quæ crebrò & diligenter fiunt, indesinenter, sine intermissione, assidue fieri dicuntur, per hyperbolen consuetam.

Quod accipientes sermonem auditionis. Id est auditum, Hebræa phrasi. *A nobis*, id est credentes sermoni quem vobis prædicavimus. *Dei*, id est qui non noster, sed Dei sermo erat.

Recepistis non sermonem hominum. Id est non ut sermonem hominum, minus scilicet eum curantes, per ellipsin particulæ similitudinis Hebræam.

Sed (sicut est verè) sermonem Dei. Id est ut sermonem Dei, eadem ellipsi, magna scilicet cum religione ac pietate. Neque in eo falsi estis. Est enim vere Dei sermo.

Qui etiam operatur in vobis credentibus. Non est etiam otiosus in vobis credentibus, vim suam etiam in vobis exerit: quid enim attineret sermonem Dei religiosè recipere, si receptus non operetur in nobis quæ operari debet? Quia igitur nostræ prædicationis & tam solicitæ admonitionis fructum videmus, ideo etiam sine intermissione Deo gratias agimus. Vide vim & efficaciam sermonis Euangelici in animis eorum qui ei credunt. Quam otiosus non sit, quam operetur & in omnem vitæ sanctitatem excat! Unde perspici potest sermonem qui creditur, vel nihil ad efficiendam pietatem pertineat, & inani speculatione tantum animos detineat, ac contentiones potius quam ullum pietatis studium excitet, vel etiam solvat in vitia, Dei sermonem haud esse. Dei sermo sanus est, & totus secundum pietatem est.

Vers. 14. *Vos enim imitatores facti estis, fratres, ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu.* Id est quæ Christum Jesum colunt, ad distinctionem Synagogæ Judaicæ, vide cap. 1. 1. Probat sermonem Dei in ipsis operari, quippe qui eos fecerit imitatores ecclesiarum Christianarum in Judæa, qui si tantam rem in iis operatus est; quanto magis id præsumendum est de cæteris minus arduis?

Quia hæc passi estis & vos a propriis tribulibus, sicut & illi a Judæis. Exponit hanc imitationem. De qua etiam vide supra cap. 1. ꝟ. 6. Judæi suos proprios populares ac tribules persecuti sunt propter Christi nomen; idem factum & vobis est a propriis vestris tribulibus propter eandem causam; quam persecutionem quia fortiter sustinuistis ac sustinetis, operationi sermonis divini cui credidistis id adscribendum est, quippe qui vobis cælestia præmia despondet, ex Christi præceptis viventibus, & propter nomen ejus persecutionem patientibus.

Vers. 15. *Qui & Dominum occiderunt Jesum.* Hac occasione plura addit de Judæorum malitia, idque meritò. Nam & hæc persecutin Thessalonicæ à Judæis Euangelio credere nolentibus fuit excitata Act. xvij. 5 & sequentibus, & ubique fere excitabatur, & Paulus ipse postea per Judæos incidit in vincula. Hoc autem facit Apostolus, ne Judæorum auctoritate quidquam moverentur.

Et Dominum occiderunt Jesum. Messiam illum sibi promissum tam diu à se expectatum, ex ipsis ortum, quem Deus à Judæis occisum suscitavit ex mortuis, & Dominum ac Regem, secundum promissiones suas & Prophetarum oracula fecit. Huic si non pepercerunt, quomodo parcerent aliis suis tribulibus nomen ejus profitentibus?

Et proprios Prophetas. Ex gente sua ortos & ad se missos. Veteres intelligit Prophetas, qui de Messiæ cecinerunt adventu.

Et nos. Christi Apostolos, tribules itidem suos.

Persecuti sunt. Ita nihil illis unquam sacrum & inviolabile fuit ex sanctissimis hominibus.

Et Deo non placent. Quomodo enim placerent, & Regem Messiam, Dei Filium & Legatos ejus, & ecclesiam ejus persequentes?

Et omnibus hominibus contrarii sunt. Sua nimirum Lege, suis ritibus quas Deus jam amplius non curat, post publicatum Euangelium, & innato erga alios omnes homines odio. Ita nec apud Deum ullam merentur gratiam, & dum ipsi omnibus hominibus adversantur eosque oderunt, vicissim etiam apud omnes homines in odio sunt.

Vers. 16. *Prohibentes nos Gentibus loqui*, nempe Euangelium, *ut serventur.* Prohibebant id, dum Apostolos & alios Christi ministros eo nomine modis omnibus persequerentur; & ubi ipsi non poterant, gentes ipsas adversum eos, excogitatis criminibus, concitarent; quod in ipsa Thessalonica fecerunt Act. xvij. 5, 6, 7, 8.

Ut impleant peccata sua semper. Ne ullum tempus iis vacet ab implendis suis peccatis, diligentissimi & assidui in eo sunt, non quidem intentione animi sui, sed reipsa & facto. Neque enim hic significatur finis, sed eventus. Impleri dicuntur peccata cum alia super alia cumulantur, donec ad plenitudinem seu plenam sui mensuram perveniant, ut de Gentibus Cananæis olim dixit Deus. Vide etiam Jerem.

Jerem. XLIV. 21, 22. Ezech. XXII. 4. Peccatis autem plenitudinem suam nactis, longanimitas & tolerantia Dei habet finem.

Ideo addit Apostolus, *pervenit autem super eos*, id est adversus eos Marc. iij. 25. Luc. xij. 15, *ira*. Nempe Dei & ejus effectus, Judaicæ gentis excidium.

Ad finem. Quasi sui itineris: nam iis instat & imminet. Nam & ipsi in implendis peccatis suis nunquam cessant. Jam ferè nihil illis restat ad plenitudinem peccatorum. Verus fuit Apostolus vates. Nam Nerone extincto, citò res Romanæ devolutæ sunt ad Vespasianum, qui adhuc à Nerone ad debellandos Judæos missus, circa imperii sui principia, per Titum filium, Hierosolyma cum gente excidit, & reliquias ejus in miserabilem redegit servitutem, iramque illam Dei executus est.

Vers. 17. *Nos autem fratres*. Quasi dicat, & vos quidem in eo quem dixi statu propter Christum estis.

Nos autem orbati vobis. Propter intempestivum & repentinum ac violentum ab iis discessum Act. xvij. 10. Orbari enim dicuntur quibus ante tempus ac veluti rapti, decedunt parentes aut liberi, aut similes amici.

Ad tempus horæ. Id est ad horam. Horam ponit pro tempore brevi, per synecdochen loquitur, ut discedens putabat. Sperabat enim brevi se reditu-rum, tempestate illa præterlapsa.

Facie, non corde. Quasi dicat, nam cor & animus noster vobiscum est: facie tantum a vobis absumus, & vos à nobis.

Abundantius. Id est valdè abundanter.

Studuimus faciem vestram videre. Quâ scilicet orbati sumus.

In multa, id est cum multa, *cupiditate*. Maximam videndi vestri cupiditatem habentes.

Vers. 18. *Propter quod*. Nempe proptet tantam videndi vestri cupiditatem.

Voluimus venire ad vos (*ego quidem Paulus.*) De Sylvano id non affirmat.

Semel atque iterum, καὶ ἅπαξ καὶ δίς. Vide Philip. IV. 16.

Et impedivit nos Satanas. Objecit talia impedimenta quæ superare non potuimus, fortè quia periculum Thessalonicam redeundi nondum defævierat, ut redire non tantum Paulo, sed Thessalonicensibus ipsis consultum haud esset. Vide quam Satanas non otietur in impediendis servorum Christi ad Dei gloriam & hominum salutem pertinentibus consiliis!

Vers. 19. *Quæ enim nostra spes*. Id est nostræ spei causa, per metonymiam effecti. Causam addit ob quam ad illos omninò redire voluerit. Spem intelligit magni & eximii boni in Christi adventu.

Aut gaudium. Id est ac materia gaudii, etiam in hac vita cap. iij. 9.

Aut corona gloriationis. Id est corona de qua gloriemur, per genitivum effecti. Nam qui coronas in certamine reportabant, de iis gloriabantur.

An non & vos. Non excludit alios à se conversos, sed Thessalonicenses iis includit.

Coram Domino nostro Jesu Christo. Coram tanto Rege & communi omnium nostrum Domino.

In ipsius adventu? Proinde in illa sanctorum omnium & Angelorum & hominum panegyri cap. iij. 13. Coronam appellat Thessalonicenses à se conversos, per metaphoram. Res ipsa docet homines ad Christum conversos, maximo forè gaudio, maximo ornamento ac gloriæ, iis quorum opera ac studio fuere conversi.

Vers. 20. *Vos enim estis*. Quasi dicat, vos enim inquam estis. *Gloria nostra*. Id est causa gloriæ nostræ, ex vobis magnam sumus habituri gloriam.

Et gaudium nostrum. Id est causa gaudii nostri, ex vobis & nunc maximum habemus gaudium, & habituri sumus in adventu Christi. Quid ergò mirum est quod tantopere vos expetam & ad vos redire voluerim? Vide quam futuri sint beati, qui alios converterint ad Deum & Christum! Inter quos certe Paulus beatissimus erit omnium, qui etiam hodie plurimos convertit.

CAPUT III.

Vers. 1. PRopter quod, nempe modo dictum, *non amplius tolerantes*. Nempe vos ita solos derelictos esse, & tædium meæ à vobis absentiæ.

Pro bono duximus (εὐδοκήσαμεν) *derelinqui Athenis soli*. Quasi dicat, quamvis id nobis alioquin per se valde molestum & incommodum esset, tamen id maluimus.

Vers. 2. *Et misimus Timotheum*. Quasi dicat, & cum ipsi venire ad vos non possemus, misimus loco nostri Timotheum.

Fratrem nostrum, & ministrum Dei, & cooperarium nostrum in Euangelio Christi. Quasi dicat, qui cum talis sit, vicem nostram impleret.

Ut confirmaret vos & adhortaretur vos de fide vestra. Ne scilicet ab ea deficiatis, sed in illa constantes sitis.

Vers. 3. *Ne quisquam moveatur in afflictionibus istis*. Ita scilicet ut à fide deficiat, vel in fide ullo modo nutet propter afflictiones istas.

Ipsi enim scitis quod in hoc positi simus. Nempe à Deo, quod hæc sit nostra vocatio, nostra conditio pro Christi nomine pati. Sic probat Deus fidem nostram, sic eam exercet, sic in apertum producit, sic veritatem suam commendat, sic in nostris infirmitatibus virtutem suam exerit, sic per nostras infirmitates mundi potentiam devincit, sic adversarios veritatis punit, dum iis permittit ut impietatem spretæ veritatis, alia impietate, persequendo videlicet pios, cumulent, sic nos ad cælestia præmia, impios ad pœnas æternas ducit, sic justum illud judicium suum demonstrat, pios nimirum servatum, impios perditum iri Philipp. I. 28. 2 Thess. I. 5, sic & Filium suum, Dominum nostrum, ad regnum ipsi destinatum perduxit.

Vers. 4. *Etenim cum apud vos essemus, prædiximus vobis quod futurum esset ut affligeremur*. Probat quod asseruit, illos nimirum scire Christianos in hoc positos esse ut affligantur, quippe rem sibi ab Apostolo prædictam. Impii enim quia veritatem sibi ac suis moribus adversam recipere nolunt, extinctam & deletam

deletam cupiunt, sed quia ipsam lædere non possunt, omne odium ac vires suas in ejus professores convertunt.

Sicut & factum est. Prædictionem secutus est eventus.

Et videtis. Oculis vestris id usurpatis.

Vers. 5. *Propter hoc.* Nempe propter istas etiam afflictiones quæ vobis ingruerunt.

Et ego non amplius tolerans. Nempe vos ita solos relictos & tædium meæ à vobis absentiæ, ac meam de vobis solicitudinem & ægritudinem animi. Vide ℣. 1.

Misi. Nempe Timotheum ut dixit ℣. 2.

Ad cognoscendam fidem vestram. Quomodo scilicet se haberet fides vestra, in quo statu esset.

Ne forte tentaverit vos tentator ille, ὁ πειράζων. Id est diabolus.

Et in vanum factus sit labor noster. Id est & effectum tentationis suæ sit adeptus, vobis à fide depulsis; qua ratione in vanum factus esset noster labor, quem vobis ad fidem convertendis impendimus. Ita & corona illa decidisset de capite nostro, & gaudium nostrum & spes nostra & gloria nostra evanuisset cap. 2. 19, 20.

In vanum factus sit. Id est vanus factus sit, Hebræa phrasi. Tentationes piorum adscribit Apostolus diabolo, quem etiam hanc ipsam ob causam τὸν πειράζοντα cum articulo emphatico appellat, quod diabolus in adversariis veritatis itidem operetur, sicut Deus operatur & efficaciam suam exerit in piis. Ideo & in epistola ad Ephesios monet pugnam nobis non esse cum hominibus sed cum spiritibus, id est cum diabolo & Angelis ejus, proinde & arma expedienda esse non carnalia quibus homines vincamus, sed spiritualia quibus vincamus spiritus adversarios cap. VI. 11, 12 & seqq. Apparet autem Timotheum sine literis ullis à Paulo fuisse missum. Cur enim nunc demum postquam Timotheus rediisset, ut statim additur, scriberet, se Timotheum ad illos misisse, & quibus de causis id fecisset?

Vers. 6. *Nunc autem veniente*, id est redeunte, *Timotheo ad nos a vobis, & annuntiante nobis*, εὐαγγελισαμένου ἡμῖν, *fidem.* Nempe in Deum & Christum.

Et charitatem vestram. Nempe aliorum erga alios, fidei in Christum præcipuum fructum.

Et quod habeatis, id est faciatis, *mentionem nostri bonam semper.* Id est quavis oblata occasione.

Desiderantes nos videre, sicut & nos vos. Intellige desideramus: quasi dicat, undè firmiter concludo vos etiam de mea prædicatione optimè persuasos esse, & sic ei penitus adhærere. Hunc nuntium sibi per Timotheum allatum, Euangelium appellat Paulus, quia pro Euangelio quod afferebat, non aliud magis referri sibi expetebat Euangelium de iis qui prædicationi suæ crediderant.

Vers. 7. *Propter hoc.* Quasi dicat, propter hunc, inquam, nuntium, seu rem hoc nuntio allatam. Pendet enim adhuc superior oratio.

Consolati sumus, fratres, super vobis. Id est ex causa vestri Luc. XV. 7, seu propter vos, ut mox dicit ℣. 9. *In omni* (ἐπὶ πάσῃ) *afflictione & necessitate nostra.* Necessitates dicuntur dura & tristitia quæ non licet evadere.

Per vestram fidem. Quasi dicat, per vestram, inquam, fidem. Fides vestra tantam nobis attulit consolationem, ut afflictiones & necessitates nostras omnes vix sentiamus.

Vers. 8. *Quia nunc vivimus.* Id est nunc exultamus, nunc læto animo sumus, tanquam si vitam recuperassemus. Vivere dicuntur, per metaphoram, quibus gaudium contigit eximium.

Quando, ἐάν, Joan. XIV. 3, *vos statis in Domino.* Id est non deficitis à Domino, persistitis in fide erga Dominum Jesum.

Vers. 9. *Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis?* Id est nullam gratiarum actionem possumus retribuere Deo pro vobis, quæ scilicet ullo modo ejus gratiæ respondeat per vos in nos collatæ.

Super omni gaudio quo gaudemus propter vos. Quasi dicat, meritò dixi nos nunc vivere quando vos statis in Domino, quia ita gaudemus propter vos, ut nullas satis dignas Deo gratias retribuere possimus pro vobis.

Coram Deo nostro. Quasi dicat, quem latere nihil potest, cum coram Deo preces & gratiarum actiones effunderent.

Vers. 10. *Nocte & die.* Non una, sed singulis.

Supra modum, ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ, infra cap. V. 13 *rogantes.* Effectum vel adjunctum exponit illius coram Deo gaudii. Exemplo Pauli docemur quam nocte ac die orare debeamus, quam in precibus abundare, si quid à Deo velimus impetrare.

Ut videamus vestram faciem. Tanta videndi faciem illorum in precibus apud Deum contentio, docet quanto eos prosequebatur Apostolus amore.

Et perficiamus defectus fidei vestræ. Non frustra faciem eorum avebat videre & ad eos venire, non suum quærebat commodum, sed ut perficeret defectus fidei ipsorum, id est ut eos plenius edoceret Euangelii mysteria. Nec enim tam cito & præter spem ab iis divulsus id præstare poterat. Undè & in hac & in sequenti epistola quædam valde insignia tradit cap. IV. 13, 14 & sequentibus, 2 Thess. 2. 3 & sequentibus. Ad salutem tamen necessaria tradiderat omnia. Non potest autem ullum fidei mysterium esse contrarium, aut non satis conveniens illis quæ sunt ad salutem necessaria, & quæ fundamenti locum obtinent in religione Christiana. Vide 1 Cor. III. 11, 12 & sequentibus.

Vers. 11. *Ipse vero Deus & Pater noster.* Quasi dicat, nos quidem continuò & contente oramus: *Ipse vero Deus & Pater noster.* Quasi dicat, pro Paterna sua erga nos bonitate.

Et Dominus noster Jesus Christus. Quasi dicat, per quem Deus & Pater noster omnia facit, & quem nobis Dominum dedit nostri amantissimum & nobiscum naturâ conjunctum.

Dirigat viam nostram ad vos. Sublatis nimirum quam primum impedimentis omnibus. Vides Dominum nostrum Jesum Christum curare actiones & res nostras, eumque meritò in desideriis ac necessitatibus nostris invocari. Quid enim hoc votum aliud est quam invocatio Christi?

Vers. 12. *Vos vero Dominus impleat.* Quasi dicat, nos quidem ad vos quam primum adducat, vos autem impleat *Dominus*, ὁ κύριος, cum articulo emphatico, nempe Christus, qui absolute & subjective seu κατ' ἐξοχὴν Christianis Dominus dicitur. Unus enim est nobis Deus, Pater ille, & unus Dominus, Jesus Christus 1 Cor. viij. 6.

Impleat & abundare faciat (περισσεύσαι transitive) *charitate inter vos mutuo.* Quasi dicat, fidem enim jam habetis & ea pleni estis, ac in ea abundatis, det Dominus ut etiam charitate alii erga alios, id est Christiani erga Christianos, pleni sitis & in ea abundetis. Quæ fidei fructus est maximus, & fide major 1 Cor. xiij. 13.

Et erga alios. Ut etiam alios omnes homines extra ecclesiam ametis, & sic eos ad ecclesiam trahatis.

Sicut & nos erga vos. Intellige pleni charitate sumus, & in ea abundamus. Exemplum iis suum proponit ad imitandum. Hic iterum votum dirigit ad Christum Apostolus, quod similiter ad Christi pertinet invocationem.

Vers. 13. *Ad stabiliendum corda vestra inculpata*, id est ut sint inculpata, *in sanctitate, coram Deo & Patre nostro.* Voces *in sanctitate*, transpositæ sunt, & cohærent cum verbis, *ad stabiliendum corda vestra*, sicut vox *inculpata*, cum verbis *coram Deo & Patre nostro.* Per charitatem enim erga omnes, eamque abundantem, vere stabiliuntur in omni sanctitate corda, & sic fiunt inculpata coram Deo & Patre nostro, qui nobiscum paterne agit, multas culpas tegit, dummodo malitia & improbitas absit; nec aliud fere à nobis postulat, quam ut se imitemur, & alii alios, cum filii ejus, & inter nos fratres simus omnes, faterne diligamus, & dilectionem etiam ad quosvis alios homines porrigamus.

In adventu Domini nostri Jesu Christi. Docet quo maxime tempore corda nostra debeant esse coram Deo inculpata, in adventu nimirum Domini nostri Jesu Christi; ubi non sufficiet si sint inculpata coram hominibus, quos facile decipere est; at Deum, & Christum qui Dei nomine judicabit omnes in adventu suo, decipere non datur, quippe qui cordium scrutator est. Ut verò sint inculpata in adventu Christi, necesse est ut etiam nunc sint inculpata, & in hoc statu continuent ac permaneant ad Christi adventum. Neque enim adveniente Christo tempus amplius est emendandæ vitæ. Pertinet huc, inter alia complura, parabola decem illarum virginem Matth. xv. Notanda hic est Hebræa phrasis, qua nomen ponunt pro pronomine. Jesus Christus enim & Dominus ille ad quem votum hoc dirigitur idem est. Eandem phrasin habes 2 Thess. 1. 7, 8. Et tamen sunt qui Domini illius nomine, Spiritum Sanctum intelligunt, & hinc etiam dogma de tribus personis asserunt; eadem ignorantia quâ olim, Justinus Martyr, in colloquio cum Triphone Judæo, ex similibus Scripturæ locis, duos asserebat Deos ac Dominos, unum altero majorem.

Cum omnibus sanctis ejus. Docet Christo omnes sanctos ejus adfuturos, id est omnes sanctos, & Angelos & homines. Omnes enim sunt Christi, quippe Domini sui. Hinc & David Christi secundum carnem pater, Christum vocavit in spiritu Prophetico suum Dominum. Etsi vero sancti homines ex cælo non venient, quippe quorum causa Christus veniet, ut eos in cælum deducat; omnes tamen congregabuntur ad Christum Matth. xxiv. 31. O beatos qui in tanta illa majestate Christi & sanctorum omnium inveniuntur inculpati!

CAPUT IV.

Vers. 1. **Q**Uod reliquum igitur est fratres. Post vota ad Deum & Christum convertit orationem ad eos exhortandos, significans ultra vota, hoc reliqui esse, ut & nos manum ac operam admoveamus.

Rogamus vos. Paterne scilicet ut filios.

Et adhortamur. Quasi dicat, agitur enim de vestra salute.

In Domino Jesu. Id est per Dominum Jesum, quasi dicat, si vobis grata est ejus gratia.

Sicut accepistis a nobis hoc quomodo oporteat ambulare & placere Deo. Id enim eis tradiderat Paulus per suam institutionem. Ambulatione significatur omnis vitæ conversatio.

Ut abundetis magis. Nempe in hoc quod à nobis traditum accepistis, non sciendo abundantius, (jam enim satis scitis, ut mox dicit) sed abundantiùs ambulando, & omnia agendo secundum normam à nobis traditam, & sic Deo abundantiùs etiam placendo, vide infra ℣. 50. Vides Christianos, nisi ambulent & omnia agant secundum præscriptum Apostolicum, & in hoc magis magisque abundent, non posse Deo placere; cum modus placendi Deo non sit alius quam secundum Apostolorum præcepta ambulare. Quam igitur seipsos decipiunt qui secundum carnem ambulantes, egregiè se Deo placere putant, cum sibi Christi meritum applicant! Quem Dei placendi modum Apostoli non tradiderunt. Modus enim placendi Deo post fidem, ambulando, id est agendo, operando, conversando, in recte factis magis magisque abundando continetur; quod & sequentia protinus docent, quibus modus hic explicatur.

Vers. 2. *Scitis enim qua præcepta dederimus vobis per Dominum Jesum.* Confirmat superiora per prolepsin, ne dicerent, at nescimus quomodo ambulare oporteat & sic Deo placere.

Scitis, inquit, *qua præcepta dederimus vobis per Dominum Jesum.* Id est Domini Jesu auctoritate ac nomine; ut hæc præcepta, licet à nobis sint data, non tamen sint nostra, sed Domini Jesu; quorum proinde & observatio & violatio redundat omnis in Dominum Jesum. En modum placendi Deo! Præcepta Christi summo studio observare modus est, quo Deo placeamus. Vides Christianis non tantum esse data promissa quibus credant, sed etiam præcepta quæ faciant, proinde nisi fides in facere exeat, fidem inanem esse, imo nullam, aut reputari pro nulla: etiamsi verum sit, justum non operum ac justitiæ suæ meritò

merito, sed ex fide victurum esse. Nullius enim facere tantum est, ut is non habeat opus justitiam imputari sibi à Deo ex gratia, quod Deus facit, cum justo fidem ejus, in bonis & justis operibus efficacem, & quæ justum eum effecit, imputat ad justitiam. Justificat quidem Deus etiam impium ex fide; sed ea conditione, ut si post fidem tempus habeat juste & pie vivendi, juste & pie & sancte per fidem illam suam vivat, & ex impio fiat pius, & justus ex injusto, quod fidem habenti facile est. Nec enim fides continetur applicatione meritorum Christi, quæ neminem justum faciet, & qua dissolvendis moribus nihil efficacius; sed fiducia in Deum, fore ut vobis secundum præcepta sua vitam in posterum ex animo instituentibus vitam ęternam largiatur per Christum. Hæc fides ad omnem justitiam efficacissima est 1 Joan. iij. 3, & sicut ei quem justum fecit imputatur ad justitiam, ita ei qui fidem hanc habeat, (si modo habere eam dici possit,) & tamen in sua maneat injustitia, hæc ipsa fides ad multo majorem imputatur injustitiam & graviorem damnationem; tantum abest ut in injustitia perseveranti prodesse possit. Fides sine operibus, inquit Jacobus, mortua est, & non tantum inefficax ad salutem; quid enim possunt mortui? Sed etiam cadaveri similis, tetrum exhalat odorem, & Deo exosissima est.

Vers. 3. *Hac enim est voluntas Dei.* Causam affert ob quam illis ea quæ scirent, præcepta dederit per Dominum Jesum; præcepta nimirum castitatis & justitiæ. Quia nimirum hæc sit Dei voluntas; seu id quod Deus ab illis fieri velit, cujus Christus maximus est interpres.

Sanctificatio vestri. Per appositionem, id est in hoc consistit vestri sanctificatio, & à profanis hominibus segregatio, qua sancti reddimini,

Ut abstineatis a scortatione. Profana & impura res est scortatio, & qui scortantur impuri sunt ac profani; nihil illis est cum Deo & Christo sanctissimo commune. Vide 1 Cor. vi. 13, 14, & seqq. Hebr. xij. 14, 16, xiij. 4.

Vers. 4. *Ut sciatis quisque vestrum suum vas,* Id est suum corpus, quo animus tanquam vase & instrumento utitur, proinde & omnia corporis membra.

Possidere in sanctificatione. Ne eo scilicet ejusve membro ad aliquid profanum & impurum ullus abutatur.

Et honore. Ne illud pollui & contaminari sinat profanis usibus. Alludit ad vasa sacra quæ possidebantur & servabantur in sanctificatione & honore. Nihil autem est quod magis corpus polluat, & ignominia afficiat, seu contra corporis honorem sit, quam scortatio, (dicto loco ad Corinthios,) ut & aliæ voluptates impuræ per quas dicuntur corpora ἀτιμάζεσθαι Rom. 1. 24.

Vers. 5. *Non in passione* (ἐν πάθει) *cupiditatis.* Impura omnia intelligit quorum causa est cupiditas. Ideo ea vocat πάθος *cupiditatis*, per genitivum causæ, alibi πάθη ἀτιμίας, *ignominia*, per genitivum effecti Rom. 1. 26. Omnia enim talia passio sunt quo corpus & animus fœdatur ac polluitur.

Sicut & Gentes qua non cognoverunt Deum. Ne quis diceret, atqui & Gentes hoc faciunt. Faciunt sane, respondet Apostolus, sed Gentes non cognoverunt Deum, nempe vivum illum & verum cap. 1. 9, nec ejus voluntatem, at vos cognovistis, idque per Christum, cognitione omnium maxima & divinissima. Vestri igitur longe alia ratio est quam gentium, quibus hæc inquinamenta ac turpitudines, ut mereantur, relinquite. Dabunt suo tempore gravissimas illorum pœnas, quando fœditatem earum nunc non intelligunt, vel potiùs intelligere nolunt Rom. 1. 27.

Vers. 6. *Ne quisquam supergrediatur.* Plus nimirum recipiendo quam æquum est.

Et quæstus habeat. Exponit priùs. *In negotio*, scilicet aliquo, *fratrem suum*, màxime in Christo, sed nec proximum ullum. Nam & proximus quisque frater est, etsi non in Adamo secundo, tamen in primo.

Propterea quod vindex sit Dominus, ὁ Κύριος. Id est Christus. Exposita Dei voluntate, causam addit propter quam ei obedire debeamus. Quia nimirum vindex sit Dominus.

De omnibus istis. Nempe quæ dixit, quia severè puniat & ulciscatur omnem impuritatem & injustitiam. Hæc duo vitiorum genera conjungere solet Apostolus. Vide Eph. iv. 19. v. 3, 5.

Sicut etiam prædiximus vobis, & contestati sumus. Ne quisquam scilicet id sibi non ante nec satis asseveranter ac certo dictum obtendat, vide Gal. v. 21. Et tamen sunt qui talia patrantes, Christi meritis confidunt, & se tutos ac securos per ea putant, & sic Apostolo fidem non habent, existimantes Dominum hæc vindicaturum non esse, vindictæ Domini semper opposituri, satis ad salutem fore, si cum vitæ finis instat, & non ipsi deserunt sua peccata, sed à peccatis deseruntur, pœnitudine ducantur peccatorum; quà tamen non video qui vere & ex animo duci queant, cum peccata sibi nihil ad salutem obsutura esse, quippe jam satis superque ab ipso Domino dissoluta, firmiter credant. Profectò talia docere, talia credere, quid aliud est quam omnem Christianæ pietatis dissolvere disciplinam? Hæc & similia dogmata effecerunt, ut Christiani, qui mortalium omnium esse debebant sanctissimi, facti sint omnium vitiosissimi. Sed ô quam suis miseri fallenter opinionibus!

Vers. 7. *Non enim vocavit nos Deus.* Nempe ad Regni cælestis hæreditatem cap. 2. 12. Causam addit in specie contra scortationes & impuritatem.

Semper impuritate. Id est ut nobis liceat impuris esse.

Sed in sanctificatione. Id est per sanctificationem: Sanctificavit nos & sibi secrevit ab impuris, ut sancti essemus, seu sanctificationem nostram perpetuò consectaremur; & sic ad Regnum Dei perveniremus. Hinc auctor ad Hebr. xij. 14: *Pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, quo sine nemo videbit Dominum.* Frustra hic Domino isti sua merita opponemus! Qui mortuus est non tantum ut nos à peccatorum pœnis, sed etiam ab ipsis peccatis & præsenti seculo malo, hac tanta nostri charitate, eriperet Gal. 1. 4.

Vers. 8. *Proinde qui rejicit.* Ex dictis infert contra eum qui scortationem opus esse dicat naturæ, nec ullam in se habere turpitudinem;

& sic præceptum hoc Pauli rejiciat de vitanda scortatione; quales tum erant omnes imbuti moribus gentium, & nunc inter Christianum nomen professos reperiuntur plurimi.

Non hominem rejicit. Id est non me, rejiciendo scilicet hoc præceptum.

Sed Deum. Quasi dicat, qui præcepti istius auctor est.

Qui etiam dedit Spiritum suum, illum Sanctum nobis. Ut scilicet manifestum faceret, nos ea quæ loquimur ac præcipimus, Dei nomine loqui ac præcipere. Εἰς ἡμᾶς, *in nos*, pro, *nobis*, per Hebraismum sæpe observatum.

. Vers. 9. *De charitate fraterna autem.* Quasi dicat, cujus pars est ne ullam fratri faciamus injuriam, ut ante dixi, nunc itidem in specie venit ad dilectionem erga fratrem: quasi dicat, de scortatione scripsi; de charitate autem fraterna

Non opus habetis ut scribam vobis. Quam scilicet illa sit observanda, quam alii alios diligere debeamus, quam sacra res sit frater, in Christo præsertim, quam nulla afficiendus injuria, nunquam fraudandus aut habendus quæstui.

Ipsi enim vos a Deo docti estis ut diligatis alii alios. Quasi dicat, jam enim ipse Deus id vos docuit, per gratiam nimirum suam paternam, qua vos omnes in Christo non aliter quam pater filios complexus est, omnes adoptavit in filios, & Regni sui hæredes, omnibus spiritum adoptionis dedit, per quem clamatis ad Deum, Abba Pater Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6, pro omnibus vobis Filium suum in mortem dedit. Ita & exemplo vobis præivit, & jure fraterno vos invicem consociavit. Eadem sua gratia etiam omnes alios homines diligere vos docuit.

Vers. 10. *Etenim facitis hoc.* Quasi dicat, unde apparet vos ipsos id à Deo doctos esse.

Erga omnes fratres qui sunt in tota Macedonia. Credo quod eleemosynas ad eos mitterent.

Hortamur autem vos fratres, ut abundetis magis. Quasi dicat, doceri non habetis opus ut fratres diligatis: hoc enim jam facitis; sed hortari possumus & hortamur vos, ut abundetis magis. Currenti calcar, ut ajunt, equo.

Vers. 11. *Et ut studeatis*, φιλοτιμεῖσθαι. Eo studio quo solent qui honores ambiunt, id est magno & contento.

Quieti esse. Id est nemini esse molesti & onerosi, neminem petitionibus & mendicitate exercere. Vide 2 Thess. III. 12. Hortatus est beneficos, monet nunc etiam eos qui charitatem erga se volunt exerceri per beneficia; cum ipsi eam non exerceant per id ne alienis indigeant beneficiis & opitulationibus. Quam vellem ut hoc observarent, qui hodie in mendicitate, summam collocant Christianæ pietatis perfectionem!

Et faciatis propria, πράσσειν τὰ ἴδια. Ex quibus scilicet victum & amictum honeste paratis, sine mendicitate.

Et operemini propriis manibus vestris. Non pendentes ex alienis, earumque operatione: quasi dicat, ita enim fiet ut non tantum quæ vobis ipsis necessaria sunt habeatis; sed etiam quod communicetis indigentibus Ephes. IV. 28. Apes esse debent omnes Christiani, nulli fuci. Verum quidem est eos qui sacris operantur, ex sacris meritò vivere; sed ubi meritum est, ibi mendicitati nullus est locus; ubi mendicitas est, ibi meritum non est. Beatius est dare quam accipere, dixit ipsa veritas. Mendicare enim miserorum est, & propriis manibus vitæ necessaria sibi non valentium acquirere. Nam qui valent & possunt, nec tamen volunt, ignavi sunt fuci, proinde censura ac vituperio, non laude ulla digni: *Qui non vult laborare, etiam nec edat*, inquit eadem de re agens Apostolus 2 Thess. iij. 10.

Sicut vobis præcepimus. Ergo qui aliter facit, contra præcepta facit Apostolica, tantum abest ut præceptis faciat aliquid sublimius.

Vers. 12. *Ut ambuletis decore erga eos qui sunt extra.* Nempe qui sunt extra ecclesiam Christi. Finem præcepti illius sui exponit, id est ne illi qui sunt extra ecclesiam vos reprehendant, tanquam homines otiosos, ignavos, nullius frugi, tanquam fucos, alienis laboribus inhiantes, & quos ditiorum Christianorum inconsulta corrumpat liberalitas.

Et neminis opus habeatis. Declarat superius per contrarii remotionem. Multum enim decedit honestati per mendicitatem. Hinc amantes honestatis semper promptiores sunt ad dandum quam accipiendum, nedum ad petendum. Care emitur quod precibus emitur. *Neminis*, non Christiani, non extranei.

Vers. 13. *Nolo autem vos ignorare fratres.* Quasi dicat, proinde volo vos docere,

De iis qui obdormiverunt. Id est mortui sunt; nimirum in Christo ℣. 14, 16. Mortui enim similes sunt dormientibus, & somnus vicissim mortis imago dicitur.

Ut non tristemini. Id est hoc vos nolo ignorare, ut non tristemini (ἵνα hic non finem significat, sed speciem, ut Joan. XV. 12. xvij. 3) nempe ob illorum obitum.

Sicut & reliqui qui non habent spem. Nempe fore ut mortui resurgant. Hoc est quod illos docere ac monere voluit de mortuis in Christo. Nam mortuos resuscitatum iri jam credebant & spem hanc habebant. Ideo & huic spei suam hanc admonitionem inædificat. Monet ne gentium mores imitentur in luctu mortuorum. Non prohibet Apostolus omnem ex morte piorum tristitiam, sed talem tristitiam qualis est reliquorum hominum, spe resurrectionis & futuræ post mortem vitæ carentium, qui incredibili afficiuntur mœrore, quod existiment de mortuis jam actum & conclamatum esse, nec unquam fore ut iterum eos recipere ac videre possint. Sic tristemur in piorum obitu, sicut tristamur in abitu peregre discedentium. Solamur enim hanc tristitiam spe celeris eorum reditus; quæ tamen sæpe decollat: at spes quam Christiani habent de piorum in vitam reditu, fallere non potest. Moderatus ergo debet esse Christianorum luctus ac mœror, lugere debent ac si non lugerent 1 Cor. VII. 29.

Vers.

Vers. 14. *Si enim credimus quod Jesus mortuus sit, & resurrexerit.* Confirmat superiora per prolepsin: quasi dicat, nam non fallet nec fallere potest spes nostra. Si enim credimus quod Jesus mortuus sit, & resurrexerit, proinde sicut certum est utrumque de Jesu; nisi enim hoc certissimum ac testatissimum esset, nunquam id crederemus. Ego sane, nisi Jesum vivere post mortem, & in cælis degere vidissem, nunquam id credidissem, multo minus me Apostolum ejus ferrem, ac resurrectionem & regnum ejus perpetuis cum periculis & vexationibus prædicarem.

Sic etiam Deus eos qui obdormiverunt per Jesum, ducet cum ipso. Rem ponit, pro rei certitudine, id est causam pro effectu, sicut prius effectum posuit pro causa. Ex morte & resurrectione Jesu, necessario sequitur resurrectio eorum qui obdormiverunt per Jesum, proinde quam illud factum esse certum est, tam & hoc futurum esse certum est. Deus enim per Jesum id promisit, & ob hoc ipsum in mortem eum dedit, ut eum ex morte resuscitans, non solum a se missum ostenderet, sed etiam suæ promissionis exemplum in resuscitatione ejus omnibus exhiberet. Nemo ergo qui Jesum mortuum esse & resurrexisse credit, de piorum & credentium in Christum resurrectione dubitare potest.

Deus, ὁ Θεὸς. Ille unus, qui potest omnia, & qui Jesum suscitavit ex mortuis ac Dominum fecit omnium Eph. I. 19, 20 & seqq.

Eos qui obdormiverunt per Jesum. Id est in Jesu, ut ℣. 16, *in Christo*, *per* ponitur pro *in*. In Jesu obdormire, vel mori, est Jesu dicatum ac sacrum, Jesu insitum per fidem in ipsum mori. Possunt hæc verba *per Jesum* etiam cum sequentibus *ducet cum ipso*, (nempe in regum cæleste,) cohærere, Deus id faciet, sed per Jesum, cui virtutem ac potestatem hanc dedit ut in se credentes resuscitet, & in possessionem Regni cælestis deducat Philipp. III. 21.

Vers. 15. *Hoc enim vobis dicimus.* Quasi dicat, ne miremini eos qui obdormiverunt ductum iri una cum Christo in regnum cæleste.

In sermone Domini. Id est per sermonem Domini, vel sermone Domini, per Hebraismum: quasi dicat, non nostro sed Domini sermone, sermone a Domino accepto, ut tanto certiores ea de re sitis. Explicat illis hac occasione mysterium resurrectionis & glorificationis piorum plenius.

Quod nos qui vivimus, qui relinquimur ad adventum Domini. Nempe in hac vita. Non affirmat se & illos victuros & relictum iri ad Domini adventum; sed tantum in exemplum ponit, tanquam rem quæ tota in Dei voluntate ac potestate sita est. Ideo nec in futuro sed in præsenti loquitur tempore: quasi dicat, quod si nos etiam obdormiamus, erunt tamen qui vivant & relinquantur ad Domini adventum, & sic in locum nostrum succedent, nobis cum dormientibus computatis, de quibus nunc agimus.

Non præveniemus. Nempe ad Dominum & consequenter ad regnum cæleste.

Eos qui obdormiverunt. Nemo putet, se, quia vivat, celerius ad Dominum perventurum, quam ii qui in Domino sunt mortui.

Vers. 16. *Quia ipse Dominus.* Causam istius rei, & consequenter totum ordinem ac modum exponit; quem forte cum præsens adesset non exposuerat; ut etiam hoc pertineat ad id quod eos ignorare nolit de mortuis, quodque multum faciat ad minuendum ac temperandum, in eorum obitu ac morte, luctum,

In celeusmate. Id est cum exhortationis clamore, qualis est exercitus concurrentis, aut nautarum ac remigum ad portum adpellentium, aut messorum messem perficientium. Celeusma hoc myriades illas sanctorum indicat Angelorum qui cum Christo venient, sive hoc Christi solius futurum sit hortamentum, sive omnium simul Angelorum, sese invicem ad perficiendum illud maximum ministerium, in debellandis omnibus Christi hostibus exhortantium Matth. XIV. 30, 31. 2 Thess. I. 2. Jud. ℣. 14.

In voce, id est cum voce, *Archangeli.* Non simplicis Angeli, sed unius ex principatibus Angelicis, quam ingentem fore, & in omnes terras exituram, res ipsa docet.

Et in tuba Dei. Credo non rem diversam, sed eandem diversis verbis declarari. Nam & Christus Matth. XXIV. 31, & hic ipse Apostolus solius tubæ meminit 1 Cor. XV. 51. *Tuba Dei* idem est quod tuba vocis magnæ in Christi verbis, Hebræa phrasi, quâ quæ magna sunt, dicuntur Dei. Ponitur autem tuba pro voce seu clangore, per metonymiam causæ. Ideo in Christi verbis tuba vocis magnæ, dicitur tuba quæ est vox magna, per genitivum differentiæ vel speciei. Solent in adventu magnorum Principum ac Regum tubæ clangere. Idem fiet & in adventu Regis Regum omnium Christi. Et illi quidem multis t[illegible]is ac tubicinibus habent opus, propter imperfectionem, at Christi tubicen unus erit, & una tuba quæ totum terrarum orbem clangore suo implebit, & quo clangente etiam mortui excitabuntur 1 Cor. XV. 52.

Descendet de cælo. Quasi dicat, non ullus ante perveniet ad Dominum, & consequenter in regnum Dei, quam ipse Dominus prius (eo quo dictum est modo) descendat ex cælo.

Et, scilicet ubi Dominus descenderit, *mortui.* Quos ante dixit dormientes, nunc dicit mortuos.

In Christo. Vide ℣. 14. De solis enim hic mortuis qui in Christo mortui sunt loquitur, quia solos Christianos consolatur & alloquitur.

Resurgent primum. Ab his incipiet ordo: non a viventibus, & remanentibus ad Christi adventum: Resurgent autem protinus incorruptibiles. Vide 1 Cor. XV. 52, & sic quia mortem gustarunt, hoc in compensationem referent, ut etiam prius fiant immortales. Docemur mortuis exspectandum esse Christi adventum, ut a Christo ducantur in cælum.

Vers. 17. *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur.* Ubi scilicet illi primum resurrexerint incorruptibiles, tum etiam nos qui vivimus, qui relinquimur, (qui etiam vere tantum erimus reliquiæ piorum, comparati cum iis qui mortui sunt in Christo,) tanget ordo.

Simul cum ipsis rapiemur in nubibus, in occursum Domini in aërem. Non ergo illos præveniemus ad Dominum, sicut nec illi nos; sed omnes simul, & illi primum resuscitati, & nos deinde immutati 1 Cor. xv. 52, & congregati, (in qua congregatione nos viventes immutabimur,) Matth. xxiv. 35.

Rapiemur in nubibus. Tanquam in curribus a Domino sponsæ suæ missis. Nam & Dominus ipse cum millibus sanctorum suorum in nubibus venturus est, loco dicto Matth. ℣. 30. Nubes istæ haud dubie alterius generis erunt quam quæ generantur in aëre, nec ob generis communitatem, sed per metaphoram nubes dictæ, quarum vim & celeritatem motus, *rapiendi* verbo significare voluit Apostolus. Ea quidem piorum corpora futura erunt ut nubium raptu non indigeant, quippe spiritualia & cælestia 1 Cor. xv. 44, 48. Sed hæc ad majorem declarationem divinæ majestatis & gloriæ fient. Nam & Christus & Angeli ejus nubibus non indigerent ullis.

In occursum Domini, in aërem. Quippe qui in sublimi aëre sive æthere adventum ad se piorum omnium expectabit. Quæ vero mens concipere, quæ lingua effari possit piorum quæ tum erunt gaudia?

Et sic semper cum Domino erimus. Postquam nimirum semel ad eum pervenerimus. Nihil nos unquam a Domino divellet, qui nos secum, viam quam descendit remeans, deducet ad Patrem in regnum ejus cæleste, ubi nullus vitæ, nullus gaudiorum inenarrabilium finis erit. O faxis hoc clementissime Servator Christe Jesu!

Vers. 18. *Itaque consolamini alii alios in sermonibus istis.* Id est sermonibus istis, præpositione ● ex Hebraismo redundante, vel instrumentum significante, ut *Beth* Hebræorum. Concludit suam admonitionem ℣. 13 cœptam; quasi dicat, proinde in obitu charissimorum longe aliter quam reliqui, solatiis istis destituti, vos gerite. Hæc sunt vera ac solida solatia, non Philosophorum, qui dum necessitatis argumento, (quod præcipuum habent,) animos luctu turbatos volunt componere, magis eos affligunt, quam resocillant; ægriorem enim facit animum dicere, frustra lugeri mortuos, quia mortui nunquam sint reversuri. At dicere, & demonstrare, mortuos esse redituros, id vero demum est quod animis quietem adferat & luctum mitiget. Non dicit Apostolus consolamini vos ipsos sermonibus istis, sed *alii alios.* Quia ægrotis, qui valent, remedia solent adhibere.

CAPUT V.

Vers. 1. De temporibus autem opportunitatum, *περὶ τῶν χρόνων τῶν καιρῶν.* Id est de temporibus opportunis, intellige huic, & cuique rei a Deo decretæ ac destinatæ. Duo substantiva ponit pro substantivo cum adjectivo, per Hebraismum.

Non opus habetis ut vobis scribatur. Nempe quod hic sciendum est. Ultra quod hic scire, nescire est. Occurrit eorum curiositati qui libenter scire vellent tempus adventus Christi & congregationis piorum ad Christum, de qua modo locutus est, & supra cap. 2. 17. Ideo & sequenti Epistola per hunc ipsum Christi adventum & nostri congregationem ad ipsum, obsecratur eos ne se patiantur seduci ab iis qui tempus diei Christi idque jam instans definiant 2 Thess. 2. 1, 2, 3. Ipse Filius olim diem adventus sui ignorabat, & ulli hominum eum scirent! Marc. xiii. 32.

Vers. 2. *Ipsi enim exacte scitis.* Nempe jam a nobis exacte istud edocti.

Quod dies Domini sicut fur in nocte, id est qui noctu venit, *sic veniat.* Id est venturus sit. Proinde quod nemo sciat nec scire possit quando venturus, aut quis ille dies, quove anno aut quo seculo futurus sit, neque enim diem Domini hactenus furi comparat, quasi & illa noctu ventura sit; sed quatenus quando ventura sit, tam sit ignotum, quam qua nocte fur venturus sit ignotum est. Paterfamilias quia nescit qua nocte, quave noctis hora fur veniat, singulis noctibus & horis esse debet in excubiis. Idem & nobis faciendum est, cavendumque ne nobis unquam usu veniat quod ignavo & imprudenti hero, qui quia nescivit noctem & horam qua fur fuit venturus, sperans sese etiam in posterum tutum ac immunem fore, & per hoc seductus somno se dedidit, & sic cum minime putaret, furis præda factus est. Et ut dies Domini longius adhuc absit; at mors ubique & singulis momentis nobis imminet, quæ cuique secum diem illum Domini simul inducit. Petrus etiam diem Domini tanquam furem in nocte dicit adventuram 2 Petr. iii. 10. Non Dominum ipsum, sed diem Domini comparat furi noctu venienti.

Vers. 3. *Quando enim dicent*, nempe homines profani, *pax & securitas*, nihil usquam est quod metuamus, *tunc repentinus ut supervenient interitus.* Hinc apparet eum de profanis hominibus loqui. Ex effectu probat a nemine, neque ab ipsis Christianis sciri, quando venturus sit dies Domini, a quibus alioquin istius rei notitia manare posset etiam ad alios. Christiani quidem nunquam dicunt, pax & securitas, diem enim Domini venturum sciunt, sed tamen quando venturus sit nesciunt. Nam ut veniat quando dicent pax & securitas, est quidem huic tempori proprium, sed non soli.

Sicut dolor ei quæ in utero gestat. Nam & huic dolores partus repentini incidunt.

Et non effugient. Nempe ob repentinum adventum, pereundum erit omnibus, nullus erit interitus evadendi modus, nulla ratio, multo minus adhuc quam in diluvio. Ignis enim, qui aqua terribilior est, non orbem tantum terræ universum; sed elementa etiam omnia, & orbes cælestes corripiet 2 Petri iij. 7, 10. Nam agendæ pœnitentiæ tempus jam tum nullum erit. Eleganter gravidæ mulieri comparatur mundus profanorum hominum, nam sicut gravida tendit ad partum, sic & mundus ad interitum, jam pridem hoc

hoc onere prægnans ac gravidus incedit, & sicut gravidæ sua sunt tempora, sui menses, sic & mundo, porro sicut gravidæ repentini incidunt dolores, quibus cruciatur etiam ante partum, sic & mundo repentini incident animi angores ac terrores ex signis imminentis adventus Christi, quibus cruciabuntur etiam ante interitum. Et sicut gravida, nisi forte interim moriatur, non effugit partum, sic nec mundus effugiet interitum. Hoc tantum interest quod gravida futuri partus ignara non sit, & sua tempora computet, mundus autem se tanta mole gravidum esse non credat, non intelligat. Non est vero necesse ut omnes verbis dicant, pax & securitas; sufficit ut sic existiment, nihil minus cogitantes quam de sui & mundi totius exitio. Nam & fur ea nocte venire solet qua maxime Paterfamilias securum se putat.

Vers. 4. *Vos autem fratres.* Poterant terreri ob tam repentinum Christi adventum. Ostendit non debere hoc illis esse terrori. Ipsorum longe aliam esse rationem. Repentinus quidem & ipsis erit diei illius adventus; sed non insperatus & inexspectatus, ut cæteris, proinde ipsis non tantum non exitiosus, sed etiam maxime salutaris.

Non estis in tenebris. Sicut cæteri scilicet homines. Tenebras intelligit ignorantiæ veritatis divinæ per Evangelium allatæ.

Ut illa dies vos tanquam fur deprehendat. Quasi dicat, fur in tenebris & noctu grassari solet & homines deprehendere, interdiu & in luce minus est a furibus periculi. Cum ergo vos in tenebris non sitis, quandocunque dies illa venerit, non veniet vobis in exspectata & improvisa, proinde nullum vobis detrimentum adferet, & sic vos tanquam fur non deprehendet.

Vers. 5. *Omnes vos filii lucis estis & filii diei.* Quippe luce & sole Evangelii collustrati. Eandem rem asserit per affirmationem contrarii. Hebræa phrasi filii lucis & filii diei dicuntur quibus semper est lux, semper dies.

Non sumus noctis neque tenebrarum. Intellige filii, ut noctuæ vel vespertilinnes, lucem reformidantes ac fugientes, tenebras amantes iisque dediti. Primam personam hic usurpat ut etiam se includat propter sequentem admonitionem. Notat homines hujus seculi, qui tenebras ignorantiæ amant, lucem veritatis divinæ, & doctrinæ quæ secundum pietatem est, oderunt ac fugiunt.

Vers. 6. *Ergo igitur non dormiamus.* Viventes nimirum sine cogitatione & cura diei illius.

Sicut & reliqui. Noctis scilicet & tenebrarum filii.

Sed vigilemus. Id est, in diem illum semper intenti simus.

Et sobrii simus. Hoc vigilantibus maxime competit. Ebrii enim perperam excubias agunt, Christiani ergo semper esse debent sobrii, nunquam ebrii. Semper enim in excubiis sunt.

Vers. 7. *Nam qui dormiunt.* Quia monitum superius intulit ex ante dictis, hic rationem reddit consequentiæ.

Noctu dormiunt, & qui inebriantur, noctu inebriantur. Dormire noctis est opus, inebriari nocturnum vitium. Sed proh dolor! nostris in oris factum est diurnum. Imo quia interdiu homines, eosque Christianum nomen professos inebriari non pudet, etiam in laudem abiit. Nihil ergo apud nos Apostolus hac sua argumentatione effecerit, qui interdiu inebriamur, & noctu vigilamus, luce dormimus. Sed composuerint licet, evicto pudore, cum corporali luce, corporis somnum, & cum die ebrietatem; at cum spirituali luce & die somnum animi, & ebrietatem nunquam component. Ideo cum dormiant animo, & cum inebrientur, in tenebris sese versari, & vera animi luce destitui, manifeste produnt.

Vers. 8. *Nos vero cum diei simus*, intellige filii, *sobrii simus*, concludit argumentum, *induti thoracem fidei & charitatis, & galeam, spem salutis.* Hic includit & id ut vigilemus. Alludit ad milites qui excubias agebant thoracem induti, & galeâ caput tecti. Idem & nobis faciendum est, ita vigilemus, ita in Christi diem intenti simus, ut semper thorace fidei & charitatis, pectus munitum, & caput spe salutis, tanquam galea contectum habeamus. Hoc si facimus, quandocunque dies Domini venerit, illæsi & immunes, imo beati erimus. Thorax fidei & charitatis, per genitivum differentiæ, significat thoracem qui est fides & charitas: fides & charitas thoraci comparantur, quod sint animarum nostrarum munimentum, & in unum conjunguntur thoracem, quia nec fides sine charitate, nec charitas sine fide animas nostras munire potest. In Epistola ad Ephesios cap. VI. 14, thoracem dicit esse justitiam, sed justitiam charitas complexa est, & justitia vera charitatem. Ibidem fidem dicit esse scutum ℣. 16, quam hic ad Thoracem refert, quia utrumque ad muniendum corpus pertinet, & illic quia de pugna agebatur, merito scuti mentio facienda erat, hic quia de vigilando res est, solus thorax sufficit. *Vigiles*, narrat de Paulo Æmilio Livius Libr. XLIV, *novo more scutum in vigiliam ferre vetuit. Non enim in pugnam vigilem ire, ut armis utatur, sed ad vigilandum, ut cum senserit hostium adventum, recipiat se, exciteque ad arma alios Scuto præ se erecto stare galeatos, dein ubi fessi sint, innixos pilo, capite super marginem scuti posito sopitos stare, ut fulgentibus armis procul conspici ab hoste possit, ipse nihil provideat.* Galeam Apostolus ipse dicit esse spem salutis. Nam & capiti non minus quam pectori munimentum erat dandum. Dat ergo capiti galeam, id est spem æternæ salutis, quippe quæ cum fide & charitate arcto & indivulso cohæret nexu, & tertia est in ordine trium istarum cardinalium virtutum. Fides est prima, charitas quia oritur ex fide, secunda, spes salutis, quia oritur ex fide & charitate simul, tertia, & hactenus summa, capiti hoc ipso conveniens. Nam & caput membrorum omnium est summum. Accedit quod galeati capita audacter attollant. Idem præstat & Christianis spes salutis, hæc enim facit ut die illa ingruente, cæteris terrore exanimatis, ipsi capita sua attollant alacriter, scientes illo se die redemptum ac liberatum iri Luc. XXI. 26, 28. De tribus istis virtutibus, fide, charitate, spe, quid sint & quomodo sese consequantur, vide 1 Cor. XIII. ℣. ultimo.

Vers.

Vers. 9. *Quia non posuit nos Deus in iram.* Causam reddit cur salutis spem certam habere debeamus, quia nimirum Deus non posuit nos, cum scilicet nos ad fidem in Christum per Euangelium adduxit & Christianos fecit,

In iram. Id est in id ut nobis irascatur, & consequenter nos ob peccata nostra puniat ac perdat, non quæsivit per id nostrum exitium, non posuit nos tanquam scopum, in quem iræ suæ dirigat & agat fulmina. Si perdere nos Deus voluisset, in mundo nos reliquisset; nec salutis Euangelium nobis adferre curasset, & ei credentes suscepisset.

Sed in acquisitionem salutis. Id est in id ut salutem acquiramus, credendo scilicet Euangelio & secundum illud vivendo, vigilando, ut dictum est, sobrie agendo, orando, fide & charitate pectus, spe salutis caput muniendo. Verum quidem est eos qui Christiani facti, Christiane non vivant, multo gravius quam cæteros punitum iri, erant enim ex tenebris in admirabilem Dei lucem translati, cognita tanta Dei gratia & tam efficacibus sancte vivendi causis; sed hoc ipsorum propria culpa præter omnem intentionem & consilium Dei eveniet. O quam falsum igitur est ullum ex credentibus a Deo positum esse in iram, & non in acquisitionem salutis omnes! vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.

Per Dominum nostrum Jesum Christum. Quasi dicat, quem Deus Dominum nostrum effecit, & ei potestatem omnem tradidit, & nos ad illum adduxit hoc ipso fine, ut in illo die quo perdet omnes impios & profanos, nos in se credentes servet, & æterno exitio ereptos in vitam immortalem asserat.

Vers. 10. *Qui mortuus est pro nobis.* Quasi dicat, an ergo nos perderet? Annon potius id aget unice ut nos servet? Mortuus autem est pro nobis tanquam victima piacularis, ex consilio & voluntate Patris, qui & ipse mundum adeo dilexit, ut Filium hunc suum unigenitum daret, ut omnis qui credat in eum non pereat sed habeat vitam æternam. Longe igitur abest ut Deus & Christus aliquem ex nobis perditum velit, nisi quis ipse sibi perditionis & exitii causa sit.

Ut sive vigilemus sive dormiamus simul cum ipso vivamus. Docet quid tanta nostri dilectione voluerit in nobis efficere. Voluit nimirum nos suos facere & sibi penitus mancipare, voluit, inquam, sui vicissim ardentissimum amorem ex nobis elicere, *ut sive vigilemus*, corporaliter nimirum,

Sive dormiamus. Itidem corporaliter. Vigilare enim & dormire corporaliter, naturæ opus est, & totam vitam nostram occupat, nullum enim vitæ nostræ momentum est, quin vel vigilemus vel dormiamus.

Simul cum ipso vivamus. Apostolus ergo ipse vitam nostram omnem in hæc duo partitur. Et sic sensus est, ut totam vitam, ex quo Christi facti sumus, cum Christo vivamus, animo, cogitatione, Christi amore, & desiderio, (animus enim ibi est ubi amat, non ubi animat) in Christum fide, & assidua mandatorum ejus executione. Dormientes cum Christo vivimus, cum hæc omnia in animis nostris, velut ignis cineribus, somno sopita, evigilantibus nobis protinus nobiscum evigilant. Sic igitur cum Christo viventes, & tantam ejus erga nos charitatem, mutua vicissim charitate pensantes, fierine potest ut per eum non servemur, cum servandi nos omnes habeat potestatem?

Vers. 11. *Propter quod.* Nempe superius omne,

Adhortamini. Nempe ad faciendum officium nostrum Christianum,

Alius alios. Non exspectatis senioribus, quibus id alioquin singulariter competit, sed inter vos mutuo ut fratres invicem, alter alterius salutis æque amans ac suæ.

Et ædificate alter alterum. Exemplo videlicet & omni alia ratione: *Sicut etiam facitis.* Itaque jam currentibus calcar addit, & admonitione, & laudatione virtutis. Vide cap. IV. 10.

Vers. 12. *Rogamus autem vos fratres, ut noscatis.* Id est peculiariter vobis commendatos habeatis, per metonymiam causæ, Hebræis in hoc verbo familiarem.

Qui laborant inter vos. Nempe in sermone & doctrina 1 Tim. V. 17.

Et præsunt vobis in Domino. Id est, Domini respectu.

Et monent vos. Quorum id peculiariter officium est. Seniores & Episcopos ecclesiæ intelligit.

Vers. 13. *Et ducite eos supra modum in charitate.* Id est charos & charitate dignos, per Hebraismum: sic doctor Gentium in fide & veritate, id est fidelis & verax 1 Tim. 2. 7, & similia: quasi dicat, proinde omnia charitatis officia illis exhibete, & necessitatibus eorum prospicite Gal. VI. 6, 7.

Propter opus eorum. Tam scilicet vobis omnibus salutare. Debetur id illis ipsorum maximo merito.

Vers. 14. *In pace agite inter vos.* Nullæ sint inter vos animorum offensiones.

Vers. 15. *Rogamus autem vos fratres, admonete inordinatos.* Id est inordinate ambulantes 2 Thess. III. 6, 7, 11, qui non incedunt secundum traditionem Apostolorum, inprimis qui dum non agunt sua, sed agunt non agenda, fratribus inopia sunt onerosi. Vide supra cap. IV. 11, 12.

Consolamini pusillanimes. Ne animum despondeant, Deo confidant, & certi sint se derelictum a Deo non iri.

Opitulamini infirmis. Sive sint infirmi in fide, ut vos eorum infirmitati accommodetis, sive corpore, sive facultatibus ut eos adjuvetis.

Longanimitate utimini erga omnes. Non tantum erga fratres & Christianos alios, sed etiam erga homines alios omnes. Longanimitas in eo est ut procul habeamus iram, ut ipsa vox μακροθυμία indicat.

Vers. 15. *Videte*, id est cavete, *ne quis.* Ex vobis scilicet Christi nomen professis.

Malum pro malo alicui. Sive sit Christianus, sive non sit, quisquis sit,

Reddat. Utrumque enim malum est, licet unum sit prius, alterum posterius. Nulla in maleficio ordinis apud Deum ratio est, & Christiani ab omni malo debent abstinere, pœna tamen pro maleficio malum non est, sed pœnam irrogare non debet qui jus non habet pœnæ, alias enim non erit pœna pro malefi-

maleficio, sed maleficium pro maleficio. Maleficium illatum, pœna talionis vindicabat Lex: at Christianis malo per malum resistere, & sic maleficium referre fas non est.

Sed semper. Etiam post acceptum malum,

Quod bonum est sectamini. Vide Matth. v. 38, 39, 40, 41.

Et alii erga alios. Id est, Christiani erga Christianos.

Et erga omnes. Etiam extraneos. Frustra adversus Aeduos, inquit Tacitus, quæsita belli causa. Jussi pecuniam atque arma deferre, gratuitos insuper commeatus præbuere. Ita per bonum vincendum est malum Rom. xii. 21. Hoc si Aedui Romanorum metu fecere; quanto magis id facere debent Christiani, metu Dei, & spe ingentis illius ab ipso propositi talia facientibus præmii? Habent tamen & hæc omnia suum modum ac certos fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum, neque enim omnia ejusdem generis sunt mala, ut eorum vel pœnam, vel compensationem, vel aversionem, etiam violentam, si aliter averti nequeant, simpliciter quærere sit malum.

Vers. 16. *Semper gaudete.* Quia Christiani perpetuam habent in Christo gaudendi causam, etiam inter maximas quas hæc vita secum fert tristitiæ causas. Vide Philipp. iii. 1. iv. 4.

Vers. 17. *Sine intermissione orate.* Nullum orandi tempus intermittite. Nunquam enim desunt Christianis orandi causæ.

Vers. 18. *In omni.* Id est pro omni, *in* enim omnis generis causam significat, ex Hebraismo.

Gratias agite. Nihil enim nobis evenit quod Deus non dirigat in bonum nostrum, seu quod boni nostri causa non fiat.

Vers. 19. *Hæc enim est voluntas Dei, in Christo Jesu.* Per Christum Jesum declarata.

Erga vos. Causam exprimit superiorum omnium præceptorum. Hæc vos facere vult & jubet Deus per Christum Jesum. Hæc enim maxime Christianis conveniunt, quos Deus per fidem in Christum Jesum suscepit pro filiis.

Vers. 20. *Spiritum*, nempe Sanctum, neque enim hic naturalis intelligitur spiritus quem extinguere, vita privare significaret, *non exstinguite.* Sive in vobis ipsis, sive in aliis. Comparat Spiritum Sanctum igni ardenti in cordibus nostris, hunc exstinguunt in seipsis qui eum non perpetuo fovent & excitant in seipsis, qui eum negligunt. Vide 1 Tim. iv. 14. 2 Tim. i. 6. In aliis, qui eum sese in aliis exserentem & micantem contemnunt & insuper habent, vel etiam opprimunt. Vide hic Spiritum Sanctum exstingui dici per metaphoram ab igne. An vero hoc cadit in Deum illum unum? Dona, inquit, & effectum Spiritus Sancti debere intelligi. At quis dona Dei aut effectum non debere exstingui dicere volens, dicat Deum ipsum non debere exstingui? Diceret autem si Spiritus Sanctus Deus esset. Sane Spiritu Sancto exstincto, & dona ejus & effecta cessant, ut exstincto igne, calorem & lucem ejus simul cessare oportet, sed quia ipse Spiritus Sanctus exstingui non debere dicitur, non minus frustra est qui id ad sola dona citra Spiritum Sanctum ipsum referat, quam is qui cum ignis exstingui dicitur, dicat non ignem ipsum, sed sola ignis effecta, calorem nimirum & lucem exstingui, debere intelligi.

Prophetias non contemnite. Hic est unus modus exstinguendi Spiritus Sancti in aliis, cum scilicet Prophetiæ dono, alia præferuntur speciosiora Spiritus Sancti dona, qua de re vide 1 Cor. xiv, nec Prophetis debitus honos habetur in ecclesia, Prophetæ erant qui ea quæ sibi per spiritum revelata essent exponebant in ecclesia 1 Cor. xiv. 3, 6, 22, 24, 29, 30.

Vers. 21. *Omnia probate.* Quasi dicat, sunt enim & falsi Prophetæ. Hinc Joannes Apostolus, *non omni spiritui credite, sed probate spiritus an ex Deo sint* 1 Epistola cap. iv. Permittantur omnes loqui, sed omnia quæ dicunt probanda & examinanda sunt, nempe ad Christianæ religionis principia, tanquam ad lapidem lydium.

Quod bonum est. Quod principiis respondet, & sic bonum esse deprehenditur.

Retinete. Quasi dicat, quod secus habet rejicite.

Vers. 22. *Ab omni specie mali abstinete.* Quasi dicat, nam & id quod speciem habet mali, etiamsi forte malum in se ac per se non sit, gloriæ divinæ & Christianorum existimationi nocet, fugiendum est quidquid non ædificat.

Vers. 23. *Ipse vero Deus pacis.* Ad Deum toto, monitiones & exhortationes suas concludit, quia sine Dei auxilio frustranei sunt conatus, & eorum qui monent, & eorum qui monentur in Christiana præsertim pietate. Deum pacis appellat, per genitivum effecti, quod pacis, id est beatitatis, quæ pacis nomine venit apud Hæbreos, sit auctor, proinde & omnium quæ homines ad beatitatem perducunt, id est, veræ sanctitatis.

Sanctificet vos. Id est, sanctos faciat vos.

Totos. Quantos quantos, ne quidquam sit & remaneat in vobis profanum & impurum.

Et integer vester spiritus. Id est intellectus, per metonymiam causæ, spiritus enim est ea pars nostri qua intelligimus.

Et anima. Id est appetitus, per eandem metonymiam, quia anima est qua appetimus jucunda, fugimus & aversamur adversa, qui animæ nomine venit, non quod anima in hominibus a spiritu sit diversa, quia bruta, quæ etiam appetitum habent, animam habeant, spiritum non habeant. Nam in hominibus alioquin spiritus & anima pro eodem accipitur 1 Petr. i. 9, 22. iv. 19. Nec homines duas animas habent quarum una proprie dicatur spiritus, altera propria & strictiore significatione dicatur anima. Una homini rationalis inest anima, quæ omnes animæ facultates habet, & sentiendi, & appetendi, & loco movendi, & quod supra brutorum animam est, intelligendi & loquendi.

Et corpus. Spiritus nimirum & animæ domicilium ac instrumentum.

Inculpate. Id est, sine culpa, seu culpa ac reprehensione vacuum.

In adventu Domini nostri Jesu Christi. Notat tempus quo si culpa ac reprehensione non vacet, frustra alio tempore vacaverit. Vide supra cap. iii. 13. *Servetur*, nempe a Deo per Christum, postquam scilicet

Deus vos totos sanctos effecerit. Duo enim illis vovet ac præcatur, unum, ut eos totos Deus sanctificet, alterum, ut eos sic sanctificatos servet, sine culpa in adventu Christi, vel in adventum Christi, ut ἐν positum sit pro εἰς ex Hebraismo. Servatur autem integer spiritus, cum nullæ sunt in intellectu pravæ cogitationes, prava consilia ac proposita, pravæ & pietati noxiæ opiniones, sed omnia ei insunt his contraria; anima, cum nihil appetit quod appetendum non est, nihil fugit, quod fugiendum non est; corpus, cum nec se, nec ullum sui membrum præbet spiritui & animæ ad operationem peccati, contra vero, & se & omnia sua membra, præbet ad operationem virtutis.

Vers. 24. *Fidelis* (est) *qui vocavit vos.* Nempe ad regnum suum. Neminem frustratur, neminem fallit, semper bona fide agit, proinde tuto ei semper confiditur. Non vocat ad salutem, quos salvos esse non vult; quod qui affirmant, fidem Dei detrectant.

Qui etiam faciet. Nempe quod dixi, fidei suæ convenienter, ut sic vocationem suam ad finem in vobis perducat.

Vers. 25. *Fratres orate pro nobis.* Etiam sanctissimi pro se preces fieri cupiunt. Nemini enim Deus quidquam debet. Omnia precibus apud Deum emenda sunt.

Vers. 26. *Salutate fratres omnes in osculo.* Id est, osculo, per Hebraismum, *sancto*, opponit osculo profano. Respicit ad Christianorum, qui tum erat sanctum morem, ut ad testandam charitatem Christianam alii alios oscularentur. Suo nomine fratres omnes salutari & osculari petit ab ecclesiæ Senioribus.

Vers. 27. *Adjuro vos*, ecclesiæ seniores ὁρκίζω ὑμᾶς, *per Dominum*, τὸν κύριον Græca phrasi. Ejus similem habes Marc. v. 7, ubi etiam dæmonium Christum per Deum adjurat. Paulus adjurat seniores ecclesiæ per Dominum, id est Christum, quippe qui divinam in omnes potestatem habeat, & omnium actionum nostrarum conscius sit ac vindex, si quis secus faciat quam per ipsum adjuratus est.

Ut legatur hæc Epistola omnibus sanctis fratribus. Id est ecclesiæ toti. Sciebat Apostolus Epistolam in manus seniorum delatum iri. Ideo adjurat eos ac sancte obtestatur per Dominum, ne soli fruantur ejus lectione, sed eam legi faciant omnibus sanctis fratribus, in quibus haud dubie & sorores includit voluit. Nam & ad totam ecclesiam directa erat cap. I. I. Quam igitur Apostolo adversantur, qui sacras literas omnibus legi non permittunt!

Vers. 28. *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum*, intellige *sit*. Solita Pauli subscriptio. AMEN.

Ad Thessalonicenses prima scripta Athenis. Hoc sumptum ex cap. III. 1, 2, 5, 6. Sed an Paulus tam diu substiterit Athenis, donec Timotheus ad eum rediret, ut post reditum ejus, hanc & sequentem Epistolam Athenis scriberet, incertum est valde, imo prope certum est aliter se rem habuisse, ut colligi potest ex cap. I. 8, 9. Hæc enim docent Paulum hanc Epistolam scripsisse post multa loca peragrata, ex quo Thessalonicæ discesserat: at Athenas venerat cito post discessum Thessalonicâ, ex qua deductus est Berœam, Berœa Athenas Act. XVII. 10, 14, 15.

COM-

COMMENTARIUS

IN

posteriorem Epistolam Apostoli

PAULI

AD

THESSALONICENSES.

CAPUT I.

Verf. 1. 2. **P***Aulus* &c. Eadem inſcriptio & ſalutatio quæ in prima, ut hinc appareat, unam poſt aliam recenti ſtylo, nec longo tempore interpoſito ſcriptam eſſe, Sylvano & Timotheo adhuc cum Paulo hærentibus. Nam & quædam uberius declarat, quorum in priore mentionem fecerat, accepto forte de iis poſt priorem Epiſtolam nuntio, ut ſuis locis videbimus.

Verf. 3. *Gratias agere debemus Deo ſemper pro vobis fratres ſicut dignum eſt.* Id eſt eo modo quo dignum eſt, non leviter, non perfunctorie, ſed ſumma cura. Ideo non dicit ſe Deo dignas agere gratias; ne videretur ſibi rem tantam tribuere: ſed ſe debere hoc, idque ſemper, facere. Interea tamen haud dubie faciebat. Vide 1 Theſſ. 1. 2.

Quod valde augeatur (ὑπεραυξάνει) *fides veſtra.* In Chriſtum ſcilicet. Apparet Apoſtolum iterum accepiſſe poſt priorem per Timotheum 1 Theſſ. III. 6, de illis exoptatum nuntium.

Et abundet charitas uniuſcujuſque omnium veſtrum aliorum erga alios. Faciebant quod eos in priore Epiſtola hortatus erat 1 Theſſ. IV. 10.

Verf. 4. *Adeo ut nos ipſi in vobis*, id eſt de vobis, *glorriemur in eccleſiis Dei.* Non ergo Paulus hærebat Athenis cum Epiſtolam hanc ſcriberet. Athenas enim venerat Berœa, Berœam Theſſalonica, nullis adhuc eccleſiis Dei viſis, excepta Berœnſi. Vide Actor. XVII, & quæ ſupra notavimus ad id quod ſubjicitur, Epiſtolam illam eſſe Athenis ſcriptam; quod & de hac affirmatur: ut hinc appareat quam certæ ſint traditiones etiam ſcriptæ, quamvis ſcripturæ præferant auctoritatem, ſed improvide & inconſulto uſurpatam. In priori Epiſtola ſcribit Theſſalonicenſium fidem ab aliis eccleſiis fuiſſe celebratam cap. 1. 9, hic ſcribit, ſe ipſum etiam de Theſſalonicenſibus gloriari. Nimirum a principio non audebat, metuens mutationem; ſed poſtquam vidit eorum conſtantiam, etiam ipſe in gloriationem de iis erumpit, quæ tamen gloriatio tota ferebatur in Dei & Chriſti gloriam.

De tolerantia veſtra. Exponit quo reſpectu de illis glorietur.

Et fide in omnibus perſecutionibus veſtris & afflictionibus quas ſuſtinetis. Fides enim & tolerantia, in perſecutionibus & afflictionibus propter Chriſtum, maxime cernitur. Et tolerantia, fidei in Deum & Chriſtum, effectus eſt. Niſi enim Deo & Chriſto confiderem, cur perſecutiones & afflictiones perſecutionum effecta tolerarem?

Verf. 5. *Demonſtratio.* Quaſi dicat, quæ res, afflictiones nimirum veſtræ, demonſtratio eſt, ſeu manifeſtam demonſtrationem continet. Solatur ipſos efficaciſſimo ſolatio, & animum addit ad perſeverantiam.

Illius juſti judicii Dei. Fore nimirum ut Deus juſtum illud judicium exerceat.

Ut digni cenſeamini regno Dei. Exponit hoc Dei juſtum judicium, ut vos dignos cenſeat regno ſuo.

Pro quo etiam patimini. Id eſt pro cujus etiam adeptione, fidem habentes Dei promiſſionibus, & obtemperantes ejus mandatis, patimini; vel, cujus etiam cauſa & occaſione patimini, dum illum confitemini.

Verf. 6. *Siquidem juſtum* (eſt) *apud Deum.* Quaſi dicat, qui juſtiſſimus eſt, imo juſtitia ipſa, & habet ſupremam in omnia poteſtatem, tanquam Creator & Dominus & Rector & Judex omnium. Probat hoc quod dixit eſſe juſtum Dei judicium.

Reddere affligentibus vos. Intellige, nullo jure, nullo veſtro merito, nulla culpa, imo propter ipſam veritatem ac juſtitiam.

Afflictionem. Par pari referre, afflictionem pro afflictione quam ſentiant, ſicut nos ſentimus.

Verf. 7. *Et vobis.* Summa ſcilicet injuria, & propter ipſam & juſtitiam ac veritatem.

Afflictis relaxationem. Id est, ab afflictionibus omnibus liberationem & dulcem requiem.

Nobiscum. Quorum scilicet iisdem in afflictionibus estis socii. An enim Deus justissimus & sanctissimus & illud impune pateretur fieri, & hoc sine remuneratione dimitteret? An adeo inæqualiter sortem mortalium dispensaret, ut pessimos in regno, optimos in oppressione relinqueret? an suas promissiones desereret, & fidem suis promissionibus habentes, ac pro earum adeptione etiam patientes destitueret? an vel nos Apostolos suos relinqueret, vel vos, una nobiscum afflictos, non etiam una nobiscum reficeret ac recrearet?

In revelatione Domini Jesu de cælo cum Angelis potentibus suis. Notat tempus quando vices istæ futuræ sint. *Angelos potentiæ*, habet textus, per Hebraismum substantivi pro adjectivo.

In igne flammæ. Id est, in igne flammante, per eundem Hebraismum. Docet Dominum Jesum in igne flammante revelatum iri, id est undique igne flammante circumfusum.

Vers. 18. *Dantis*, id est daturi, per temporis enallagen, *vindictam.* Per ignem nimirum illum flammantem in quo revelabitur, hunc ipsum in finem.

Iis qui non norunt Deum. Gentibus profanis, qui idola sua præferunt vero ac vivo Deo, Creatori suo, & atheis, qui Deum esse vel res mortalium curare non credunt, quia Deum non vident.

Et qui non obediunt Euangelio Domini nostri Jesu Christi. Quasi dicat, etiamsi Deum alioquin secundum Legem norint, quales Judæi erant, *non obediunt*, sive non credendo, imo credentes etiam persequendo, sive, etiamsi alioqui credant, vel credere se dicant Euangelio, non faciendo præcepta Euangelii. Describit Jesum Christum ab hoc ipso effectu de quo agitur, reddendæ vicis iis qui nos affligunt propter Euangelium. Cæterum hic nomen Jesu Christi repetitur, & ponitur loco sui pronominis, per Hebraismum.

Vers. 19. *Qui pœnam pendent.* Exponit quid istis futurum sit omnibus. Unde consequitur eos, si ante Christi moriantur & mortui sint adventum, (quorum sane maximus est & erit numerus,) resuscitatum iri. Alioquin enim pœnam & afflictionem nullam sentirent. In quo sane maxima vicis esset inæqualitas. Ideo credimus resurrectionem justorum & injustorum. Hæ sunt duæ nostræ Christianæ fidei partes; quarum qui posteriorem non habet, dimidiatam tantum habet Christianam fidem.

Exitium æternum. Declarat hanc pœnam per appositionem: mittentur nimirum in ignem æternum Matth. xv. 41, 46, seu igne illo qui cum Christo erit, in æternum perdentur.

A facie Domini. Id est Christi, cujus Euangelio non obediverunt, a facie ejus, impiis terribili, perveniet hæc pœna.

Et a gloria virium ejus. Id est, a viribus ejus gloriosissimis & divinæ majestatis plenissimis. Idem qui paulo ante vers. 7, 8 Hebraismus. A judicis enim facie ac vultu & majestate decreta procedunt & executioni mandantur.

Vers. 20. *Quando veniet.* Quasi dicat, quando, inquam, veniet: jam enim dixerat in revelatione & consequenter in adventu Christi id futurum vers. 7, 8.

Ut glorificetur in sanctis suis Nunc etiam exponit quæ futura sit sors sanctorum in eodem illo Christi adventu, quorum causa principaliter & primario veniet, & ab his etiam maximum illud & divinissimum extremi judicii opus incipiet. Horum salute perfecta, deinde etiam ad impios perdendos faciem ac majestatem suam convertet. Ita & impii spectatores erunt beatitatis piorum, & pii damnationis & exitii impiorum. Glorificabitur autem in sanctis suis Christus, id est, in iis quos a mundo & profanis hominibus secrevit per fidem & obedientiam veritatis; cum alios ex mortuis resuscitabit incorruptibiles, alios quos viventes inveniet, momento quemque immutabit, & ex mortali faciet immortalem, & utrosque in iis corporibus exhibebit quæ solis instar radiabunt. Ex hoc enim tanto suo opere immensam gloriam potentiæ, sapientiæ, bonitatis consequetur. Sicut ergo suam maximam gloriam deserere non potest Christus, sic neque suorum salutem deseret.

Et admirandus fiat. Eodem nimirum illo opere.

In omnibus credentibus quod creditum sit testimonium nostrum erga vos. Id est credentibus, *quod testimonium nostrum*, nempe de Christo, de salute per fidem in Christum adipiscenda, *sit creditum*, id est concreditum nobis, nempe à Deo & Christo, *erga vos.* Gentes scilicet, ut vobis Gentibus fidem in Christum annuntiemus per quam servemini: quod, inquam, vobis Gentibus non nostro consilio, sed divino jussu ac mandato prædicemus. Nam hoc credere, fides erat peculiariter Deo grata, quippe peculiarem etiam Dei gratiam pro objecto habens, & Christus peculiariter admirandus erit in salute Gentium per fidem in se.

In die illo. Notat tempus vel adventus Christi, vel, quod perinde est, tanti operis Christi, nempe diem illum ultimum; qui quo seculo, multo minus quo anno sit venturus, nemo novit. Hoc certum est quod venturus sit. Nam & morte nihil est certius, hora mortis nihil incertius.

Vers. 11. *In quod etiam*, id est in quem finem etiam, *precamur semper pro vobis.* Dixit de perpetua gratiarum actione pro illis ÿ. 3, nunc etiam dicit de perpetuis pro illorum salute precibus suis, ut quam sibi sint chari testetur, & simul moneat quam illi ipsi pro se debeant in precibus esse impigri & assidui.

Ut vos dignos censeat vocatione Deus noster. Exponit quid precetur pro illis, id est ut vos dignos censeat Regni sui, ad quod per Euangelium vocat, metonymia adjuncti pro subjecto.

Et impleat. Id est, ad effectum perducat,

Omne beneplacitum bonitatis. Nempe suæ, per genitivum causæ, placuit illi pro sua immensa bonitate destinare credentibus regni cælestis hæreditatem Luc. XII. 32, hoc ut impleat in vobis semper oramus & precamur.

Et opus fidei. Id est quod fides operatur apud Deum, itidem per genitivum causæ efficientis.

Intelligit

Intelligit opus salutis. Nam sicut ex Dei parte beneplacitum bonitatis ejus est causa salutis nostræ, sic ex nostra parte debet accedere fides in Deum, quæ est hypostasis eorum quæ sperantur, ad salutis nostræ opus perficiendum.

In potentia. Id est per potentiam, suam nimirum, ut modo de bonitate. Bonitas Dei fecit ut nobis regnum suum decerneret; potentia faciet, ut nos in illud deducat, & fidei nostræ effectum nobis exhibeat. Ita fiet ut hypostasis rerum quæ sperantur reddatur hypostasis rerum præsentium & exhibitarum.

Vers. 12. *Ut glorificetur*, id est ut sic glorificetur, *nomen Domini Jesu Christi in vobis.* Eo scilicet quo dictum est modo ℣s. 10. Per Christum enim Deus omnia faciet.

Et vos in ipso. Id est per ipsum, intellige glorificemini, gloria nimirum illa cælesti.

Secundum, id est per, *gratiam Dei nostri.* Qua scilicet omnes credentes in Christum servare vult, etiam profanas gentes & homines antea impios.

Et Domini Jesu Christi. Quasi dicat, cujus gratia, tanquam Domini nostri, gratiæ Dei nostri in salute nostra cooperatur. Unde etiam gratia vovetur & pax à Deo, Patre nostro & à Jesu Christo Domino nostro.

CAPUT II.

Vers. 1. R*Ogamus autem vos fratres per* (ὑπὲρ) *adventum Domini nostri Jesu Christi.* Quasi dicat, de quo modo egimus, cap. 1. ℣s. 7, 8, 9, 10, & de quo priore epistola ad vos scripsi cap. IV. 16. *Et nostri congregationem ad ipsum*, ibidem ℣s. 17.

Vers. 2. *Ut non celeriter moveamini a mente.* Quam scilicet semel vobis indidimus de die illo & adventu Christi, quod nemo sciat quando futurus sit, vide 1 Thess. v. 1, 2. Tum demum licebit ab hac mente moveri, cum solem & lunam obscurari, stellas de firmamento cadere, & ipsum firmamentum concuti ac commoveri videritis Matth. XXIV. 29.

Neque turbemini. Ut fieri solet rebus in trepidis.

Neque per spiritum. Ejus scilicet qui se Prophetam & per spiritum loqui dicat; mendax & ementitus est hic spiritus, qui diem adventus Christi definit.

Neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos. Nempe proditam. Qui nostram hic auctoritatem prætendat, decipit. Vide quam traditionibus credendum non sit, si cum doctrina semel & ab initio tradita non consentiant, & quam falso homines allegare possint sermonem tanquam ab Apostolis dictum vel scriptum! Hinc Paulus, ut deceptioni isti locum præcluderet, epistolas suas manu sua signare solitus erat certis verbis. Vide cap. iij. 17, 18.

Quasi quod institerit ille dies Christi. Quasi dicat, ita enim definiretur tempus diei illius Christi.

Vers. 3. *Nemo vos decipiat secundum ullum modum.* Id est ne patiamini vos decipi ullo modo. Noxia est hæc deceptio. Nam si res non eveniat, facilè fides de adventu Christi convelli queat. Apparet non defuisse qui sibi & aliis brevi Christum pollicerentur adventurum, ipsosque Thessalonicenses hac de re Apostolum consuluisse, aut saltem Apostolum intellexisse, admonitionem hanc Thessalonicensibus apprime necessariam esse. Verum quidem est nos singulis diebus ac horis in Christi adventum intentos & paratos esse debere; sed hoc fit ob id ipsum quod diem & horam ignoremus, & quod mors vicem diei illius hactenus obtineat, quatenus mortuis nullum est inter mortem & diem illam tempus. Hoc sensu certe dies ille Domini semper instat & in proximo est; sed anni & secula ad diem illum definiri non debent; cum fieri possit ut Deus longiora adhuc tempora velit interlabi, quo plures serventur & multa perficiantur ad gloriam ejus pertinentia. Si Christus ante centum, verbi causa, venisset annos, Quid nobis futurum erat? Apud Dominum mille anni sunt sicut unus dies, idem sit & apud mortuos. Illo certe tempore, quo Apostolus hæc scribebat, venite debebat adhuc Antichristus, quod & statim dicit, eos qui diem illum Christi, seculorum præsentium, seu mundi totius respectu, instītisse dicebant, refutans & coarguans. Ipse sane Apostolus gloriam precatur Deo, in ecclesia, in Christo Jesu, in omnes generationes seculi seculorum Amen Eph. iij. 21, quod ad hæc, non ad futura secula pertinet, vide etiam 2 Petr. iij. 8, 9, 15.

Quia nisi veniat Apostasia primum, intellige, *non veniet illa dies Christi.* Est enim oratio Apostoli imperfecta. Causam adfert sui moniti. Oportet, inquit, ut apostasia primum veniat, quam veniat dies Christi. At apostasia viventibus Apostolis venire non poterat. Intelligitur enim universalis & catholica defectio a veritate pura, per Apostolos tradita. Hoc ergo prius futurum erat, ut Deus permitteret puram illam & sanctam veritatem pravis opinionibus & dogmatis infici, hæreses perditionis, ut Petrus loquitur 2 Petr. 2. 1, induci, ad quas sese converterent universi, & si qui usquam essent puræ veritatis retinentes, eos damnarent & odiis persequerentur. Quin & permitteret venire, qui se majorem Jesu Christo Prophetam ferret, & innumeram Christianorum multitudinem à Christo ad se seduceret. Non difficilis nobis est horum & sequentium Apostoli verborum intellectus, cum eorum interpretem eventum, ante oculos habeamus.

Et reveletur homo ille peccati. Id est homo ille peccator, Hebræa phrasi, intellige & hic, non revelabitur Dominus noster Jesus Christus. Homo ille revelandus erat, per sui exortum à Deo prævisum & prædictum. Neque enim Apostoli, hominis istius exortum prædicere potuissent, nisi per spiritum propheticum à Deo sibi communicatum, ut ex rerum istarum eventu, divinos eos fuisse viros appareret. Post universalem & catholicam à pura veritate defectionem, exoriturus erat homo ille peccator, cum articulo emphatico ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ille insignis, ille a me & aliis Apostolis prædictus, & Antichristus nominatus; qui si pura mansisset veritas, haud unquam exoriri potuisset. Cur eum peccatorem κατ' ἐξοχὴν dicat, (nam alioquin etiam omnes homines peccatores sunt,) in sequentibus docet.

Filius ille perditionis. Id est perditus & exitio devotus, eodem Hebraismo, consequens prioris. Homo enim peccati non potest filius perditionis non esse. Sic & Christus Judam filium perditionis appellat Joan. xvij. 12. Nec refert si homo iste successores sui peccati habeat. Omnes enim unum hoc habent nomen, homo ille peccati, filius ille perditionis, Antichristus ille. Plures erant Babyloniæ Reges, omnes tamen unum habebant nomen Regis Babyloniæ Esai. xiv. 4.

Vers. 4. *Qui sese opponit.* Intellige, omni humanæ potestati. Describit & depingit istum hominem vivis coloribus ut agnosci possit, & ut hinc simul appareat quam sit homo peccati, & quam merito perditionis filius.

Et sese effert supra omne quod dicitur Deus. Id est supra omnes reges & summas in terris potestates, quibus Deorum nomen Scriptura tribuit.

Aut augustum, σέβασμα. Id est supra Imperatores, qui σεβαστοὶ appellantur Act. xxv. 21, supra id, inquam, omne quod augustum, venerandum, sacræ majestatis, inter cæteros mortales habetur & appellatur.

Adeo ut in templo Dei. Quasi dicat, in quo nemini regnare & dominari fas, præter solum Deum & Christum ejus. *In templo Dei,* id est in ecclesia, ecclesiæ Christi, & templi Dei nomen, etiamsi corruptissima futura sit, semper retinente.

Ut Deus sedeat. Non ut unus ex ministris ecclesiæ, sed ut Deus, quem omnes venerabundi adorent, cujus pedes osculentur etiam summi Reges & Imperatores.

Demonstrans seipsum quod sit Deus. Non unus ille, neque enim additur in Græco articulus ad vocem Dei, qui significationem ejus ad excellentiam referat; sed unius illius Dei & Christi ejus in terris vicarius, cui omnia in ecclesia agere fas sit; proinde longè augustiore sensu Deus, quam omnes alii qui dicuntur in terris Dii: ita ut sicut Christo ab omnibus Regibus & Imperatoribus debeatur summa veneratio, sic & ipsi Christi tali vicario. Non loquitur hic Apostolus de idolis aut falsis Diis, quos contemnere & pro nihilo ducere, cum nihil sint, meritum est; nec loquitur de cælestibus, quos negare quidem homo mortalis potest, sed supra eos efferre se non potest. Quos tamen iste homo negaturus verbis non erat, præsertim unum illum & absolute dictum Deum, cum ob idipsum templum ejus invasurus esset, ut sese vicarium ejus ferret.

Vers. 5. *Non meministis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dixerim vobis?* Quasi dicat, non hæc nunc primum vobis dico; jam tum cum adhuc apud vos essem, vobis à me sunt dicta, ut nullo modo pati debeatis vos seduci, quasi jam instet dies Christi. Passim Apostoli prædicebant per spiritum Propheticum adulteratum iri divinam veritatem, & inde oriturum Antichristum 1 Tim. iv. 1, ubi etiam est verbum ἀποστήσονται 2 Tim. iij. 1, 2 & seqq. iv. 3, 4, 2 Petr. 2. 1 & seqq. 1 Joan. 2. 18, 19, 22, 26. iv. 1, 3, 5.

Vers. 6. *Et nunc quid retineat scitis.* Transpositio quædam est in his verbis, quorum naturalis situs est, *Et scitis quid nunc retineat*, quod patet ex sequenti versu. Sciebant autem quia hoc etiam illis ab Apostolo dictum fuerat, ad majorem rei certitudinem, quod scribere in epistola consultum non putavit, sufficere debebat quod id suo sermone inscripsisset eorum animis ac memoriæ.

Ut. Intellige, eo quod nunc retinet amoto & sublato.

Reveletur is suo tempore. Significat eum non quidem ita cito revelatum iri; sed tamen certo: quam primum scilicet id qnod nunc retinet, sublatum fuerit. Habere sicut omnia, sic & hominem istum suum tempus quo prodeat in lucem, interea velut in utero formandum esse.

Vers. 7. *Hoc enim mysterium jam operatur iniquitatis.* Causam affert cur certum sit eum suo tempore revelatum iri. Sunt vero & hæc verba naturaliter sic collocanda. Hoc enim mysterium iniquitatis jam operatur.

Rem hanc vocat *mysterium*, quod esset adhuc occulta & tacita.

Iniquitatis, τῆς ἀνομίας. Quod esset prorsus ἄνομος, omnibus divinis & humanis legibus contraria. Hinc mox hominem istum ἄνομον appellat. *Mysterium iniquitatis*, per Hebraismum dicitur mysterium iniquitatis plenissimum.

Jam operatur. Jam est in opere, non otiatur. Mysterio isti tribuit operationem per prosopopoëiam, id est jam disponit animos ad apostasiam à fide veritatis, & puri Euangelii. Jam hominibus inserere & instillare sensim incipit pravas & noxias opiniones, quibus Euangelium Christi aptetur ad hominum affectus & vitiosos mores, & sic via sternatur suo adventui. Si enim Christi doctrina mansisset pura, nunquam tanta hominum multitudo accessisset, quorum favore & opera mysterium hoc ad effectum perduceretur, nec quisquam puræ adhærens veritati talia aggredi in animum induceret. Hinc idem Apostolus Seniores ecclesiæ Ephesinæ alloquens: *Ego scio*, inquit, *quod ingressuri sint post exitum meum lupi graves ad vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis consurgent viri loquentes perversa ut abstrahant discipulos post se* Act. xx. 29, 30. Quod autem in ecclesia Ephesina brevi eventum erat, quis dubitet & in aliis ecclesiis usu venisse? Docet hic locus, mysterium istud iniquitatis jam pridem effectum suum sortitum esse, siquidem viventibus adhuc Apostolis operari cœperit. Nam quod hæc Magnus ille Hugo trahat ad Caligulam, frustra est, ut libello illo contra ipsum ostendimus.

Tantum qui retinet nunc donec è medio fiat. Et hæc verba transposita sunt, quorum proprius est hic ordo, *donec tantum è medio fiat qui nunc retinet.* Hic verò Imperator erat Romanus, qui quam diu suam illam retinebat majestatem, fieri nnn poterat ut homo iste caput in tantum attolleret, imo Imperatori subjectus non esset. Dicit ergo Apostolus mysterium hoc ita rem suam agere ac disponere, ut, ubi Romanorum Imperator è medio sublatus fuerit, & sic Romani majestas imperii conciderit, tum hominem illum proditurum, & non rempublicam Romanam, sed quæ respublicas omnes complexa est, ecclesiam & domum Dei dominatione invasurum; quæ profecto, si vera, si justa, si à Deo profecta sit, mereatur omnino Dei titulum, & Regum ac Imperatorum omnium devotam venerationem. Cæterum civilis imperii majestatem id pati non posse, docet Oriens: ubi Romani imperii majestas in Turcicum concessit statum,

sub

sub quo subjecti sunt omnes Imperatori, nec ullus isti ad hoc eluctari potuit fastigium; quamvis non defuerint quibus hic conatus non displicuisset. Quo enim pertinebat universalis Episcopi in Patriarcha Constantinopolitano affectatio? Prædixit hic Apostolus Romani Imperii non multis post seculis occasum, quem & secutum esse videmus, & ex hoc occasu, hominis istius exortum. Omnia divinitatis plenissima sunt, & ad animos nostros, qui hæc omnia evenisse videmus & spectamus, in fide Christianâ confirmandos efficacissima. Quia vero periculosum erat de imperii Romani interitu scribere, ideo Apostolus id reticet, & eos remittit ad oretenus à se dicta.

Vers. 8. *Et tunc.* Nempe cum è medio sublatus fuerit is qui retinet: quasi dicat, nam etiamsi omnia interim ad maturitatem veniant; nisi tamen hic removeatur; homo ille non veniet, sed illo excedente, res confecta erit.

Et tunc revelabitur, ille iniquus ὁ ἄνομος. Respicit *ad ministerium iniquitatis*, τῆς ἀνομίας. ille qui contra omnes divinas & humanas leges rem tantam audebit, qui proinde etiam sævus erit, omnes qui vel mutire contra se fuerint ausi, ferro & flammis, eadem ἀνομίᾳ & iniquitate persequens. Magnus Hugo Simonem hîc intrusit Magum, nulla vel occasione vel textus cohærentia, imo contra contextum omnem, & extra rem de qua agebatur.

Quem Dominus perdet. Dixerat Domini diem non venturum nisi primum veniat apostasia, & reveletur homo ille peccati, dixit etiam quando revelandus esset; nunc ergo dicendum restabat de adventu Christi, de hoc enim res erat. Dicit igitur Apostolus, *quem Dominus perdet spiritu oris sui, & destruet apparitione adventus sui.* Significat hominem hunc ad Christi mansurum adventum, & à Christo adveniente perditum iri.

Spiritu oris sui. Id est jussu suo. Nam cum loquimur, spiritum ex ore emittimus. Facile erit Domino ipsum conficere, spiritum tantum emittet ex ore suo, & protinus illum perdet & destruet.

Apparitione, τῇ ἐπιφανείᾳ, *adventus sui.* Nempè ad judicium extremum. De hoc enim agebatur adventu cap. 1.7 & sequentibus. Apparitioni adventus Christi hoc tribuit, quia id tum fiet, & in hoc ipsum etiam Christus veniet.

Vers. 9. *Cujus.* Nempe τοῦ ἀνόμου. Locus hic docet pronomen non semper ad proxime nominatum referri, & rem magis respiciendam esse quam ordinem vocum. *Est*, id est erit, per temporis enallagen.

Adventus. Id est exortus & in mundo præsentia.

Secundum efficaciam. Id est per efficaciam Satanæ, qui causam ejus, quippe Deo contrariam, totis viribus promovebit.

In omni, id est cum omni, *virtute.* Id est miraculis, per metonymiam causæ.

Et signis & prodigiis. Exponit virtutis vocem,

Mendacibus. Quia pro mendacio fient, & quia præstigiæ potius erunt quam res vera. Eventus id docuit. Nulla enim re magis quam miraculis gloriantur, ut seipsos convincant; cum divina miracula post fidem Christi satis superque confirmatam cessarint, & ut cessarent par fuerit. Hoc addit Apostolus, ut ostendat quibus adjutus rebus in tantum fastigium sese potuerit evehere.

Vers. 10. *Et in omni*, id est cum omni, *deceptione injustitiæ.* Id est quæ ad injustitiam promovendam solet adhiberi, cum omnis generis imposturis. Non enim semper miracula fiunt, sæpe mendacia sunt & humanæ fraudes. Injustitia hic opponitur veritati, vide ỹ. 12, & ponitur pro mendacio.

In iis qui pereunt. Exponit in quibus hæc effectum sint habitura.

Eo quod amorem veritatis non receperint, ut servarentur. Docet cur pereant, & sic qui sint qui pereant. Amorem veritatis non recipere est veritatem non amare, ut eam recipias, ei credas, & secundum eam te geras. Pereunt igitur, quia veritatis amorem, cum scilicet pura & casta esset, recipere noluerunt ut servarentur. Nemo perit ex Dei causa, sed quisque sua culpa. Ultus est Deus contemptum puræ veritatis, ut quia puram veritatem Christianam recipere noluerunt, variis mendaciis depravatam reciperent.

Vers. 11. *Et propter hoc mittet eis Deus efficaciam erroris.* Id est efficacem errorem, per Hebraismum duorum substantivorum, id est patietur eis adferri efficacem errorem justissimo suo judicio.

Ut credant mendacio. Noluerunt puræ veritati credere, meriti sunt ut mendacio credant. Noluerunt credere Jesum hominem, esse Deum, ab uno illo Deo factum, credant igitur eum esse ipsum illum unum Deum. Noluerunt eum divinis honoribus afficere, quem ipse Deus fecit Deum, faciant ergo ipsi sibi Deos, & illis honorem & cultum exhibeant. Noluerunt credere divinis oraculis, credant igitur hominum commentis. Nolunt legere Sancta Biblia, legant ergo fabulas, noluerunt in vera justitia & sanctitate vivere, vitam ergo per superstitiones exerceant & fatigent. Quæ omnia sicut hominem istum protulerunt, sic per eum maxime auctoranda & augenda erat. Machometes ipse, qui Orientem seduxit, id suæ præfabatur disciplinæ, quod esset a Deo missus, (plane congruenter his Pauli verbis.

Et mittet eis Deus efficaciam erroris. Ut homines aliam legem doceret, cum legem a Jesu Christo traditam non servent. Vera locutus est, nolens, non secus ac olim Caiphas, Deo linguam sic ejus dirigente, ut quamvis aliud cogitaret & intenderet; tamen diceret quod verum erat. Nam & Machometes mendacia docuit, quia veritati puræ credere & secundum eam vivere nolebant. Nimirum per quæ quis peccat, per eadem & punitur.

Vers. 12. *Ut judicentur omnes.* Id est ut nullam excusationem habeant, & sic judicentur omnes, per metonymiam synecdochicam. Effectum ponit, non pro causa, sed intellecta simul causa. Intelligitur autem simul & damnatio ac punitio, judicii effectus.

Qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitia. Id est in mendacio. Quid enim poterunt obtendere? Crediderunt & acquieverunt in mendacio, & veritati, quam diu pura prædicabatur, noluerunt

luerunt credere. Credo efficaciam in se majorem habuit mendacium quam veritas! Habuit sane majorem; sed in animis eorum improbis: quia veritas ducebat ad omnem justitiam; mendacium, sicut ipsum per se injustum est, sic & omni injustitiæ manum porrigit & patrocinatur. Et hæc est causa cur Apostolus injustitiæ potiùs quam mendacii vocem veritati maluerit opponere. Veritatem oderunt homines, quia dux est omnis justitiæ: mendacium amant, quia ei cum alia omni injustitia probe convenit. Nam alioquin veritas ab Apostolis prædicata maximam in se habuit efficaciam, tot divinitatis argumentis confirmata; sed animus ab ea aversus obstitit, qui ubi mendacium venit, ut in se causam esse ostenderet, non difficulter ad illud conversus est.

Vers. 13. *Nos vero debemus gratias agere Deo semper pro vobis.* Vide cap. 1. 3.

Fratres dilecti a Domino. Quasi dicat, non tantum a nobis sed etiam ab ipso Domino, cum non tantum in eum credatis, secundum ejus præcepta vivatis; sed etiam pro ejus nomine patiamini cap. 1. 3, 4.

Quod elegerit vos a principio in salutem. Antequam nimirum veniret apostasia & depravatio veritatis, per varias inductas hæreses & dogmata perniciosa: quasi dicat, nam corruptam Christianam religionem suscepisse, quod illo tempore passim fiet, non multum profuerit ad salutem. Vox *principii*, ad rem subjectam refertur, nempe ad principium Euangelii.

In sanctificatione spiritus. Id est per sanctificationem spiritus. Exponit quomodo fuerint à Deo electi ad salutem, nempe per sanctificationem spiritus, id est per id quod eos Deus sanctificaverit, dato iis Spiritu Sancto. Sanctificatio spiritus, per genitivum medii, dicitur pro sanctificatione quæ fit per Spiritum Sanctum.

Et fide, id est per fidem, *veritatis*. Veritati puræ qualis ab initio prædicabatur adhibitam, per genitivum objecti. Hoc alterum est per quod à Deo electi erant. Illud ex parte Dei dabatur, hoc ex parte fiebat hominum, illud consequebatur, hoc præcedebat. Illud tamen præponitur, hoc postponitur; quia quæ ex parte Dei fiunt, majora sunt quam quæ fiunt ex parte hominum, seu in quibus etiam hominum aliqua pars est, quanquam & hoc est à Deo, quatenus hominibus credendi, & causas, & occasiones, & facultatem omnem præbet.

Vers. 14. *In quod.* Nempe ut vos eligeret.

Vocavit vos per Euangelium nostrum. Qui sumus Apostoli Christi, qui puram putam veritatem prædicamus.

In acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi. Docet in quid eos vocarit, in id nimirum ut gloriam Domini nostri Jesu Christi acquirerent, per fidem in ipsum & fidei fructus, & per communitatem afflictionum ejus, in quibus qui communicant, etiam communicabunt in gloria. Gloria Domini nostri Jesu Christi quanta sit, nec assequi cogitatione, nec eloqui datur, videre eam eaque etiam potiri dabitur.

Vers. 15. *Ergo igitur fratres, state.* Ne patiamini vos dimoveri à fide in Christum, & nominis ejus confessione.

Et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram. Epistolam dicit non epistolas, quod potiùs dixisset si plures scripsisset. Epistolam ergo scripsit ante hanc. At quam aliam nisi quæ exstat? Ut frustra sit Magnus ille Hugo, qui hanc, proposito suo serviens, illâ quæ prior constanti & perpetua traditione dicitur, longe priorem asseverat. Urgent hunc locum pro traditionibus non scriptis, & pro scriptis non sufficientibus; cum non frustra Apostolus utrasque conjunxerit. Hoc quidem respectu Thessalonicensium verum est; quanquam non puto quidquam in epistola ad salutem necessarium esse scriptum, quod iis ab Apostolo non esset dictum. Mysterium aliquod scribi potuit, aut quod generaliùs dictum erat, specialiùs per literas, usu sic ferente, exponi; sed quæ ab Apostolis prædicata sunt, non esse omnia ad salutem necessaria, sacris quæ exstant literis mandata, id vero ex hoc loco non colligitur. Non sequitur enim, si una epistola ad Thessalonicenses non complectatur omnia ad salutem necessaria; nec omnes quæ habentur sanctas epistolas simul conjunctas, cum Euangelistarum scriptis, & Apostolorum Actis, adjuncta etiam universa Veteri Scriptura, eadem complecti. O si quis eam fidem habeat in Deum & Christum, eos fidei fructus qui luculenter sacris in Literis descripti sunt, næ ille vere sanctus & exactus sit Christianus! Vult Apostolus ut traditiones istas non tantum memoria fideliter teneant, sed etiam diligenter observent & exequantur, sed præter has nullas alias.

Vers. 16. *Ipse vero Dominus noster Jesus Christus.* Voto ad Christum monitionem superiorem concludit. Unde patet Christum, quippe Dominum, in ecclesia regnare, & ad eum vota rite nuncupari.

Et Deus, nempe ille unus.

Et Pater noster. Jesus Christus est Dominus noster, unius illius Dei beneficio, Deus autem ille unus, est Pater noster qui credimus in Christum.

Qui dilexit nos. Id est diligit, per Hebraismum, tanquam Pater filios.

Et dedit consolationem æternam. Dum scilicet nos pro filiis suscepit.

Et spem bonam. Nimirum cælestis hæreditatis.

In gratia. Id est per gratiam, non per legem, pro qua nobis dedit spiritum adoptionis, qui nos perpetuò regat.

Vers. 17. *Consoletur vestra corda.* Speciali nimirum solatio, per Spiritum Sanctum in afflictionibus vestris.

Et confirmet vos in omni sermone. Ut ei adhæreatis.

Et opere bono. Ut illud constanter faciatis, nullis afflictionibus fracti & deterriti. Vox *bono* ad utrumque refertur, & ad sermonem & ad opus.

CAPUT

CAPUT III.

Vers. 1. Q*Uod reliquum est, orate fratres pro nobis ut sermo Domini currat.* Id est, ut Euangelium Christi propagetur, proinde ut Deus nobis ea omnia largiatur quæ huic fini inserviant.

Et glorificetur. In tanta gloria & celebritate sit.

Sicut apud vos. 1 Thess. 1. 7, 8, 9, & supra cap. 1. 3, 4. Docemur piorum precibus plurimum juvari Christi servos in suo ministerio. Docemur etiam à sanctissimis & maximis viris eas postulari debere. Non postulat Apostolus preces pro se ut sua commoda augeantur; sed ut suâ operâ, Dei gloria quammaxime promoveatur. Hic præcipuus Christianorum scopus est.

Vers. 2. *Ut eripiamur.* Nempe eidem illi fini, tam nos quam vos.

Ab incongruis & malis hominibus, ἀπὸ τῶν ἀτόπων καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων. Qui scilicet vitæ nostræ insidiantur, & divinæ veritatis promotionem omnibus modis cupiunt & quærunt impedire.

Non enim omnium (est) *fides.* Id est non omnes ita sunt comparati ut Euangelio credant, ne quis dicat eos ad fidem convertendos esse. Hoc quidem optimum foret, sed non omnes patiuntur se converti, implacabiles divinæ veritati. Vel sensus est, non omnibus credendum est, multi sunt valde infidi, & sic apte consequitur, *fidelis autem est Dominus*: quasi dicat, quæcunque sit hominum perfidia.

Vers. 3. *Fidelis autem est Dominus*, ὁ Κύριος. Id est Christus.

Qui confirmabit vos. In fide scilicet, ne ab ea deficiatis, aut quidquam ei contrarium faciatis. Jam sui oblitus, de solis Thessalonicensibus satagit.

Et custodiet à malo, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Ne scilicet vobis noceat. Faciet Dominus quidquid fidei suæ conveniens est: quasi dicat, non frustra oraveritis. Vide Christi fidem in ecclesia curanda.

Vers. 4. *Confidimus autem in Domino*, *de vobis*, ἐφ' ὑμᾶς Marc. IX. 12, *quod quæ mandamus vobis & facitis & facietis.* Non dicit confidimus vobis vel in vobis, sed in Domino de vobis: Dominus enim est qui operatur omnia in credentibus. Vide iterum quam præsens & actuosus in ecclesia sit Christus, quod & sequens docet versiculus. Tacite tamen eos admonet officii. Christus enim ita in nobis operatur omnia, ut tamen & nostro relinquat locum officio. Alias enim nullis adhortationibus foret opus. Nam & hic eximius adhortandi modus est, tantam de aliquo, idque in ipso Domino, habere fiduciam, & tantum illi tribuere, ut fiduciam de se in Domino destituturus non sit.

Vers. 5. *Dominus autem.* Nempe idem ille: quasi dicat, & vos quidem facitis & facietis, Dominus autem suo accedens auxilio & spiritu,

Dirigat corda vestra in dilectionem Dei. Nempe illius unius, in qua continetur observatio mandatorum ejus.

Et in exspectationem Christi. Id est sui. Nomen repetit loco pronominis, per Hebraismum. Vide supra cap. 1. 7, 8, & 1 Thess. 1. 1. 12, 13, 1 Tim. 1. 14. Voto concludit ut solet adhortationem. Recte autem conjungit hæc duo, dilectionem Dei & exspectationem Christi. Nam qui Deum diligunt, merito Christum exspectant: iis enim veniet ad salutem. Idem fecit & 1 Thess. 1. 9, 10, Tit. 2. 12, 13. Ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ. Ὑπομονὴ hoc loco significat exspectationem: nam ὑπομένω significat etiam *exspecto*, ut Psal. xvij ὑπόμεινον τὸν Κύριον, *exspecta Dominum*, Psal. LX. 2 ὑπομένων ὑπέμεινα, exspectans exspectavi.

Vers. 8. *Mandamus autem vobis fratres.* Unum adhuc mandatum apponit.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Quasi dicat, ne id pro nostro, non pro Domini ipsius mandato habeatis. *Ut subducatis vos ab omni fratre qui inordinate ambulat.* Id est à conversatione & convictu cum ipso 1 Cor. v. 11, ne ipsius vitium toti impingatur ecclesiæ, & ut ipse pudefiat, vide infra ℣. 14.

Et non secundum traditionem quam accepistis a nobis. Exponit quid sit inordinate ambulare. Designat nominatim, ut patet ex sequentibus & ℣. 11, traditionem, ut quisque propriis manibus operetur, ne aliis sit oneri. Vide 1 Thess. IV. 11, 12.

Vers. 7. *Ipsi enim scitis quomodo oporteat imitari nos.* Quasi dicat, ut mirum non sit quod vos subducere debeatis ab inordinate ambulantibus. Vides exempla pietatis non debere in solis ecclesiæ ministris consistere, sed oportere ut omnes ea imitentur. Vide 1 Cor. XI. 1.

Quia non inordinate egimus in vobis. Id est inter vos. Nihil contra bonum ordinem, nihil contra decorum fecimus, Caussam addit cur se imitari oporteat. Jure Apostolus ab aliis exigit quæ ipse præstet, & quorum exempla præbuit.

Vers. 8. *Neque gratis panem edimus à quoquam.* A genere descendit ad speciem, quam hic spectat, & significat eum inordinatè ambulare qui gratis panem edit ab aliis, nempe consuete & communiter, quod proprio labore victum quærere nolit.

Sed in labore & molestia. Id est cum labore & molestia panem edimus.

Noctem & diem operantes. Nempe propriis manibus. Exponit illum laborem & molestiam. Nec mirum, cum Apostolus prædicatione Euangelii destineretur, nec ullam rei bene gerendæ occasionem prætermitteret. *Ne oneraremus quenquam vestrum.* Quasi dicat, nobis oneri maluimus esse quam ulli vestrum. Vide quam opera danda sit homini vere pio ne cuiquam sit oneri; sed ut aliis sit allevamento.

Vers. 9. *Non quod non habeamus potestatem.* Nempe nos Christi ministri, panem illorum edere quos ad Christum convertimus, & multo veriore ac cælesti pane pavimus.

Sed ut nosipsos exemplum demus vobis ut imitemini nos. Intellige, potestate nostra non sumus usi. Quid ergo prætendere poterunt qui panem alienum edunt, cujus edendi nullam potestatem, nullum jus habent? Hic obsecro videant quomodo imitentur Apostolum, cujus tamen imitatores esse volunt!

Vers. 10. *Etenim cum essemus apud vos, hoc mandavimus vobis, ut* (in Græco est ὅτι pro ἵνα,) *si quis nolit operari, neque edat.* Quasi dicat, proinde mirum non est, quod ut hoc animis vestris penitus infigeremus exemplum in nobis ipsis, minime alioquin ad id obligati, proponere & relinquere

vobis voluerimus. Non dicit Apostolus, si quis non operetur, sed si quis operari nolit, cum scilicet possit & debeat, etiam non edat. Multi enim sunt qui non operantur, quia id facere non possunt, quibus ab aliis subveniendum est. At ut ignavi & otiosi edant, iniquum est. Fine enim frui non debent, qui mediis legitimis uti noluerunt. At nunc nulli magis & meliùs edunt, idque etiam pro maxima perfectione ducunt, quam qui operari nolunt, qui etiamsi potestatem haberent non operandi, tamen si perfectiùs quiddam facere vellent, Apostolum imitari deberent. Nimirum longe aliud est pauperem esse quam mendicum. Apostolus, sicut & Christus, pauper fuit; sed mendicus non fuit, quin potius uterque fuit in pauperes beneficus.

Vers. 11. *Audimus enim quosdam ambulare* (περιπατοῦντας, participium pro verbo) *inter vos*, ἐν ὑμῖν, in pro inter,

Inordinate. Causam adfert eorum quæ dixit: quasi dicat, non frustra hæc monemus.

Audimus enim &c, nihil operantes, id est otiosos, *sed curiosa agentes*, ἀλλὰ περιεργαζομένους. Ut solent homines otiosi; aliena curant, inspectant, garruli sunt, lites serunt, molestias exhibent.

Vers. 12. *His autem talibus mandamus & admonemus per Dominum nostrum Jesum Christum.* Id est ejus auctoritate ac nomine,

Ut cum quiete. Id est sine cujusquam molestia, operantes, non otiantes,

Suum panem edant. Non alienum, suo labore partum, non, ut fuci, fruantur labore alieno.

Vers. 13. *Vos autem fratres non defatigemini benefacientes.* Quasi dicat, isti quidem sua agant, nemini sint graves. Vos autem fratres, qui aliis benefacitis & de vestris communicatis laboribus & facultatibus, ne defatigemini in tam sancto & Deo grato opere. Præstat etiam indignis benefacere, quam manum in beneficiendo unquam contrahere. Vide Gal. IV.9.

Vers. 14. *Si vero quis non obedit sermoni nostro, per Epistolam.* Id est quem ecce vobis scribimus, nempe ℣. 12.

Hunc signate. Declarantes nimirum eum esse talem & pro tali habendum.

Et non commisceamini cum illo. Conversatione videlicet & convictu ℣. 6.

Ut pudefiat. Et consequenter vitam emendet. Pudore castigandi & emendandi sunt, quos aliis oneri esse non pudet. Vide quid otiosis & operari nolentibus in ecclesia bene constituta faciendum sit.

Vers. 15. *Et non tanquam inimicum ducite.* Qui scilicet Christianam religionem & veritatem odio prosequatur & persequatur, ut eum nec alloqui consultum putetis.

Sed admonete tanquam fratrem. Ut scilicet se a vobis fraterne amari videat, & intelligat nihil aliud à vobis quæri quam suam salutem, & boni ordinis in ecclesia conservationem, ac Dei Christique gloriam. Nam etsi frater non est ordinata ambulatione, est tamen frater veritatis confessione.

Vers. 16. *Ipse vero Dominus pacis.* Id est Christus, quem pacis Dominum appellat, per genitivum effecti. Christus enim est auctor pacis à Deo datus 1 Thess. V. 23. Similiter in voto, Deum illum unum, Deum pacis vocat, eandem ob causam, nisi quod Deus sit pacis auctor ut causa prima, Christus ut causa secunda seu media, Deus ut ex quo, Christus ut per quem 1 Cor. viij. 6. Claudit epistolam ut solet.

Det vobis pacem semper, διὰ παντὸς, scilicet χρόνου. Pacem iis vovet & precatur a Christo, eamque perpetuam.

In omni modo. Est enim pax non uniusmodi. Precatur ergo iis pacem perpetuam in omni modo: nam ubi modus aliquis pacis deest, ibi & modus aliquis deest beatitatis. Hinc pax Hebræis omnem beatitatem significat.

Dominus cum omnibus vobis, intellige *sit*. Nam ubi Dominus est, ibi pax est, si non semper secundum carnem, Domino sic justis de causis permittente, at semper secundum spiritum seu animum.

Vers. 17. *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola.* Ne quis alius scilicet sub meo nomine epistolam scribat. *Sic scribo*, mea scilicet manu, nempe ut sequitur.

Vers. 18. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis*, intellige *sit*. Regit ergò Christus ecclesiam, nec mirum: Dominus enim est nostrum omnium. AMEN.

Ad Thessalonicenses secunda scripta Athenis. Vetus traditio, eaque scripta, & quasi ex Scriptura petita, & tamen errantem puto. Vide cap. 1. 4.

COM-

COMMENTARIUS
IN
priorem Epistolam Apostoli
PAULI
AD
TIMOTHEUM.

CAPUT I.

Vers. 1. PAulus Apostolus Jesu Christi, secundum mandatum, id est ex mandato, *Dei Servatoris nostri, & Jesu Christi spei nostræ.* Ne quis putaret, Paulum sibi ipsi titulum & munus Apostoli Jesu Christi usurpasse. Nihil minus, inquit, ex imperio ac jussu Dei, & Jesu Christi, hoc est factum. Deum appellat Servatorem nostrum, quia ex illo salus est nostra, & ipse Servator noster Jesus Christus. Quem spem nostram dicit, quia est spei nostræ causa, per metonymiam effecti. Vide Coloss. I. 27, seu quia nos per ipsum salvatum iri speramus.

Vers. 2. *Timotheo germano filio in fide.* Quod non solum ratione fidei in Christum à Paulo genitus, sed etiam in eadem fide Paulo simillimus esset.

Gratia, misericordia, pax, intellige sit, *a Deo Patre nostro, & Jesu Christo Domino nostro.* Deus ille unus, est Pater noster, & Jesus Christus, est Dominus noster, nobis ab uno illo Deo Patre nostro datus Act. 2. 36.

Vers. 3. *Sicut rogavi te.* Huic *sicut*, nusquam expresse redditur *sic*, nisi res ipsa ℣. 18.

Ut remaneres Ephesi, cum abirem in Macedoniam. Nempe post tumultum illum Ephesi excitatum Act. xx. 1.

Ut mandares quibusdam ne alia docerent. Nempe ab iis quæ nos docuimus. Eosdem tangit & infra cap. VI. 3, 4, 5. Fuisse tales Ephesi satis indicavit & in illo suo sermone quem habuit ad Seniores ecclesiæ Ephesinæ Miletum evocatos Act. xx. 17, 29, 30, sed comprimebantur adhuc auctoritate Apostoli. Quidquid cum doctrina, quæ secundum pietatem est, non congruit, aliud est & diversum ab eo quod Apostoli docuerunt cap. VI. 3.

Neque attendant fabulis. In epistola ad Titum addit *Judaicis* cap. I. 14, quibus scilicet suam circumcisionem, suos ritus, suam Legem, suasque traditiones & præcepta commendabant, quales hodie etiam inter Christianos in hâc apostasia, de qua 2 Thess. 2. 3 vaticinatur Apostolus, sunt plurimæ.

Et genealogiis infinitis. Quibus Judæi gentis suæ nobilitatem extollebant; quasi Christianorum gens non multo sit nobilior, quippe quæ, ut Johannes Apostolus loquitur, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nata sit, & jure filiorum Dei gaudeat Joh. I. 12, 13. Earundem genealogiarum meminit & in epistola ad Titum cap. III. 9. *Infinitas* dicit, usitata hyperbole. Erant & aliæ Judæorum fabulæ de generationibus in Deo, quarum una ex alia manare fingebatur, & quas recensere magnæ ducebatur apud Judæos sapientiæ, nec ullus earum certus terminus constitui poterat, cum semper plures pari jure possent addi.

Quæ quæstiones. Intellige, & ex quæstionibus altercationes cap. VI. 4. Tit. iij. 9,

Præbent magis quam ædificationem Dei. Id est quam Deus vult & imperat. Sic dicuntur opera Dei, opus Dei, opus Domini Joh. VI. 28, 29. 1 Cor. XV. 58.

Eam quæ in fide est. Declarat quid per ædificationem Dei intelligat, eam nimirum quæ in fide est, id est, quæ in eo consistat ut fidem in Deum habeamus, & ejus fructibus abundemus. Vide quam vitandæ sint omnes illæ doctrinæ, quæ innumeris quæstionibus & disputationibus ansam præbent: ad id verò ut ædificemur in fide, in justitia, in charitate, in sanctitate, nihil pertinent, qualis profectò est universa Theologia Scholastica.

Vers. 5. *Finis autem mandati*, τῆς παραγγελίας. Nempe quod tibi commendavi, de quo ℣. 3.

Est charitas &c. Quasi dicat, ne putent & prætendant me boni quidpiam prohibere, finis istius mandati, ne alia doceant ab iis quæ nos docuimus, non alius est quam charitas.

Ex puro corde. Id est casto, & ab omni impuritate alieno.

Et conscientia bona. Non utilitatis causa, sed solius bonæ conscientiæ causa.

Et fide non simulata. Id est vera in Deum fide, cui nihil simulationis sit admixtum. Hic verus & unicus est fons omnis boni. Hunc quia Philosophia non habuit, quæ sola honestatis ratione omnia definivit, nec virum vere perfectum habere potuit. Philosophi virtutem docent, Christiani & virtutem & in Deum fidem. Significat Apostolus doctrinam à se traditam solam & totam ad finem hunc spectare, quo nihil humanis in rebus dari potest melius; alia autem omnia à sua doctrina diversa, nihil huic fini inservire, quin potiùs illi plurimum obesse. Proindè nihil ultra Euangelium Christi à quoquam ad salutem desiderandum esse ac desiderari posse, quid enim ultra charitatem ex puro corde, & conscientia bona, & fide in Deum non simulata, desiderari queat sublimius.

Vers. 6. *A quibus quidam aberrantes*, ἀστοχήσαντες *tanquam à scopo.* Moribus nimirum suis.

Conversi sunt ad vaniloquentiam. Ad id ut vana loquantur, docentes citra hæc per ritus & per alia salutem obtineri posse, à vera Theologia conversi sunt ad matæologiam, in quam & hodie vera pietas tota versa est.

Vers. 7. *Volentes esse legis doctores, non intelligunt.* Μὴ νοοῦντες, per participium pro verbo,

Neque quæ dicunt, neque de quibus asseverant. Quasi dicat, quod adhuc pejus est, non intelligere ea quæ non tantum dicas, sed etiam de quibus tantopere asseveres. Dicunt enim & asseverant per Legem & Legis ritus salutem esse quærendam. At hoc si verum est, & se & alios omnes ab æterna salute excludunt. Quis enim est quem Lex non damnet, præsertim pleniore sensu accepta, quo eam accipere foret necesse, si quis per eam vitam adipisci velit æternam? Ita ipsi nesciunt quid dicant, & de quibus tantopere contendunt & asseverant, cum tamen maximi Legis doctores videri velint. Vide Gal. 2. 17 & seqq.

Vers. 8. *Scimus autem quod bona* (sit) *Lex.* Quasi dicat, ne quis putet me contra legem loqui,

Si quis ea legitime utatur. Id est si quis ea non abutatur, sed ea utatur ex ipsius Legis mente. Lex enim non fuit data, ut per eam vitam æternam adipisceremur Gal. III. 21. Nam si Legem externo sensu accipias, minimum est ad Legem bonum esse; si interno & pleno, quis eam exsecutus est, ut peccati non sit reus? Nam illa ritualia peccatorum purgamenta tanti non erant, ut hominem in jus vitæ æternæ assererent. Lex fuit data ut rudem illum populum interea à transgressionibus & gravioribus delictis arceret, donec veniret Christus, qui omnes per spiritum suum justos faceret, & sic omnes ex Legis servitute in veram libertatem vindicaret Gal. III. 19. IV. 4, 5. Est quidem hoc verum, neminem in vitam æternam ingredi posse, nisi legis observet mandata, quæ eadem, idque multo etiam clariùs & expressiùs & sic pleniùs tradit Euangelium Christi, & eorum observationem requirit; sed hæc observatio mandatorum Dei cum inclusa Dei gratia intelligi debet, quam Lex excludit, Euangelium deprædicat, & spiritum suggerit quo Lex caruit. Itaque contra Legem nihil dico, quam scimus omnes bonam & à Deo datam esse: sed eos arguo, qui Lege non utuntur legitime, sed abutuntur illegitime, eamque Christo vel opponunt vel apponunt; cum ea Christo ultro concedat, in iis quæ pertinent ad gratiam, & longe imperfectior sit Christo, in iis quæ pertinent ad justitiam.

Vers. 9. *Sciens hoc:* quasi dicat, unde legitimus legis usus cognosci potest, *quod justo lex non ponitur.* Nam cui fini? Jam justus est, & Lege non habet opus. Qui Legem intus & in animo habet, Lege in tabulis, vel in codice scripta non indiget. Non male Irenæus: *Lex*, inquit, *non est posita justis: Justi enim Patres virtutem Decalogi conscriptam habentes in cordibus suis, diligentes scilicet Deum, qui fecit eos, & abstinentes erga proximum ab injustitia; propter quod non necesse fuit admonere eos correptoriis literis, quia habebant in semetipsis justitiam Legis* Lib. IV. cap. 30. Cum ergo Christiani sint justi, à Lege sunt liberi. Nam si quis justus non est, Christianus non est, & ad Legem merito amandandus est Gal. V. 18, 22, 23.

Injustis autem, ἀνόμοις. Id est iis qui lege coërcendi sunt.

Et inobedientibus, ἀνυποτάκτοις. Qui subjectionem non noverunt, & veluti effrænes sunt.

Impiis. Qui nulla erga Deum pietate reguntur.

Et peccatoribus. Qui in peccata ruunt.

Profanis. Quibus nihil est sacrum.

Et contaminatis. Omni genere vitiorum.

Parricidis & matricidis. Adhuc paria copulavit ejusdem coloris.

Homicidis.

Vers. 10. *Scortis*, πόρνοις. Et scorta & scortatores & adulteras & adulteros includit.

Masculorum concubitoribus, plagiariis. Qui homines in servitutem abripiunt.

Mendacibus, perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ opponitur. Quasi dicat, ne omnia enumerem. Cum igitur justi, & consequenter Christiani nihil sint horum, & his similium, quid attinet eos Legi subjicere? Nam si qui fuerunt, jam amplius non sunt, & veniam præteritorum per fidem in Christum consecuti sunt, quam per Legem consequi non poterant Act. XIII. 39.

Vers. 11. *Secundum Euangelium.* Exponit quæ sit sana ista doctrina: quæ scilicet est secundum Euangelium, seu conformis Euangelio.

Gloriæ. Euangelium gloriæ dicit, per Hebraismum, pro Euangelio glorioso.

Illius beati Dei. Ita Euangelium describit, & ab adjuncto gloriæ qua divinissima miracula significantur, per metonymiam effecti, & ab auctore, ut Euangelii doctrina nihil magis sanum, nihil magis integrum esse ostendat, in qua nihil sit falsum, nihil sanæ rationi contrarium, nihil quod vitiis ullo modo faveat, aut virtutibus obstet.

Quod

Quod concreditum est mihi. Ut illud scilicet omni fide prædicem. Ingens hoc depositum meæ fidei commissum est, cujus pretium nullæ mundi hujus opes ulla ex parte æquant.

Vers. 12. *Et gratiam habeo.* Extollit hoc erga se factum Christi, tanquam ipsi Euangelio congruentissimum. Non tantum gratiam ago, sed gratiam habeo, qua me nunquam exsolvere posse profiteor & agnosco.

Et qui corroborat me. Nempe spiritu & auxilio suo, ne in eo quod fidei meæ commissum & concreditum est unquam fatiscam. Significat nullo modo se tanto parem oneri fore, nisi sibi robur accederet ab eo qui sibi illud imposuerit.

Christo Jesu Domino nostro. Solum Christum nominat, sed includit simul & ipsum Deum. Vide ℣. 1. Deus enim omnia facit per Christum 1 Cor. VIII. 6.

Quod fidelem me duxerit, ponens in ministerium. Nempe Euangelii.

Vers. 13. *Qui prius eram blasphemus.* Quasi dicat, me inquam, qui prius eram blasphemus, qui nomen ejus sanctissimum omnibus blasphemiis incessebam.

Et persecutor. Eorum scilicet qui in nomen ejus credebant.

Et contumeliosus. Qui omnibus contumeliis eosdem afficiebam. Minus mirandum foret, si me tantorum criminum fontem non reddidissem, nunc vero me fidelem duci, mihi Euangelium concredi, me in ministerium ejus poni, quis satis tantam gratiam admirari & deprædicare queat!

Sed misericordiam consecutus sum. Ne quis putet misericordiam hanc fuisse prorsus ἄλογον, nec decoram Christo.

Quia ignorans feci. Id est quia non feci contra conscientiam, seu sciens me male facere, quin imo quia putavi me recte facere, & singulare Deo præstare ministerium.

In incredulitate. Id est, cum non crederem Jesum nimirum esse a mortuis resuscitatum & Christum factum. Hæc erat causæ ignorantiæ meæ, & ignorantia mea tantorum criminum. Si credidissem, & consequenter scivissem quid facerem, tum plane fuisset indignum ut mihi exhiberetur misericordia. Significat deteriorem esse conditionem eorum qui in fide vel post fidem peccant 2 Petr. III. 20, 21. Hebr. VI. 4, & seqq. X. 26.

Vers. 14. *Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide & charitate.* Id est non fuit in me sterilis & otiosa. Hinc idem Apostolus hortatur.

Ne in vanum gratiam Dei suscipiamus 2 Cor. VI. 1. Recte autem dicit, quod gratia Christi erga ipsum superabundaverit, nam ignorantia ejus & άγνοια nullam in jure haberet excusationem, præsertim in tantis criminibus. Debebat enim & scire & credere, cum tantas haberet & sciendi & credendi causas: sed ubi abundavit delictum superabundavit gratia Rom. V. 21.

Ea quæ in Christo Jesu (est.) Definit istam fidem & charitatem.

Cum fide, inquit, *& charitate.* Qualis in Euangelio Christi præcipitur, nam Christi gratiæ non alia fides & charitas respondere debet quam Christiana, id est & fides & charitas omnium sanctissima. Nam credere per Christum in Deum, & diligere proximum secundum præcepta Christi, omnem aliam in Deum fidem & charitatem in proximum longe superat, nec dari potest ulla alia perfectior ac sublimior.

Vers. 15. *Fidelis sermo.* Epiphonema, in maximum omnium peccatorum solatium. Fidelis sermo, qui scilicet neminem fallet ac destituet.

Et omni receptione dignus. Tum quia verus, tum quia omnibus maxime salutaris.

Quod Christus Jesus venerit. Exprimit hunc sermonem.

In mundum. Id est, ad homines a Deo cum Euangelio missus, postquam jam pridem natus esset.

Ut peccatores servaret. Id est assereret in vitam æternam, per fidem nimirum in se & charitatem a se præceptam. Peccatores primum sanat, deinde servat. Non venit ut esset peccati minister, quod fieret si manentes in peccatis servaret, sed ut peccatores a peccatis efficacissimo Euangelii sui spiritu retraheret & sic servaret: quorum utrumque Legi defuit.

Quorum primus sum ego. Id est maximus. Vix enim quisquam alius tam insaniebat adversus Christi discipulos Act. XXVI. 11. Nam ii qui blasphemi erant in Spiritum Sanctum, & contra suam agebant conscientiam, hic non veniunt in censum, quippe sicut extra resipiscentiam sic extra veniam positi.

Vers. 16. *Sed propter hoc misericordiam consecutus sum.* Quasi dicat, quamvis peccatorum primus & maximus essem. Videbatur enim prior illa ratio de ignorantia in incredulitate, non suffice, ad primum & maximum peccatorum servandum. Ideo addit hanc aliam, quæ priori pondus adjicit, & Christum perpulit ad exhibendam mihi misericordiam.

Ut in me primo. Id est maximo peccatore,

Demonstraret Jesus Christus omnem longanimitatem. Quasi dicat, oblatum sibi maximum peccatorem ob idipsum servavit, quod maximus essem peccator, ut in me demonstraret perfectissimam longanimitatem & tarditatem ad iram ac pœnam irrogandam.

In exemplum iis qui credituri essent in ipsum, (ἐπ' αὐτῷ, pro εἰς αὐτὸν Joan. VIII. 7,) ad vitam æternam. Id est vitæ æternæ consequendæ causa, ut exemplum ii qui crediturí essent in Christum ad vitam æternam, in meipso Euangelii istius præcone, haberent, omnis Jesu Christi longanimitatis, patientiæ, misericordiæ, & quam nolit ullum peccatorem perire; sed velit omnes ad fidem in se per charitatem efficacem converti, & si id faciant, eos haud dubie participes fore vitæ æternæ. Ita Christus voluit ut non tantum voce & sermone, sed etiam exemplo luculentissimo prædicarem Euangelium. Nisi enim me Christus in gratiam recepisset, nunquam Apostolum & Euangelii sui Præconem

me effecisset, nunquam mihi suum credidisset Euangelium. Nullus ergo peccatorum dubitare debet de venia & vita æterna, dummodo fidem & charitatem habeat Christianam. Locus hic docet Christi in ecclesia regimen.

Vers. 17. *Illi vero Regi.* Res tanta, & tam admiranda Dei gratiæ consideratio, effecit ut Apostolus interrupto orationis contextu erumperet in hanc δοξολογίαν.

Illi vero Regi seculorum. Id est, qui regnat & tegnaturus est seculis omnibus: quasi dicat, proinde quæ decrevit ac constituit, quæque promisit ad effectum perducet.

Incorruptibili. Quasi dicat, qui sicut ipse nulli subjacet corruptioni, sic & omnes in se credentes efficiet incorruptibiles Rom. 2. 7.

Invisibili. Quasi dicat, ut minime sit mirum quod non videatur a mortalibus, cum videri a mortali natura non possit, ideoque fidem in se mortalium per charitatem efficacem tanti æstimat, ut eam imputet illis ad justitiam.

Soli sapienti. Id est, qui κατ' ἐξοχὴν sapiens est. Sic dicitur & solus Deus, & solus verus Deus, & unus Deus, quia κατ' ἐξοχὴν, & Deus, & verus Deus est, & solus immortalis, solus bonus, solus potens & similia, eandem ob causam. Sic & Christus solus est Dei Filius, unicus, unigenitus Dei Filius, unus Dominus, propter eandem in his ἐξοχὴν seu excellentiam, quatenus enim aliquis omnes excellit, hactenus etiam unus & solus est.

Deo. Patri scilicet, ex quo hæc omnia, & Christus ipse Dominus noster, proinde & nos per Christum in illum, cui omnia ferenda sunt accepta.

Honor. Ut animo & corpore eum demississime colamus ac veneremur.

Et gloria. Ut eum omni genere laudum celebremus & extollamus.

In secula seculorum. Intellige *sit*, id est, sine fine ullo tribuatur.

Amen. Sic fiat Apoc. XXII. 20. Jer. XXVIII. ℣. 6.

Vers. 18. *Hoc mandatum commendo tibi.* Hic tandem est apodosis illius protaseos ℣. 3, citra tamen formulam, quippe tam longa serie ac contextu prationis elisam. Est tamen hic Apostoli sensus, sicut ergo te rogavi ut mandares quibusdam, ne alia & diversa ab Euangelio Christi docerent, sic tibi hoc mandatum etiam atque etiam commendo, cum videas Euangelio Christi nihil dati posse sanctius & divitius.

Fili Timothee. Vide ℣. 2. Hoc ipso nomine obstringere eum tanto magis voluit, ut paternis inhæreret vestigiis, & rem sibi commendatam, omni fide ac diligentia quæ filium decet, procuraret.

Secundum præcedentes de te Prophetias. Quasi dicat, quod merito facio, nam scis quales Prophetiæ fuerint de te a Prophetis editæ, ut in hoc sanctum quod sustines ministerium eligereris, scis quantum sibi de te Spiritus Sanctus per os Prophetarum spoponderit. Solebant enim in illis ecclesiæ primordiis, cum Prophetiæ donum vigeret, a Prophetis non raro nominari, qui ministerio ecclesiæ admovendi essent. Idem evenit in ipso Paulo & Barnaba, ut legimus Act. XIII. 1, 2, 3, 4. Hinc & Apostolus seniores ecclesiæ alloquens Ephesinæ: *Attendite*, inquit, *vobis ipsis & toti gregi, in quo vos Spiritus Sanctus constituit episcopos* Act. XX. 28. Spiritui Sancto tribuitur, quod per Spiritum Sanctum factum est.

Ut militet in eis. Id est secundum eas, seu iis convenienter, ἐν pro κατὰ Joh. III. 21. Rom. VIII. 34. Heb. IV. 11.

Bonam militiam. Quasi dicat, quod fiet si hoc mandatum tibi diligenter commendatum habueris. Recte militiæ comparatur sanctum ministerium, ob labores continuos & pericula, sed hæc militia vere bona ac pulchra est, quia per eam nemo occiditur, nemini nocetur, tota in salutem omnium eamque sempiternam est directa. ideo & præmia illam manent certa & cælestia.

Vers. 19. *Habens fidem.* Docet quid in hac militia habere debeat, *habens*, inquit, *fidem*, nempe in Christum & per Christum in Deum. Ex hac enim fide robur omne & animus omnis est Christi militi.

Et bonam conscientiam. Id est omnem justitiam, charitatem & sanctitatem, per metonymiam synecdochicam effectum ponit non pro causa, sed inclusa simul causa. Bona enim conscientia effectus est omnis justitiæ, charitatis & sanctitatis. Non solam fidem habere debet Christi miles, (est autem & omnis Christianus miles Christi,) sed & omnes fidei fructus, ex quibus oritur bona conscientia, nullius mali, nullius culpæ sibi debet esse conscius, sanctus esse debet, purus ac impollutus.

Quam quidam rejicientes fidei naufragium fecerunt. Περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν, phrasi Græca, id est fidei navem fregerunt, seu fidei jactutam fecerunt, fidem amiserunt. Rejecta bona conscientia, rejecerunt tandem & ipsam fidem. Nec mirum, quid enim juvat fides, si quis bonam non habeat conscientiam? Angit potius & cruciat continuo, & eundem effectum in hominibus malis operatur, quem in Dæmonibus, qui credunt, & tremunt Jacob. 2. 19. Non possunt diu secum consistere fides & mala conscientia, vel mala conscienta pellenda est per fidem, vel fidem tandem pelli necesse est per malam conscientiam. Nisi forte falsa sit fides, qua nobis certo despondemus & pollicemur salutem, etiamsi nobis pessime simus conscii. Tali fidei cum mala conscientia bene convenit. Sed falsa fides eadem est nulli, aut nulla etiam deterior.

Vers. 20. *Quorum*, id est quorum è numero, *est Hymeneus.* Qui vere fidei naufragium fecerat. Nam dicebat resurrectionem jam esse factam, de quo 2 Tim. 2. 16.

Et Alexander. Forte non faber ille ferrarius, sed alius aliquis. Vide 2 Tim. IV. 14.

Quos tradidi Satanæ, vide 1 Cor. V. 5, *ut erudiantur.* Nempe per Satanæ flagella.

Non blasphemare. Nempe Christum & sanctissimam in ipsum fidem, quam perdiderunt bona conscientia prius perdita. Non dicit Paulus, ut convertantur ad fidem, (hoc enim in talibus non fit,) sed ut discant non blasphemare, sentientes super se manum Domini, seu flagellatorem imperio Domini Satanam, cui se so-

se socios adjunxerunt. Vide pœnam infligere meritam, & eo quo par est fine, non esse contra charitatem Christianam, dummodo is infligat, qui infligendi jus & potestatem habet, qualis Paulus fuit, cui potestas a Christo concessa erat, ad fidei Christianæ confirmationem, ut eos qui mererentur Satanæ puniendos traderet, cujus potestatis vim & effectum utrumque istorum sensisse, non minus quam Elymas ille Magus senserat, haud dubium est Actor. XIII. 9.

CAPUT II.

Vers. 1. HOrtor igitur. Quasi dicat, ut muneri tuo satisfacias, & militiâ tua probe fungaris.

Primum omnium. Ante omnia. Hinc incipiam tanquam a re omnium maxima & apprime necessaria.

Ut fiant. Publice nimirum & in ecclesia.

Orationes. Cum aliquid dari petimus.

Precationes. Cum aliquid vovemus & optamus.

Interpellationes. Cum deprecamur.

Gratiarum actiones, pro omnibus hominibus. Non exprimit quid orare, precari, gratiarum actione prosequi debeamus pro omnibus hominibus, sed intelligendum relinquit, id nimirum quod hominibus omnium optimum & maxime necessarium est, id est quod ad salutem eorum pertinet. Orare igitur & precari pro omnibus debemus ut salvi fiant & ad veritatis cognitionem veniant, ut ℣. 4 Apostolus ipse loquitur. Interpellare & deprecari, ne Deus perditionem eorum acceleret, sed iis concedat adhuc pœnitentiæ spatium, gratias agere pro omnibus hominibus, quod eos creaverit & conservet, quod iis benefaciat, & imprimis quod omnes salvari cupiat, & gratiam salutarem omnibus per Euangelium publicari fecerit.

Vers. 2. *Pro Regibus & omnibus in eminentia positis.* Sive hæc eminentia sit summa, sive summæ subordinata. Nimirum hoc ipsum pro Regibus & potestatibus omnibus orare, precari, deprecari, gratiarum actionibus prosequi debemus, quod pro omnibus hominibus,

Ut quietam & tranquillam vitam agamus. Docet quo fine sint Reges & in eminentia supra cæteros mortales positi, proinde quam merito & peculiari jure pro iis orationes, precationes, interpellationes, gratiarum actiones fieri debeant, ut nos ab injuriis & vexationibus & oppressionibus defendant, & ut sua cuique secure agere, tuto possidere usque frui liceat.

In omni, id est cum omni, *pietate.* Nempe erga Deum.

Et honestate, σεμνότητι. Decore, nempe erga homines. Docet quomodo vita quieta & tranquilla sit agenda, quomodo pace utendum; & simul significat, quiete ac tranquillitate vitæ sublata, etiam pietatem & honestatem omnem in arctum cogi. Debemus igitur pro Regibus & potestibus omnibus preces ad Deum fundere, non solum ut a Deo conserventur, sed etiam ut ad salutem & veritatis notitiam perveniant. Unde patet Regem esse & Christianum esse non esse ἀσύστατα. Nam cum pro Regibus oramus ut fiant Christiani, an pro Regibus oramus, ut esse desinant? Id vero si fieret, tum demum videremus quam de vitæ tranquillitate, & consequenter pietate & honestate actum esset? Nec enim omnium est fides, nec omnes reguntur Christi spiritu. Et si regnum sit Christianum, nec verus ac pius Christianus Rex esse possit, an regnum in Christianos & inter Christianos committendum sit Judæo potius, aut Mahometano, aut idolorum cultori, aut homini ἀθέῳ vel ἀχρείῳ, aut Christianorum deterrimo, quam ei qui sit Christianorum, si fieri queat, optimus & sanctissimus? Orandus igitur est Deus primum ut Reges & Potestates conservet, neque enim sine iis vita quieta & tranquilla dari potest. Deinde ut iis ad veritatem ac pietatem Christianam, & consequenter ad salutem æternam pervenire det, seu sufficientes causas & occasiones eo perveniendi iis præbeat: non, ut si ad veritatis notitiam perveniant, & Christiani fiant, eo ipso regnis se abdicent, sed ut regna vera cum pietate & tanto majore cum justitia administrent. Tum demum enim vere quietam & tranquillam vitam liceret agere, cum omni pietate & sanctitate, tum demum & persecutiones piorum cessarent: quas tamen multo satius est a Regibus & Potestatibus & magistratibus in errore versantibus pati, quam nullas potestates nullos magistratus esse. Persecutiones enim ob veritatem & pietatem & ac justitiam plurimum prodesse solent Christianis & divinæ gloriæ amplificationi: at sub Anarchia rerum omnium foret confusio, & ut quisque plus polleret viribus, ita dominaretur in alios pro libidine, essent pro uno tyranno mille tyranni, nec solam oppugnarent conscientiam, sed sine ullo conscientiæ & religionis respectu corpora & fortunas cujusque. Quid vero attineret etiam pro Regibus & potestatibus orare, ut quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & honestate, si extemplo simulac Christianus fieret, Regnum non Christiano traderet? Neque enim Deus magis & melius in Regibus & potestatibus id operari & efficere potest, ut per eas vitam agamus pacatam cum omni pietate & honestate, quam si eas ipsas efficiat Christianas. Jam vero si nec Regnum deponere necesse est, ut fias Christianus, nec Christianissimum, ut fias Rex, quis adimere poterit Regi Christiano jus gladii? quis milites? quis, si publica salus populi requirat, & militum usum? Usum dico, non qui nunc ubique regnat abusum. Mihi sane religio est, religionem Christianam restringere ad solos privatos, plebejos & vulgares homines. Ea quidem est ejus fortuna; sed hominum culpa ac vitio: cæterum ipsam per se ita comparatam puto, ut etiam Reges ac Imperatores complecti sit parata. Gratiam enim Dei continet omnibus hominibus cujuscunque status & conditionis salutarem, erudientem omnes, ut temperanter, juste, pie vivant in præsenti seculo, & Reges, ut bene regna administrent, & omnia rite faciant communi saluti necessaria. Sed vix unquam ita bene agetur cum rebus humanis, ut ea sit puræ veritatis sors, sufficit ut Christiani hoc

semper

semper orent, voveant, interpellant, & ut Deus causas & occasiones ejus rei sufficientes præbeat hominibus, voluntas hominum semper esse debet libera. Nam sine voluntatis libertate, seu hominis arbitrio, nec virtuti, nec vitio, & consequenter nec præmiis nec pœnis, nec ullis exhortationibus, admonitionibus, reprehensionibus, laudationibus, pollicitationibus, comminationibus, iræ divinæ, ullus est locus. Gratiæ similiter pro Regibus & omnibus in eminentia positis agendæ sunt, quod eas Deus dederit; non enim est potestas nisi a Deo Rom. XIII. 1, quod eas conservet, quod bella inhibeat, in quibus potestates periclitantur & status publicus, publica pax & tranquillitas turbatur, maxime vero quod & Reges ac Imperatores non minus quam omnes alios homines per fidem in Christum servare paratus sit.

Vers. 3. *Hoc enim est bonum & acceptum coram Servatore nostro Deo.* Causam addit cur ante omnia id quod dixit fieri velit & hortetur. Deum illum unum hic iterum Servatorem nostrum appellat. Vide cap. I. 1, & a Christo discriminat ℣. 5.

Vers. 4. *Qui omnes homines vult servari.* Quasi dicat, qui sicut noster Servator est, sic & omnium hominum Servator esse cupit. Hic iterum causam insinuat, cur illud quod dixit facere Deo sit acceptum, quia nimirum Deus omnes homines & Reges ac Potestates servari velit. Unde patet orationes illas, & precationes, & interpellationes, & gratiarum actiones, pro omnibus hominibus & pro Regibus ac potestatibus eo spectare ut serventur, &, sicut mox addit Apostolus, ad veritatis agnitionem veniant. Vult autem Deus omnes homines servari, quatenus id cupit, & quatenus per eum non stat quominus serventur, quinimo ut serventur causas & occasiones sufficientes iis suppeditat, ita ut si effectu ipso non serventur, hoc sibimetipsis imputare debeant. Deus enim homines non ita servari vult ut velint nolint servari cogantur. Ita eos servari vult, ut & ipsi servari velint, & ea faciant quæ Deus, si servari velint, ab iis requirit.

Et ad agnitionem veritatis venire. Tanquam scilicet ad medium per quod serventur. Nec enim Deus aliter homines servari vult. Sicut ergo Deus vult omnes homines ad veritatis agnitionem venire; sic etiam eos vult servari. Illud autem vult, quia id cupit, quia quæ suæ sint partis, omnia eo spectantia facit & procurat, salvo hominum arbitrio; quare, si ipsi veritatis agnitionem spernant ac rejiciant, ipsi etiam sibi exitii causa sunt. Sic pater omnes filios vult esse probos & frugi, & eorum quæ sui sunt officii nihil negligit: at non semper respondet eventus patris voluntati. Idem & hic fit. Quia ergo hæc est voluntas Servatoris nostri Dei; plane secundum voluntatem ejus faciunt, qui assidue pro omnibus hominibus & pro Regibus preces ac vota ad Deum fundunt, huc suas interpellationes ac gratiarum actiones dirigunt, ut omnes homines & Reges & potestates ad veritatis agnitionem, & sic ad salutem æternam perveniant. Nec refert, si precum & votorum suorum eventum non videant. Id enim ab hominibus invitis ac nolentibus nec Deus vult extorquere, nec illi extorqueri postulant. Ipsis sufficit & Deo studium suum ac voluntatem approbare, omnibusque testatum facere, quam non sint Regum ac Potestatum adversarii, nec eas ullo modo sublatum cupiant, & Deum voluntatem eorum omni favore prosequi. Idem fit & in quotidianæ orationis Dominicæ prima parte.

Vers. 5. *Unus enim (est) Deus.* Creator scilicet, conservator, Rector ac Dominus supremus. Qui quia unus est, necesse est ut sit omnium, & consequenter omnibus idem. Neque enim ullus est qui creatus non sit. Causam affert cur Deus non hos tantum aut illos, sed omnes ex æquo homines servari & ad veritatis agnitionem venire velit. Hujus causæ deberent meminisse, qui audent affirmare Deum homines ullos, imo longe majorem eorum partem ad damnationem & exitium creasse.

Unus etiam Mediator Dei & hominum. Per quem scilicet & Deus plenam voluntatem suam hominibus revelavit, ac fœdere æterno sanxit, omnemque gratiam suam iis communicat, & homines vicissim ad Deum habent accessum. Auget priorem Apostolus causam, sed quia dubitari poterat, an Mediator, licet unus sit, omnium tamen hominum sit Mediator, definit hunc mediatorem, addens,

Homo Christus Jesus. Quasi dicat, si unus iste Mediator Angelus aliquis esset, tum dubitari poterat an omnium esset hominum Mediator, nunc cum homo sit, nulla de eo potest esse dubitatio. Omnes enim æque sunt homines, proinde & Mediator iste, quia homo est, omnibus ex æquo hominibus natura conjunctus est. Quia ergo & Deus omnium unus, & Mediator omnium unus, nulla potest esse dubitatio Deum velle omnes servari. Vide Christum Jesum ab uno illo Deo distingui & diversum statui, tanquam Mediatorem inter ipsum & homines. Vide eum hominem manifeste dici, & super hoc accessum omnium hominum ad Deum, & salutis eorum certitudinem fundari. Huic igitur veritati firmiter insistendum est. Nam aliquem simul esse & hominem & unum illum Deum, itemque unum illum Deum & Mediatorem inter unum illum Deum & homines, apertam continet contradictionem, &, si nihilominus credi debet, claro Scripturæ testimonio demonstrandum est, quod certe hoc loco proditu necessarium erat, ubi de Mediatore inter Deum illum unum & homines, Christo Jesu agebatur, nec tamen proditum est. An enim Mediatorem hunc hominem diceret, & non prius etiam eundem diceret unum illum Deum?

Vers. 6. *Qui dedit seipsum redemptionis pretium pro omnibus.* Urget etiam multo magis argumentum suum Apostolus, ut ostendat per hunc Mediatorem, hominem Christum Jesum, omnibus hominibus accessum esse ad Deum. Nam si is seipsum dedit pro omnibus hominibus redemtionis pretium, id est, victimam piacularem, ut omnium hominum peccata suo sanguine purgaret, quomodo non omnium hominum causam agat? Quomodo non cuivis homini per ipsum pateat accessus ad Deum & ad salutem æternam? Deus nimirum non aliter hominibus peccata voluit remittere, quam ut Christus Jesus Filius suus pro iis sanguinem funderet, & sic seipsum redem-

redemtionis pretium daret pro hominibus. Hoc ergo is fecit Deo sic volente pro omnibus hominibus.

Testimonium temporibus propriis. Appositione declarat, quid in se factum hoc & antilytrum Christi contineat, seu quid sit; *testimonium*, inquit, quod scilicet Deus velit omnibus hominibus esse propitius, quod iis velit omnia peccata condonare, vitam etiam æternam donare. Nam si Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus eum tradidit, quomodo non etiam cum illo nobis omnia largietur? Rom. VIII. 32. Filium suum antilytron pro omnibus fieri voluit, & non sineret omnes homines, quicunque in ipsum crederent redemtos, nec vellet omnes servari & ad veritatis notitiam ac fidem in ipsum pervenire? Atqui hoc eum ipsum in finem fecit, ut se omnibus hominibus Filii sui sanguine obligaret, & ut æternum extaret testimonium tam propitiæ ejus erga omnes homines voluntatis.

Temporibus propriis. Ne quis dicat, quare ergo nunc primum hoc testimonium datum est? cur non longe ante, & prioribus seculis? Propria nunc erant, inquit, testimonii istius tempora, hæc tempora Deus testimonio isti & testimonium istud his temporibus destinaverat, qui omnia operatur, & tempora rerum dispensat ex consilio voluntatis suæ Eph. I. 11: temporibus propriis & in dativo & in ablativo sensu potest accipi. Nam & tempori proprio & tempore proprio, id est, a Deo destinato hoc testimonium est datum. Vide cap. VI. 15, ubi, *temporibus propriis*, in ablativo sensu dicitur. Locus hic docet Christum ideo se dedisse antilytrum pro omnibus, ut testimonium extaret luculentissimum de gratia & dilectione divina erga omnes homines, fore, ut si credant in Christum, non pereant, sed habeant vitam æternam, non autem ut Deus debita nostra exigeret, quæ non tantum condonavit universa, sed etiam insuper Filii sui sanguinem pro iis fundi voluit, & sic eum pro omnibus hominibus antilytron fieri, quo de eorum remissione cum vitæ æternæ dono plenissimam omnibus fidem faceret. Nam & victimæ cædebantur pro peccatis, non ut Deus pœnam, quæ sibi debebatur exigeret, sed ne eam exigeret, & ut victimarum sanguis esset pignus & signum & testimonium remissionis eorum peccatorum, pro quibus Deus victimas cædi voluit. Neque enim omnia victimarum sanguine piabantur. At sanguis Jesu Christi Filii Dei purgat nos & purgatos declarat ab omni peccato si ambulemus in luce 1 Joan. I. 7. Accepit quidem Deus in hoc antilytro perfectissimam Filii sui obedientiam, sed eam etiam citra antilytron Filius Patri debebat, si eam postularet Pater, & præter id immensis præmiis Pater eam remuneratus est, etiam hoc ipso, quod eam tanti ducat, ut propter eam omnibus peccatoribus, dummodo in Christum credant, justitiam velit ex gratia imputare, & vitam æternam donare.

Vers. 7. *In quod.* Nempe omne quod dixi.

Positus sum ego præco. Ne quis dicat, unde hoc sciri possit, non tantum unum esse Deum, sed etiam unum esse Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, qui dederit seipsum antilytron pro omnibus hominibus testimonium temporibus propriis. Ego, inquit, in hoc positus sum præco, ut hoc annunciem, prædicem, proclamem.

Et Apostolus. In hoc Apostoli & legati munus mihi commissum est.

Veritatem dico. Me scilicet Apostolum esse, quidquid adversarii contradicant.

In Christo. Id est, in rebus ad Christum pertinentibus, in quibus mentiri nefas.

Non mentior. Inserit hoc veluti protestando contra adversarios, idque merito, cum signa Apostolatus ejus exstarent evidentissima.

Doctor Gentium. Quasi dicat, non Judæorum tantum, sed etiam Gentium.

In fide & veritate. Id est fidelis & verax, per Hebraismum, fidelis, qui omnia mihi commissa fideliter proponam, verax, qui nihil mentiar, nihil falsi dicam, vel, ut Gentes, fidem, (in Deum scilicet per Christum) & veritatem, (nempe divinam) doceam. Sic dixeris aliquem doctorem in Philosophia, qui doceat Philosophiam. Ex me igitur hæc quæ dixi de omnium hominum & Gentium salute disci possunt ac debent.

Vers. 8. *Volo igitur.* Quasi dicat, cum sim Apostolus & Doctor Gentium.

Ut precentur viri. Redit ad præceptum de precibus, cui hoc addit ut eas faciant, id est in iis præeant viri.

In omni loco. Nempe conventus alicujus fidelium ex utroque sexu ad faciendas preces, & laudes Deo dicendas & sacra peragenda. Nec enim ut absolute in omni loco preces faciamus in nostra potestate est, aut fieri etiam ullo modo potest. Nec specialiter in omni loco; in quo sit quisque nostrum seorsim; cum sic mulieres non minus quam viri precari debeant, & ubi solæ mulieres conveniant, non nisi mulier in precibus præire potest.

Attollentes sanctas manus. Solent in precibus manus cælum versus attolli. Has sanctas esse vult Apostolus, id est ab omni puras maleficio, idque reipsa monet, frustra enim manus attolluntur ad Deum sanctissimum, facinoribus pollutæ. Nulli ergo pollutas habenti manus fas sit aliis in precibus præire.

Sine ira. Indignum enim facinus foret, hominem proximo suo iratum & male affectum, audere ad Deum cum precibus & supplicibus votis accedere, idque etiam in iis aliis præire.

Et disceptatione, καὶ διαλογισμοῦ. Nempe intra animum, cum cogitationibus in utramque partem disceptatur de precum effectu aut efficacia. Hoc nimirum est quod monet Jacobus: *Oret in fide nihil dubitans, nam qui dubitat, similis est fluctui maris qui vento agitatur & jactatur. Non enim putet homo ille, quod aliquid accepturus sit a Domino* Jac. I. 6, 7.

(Hh)

6, 7. Itaque διαλογισμὸς hoc Pauli loco accipitur pro dubitatione. Nec enim dubitatio aliud est quam διαλογισμὸς, & cogitationum inter se disceptatio. Nam διαλογισμὸς, contentiones & altercationes non significat, & Apostolus tale quidpiam designare videtur, quod etiam cum oramus fiat, ut iratum alicui esse; quanquam etiam & irascendi & altercandi mos longe debet abesse ab iis quorum preces & supplicationes debeant esse acceptæ, ut sic & manus, & animum, & linguam habeamus puram.

Vers. 9. *Similiter & mulieres.* Intellige volo.

Ut in amictu, id est amictu, *gravi*, κοσμίῳ cap. III. 2. Particula *in* redundat, Hebræa phrasi.

Cum verecundia. Ne quid apertum sit quod tegi debeat, aut aliquid fiat pudori & verecundiæ non satis conveniens.

Et modestia. Ne quid luxuriose.

Ornent seipsas, non in cincinnis. Id est cincinnis, redundante ut prius particula *in*. Rem eandem per contrarii remotionem magis declarat. Cincinni verecundiæ repugnant, quid enim aliud sunt quam muliebris ostentatio & illecebræ?

Aut auro, aut argento, aut vestitu multi pretii. Hæc omnia repugnant modestiæ, & pertinent ad luxum.

Vers. 10. *Sed (quod decet mulieres promittentes Dei timorem) per opera bona.* Opera bona cincinnis, & auro, argento, vestitui pretioso opponit. Operibus bonis ornatas esse vult mulieres Christianas, quippe quod hic ornatus deceat mulieres, quæ promittant Dei timorem, quales Christianæ sunt omnes. Quid enim aliud est Christianismus, quam bonorum operum stipulatio? Significat inverecundum & luxuriosum vestitum cum timore Dei non convenire.

Vers. 11. *Mulier.* In genere pro omnibus individuis.

In quiete. Id est quieta, per Hebraismum, ut ✝. 7.

Discat. Nempe in ecclesia, non loquatur, non moveat quæstiones, non controvertat.

In omni, id est cum omni, *subjectione.* Nempe erga virilem sexum. Hæc omnia referenda sunt ad ecclesiam. Vide cap. III. 15.

Vers. 12. *Mulieri autem docere.* Quasi dicat, multo magis quam interrogare, nempe in ecclesia & sacro conventu virorum ac fœminarum.

Non permitto, neque auctoritatem usurpare in virum. Id est in viros, genus & hic usurpat pro individuis: quasi dicat, quod faceret, si doceret in ecclesia. Nam qui docent, auctoritatem habent in eos quos docent. *Majores nostri*, dicit apud Livium Cato, *nullam, ne privatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt, in manu esse parentum, fratrum, virorum.*

Sed esse in quiete. Id est quietam esse, (ut paulo ante vers. 11,) intellige jubeo: Prophetidas tamen excipiendas putem. Nam spiritum Domini quis inhibere queat, si quem impellat ad loquendum in ecclesia.

Vers. 13. *Adam enim primus formatus est, deinde Eva.* Sexus virilis auctoritatem & prærogativam asserit supra fœmineum.

Vers. 14. *Et Adam non seductus est*, nempe à serpente, *mulier autem seducta, in transgressione.* Id est transgrediens, per Hebraismum, ut ✝. 11, 12.

Facta est. Seductus quidem etiam Adam est, & transgrediens factus, sed à muliere, non a serpente, quo facto mulieris culpa magis etiam est aggravata.

Vers. 15. *Servabitur autem.* Nempe mulier in genere, pro singulis individuis.

Per liberorum procreationem. Id est, per id quod liberos procreet, & ad eorum procreationem destinata sit. Plurimum enim merentur de humano genere mulieres, quod procreationem liberorum, etsi tantis cum doloribus & molestiis conjunctam, non defugiant. Itaque habent magnam incommodi sui compensationem, habent quo se solentur in hac muliebris sexus ad virilem inæqualitate; quod ea non parvum ad salutem illarum adferat momentum, & quod per hanc inæqualitatem viris, sexu præstantioribus, in jure ad salutem æternam exæquentur. Nec refert quod etiam ex altera parte virginitatis extollatur decus, hoc enim fit propter voluptatis, illud propter doloris contemtum.

Si maneant. In pluralivo, quia mulier in genere accipitur pro singularibus & individuis: quasi dicat, per solam quidem liberorum procreationem non servabuntur, sed si ad liberorum procreationem accedat, ut maneant mulieres

In fide. Nempe in Christum,

Et charitate. Per quam scilicet fides operatur.

Et sanctificatione. Abstinendo ab omni stupro I Thess. IV. 3. Hebr. XII. 14, 16.

Cum modestia, μετὰ σωφροσύνης. Cum sobrietate, tam in potu, quam in corporis cultu ✝. 9. Omnia complexus est Apostolus quibus Christiana pietas continetur. Hæ solæ virtutes suffecerint, inquies. Imo non suffecerint, si mulier procreationem liberorum petulanter defugiat aut fœtum abigat, dolorum & incommodorum fuga.

CAPUT III.

Vers. 1. Fidelis sermo. Credo hoc de superiori potius sermone dici, quam de isto qui sequitur. Magis enim asseveratione habet opus, mulieres quæ viris longe inferiores sunt sexu, cum viris æquale jus habere salutis, quam quod sequitur.

Si quis Episcopatum appetit, bonum opus cupit. Quia loquebatur de ecclesia, loquitur etiam de Episcopis, & animum addit iis qui Episcopatum cupiant. Episcopatus enim opus est, non opes.

Vers. 2. *Oportet igitur ut Episcopus sit irreprehensibilis.* Depingit Episcopum, vivis coloribus, ut qui cupit Episcopatum, videat qualis esse debeat: primum in genere dicit, ut sit irreprehensibilis, ut omni

omni labe & macula careat. Est enim maxime in luce & in oculis omnium, quippe ut nomen ipsum docet, inspector ecclesiæ, non dominus ecclesiæ, sed Domini minister. Episcoporum, qui & alio nomine seniores appellantur, officium pulchre describit Petrus 1 Epistola v. 1, 2, 3, 4.

Unius uxoris vir. Per partes exponere incipit quod dixerat in toto, ut sit irreprehensibilis. Non vult ut uxore necessariò careat, quod in ecclesiam, jam tum corruptam, majore cum corruptione & secundum doctrinas dæmoniorum est introductum cap. IV. 1, 3, sed, si cælebs aut viduus non sit, (quod magis præstaret 1 Cor. VII. 1, 6, 8, 26,) ut unam tantum uxorem habeat, nam plures una simul uxores habere apud Judæos usitatum erat, & præter uxorem, alere concubinas, aut uxore qualibet ex causa dimissa ac repudiata, (quæ idcirco uxor repudiantis esse non desiit Matth. v. 32. XIX. 9) aliam ducere, etiam gentibus tritum ac familiare erat. Hoc quia meritam habet reprehensionem, ne fit in Episcopo, quod nec ulli Christiano post susceptam religionem Christianam facere fas est, requirit Apostolus. Nam quæ ad mores spectant omnia, inter quæ & hoc est, non tantum Episcopo, sed etiam toti ecclesiæ præcepta sunt. Quæ causa etiam est ut hic secundas nuptias in Episcopo damnari minime putem, damnandæ enim essent & in aliis. Et quæ ratio impedit, quo minus damnentur in aliis, eadem facit, ne damnentur & in Episcopo. An enim aut in Episcopo, quia nolit vel non audeat Episcopatum deserere, præstat uri, & consequenter in periculum, imo in actum etiam scortationis vel stupri sese conjicere, vel concubinam alere, quam nubere, aut si nuptias, remedium unicum a Deo datum, adhibeat morbo, Episcopatum, cui alioquin sit aptissimus, debeat deserere, quin & pœnis gravissimis, (quæ hominum sunt statuta,) sese subjicere? Hoc sane Episcopum in barathrum est agere. *Propter scortationes*, inquit Apostolus, *quisque propriam uxorem habeat* 1 Cor. VII. 1. Ergo & Episcopus. Neque hic refert, primam an secundam, priore defuncta habeat, cum eadem maneat causa. *Honoratum matrimonium* (sit) *in omnibus & cubile impollutum* Hebr. XIII. Ergo & in Episcopis, idque multo etiam magis in Episcopis, si res requirat: *Scortatores enim & mœchos judicabit Deus* ℣. 4. Hæc quidem non dicuntur κατ' ἐπιταγήν, sed dicuntur tamen κατὰ συγγνώμην, cum secundas nuptias prohibere tam periculosum esse possit, quam primas. Nec propterea unius uxoris vir esse desinat, si una defuncta secundam ducat. Secunda enim in prioris quæ decessit locum successit, & hactenus pro una cum illa reputanda est. Si Episcopus unius ecclesiæ debeat Episcopus esse, an propterea desinat esse Episcopus unius ecclesiæ, si alteri præficiatur ecclesiæ, non simul cum priore, sed post priorem? Qui plures simul habet uxores, plurium est vir uxorum, sed qui semper habet unam, nam defuncta & mortua amplius uxor non est, semper unius uxoris vir est. At enim, ajunt, infra idem dici de vidua eligenda, *quæ fuerit unius viri uxor* cap. v. 9, quod aliter intelligi nequeat, quam quæ semel tantum fuerit nupta. At primum, aliud est dicere, quæ sit unius viri uxor, aliud, quæ fuerit. Unius viri uxor semper erit, etiamsi primo viro defuncto nubat alteri, nam defunctus vir amplius vir non est. Illud autem de Episcopo dicitur, hoc non dicitur. Sed, inquies, si in vidua eligenda spectatur semel nupsisse, cur in Episcopo eligendo non itidem spectetur semel uxorem duxisse? Hujus quidem differentiæ dari possunt causæ. Neque enim mulier in tanto periculo peccandi versatur quam vir, neque tam in illius potestate est semper honeste nubere, quam est in viri potestate semper honestum matrimonium repetere, neque mulier sub marito sui juris est, at vir semper uxoris caput est, & mulier tenerioris est natura pudoris quam vir, veretur etiam dolores partus, & educationis liberorum maxima tædia, quorum illos viri non sentiunt & sola fruuntur voluptate, hæc matres in parvulis multo magis urgent quam maritos. Deinde non ita hoc in vidua eligenda spectandum esse puto, ut non liceat etiam eligere viduam, quæ post viri prioris mortem, repetierit nuptias, præsertim si prioris generis nulla sit vidua, aut si hæc posterior multo sit officio illi Presbyterarum aptior, & priorem illam longe excellat cæteris, quæ ibidem recenset Apostolus requisitis ac virtutibus, ut ita præceptum hoc Apostoli cæteris, ut ajunt, paribus intelligendum sit. Denique nihil impedit, ut & hic viduam intelligamus, quæ nunquam à viro divortium fecerit, & alteri nupserit, & ita plurium virorum simul uxor fuerit: quod adeo inter Gentes fuit familiare, ut fructus nuptiarum putaretur esse divortium & cum alio viro connubium. Nam cur Apostolus hoc castigaret, quod ipse eodem illo capite paulo post jubet? *Volo*, inquit, *ut juniores viduæ nubant, liberos procreent, domum administrent, nullam occasionem dent adversario conviciandi gratia* ℣. 14. Hoc ergo si faciant, num postmodum pœnas luent, & hanc ignominiæ notam ferent, ut quæcunque cæteroquin fuerit earum pietas, inter viduas legi non possint? Et cum τεκνογονία seu liberorum procreatio illis ad salutem profuerit cap. 2. 15, ad dignitatem vidualem illis oberit? Episcopo defenditur quidquid reprehensionem aliquam habet, proinde & secundæ nuptiæ, imo & primæ, si quid in iis sit quod reprehendi mereatur. At secundæ nuptiæ adeo reprehensionis vacuæ esse possunt, ut qui eas Episcopo defendat, ipse maximam reprehensionem mereatur. Et tamen hæc Apostoli verba, *ut Episcopus sit unius uxoris vir*, ita protinus sunt accepta, ut ex iis Catholica facta sit per omnes Christianorum in universo orbe ecclesias opinio, nec in Episcopum legi posse, qui secundam post mortem primæ duxerit uxorem, nec Episcopo, si fiat viduus, ullo modo licere matrimonium repetere, quod profecto institutis & Apostolicæ disciplinæ contrarium esse videmus. Quid ergo mirum si idem & aliis Scripturæ sacræ verbis usu venerit? Quid miramur ἀσύνταξιν τῷ λόγῳ, quamvis sono ipso dissonam, (quid enim existere potest, antequam existat) ita in omnes dimanasse ecclesias, ut hæreticus haberi cœptus sit, qui eam non agnoscat, & solis primis fidei Christianæ fundamentis inhæreat? Causa est non in Scripturæ sacræ verbis, sed

in hominum de iis præcipitante judicio. Vide 2 Pet. III. 16.

Pergit Apoſtolus, exemplar tradens Epiſcopi. *Vigilantem* νηφάλιον, quia mox dicit σώφρονα, puto νηφάλιον hoc loco non pro ſobrio, ſed pro vigilante accipi, ut 2 Tim. IV. 5. Decet enim, imo neceſſe eſt Epiſcopum ſomni parcum eſſe, precibus, meditationibus, laboribus, etiam noctu, intentum, Apoſtolus ſane vigiliarum ſuarum meminit 2 Cor. VI. 5. XII. 27.

Turpe viro totam prudenti ſtertere noctem.

Temperantem σώφρονα. Voluptatibus moderantem, & ſobrium: ſobrietati cum vigilantia optime convenit.

Gravem. Κόσμιον, non κοσμικόν, mundum, non mundanum, cultu & veſtitu corporis gravem, ſupra cap. 2. 9, moribus etiam compoſitis ac decentibus.

Hoſpitalem. Solent enim hoſpites & advenæ ad Epiſcopum divertere.

Ad docendum aptum. Qui ſapere & fari poſſit quæ ſentiat, Epiſcopi enim officium eſt alios docere. Itaque hoc ad ſolos mores non pertinet.

Verſ. 3. *Non vinoſum*, μὴ πάροινον. Qui frequens ſit apud vinum, & vini ducatur amore, quamvis forte non inebrietur; quod & hominem carni deditum arguit, & magnum eſt ad res agendas impedimentum.

Non percuſſorem. Id eſt virum ſedatum, qui manum a percutiendo cohibere ſciat.

Non turpis lucri cupidum. Lucrum non prohibetur epiſcopo, ſed prohibetur turpe lucrum, quod vel turpitudinem aliquam in ſe habeat vel male audiat.

Sed æquum. Qui de jure ſuo remittat, & omnia in melius interpretetur.

Alienum a pugnis, ἄμαχον. Qui malit re illa cedere pro qua pugnandum eſſet, quam pugnare. Pugnæ etiam verborum ſunt. Vide 2 Tim. 2. 23, 24.

Non avarum, ἀφιλάργυρον. Qui amore argenti vel auri nihil turpe faciat, proinde nec fœneretur.

Verſ. 4. *Qui propriæ domui bene præſit.* Quod apparet ex effectis.

Liberos habeat in ſubjectione. Id eſt ſubjectos, per Hebraiſmum. Cui ſimilem vide cap. 2. 7, 11, 12, 14.

Cum omni honeſtate. Id eſt, cum honeſtiſſimis moribus.

Verſ. 5. *Si vero quis propriæ domui præeſſe neſcit, quomodo eccleſiæ Dei curam aget.* Quaſi dicat, proinde talis Epiſcopus ne fiat. Plus enim eſt domus Dei, quam domus propria. Vide ℣ſ. 15.

Verſ. 6. *Non novitium.* Id eſt noviter in eccleſiam inſitum. Hoc ad mores non pertinet, ſed ad ſortem. Epiſcopus enim ex veteranis ſumi debet, non ex tyronibus.

Ne inflatus. Ob tam cito ſcilicet adeptam Epiſcopi dignitatem.

In judicium incidat calumniatoris, τοῦ διαβόλου. Vide ℣ſ. 7, 11. Puto calumniatores intelligi qui Chriſtianis inſidiabantur, eoſque cauſam aliquam vel occaſionem nacti deferebant ad magiſtratus, propterea dicit ne in judicium incidat calumniatoris, id eſt a calumniatore ſtructum. Quod facile evenit inflatis & arrogantibus, ut vel ſermone vel facto impingant.

Verſ. 7. *Oportet autem ipſum etiam teſtimonium bonum habere ab iis qui extra ſunt.* Quaſi dicat, non tantum à fratribus, nec tantum virum eſſe bonum, ſed inſuper etiam ab iis qui ſunt extra eccleſiam, teſtimonium habere probitatis.

Ne in probrum incidat & laqueum calumniatoris. Id eſt, ne ei calumniator probrum aliquod objiciat, quod ſit inſtar laquei, quo capiatur, & in calamitatem incidat. Epiſcopus talis eſſe debet, ut etiam fama de eo vereatur mentiri. Ita deſcripſit Epiſcopum Apoſtolus, non tantum ut in Epiſcopis tales ſint mores, ſed etiam ut ſint in omnibus Chriſtianis. Epiſcopi enim præire debent, Chriſtiani ſequi. Epiſcopi exemplum præbere, Chriſtiani ad hoc exemplum ſeſe conformare, & niſi Chriſtiani tales eſſent, quales Epiſcopos oportet eſſe, unde ſumerentur Epiſcopi? Ideo quidquid ad mores ſpectans reprehendendum eſt in Epiſcopo, reprehendendum quoque eſt in quovis Chriſtiano, hoc tantum intereſt, quod in aliis Chriſtianis vitia non tam incurrant in oculos, quam in Epiſcopis, ideo in aliis aliquouſque ſaltem tolerari poſſint, in Epiſcopo nullo modo.

Verſ. 8. *Diaconos ſimiliter*, intellige oportet eſſe, *honeſtos*, σεμνούς. Viros graves. Epiſcopi curam gerebant animarum; Diaconi, ex pecunia publica corporum. Diaconi, id eſt miniſtri, ſpeciatim dicti, quod miniſtrarent menſis publicis in eccleſia Act. VI. 1, 2, 3, & conſequenter aliis piorum uſibus. Diaconorum proxima dignitas erat poſt Epiſcopos, ſpeciatim itidem ſic dictos. Nam alioquin & Epiſcoporum & Diaconorum nomen per ſe generale eſt, ſed uſu factum eſt proprium. Nunc quidem in eccleſiis, ab eccleſia Romana ſeparatis, qui olim Epiſcopi & Preſbyteri (iidem enim initio erant) dicebantur, miniſtrorum nomen Latinum ſpeciatim ſibi delegerunt, Diaconorum Græco nomine Diaconis relicto, inſtituto laudabili poſt ejectam Epiſcoporum & Præſbyterorum ex eccleſia Latina dominationem. Nam & Apoſtoli ipſi miniſtrorum ſeu Diaconorum nomen ſæpe uſurparunt.

Non bilingues, διλόγους. Qui modo ajunt, modo negant, quod honeſtati & gravitati valde repugnat.

Non vino multo deditos. Quaſi dicat, vini potius quam eccleſiæ Diaconos. Ne privatis quidem ad miniſtrandum idonei ſunt tales, nedum eccleſiæ Dei.

Non turpis lucri avidos. Vide ℣ſ. 3.

Verſ. 9. *Habentes myſterium fidei.* Nempe Chriſtianæ. Myſterium fidei, per genitivum differentiæ ſeu ſpeciei, myſterium ſignificat, quod eſt fides. Nam fides Chriſtiana omnibus retro ſeculis erat tacita. Sic dicitur myſterium iniquitatis 2 Theſſ. 2. 7. Sic infra myſterium pietatis ℣. 16.

In pura conſcientia. Quaſi reconditum. Myſteria enim recondita ſunt, vel cum pura conſcientia, *in* pro *cum*. Senſus eſt, ut fidem habeat, cui pura conſcientia ſit conjuncta, id eſt, omnis generis juſtitia ac ſanctitas. Vide cap. 1. 19. Nam ubi pura conſcientia

scientia à fide abest, ibi fidei non multum fidendum est. Omnia simul bona opera complexus est Apostolus in pura conscientia.

Vers. 10. *Et hi autem.* Particula *&* redundat ex Hebræorum idiotismo.

Probentur primum. Ne quis dicat alienam conscientiam nemini cognitam esse, probentur, inquit, primum, dent magna & certa probitatis suæ & puræ conscientiæ experimenta.

Deinde diaconizentur. Id est Diaconi fiant.

Nullam habentes culpam. Id est postquam deprehensum fuerit eos inculpatos esse.

Vers. 11. *Uxores similiter.* Intellige, oportet esse, tam Episcoporum scilicet, quam Diaconorum,

Honestas, σεμνάς. Graves fœminas.

Non calumniantes, μὴ διαβόλους. Quod ab omni gravitate & honestate abest quam longissimè. Id credo cavet Apostolus, ne quenquam calumniosis criminibus onerent apud maritos.

Sobrias. Quid enim fœdiùs ebriosa muliere?

Fideles in omnibus. Ne quidquam ex publico intervertant, aut perire sinant.

Vers. 12. *Diaconi sint unius uxoris viri.* Itidem scilicet ut Episcopi, vide ℣s. 2. At si cui uxor est necessaria, nulli magis quam ecclesiæ Diacono, prout tum erant Diaconi. An ergò priore defuncta, fas non fuerit aliam ducere, nisi simul decedat vel deturbetur officio?

Qui liberis bene præsint & propriis domibus. Vide ℣s. 4, 5.

Vers. 13. *Qui enim bene ministrarunt.* Causam affert ob quam Diaconi tales esse debeant, quales eos esse debere dixit, quia qui bene ministraverint, id est, officio Diaconi bene functi fuerint, proinde tales fuerint quales dixi. Aliter enim munus hoc digne obire nullo modo possent.

Gradum sibi ipsis pulchrum acquirunt. Nempe supra alios fideles in Dei & Christi gratia, & consequenter in cælesti gloria.

Et multam audaciam, παῤῥησίαν. Audaciam decoram ac convenientem, qualis est parrhesia.

In fide, quæ est in Christo Jesu. Hoc ad præsens seculum pertinet. Potest haberi fides quæ est in Christo Jesu; sed tamen non sine aliquo timore ac trepidatione, potest haberi etiam cum parrhesia; sed tamen non cum multa parrhesia. At qui munus hoc bene administraverunt, ac bene administrati conscii sibi sunt, plurimam habent parrhesiam, in suâ in Christum Jesum fide. Audacter semper & cum multa libertate ad Christum accedunt. Alludit ad eos, qui ob res præclare gestas, multam habent apud Principes decoram audaciam ac libertatem.

Vers. 14. *Hæc tibi scribo.* Intelligit non tantum ea quæ adhuc scripsit, sed etiam quæ porro scribit in sequentibus. De Episcopis à Presbyteris gradu differentibus, de Archiepiscopis, de Patriarchis, de Papis, nihil scribit, quia hos omnes gradus non Apostolica institutio, sed Apostolis amotis, honorum ambitio invexit.

Sperans. Id est quamvis sperem.

Venire ad te celeriter. Ipse quidem Ephesum, & ad Timotheum non venit; sed Timotheus venit ad ipsum, ut constat ex Actor. cap. xx. 1, 4, 5, 6, 13, 14, 15, 16, 17. Nec Timotheus cum Senioribus Ephesò accersitis fuit, sed fuit cum Paulo.

Vers. 15. *Si vero tardo.* Si non ita celeriter veniam. Neque enim scire poterat Paulus, quomodo Dominus itinera & tempora ejus dispensaturus esset. Cæterum Timotheum, Paulo vivente, Ephesinæ ecclesiæ affixum fuisse, non est verisimile. Paulo magis affixus fuit, quam ulli ecclesiæ speciatim; nunc hûc nunc illuc à Paulo missus: nec mirum, cum non Episcopus, sed major Episcopo, id est Evangelista esset.

Ut scias. A me scilicet Apostolo edoctus.

Quomodo oporteat in domo Dei conversari. Quasi dicat, hoc interim accipe.

Quæ est ecclesia Dei viventis. Non simpliciter dixit, quomodo oporteat in ecclesia Dei viventis conversari, sed præmisit, *in domo Dei*, ad tanto majorem ecclesiæ commendationem. Tacite significat ecclesiam vere domum esse Dei, non templum Hierosolymitanum, brevi periturum. Deum viventem opponit idolis, seu Diis, ex mortuis hominibus, stultitia & cœcitate ac impietate hominum factis.

Columna & stabilimentum veritatis. Commendat adhuc ecclesiam, ut tanto magis appareat, quam sancta res sit ecclesia, proinde quam sancte sit in illa conversandum. Veritatem intelligit Christianam, cujus ecclesia vere columna ac stabilimentum est. Nam si ecclesia concideret, concideret & divina veritas. Nec enim particularem aliquam intelligit ecclesiam, sed omnes particulares simul sumtas. Ecclesia est quæ fidem Apostolicam & Scripturam sacram, qua fides Apostolica continetur, perpetuò sustentat. Non dicit Apostolus ecclesiam depravatum nunquam iri per falsa dogmata; quin imo mox prædicit cap. iv. 1, 2, 3, fore ut quidam apostatæ fiant à fide, quatenus pravas amplectentur opiniones, fidei Christianæ contrarias. Alibi prædicit apostasiam catholicam, nempe à pura veritate defectionem ad multiplices errores. *Mittet*, inquit, *iis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio:* quia nimirum, quamdiu veritas erat pura, credere ei noluerunt 2 Thess. 2. 3, 10, 11. Eædem prædictiones & alibi apud eundem Apostolum, & apud alios extant, Christus ipse nonne docuit vix seminato tritico seminatum iri & lolium? Docuit & eventus. Nam si quis doctrinam ecclesię cum primorum temporum doctrina componat, videbit eam tanquam diluvio quodam errorum inundatam esse Sed quæcunque tandem fuerit ejus depravatio, mansit tamen in ea & manet, & manebit Apostolica & catholica veritas ac fides, (quæ symbolum etiam dicitur Apostolicum,) mansit Scriptura sacra, per quæ semper, tanquam per ignem cælestem, falsæ opiniones, sicut ab auro scoriæ depelli possint, à quibus quæ repurgatur ecclesia, ea demum in solidum veritatis columna ac stabilimentum est. Et Apostolus ecclesiam intelligit, qualis tum erat, id est puram, catholicam, seu soli catholicæ inhærentem veritati. Nam id quo ecclesiæ ab ecclesiis, Christiani à Christianis discrepant, catholicum non est. Id solum est catholicum, in quo omnes & singuli omnium temporum Christiani, facto ab Apostolis initio, conveniunt

& concordant. Et sic intelligenda est sancta illa catholica ecclesia in symbolo, in quam credere, inter articulos fidei reponitur. Non potuit, inquiunt, ecclesia depravari, cum columna sit veritatis, quasi vero & columnæ non possint everti & collabi. Sed fateor ecclesiam talem esse columnam veritatis, quæ non possit everti, at talis certe non est, ut veritati quam sustinet, hæreses & errores non possint adjungi, non secus ac tritico zizania. Nunquam melius agitur cum erroribus, quam ut iis contingat ad hanc veritatis columnam applicari, & auctoritatem ecclesiæ præferre, nec zizania felicius proveniunt, quam inter triticum sata. Hactenus ergò ecclesia columna & stabilimentum veritatis est, quatenus sancta & catholica est.

Vers. 16. *Et sine controversia*, seu *unanimi confessione*, (*ὁμολογουμένως*) *magnum est pietatis mysterium.* Quasi dicat, ut proinde & ecclesia magna res sit, quæ hujus mysterii, hujus veritatis ac pietatis, columna ac stabilimentum est.

Mysterium pietatis, per genitivum differentiæ seu speciei dicitur, pro mysterio quod est pietas, nempe Christiana. Quod supra dixit, *mysterium fidei* ℣. 9, hic dicit *mysterium pietatis*. Pietas enim Christiana consistit in fide in Christum & ejus fructibus, & quam modo dixit veritatem, nunc dicit mysterium pietatis, quod pura veritas est. Pietatem ergo Christianam magnum dicit mysterium, non solum quod æternis retro temporibus fuerit tacita Rom. xvi. 25 Eph. iij. 5, & quod admirabilem Dei sapientiam & gratiam contineat; sed etiam quod in ejus cognitione sita sint mortalibus omnia, & salus æterna.

Quod manifestatum est in carne. Sic enim recte legunt alii codices Græci, quos secutus est vetus interpres Latinus. Describit hoc mysterium ab adjunctis admirandis, ex quibus ipsis magnitudo ejus queat intelligi, quorum primum est, *quod manifestatum sit in carne*, id est per carnem: *in* pro *per*, consueto Hebraismo, sicut & mox *in spiritu*, id est per spiritum. Mysteria quæ silentur & habentur in arcano, ad notitiam aliorum pervenire non possunt, divina certe, nisi manifestentur. Deus ergo cum manifestum facere vellet tantum mysterium, non manifestavit illud Angelis, spiritibus cælestibus, & per hos demum hominibus mortalibus, sicut olim in Legis factum erat manifestatione; sed illud manifestavit per carnem, per homines non tantum mortales, sed etiam infirmos, nulla carnali potentia munitos ac præditos, injuriis & persecutionibus obnoxios. Tales enim homines, Hebræ phrasi, dicuntur caro, per metonymiam causæ. Magna & admirabilis in hoc Dei & sapientia & potentia apparuit, quâ de re vide 2 Cor. iv. 7, 8, 9 & seqq.

Justificatum est in spiritu. Id est justum ac verum est declaratum per Spiritum, Sanctum nimirum, quo Deus carnem illam instruxit, hic effecit ut caro illa, inter medias afflictiones & persecutiones, tantos progressus in manifestando Dei mysterio faceret. Per hunc enim circa carnem illam tot tantaque miracula & opera divina conspecta sunt, ut divinæ legationi fides fieret. Ita Deus res duas, quarum una infirmissima, altera efficacissima est, combinando, admirabile suum consilium perfecit, & effecit, ne probis deesset validissima credendi causa, improbis vero detrectandi occasio.

Visum est Angelis. Nempe postquam manifestatum esset per carnem. Antea id Angeli non viderunt, id est non cognoverunt, nunc illud admirantur, & ejus contemplatione satiari nequeunt, vide Eph. iij. 10. 1 Petr. 1. 12. Ita per carnem Angeli, qui cum Deo versantur in cælis, Dei mysteria cognoverunt, & sapientiores sunt facti, ô rem admirandam!

Prædicatum est in gentibus. Id est inter gentes, vel gentibus, Hebræa phrasi. Et hoc est inter maximè mirabilia, quod Deus gentibus profanis mysterium pietatis Christianæ seu fidei in Christum prædicari fecerit ad pœnitentiam & salutem Act. xj. 18. Eph. iij. 6.

Creditum est in mundo. Et hoc inter admiranda meritò ponitur, quod in mundo, inter gentes profanas, Ita à Deo verò, à Judæorum gente alienas & aversas, mysterium hoc sit creditum.

Susceptum est in gloria. Id est, Hebræa phrasi, gloriosissimè, maxima cum Dei veri & Christi ejus gloria. Quod in illa ipsa etiam Ephesina urbe evenerat, in qua tum Timotheus erat Act. xix. 20. Eandem phrasin habes Philip. iv. 19. Ex his igitur mysterii istius adjunctis, divinitas ejus ac magnitudo manifestè perspicitur. Exemplaria quæ legunt, Θεὸς ἐφανερώθη pro ὃ ἐφανερώθη, haud dubiè mendum hic habent, quod facile commissum est, cum articulus ὃ speciem vocis Θεὸς, prima tantum litera per abbreviationem scripta, habeat. Apostolus mysterium hic celebrat, quod manifestatum sit, quodq; pietatis esse dicit, seu in pietate consistere; Deum autem manifestatum esse in carne, manifestatum esse dicere, nugari est, & aliud est pietas, aliud Deum manifestatum esse in carne. Nec Deus commode diceretur creditus in mundo, at mysterium esse creditum apte dicitur. Etsi vero & hæc ipsa magna sunt mysteria, quæ de hoc mysterio dicuntur, & nunc sunt patefacta; tamen hæc adjuncta tantum sunt mysterii pietatis, non ipsum pietatis mysterium. Sed mendum in voce levius est, graviùs est multo, quod hic dici credatur, Deum illum unum esse incarnatum, quę incarnationis opinio fortassis etiam causam dedit, ut hic vox Θεὸς legeretur. At cum per manifestationem, mysteria quæ erant, mysteria esse desinant, quo pacto per id quod Deus manifestatus sit in carne, designari potest res, quæ adhuc sit occulta & mystica, id est Dei incarnatio? Quid verò miri erat, ut Deus incarnatus, ab Angelis visus esset? Aut assumeretur in gloriam? Nec textus habet *in gloriam*, sed *in gloria*, ut & hic textum aliter quam verba sonant, interpretari sit necesse. Nec Apostolus usquam voce mysterii, incarnationem Dei significavit, semper arcana Dei, in quorum cognitione voluntatis ejus continetur cognitio, significat. Et cum Deus manifestari dicitur, semper manifestatio voluntatis & arcanorum ejus declaratur, quæ certe non assumunt carnem; proinde si Deus in carne manifestari dicatur, incarnatio Dei haudquaquam per id significatur. Dei etiam voce absolute & subjective posita, nusquam Filius, semper designatur Pater. Nec Filius, cum caro factus esse docetur, incarnatus esse, seu carnem assumpsisse dicitur, sed caro, id est mortalis homo (cum scilicet fieret) esse factus asseritur. Vide Joh. 1. 14.

CAPUT

CAPUT IV.

Verſ. 1. S*Piritus autem*, nempe Sanctus, *diſerte dicit.* Nempe per os Prophetarum. Spiritus enim Sanctus afflatus eſt divinus, qui dicit vel loquitur, cum per eum perſonæ loquuntur, ſive Deus & Chriſtus, ſive homines illo afflati: quaſi dicat Apoſtolus, quamvis pietatis ac fidei Chriſtianæ myſterium adeo magnum ſit, & tot tantaque divinitatis ſuæ adjuncta & argumenta habeat.

Quod in poſterioribus temporibus. Inprimis Apoſtolis decedentibus.

Deficient quidam à fide, ἀποστήσονταί τινες. Apoſtatæ fient à fide, à myſterio pietatis Chriſtianæ, quæ fide in Chriſtum & præceptorum ejus obſervantia continetur.

Attendentes ſpiritibus ſeductoribus. Nempe Pſeudoprophetarum ℣. 2. Cauſam iſtius eorum apoſtaſiæ exponit. Hinc Johannes Apoſtolus, hoc ipſum jam quod hic prædicitur videns, *non omni ſpiritui credite, ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint, quia multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum* 1 Joh. IV. 1, quem locum vide.

Et doctrinis Dæmoniorum. Declarat quid ſit attendere ſpiritibus ſeductoribus, nempe doctrinis attendere dæmoniorum, ſeu quæ dæmonas habent auctores, & ſimul qui ſint iſti ſpiritus ſeductores, quibus aguntur falſi Prophetæ, Dæmones nimirum. Hi ſunt qui omnia falſa dogmata, fidei & pietati Chriſtianæ contraria, per homines maleſeriatos in eccleſiam invexerunt Matth. XIII. 39.

Verſ. 2. *In ſimulatione falſiloquorum.* Deſcribit homines, quorum erant iſti ſpiritus deceptores, & quorum opera ac miniſterio tradentur doctrinæ dæmoniorum. *In ſimulatione*, inquit, id eſt cum ſimulatione, *falſiloquorum.* Qui falſa loquentes & docentes, egregiè hypocriſin ſeu ſimulationem exercebunt, & mimos agent omnis ſanctitatis. Hoc eſt quod Chriſtus de iiſdem dixit: *Venient ad vos in veſtitu ovium, intus autem lupi ſunt rapaces* Matth. vij. 15.

Cauterio inuſtorum propriam conſcientiam. Exterius ſimulantium pietatem, Dei & Chriſti amorem, & in ipſa à fide Chriſtiana defectione, fidem in Chriſtum, ſanctitatem, puritatem, continentiam, interiùs autem ſi conſcientiam eorum inſpicias, nil niſi ſtigmata erunt & ſcelerum inuſtæ deformes notæ.

Verſ. 3. *Prohibentium nuptias.* Nempe doctrina ſua: quaſi dicat, inter cætera prohibentium nuptias. Neque enim hoc tantum docebunt, plures erunt ipſorum doctrinæ ℣. 1. Hoc pertinet ad hypocriſin ac ſimulationem ſanctitatis & caſtimoniæ. Prohibere nuptias, Apoſtolus dicit eſſe doctrinam dæmoniorum & pſeudoprophetarum, & ipſe prohiberet Epiſcopos ac Diaconos à nuptiis? Nam & ſecundæ nuptiæ nuptiæ ſunt. Encratitæ olim nuptias ſimpliciter damnabant, ſed & illi partem habent in eorum doctrina qui ſecundas, multo verò magis qui etiam primas damnant nuptias in Epiſcopis & Presbyteris & Diaconis, aliiſque in ſacro verſantibus miniſterio, qui votis obſtringunt ad ejurandas omnes nuptias. Vere doctrinam hanc dæmoniorum eſſe dixit Apoſtolus. Nam remedium, quod Deus dedit adverſus ſcortationes, ipſi tollunt, & ſub ſpecie majoris ſanctitatis, omni impuritati latam portam aperiunt. Ita evenit ut qui nuptias prohibent, non caſtitatis, ſed impuritatis patroni, & hactenus etiam à fide ac pietate Chriſtiana apoſtatæ fiant. Verborum hic argumentis opus non eſt, cum rerum adſint documenta.

Abſtinere à cibis. Intellige jubentium. Nam & prohibendo nuptias abſtinere jubent à nuptiis, non ab omnibus cibis, ſed à carnibus puta. Hæc hypocriſis & affectatio continentiæ eſt. Et hujus Encraticarum doctrinæ magna pars remanſit in eccleſia. Nam ne nunc dicam de iis qui voto ſe obligarunt, ad carnes tota vita non guſtandas, nonne lex in eccleſia facta eſt, qua carnium eſus interdicitur certis diebus, quorum in anno magnus eſt numerus? Scio jejunium rem ſanctam eſſe, ſcio & diebus jejunii non tantum à carnibus, ſed etiam ab alio omni delicatiori cibo ac potu cum finitur jejunium, abſtinere, etſi non neceſſarium, tamen conveniens eſſe. Nam cum durat jejunium, ab omni cibo ac potu abſtinendum eſt: ſed & hoc ſcio, jejunium ſive privatum, ſive publicum, ſacrificium eſſe, in Chriſti fide ac religione, voluntarium, proinde qui lege conſcientias obligant ad jejunia & certorum ciborum abſtinentiam, (de civili aliqua lege non loquor) contra Chriſti fidem facere, ſcio item, abſtinentiam à certis cibis, qua finiebantur olim jejunia, jejunia nunc dici, idque etiam non abſtinentiam ab omni delicatiori cibo ac potu, ſed abſtinentiam tantum à carnibus & aliis nonnullis. Olim Chriſtiani, finito jejunio, ſimplici ut plurimum pane & aqua contenti erant, nunc quibus copia eſt, per delicatiſſima fercula & optima vina, etiam ad nauſeam & ebrietatem, dummodo carnes abſint, jejunium exercent. Ita per hanc de jejuniis religioſam legem, etiam ipſa jejunia ſublata ſunt. Sed etiamſi veriſſima ſint jejunia, & tandem finiantur ſolo pane & aquâ; ſi tamen lege ſtatâ, Chriſtianorum conſcientiis imponantur, & ex iis quæ neceſſaria non ſunt, conſcientiæ & religionis cauſa, neceſſaria fiant, contra fidem ac religionem Chriſti eſt. Facile enim per talia hominum animi avertuntur ab iis quæ neceſſaria ſunt, & quæ ſola Chriſtus præcepit, eoque rem etiam devêniſſe videmus, ut talium fiducia, nemo de Chriſti mandatis ſolicitus ſit. Nam & pro pœnitentia in remiſſionem peccatorum, ab hoc vel illo cibo, certorum dierum abſtinentia, ſolet imponi. Unde fit ut omnes à carnibus abſtineant, nemo abſtineat à peccatis, quin & hominum animi ita imbuantur abominatione carnium, ut ſi detur optio, malint vel hominem occidere, nedum ſtupra & adulteria committere, malint aliena ad ſe trahere, inebriari, comeſſari, quam ſexto die carnibus veſci. Nec mirum, cum homicidia & omnis generis peccata patrari quotidie videant, at qui carnibus vetito die veſcatur, neminem. Maluit ergo Chriſtus etiam ſanctiſſimorum jejuniorum lege ſuos ſolvere, ut eos tanto validius, ad omnem juſtitiam, temperantiam, ſanctitatem obligaret. Proinde juſtiſſimam cauſam habuit Apoſtolus,

ut

ut hoc quoque dogma de abstinentia à cibis ad spiritus seductores & dæmones referret. Hujus generis sunt omnes aliæ leges & regulæ, perficiendæ Christianæ pietati ab hominibus traditę, quas tamen recte faciunt, quod consilia non præcepta velint esse; quibus ego multo certius consilium darem; nimirum ut verâ fide in Christum, & spiritu istius fidei animum replerent, qui longe efficacior est ad veram pietatem ac justitiam, quam omnia hominum instituta. Sic delirare necesse est eos, qui consummatissimum à Christo pietatis opus legibus & præceptionibus suis perfectius reddere conantur! Id effecerunt, ut formam pietatis haberent, virtutem autem ejus abnegarent 2 Tim. iij. 5. Sabbati etiam jejunium à mundo condito nullis piorum in usu fuisse certum est, nec primis Christianis & Apostolicę ecclesię. Româ primum prodiit, & Orientis ecclesiis occasionem dedit cum Romano Episcopo hac de re graviter contendendi. Scio quidem Filium hominis etiam Sabbati Dominum esse, & Christianis, si res postulet, etiam Sabbato jejunare licere, sed cum alios habeamus ad jejunandum dies, quid attinuit diem septimum memoriæ quietis, peracto per antecedentes sex dies mundi opificio, ab ipso Deo sacratum, jejuniis, iisque etiam falsis destinare?

Quæ Deus creavit ad participationem. Ostendit quam male & contra Deum faciant, qui conscientias legibus obstringunt, ut vel perpetuò, vel saltem certis & statis diebus ac temporibus à carnibus aliisve aliquibus cibis abstineant. Jejunii dies hic non intelligo, quę semper, ut & ipsum jejunium à libera pendent voluntate. Cum ergò Deus cibos omnes creaverit ad participationem, nemo mihi religionem imponere debet, ne vel unquam, vel statis diebus hunc aut illum cibum participem.

Cum gratiarum actione. Docet in ciborum participatione gratias agendas esse Deo, quibus Deum privant, qui ciborum participationem vetant.

Fidelibus. Id est, iis qui credunt in Christum.

Et qui cognoverunt veritatem. Nempe per Evangelium revelatam. Olim Deus multorum ciborum participatione populum suum prohibuerat, nimirum, quia fides in Christum nondum venerat, nec veritas plene revelata erat. Detinendi erant adhuc talibus rudes & plenæ veritatis nondum capaces animi. Ostendit solis fidelibus & piis, qui veritatem cognoverunt, jus ac potestatem esse cibos participare, præter hos, id juris esse nemini. Pollutis enim & non credentibus nihil est purum Tit. 1. 15.

Vers. 4. *Quia omnis creatura Dei bona est.* Causam addit cur dicat quod Deus omnes cibos creaverit in participationem Christianis, quia nimirum omnis creatura Dei bona est. Omnis creatura, intelligi debet ex materia subjecta, nempe quę ad participandum idonea est. Cum ergo omnis creatura ad participandum idonea, bona sit per se ac natura sua, merito dixi cibos omnes creatos esse ad participationem bonis. Bonis conveniunt bona.

Et nihil rejectaneum, id est, & nihil debet rejici & pro rejectaneo haberi, *quod cum gratiarum actione accipitur.* Quasi dicat, si gratiarum abesset actio, fas non foret illud accipere, id est illo vesci; sed accedente vel antegressa gratiarum actione, nihil est rejectaneum, nullus cibus debet rejici seu pro rejectaneo duci. Ergo nec sanguis aut suffocatum, si scandalum absit. Non enim est contra hominum naturam vel consuetudinem iis vesci. Quibus tamen si per se fas non esset vesci, excipienda omnino erant ab hac generali regula.

Vers. 5. *Sanctificatur enim per sermonem Dei.* Quo scilicet Deus omnes cibos sanctos pronunciavit, quem sermonem Paulus prædicabat, quem & Petrus audiverat, cum adhuc cibos quosdam crederet impuros esse Act. x. 15.

Et interpellationem. Christianorum videlicet, qui cibum accepturi Deum precibus interpellant, ut eum benedicat, redduntque vicissim pro eo benedictionem & gratiarum actionem Deo. Locus hic docet fas non esse Christianis ut cibo utantur ullo, non præmissa oratione & gratiarum actione. Hinc & Christus ipse, cum cibum sumeret, gratias egisse & benedixisse legitur.

Vers. 6. *Hæc si subjeceris fratribus.* Ne scilicet ejusmodi dogmata recipiant, & in abstinentia à conjugio, à cibis salutem suam collocent, aut conjugium & ciborum promiscuum usum saluti suę putent officere.

Bonus eris minister Jesu Christi. Quasi dicat, Jesus Christus enim nihil vetat eorum, quę natura sua omni vacant turpitudine, nihil præcipit, quo sine vera in Deum fides, vera pietas, justitia, charitas, vera sanctitas & temperantia potest consistere. Vide quam in ecclesia versa sint omnia, nunc pro optimo Jesu Christi ministro habetur, qui Episcopos, Presbyteros, & tot alios homines, utriusque sexus, à nuptiis arcet, qui à carnibus aliisve cibis abstinere jubet, & per talia ab observantia verorum Christi præceptorum homines avertit. Notetur appellatio ministri, quam Paulus Timotheo, imo sibi ipsi sæpe maximæ gloriæ ducit; nunc autem in ludibrium vertit inter eos qui soli sibi ecclesiæ Catholicæ nomen vendicant.

Innutritus. A matre nimirum & avia, piis fœminis 2 Tim. 1. 5. & 111. 15.

Sermonibus fidei. Id est de fide, in Deum scilicet & Christum, per genitivum objecti: quasi dicat, quem te omnino decet esse, cum sis innutritus sermonibus de fide in Deum per Christum, fidem nimirum esse, quæ hominibus imputetur ad justitiam, ubi fides sit per charitatem operans, ibi omnia esse.

Et bonæ doctrinæ. Qua scilicet traditur fidem in Christum hominibus esse pro lege, & qui fidem hanc habeant & ea regantur, omni alia lege solutos esse, fidem hanc nihil aliud exigere quam quæ natura sua vera ac justa sunt, nihil vetare nisi his contraria. Fidem hanc habentes, vere liberos, vere Dei filios esse, multi alii, quam justitiæ, charitatis, & omnis honestatis legi, (quæ Regia & libertatis lex est,) subjectos, omnium aliarum rerum & conjugii & ciborum potestatem habere, veram ac solidam pietatem & justitiam Christianam, nullis in speciem majoris ac perfectioris sanctimoniæ præceptis solvendam & corrumpendam esse.

Quam assecutus es. Id est probe cognovisti ac percepisti, nempe statim à domesticis matris & aviæ præceptis, à me assumtus & mihi adhærens. Vide Act. xvi. 1, 2, 3. 2 Tim. iij. 10.

Vers. 7.

Vers. 7. *Profanas autem & aniles fabulas devita.* Quasi dicat, illa subjice fratribus; profanas autem &c. Opponuntur sanctis & veris sermonibus ac historiis. Solent enim seductores fabulas comminisci pro suis dogmatis, quarum pleni sunt libri Thalmudici, & hodie inter Christianos speculum sanctorum. Monet ergo ut fabulas istas devitet, id est aurem ac linguam iis non præbeat, eas fugiat & aversetur.

Exerce autem teipsum ad pietatem. Per continuas nimirum veræ ac seriæ pietatis actiones: quasi dicat, ut non tantum pia & sancta doceas; sed & ipse quam maxime sis pius.

Vers. 8. *Corporalis enim exercitatio ad exiguum est utilis.* Id est exiguum habet usum. Causam adfert cur ei corporalem exercitationem non commendet, per quam non intelligit opinor exercitationem in cursu, in lucta, in ludo gladiatorio, quid enim cum his Timotheo? Nec opinor exercitium corporis, sanitatis causa, quid enim hoc ad rem? Sed haud dubie intelligit illa Philosophorum progymnasmata, seu *ἀσκήσεις*, ludicram illam patientiam, qua corpora duriter tractabant, ut ea durarent adversis fortiter tolerandis, simplicissimo victu & aquæ potu contenti, cubantes humi sine strato, corpore seminudo, & similia. Hæc omnia Paulus appellat corporalem exercitationem, eamque parvi dicit usus esse. Nam Christianus in adversis virtutem habet ex fide in Christum, quâ, sine istiusmodi corporis exercitamentis, omnia, etiam cum gaudio sustinere possit, & cum ista sint simulacra tantum virtutem, non veræ virtutes, nullum apud Deum habent præmium, nisi forte apud homines aliquam existimationem, quod sane perexiguum est. Utinam hæc considerarent, qui hodie ob talia valde sibi & aliis videntur perfecti, interim vera pietas jacet, & jacet ob hæc ipsa vana pietatis imitamenta.

Pietas autem, nempe vera ac seria, *ad omnia utilis est.* Proinde utilissima est.

Promissionem habens vitæ & præsentis & futuræ. Probat quod dixit. Quid enim utilius esse potest homini, quam quod promissionem habeat à Deo, & præsentis vitæ, & vitâ hac cessante, futuræ, cui nullus erit finis. Piis enim promisit Deus, fore ut vitam eorum præsentem conservet, ne ante naturæ debitum tempus exstinguatur, & ut iis sua cura ac providentia, nihil eorum desit, quibus vita præsens indigeat, & ut vitâ hac præsente ad suum finem & exitum perducta, vitam aliam iis largiatur longe hac meliorem, in qua sicut morti, sic nec ulli adversitati ullus sit locus, & cujus gaudia sint inenarrabilia. Nec refert quod sæpe videamus pios affligi, & ante tempus exstingui. Hoc enim nec aliter Deus fieri permittit, quam singularis gloriæ suæ causa, cui & vitam & omnia debemus, nec nisi maximo piorum bono & in vitæ futuræ certissimum pignus & argumentum. Id ergo agamus omnes, non ut corpora exerceamus per inanes continentias à rebus à Deo concessis, nec ulli offendiculum præbentibus; sed ut animos excolamus omni genere virtutum, in quibus vera pietas consistit.

Vers. 9. *Fidelis (est) hic sermo, & omni receptione dignus.* Nempe quod pietas promissionem habeat non tantum præsentis sed & futuræ post hanc vitæ. Idem Epiphonema habuimus cap. 1. 15, quod & hic merito repetiit. Multi enim sunt, qui de hac promissione futuræ imprimis vitæ dubitant, multi etiam hodie, etsi de promissione non dubitant; pietati tamen eam esse datam negant, quorum Academiæ disputationibus personant, de non necessitate bonorum operum ad salutem. Quid vero pietas aliud est, quam omnis generis opera bona, quæ si promissionem habet futuræ illius vitæ, quomodo ad hanc promissionem obtinendam necessaria non est? Fides, inquiunt, sola necessaria est. Fidem autem sequuntur suâ sponte bona opera. Primum, non omnem fidem sequuntur. Nam illorum qui hæc dicunt fidem non sequuntur. Fidem veram sequuntur bona opera, sed falsam non sequuntur, ut proinde propria sua confessione vel fidem non habeant, vel quod verum est, falsam habeant. Firmiter enim credunt bona opera ad salutem non esse necessaria, firmiter sibi meritum applicant Christi, quam fidem, quia non sequuntur bona opera, necesse est nec veram esse fidem. Deinde, non intelligunt ad fidei substantiam, (si nimirum nobis vita post eam suppeditet,) pertinere bona opera. Est enim fides hæc, in Deum & in Christum fiducia. At fiducia in eum qui aliquid promittit & jubet, ex duabus his partibus componitur, ut promissioni credamus, & quod jubemur faciamus. Hoc posterius si absit, quamvis prius illud esset, fiduciæ nullus est locus. Quam fiduciam habuisset Pater ille credentium in Deo, nisi mandatis ejus obtemperasset, nisi tandem etiam filium offerre jussus obtemperasset? Fides nimirum cum sola salvare dicitur, non magis excludit suos fructus, quam arbor aut ager cum solus alere affirmatur, aut ab homine, cum solus aliquid facere dicitur, anima ejus excluditur. Et fidei anima, sunt bona opera. Nam sicut corpus sine spiritu mortuum est, sic & fides sine operibus est mortua Jac. 2. 26. Cum igitur ex fide justificari dicimur, & non ex operibus, sensus est, nos operibus non mereri justificationem; cum nemo sit sine crimine; sed fidem ac fiduciam in Deum imputari nobis ex ejus gratia ad justitiam. Hoc ergo sensu non justificamur ex operibus, sed ex fide tantum; at fide, à suis fructibus & operibus distincta, justificamur etiam ex operibus, & non ex fide tantum. Et hunc sensum spectavit Jacobus, cum arguit inquiens: *Vis autem cognoscere, ô homo vane, quod fides sine operibus sit mortua*, proinde neminem justificet. *Abraam pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens filium suum super altari? Vides quod fides cooperata sit operibus ejus*: quasi dicat, & non sola justificationem produxit, *& ex operibus fides perfecta est*, ut scilicet vim haberet justificandi, *& impleta est Scriptura*, id est plenum habuit effectum, *qua dicit, credidit Abraam Deo, & imputatum est ei ad justitiam, & amicus Dei appellatus est. Videte igitur*; quasi dicat, ipsis oculis vestris, est enim res in exemplo Abraami oculis subjecta, *quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum* Jac. 2. 20 & sequentibus. Hoc ipsum & hic Paulus asserit, fidelem esse sermonem hunc dicens, & omni receptione dignum, quod pietas ad omnia sit utilis, promissionem habens & præsentis & futuræ vitæ. Pietas enim & fidem & omnia fidei complectitur

effecta seu opera. Fides est quæ omnia alia pietatis opera producit. Fides est quę omnia opera Deo commendat & grata facit. Sine fide enim nemo potest placere Deo Hebr. XI. 6. Fides est quæ quod in operibus deest, coram Deo supplet, & sic cum suis operibus imputatur ex ejus gratia ad justitiam. Opera à fide producta sunt, quæ cum fide justificationem & salutem operantur, quæ fidem animant & faciunt ut vera sit, ut viva sit, ut efficax sit ad justificationem, & ut fiducia in Deum ac Christum dici possit. Proinde is sermo qui pietatis operibus nihil promissum esse, qui ea ad salutem necessaria non esse dicit, & à causis æternæ salutis excludit, infidus est & fallax, & omni repudiatione dignissimus. Nihil enim aliud Deus in universa religione Christiana egit, quam ut nos vel maxime pios in hac mortali vita redderet, & tales redditos, immortalis vitæ postmodum in pietatis præmium hæredes efficeret. Huc omnis Dei gratia, huc ipsa Christi mors tam acerba pro peccatis nostris unice spectat ac tendit.

Vers. 10. *Ad hoc enim, ἐις τοῦτο.* Id est propter hoc, hujus rei causa. Εἰς hoc loco significat *propter*, ut 1 Petr. IV. 7, qua significatione & Latinis *ad* accipi solet. *Et laboramus.* Nempe in pietatis operibus.

Et opprobria patimur. Nempe proptar pietatem ejicimur, virgis cædimur, in carceres condimur, lapidibus obruimur, undique premimur & vexamur, nec quidquam aliud præter infamem & truculentam mortem singulis diebus exspectamus. Confirmat autem tam singularibus in se effectis, sermonem istum quem dicit fidelem esse, & pietatem manere futuræ post mortem vitæ certissimum præmium.

Quia speravimus. Id est speramus, Hebræa phrasi. Exprimit id ad quod, vel propter quod laboret, & opprobria patiatur.

Qui speravimus, inquit, *in Deo vivente.* Fore nimirum ut tantos labores & opprobria, vita remuneretur futurâ, at spem hanc non haberemus in Deo, multo vero minus ob hanc, vel propter hanc spem tot tantosque labores & opprobria subiremus, nisi sermo hic, quem dixi, fidelis ac omnino certus esset. *Deum viventem* dicit, quia vitæ fontem in se habet, ut hinc pateat eum quibus velit, vitam & præsentem & futuram dare posse.

Qui est Servator omnium hominum. Quasi dicat, qui non tantum potest, sed etiam vult omnes homines servare Cap. 2. 4: quasi dicat, & inde haud dubie salutem & vitam futuram promisit omnibus hominibus pie viventibus.

Maxime fidelium. Id est eorum qui promissioni ejus fidem habent, & mandata ejus fideliter observant, ac pii sunt. Horum maxime Servator est, quia hos facto ipso servat. Aliorum tamen etiam hominum omnium Servator est, quia per ipsum non stat, quominus & illi serventur. Pietatem enim colant & servabuntur. Ita descripsit Deum, ut ex hac ipsa descriptione appareat sermonem illum, de promissa piis futura vita esse fidei & veritatis certissimæ.

Vers. 11. *Præcipe hæc.* Ut ea omnes faciant, Deo credant, pietatem colant, & sic salutem à Deo sperent.

Et doce. Ut scilicet omnes ea sciant. Sunt enim certissima & verissima, & omni receptione dignissima.

Vers. 12. *Nemo tuam inventutem contemnat.* Juvenis erat Timotheus, & juvenum, in præcipiendo præsertim & docendo, magna non solet esse auctoritas, monet ergo Apostolus, ne quisquam juventutem ejus contemnat, quæ monitio etsi ad alios etiam directe pertinere potest, qui eam ex hac ad Timotheum epistola haurire poterant ac debebant, videtur tamen ad ipsum Timotheum præcipue pertinere, ut nimirum diligenter det operam, ne ob juventutem suam contemnatur, proinde ne quid juventus auctoritati demat, quod non parum in publicum noceret.

Sed exemplum sis fidelium. Docet ex opposito, quomodo sit effecturus, ne juventus ejus apud ullum sit contemptui. *Exemplum*, inquit, *sis fidelium.* Quasi dicat, quod ætati deest, virtutibus compensa, ita eris tanto admirabilior.

In sermone. Incipit recensere quibus in rebus exemplum debeat esse fidelium, id est aliorum Christianorum omnium. *In sermone*, ut sermo ejus semper sit gravis, sanctus, consideratus, ad ædificationem spectans, nihil contineat levitatis & imprudentię.

In conversatione. Id est in actionibus & moribus, ne quidquam sit quod in iis reprehendi possit, imo quod amari & laudari non debeat.

In charitate. Nempe erga omnes, & præcipue fratres in Christo. Charitatis enim effecta sunt, quæ maxime commendant, & hominem æstimari ac diligi faciunt.

In spiritu. Id est in iis quę ad spiritum non ad carnem pertinent, per metonymiam subjecti. Spiritum opponit carni, ut Gal. 2. 3, v. 5, 6. Phil. III. 3, 4. Tacite perstringit Judæos, qui in carne & rebus ad carnem spectantibus gloriabantur, & auctoritatem sibi præsumebant. Timotheo, quippe patre Græco nato, hęc deerant. Sed nec in carne veram auctoritatem consistere docet, in spiritu & iis quę ad spiritum pertineant, id est in veris virtutibus aliis præire ac præcellere, id demum esse quod auctoritatem conciliet.

In fide. Erga Deum nimirum & Christum, quę sicut in omnibus aliis virtutibus, sic præcipue in omnium laborum & perpessionum pro Christo tolerantia elucet.

In castitate. Hanc in specie nominat, quod castitas maxima sit virtus in juvene. Vide cap. V. 2.

Vers. 13. *Donec veniam.* Vide cap. III. 14. *Attende lectioni.* Nempe Scripturæ Sacræ. Solebat enim in ecclesiæ conventu Scriptura Sacra legi.

Adhortationi. Post Scripturę lectionem solebat adhortatio fieri ad populum.

Doctrinæ. Solebat & populus doceri. Adhortatio est ad ea quę scimus, doctrina est eorum quę ignoramus.

Vers. 14. *Non neglige quod in te est donum.* Adhortandi nimirum & docendi, quod nisi perpetuo exerceatur & excolatur, ducit rubiginem. Eadem admonitio, licet alia phrasi, est 2 Tim. 1. 6.

Quod datum est tibi per Prophetiam. Nempe de te, cum scilicet Prophetæ instinctu Spiritus Sancti juberent te in Euangelii ministrum eligi, testantes ac prędicentes insignem te virum in docendo & adhortando fore. Cujus Prophetię vi, quia erat à Deo & à Christo, collatum est Timotheo donum hoc per Spiritum Sanctum.

Cum

Cum impositione manuum Presbyterii. Id est accedente simul ad Prophetiam impositione manuum Presbyterii, id est Presbyterorum seu Seniorum ecclesiæ, inter quos erat & Paulus ipse 2 Tim. 1. 6. Solebant enim iis qui ordinabantur, manus imponi à Presbyteris, inter quos quia Paulus tum erat, haud dubie tum Timotheus peculiare istud donum per Spiritum Sanctum accepit. Apostolis enim id à Christo tributum erat, ut quibus manus imponerent, iis daretur Spiritus Sanctus Act. xix. 9. Vide cap. 1. 18.

Vers. 15. *Hæc cogita*. Nempe quæ ad excolendum donum tuum pertinent.

In his esto. In his versare, hęc age.

Ut tuus profectus manifestus sit in omnibus. Id est ut te omnes & in omnibus rebus ad munus tuum pertinentibus proficere, & in dies habiliorem fieri videant.

Vers. 16. *Attende tibi ipsi*. Ut nimirum talis sis qualis debes esse.

Et doctrinæ. Id est & aliis, ut & illi sint quales esse debent, quod docendo eos consequeris.

Permane in istis. Nempe ad extremum, nulli labores, nullę molestię, nulla pericula, nulla spes hujus seculi te ab iis avocent. *Hoc enim faciens, & teipsum servabis*. Tibi ipsi scilicet attendens.

Et eos qui te audiunt. Dum eos doces & adhortaris, & exemplo iis præluces. Servare dicitur, qui causa salutis est. Ingens sane bonum, non tibi tantum, sed & aliis qui te audiant causam esse salutis!

CAPUT V.

Vers. 1. *SEniorem ne objurga*, μὴ ἐπιπλήξῃς. Pergit in Timotheo informando, vide cap. iij. 15. Seniorem hic intelligit ætate, cui mox opponit juniores itidem ætate, & senioribus viris, seniores fœminas, junioribus etiam viris, juniores fœminas. Monet ergo Timotheum, ne cum ipse sit juvenis, seniorem, id est ætate jam & annis gravem, objurget & increpet, id est aspere & acerbe reprehendat. Id enim juvenem nullo modo decet, & senibus grave est.

Sed admone tanquam patrem. Proinde cum honore senectutis & verecundia. Aliter si facias, oon emendasti illum, sed offendisti.

Juniores, scilicet viros, *tanquam fratres*. Jam quidem paulò liberius, sed tamen cum fraterno respectu & charitate.

Vers. 2. *Seniores*, nempe fœminas, *tanquam matres*. Ut te eas tanquam matres honorare & revereri appareat.

Juniores, itidem fœminas, *tanquam sorores, in omni*, id est cum omni, *castitate*. Quasi dicat, quæ nec aspectu, oec cogitatione violanda est, sed ut virginem virgo.

Vers. 3. *Viduas honora*. Id est curam earum habe diligentem, ne quid earum necessitatibus desit. Hoc sensu vox honoris accipitur etiam infra ℣. 17, & in præcepto Dei de parentibus honorandis Matth. xv. 4, 5, 6. Etsi vero hæc viduarum cura proprie pertinebat ad Diaconos Act. vi. 1, 3, tamen & Timotheo præcipitur, tanquam primo ecclesiæ rectori, à quo pendebant cæteri, & quo movente movebantur.

Quæ vere sunt viduæ. Quænam istæ sint, intelligitur ex sequentibus.

Vers. 4. *Si vero qua vidua liberos & nepotes habet*. Hanc opponit ei quæ vere vidua est, id est quæ nullos liberos ac nepotes habet.

Discant primum erga propriam domum pii esse. Quam scilicet ergà alios benefici.

Et vicem reddere parentibus. Declarat prius.

Hoc enim est bonum & acceptum coram Deo. Ut ex pręcepto Decalogi constat. Monet ut liberi & nepotes matrem vel aviam suam viduam, si pauper sit, suâ alant cura, ne oneretur ecclesia.

Vers. 5. *Quæ autem vere vidua* (est) *& deserta*. Id est liberis & nepotibus destituta.

Speravit, id est sperat, Hebręa phrasi, *in Deum*. Quasi dicat, non in liberis & nepotibus. Describit proprietatem ejus quę vere vidua est, & derelicta, quia si talis non sit, talis esse debeat.

Et permanet in orationibus ac precibus noctu & interdiu. Hic est spei in Deum, in viduis pręsertim & derelictis, effectus.

Vers. 6. *Quæ autem lasciviit*. Id est lautis epulis & curandæ cuticulæ & somno indulget, unde facilis in lasciviam lapsus.

Viva mortua est. Id est quamvis adhuc vivat, & marito suo superstes sit, tamen mortua est, quia in vita Dei nullam habet partem, viva est secundum carnem, mortua est secundum spiritum.

Vers. 7. *Et hæc denuncia*. Nempe quæ de viduis scribo.

Ut inculpatæ sint. Id est ut in Deum sperent, in precibus assiduæ sint, delicias & lasciviam vitent, viduitati suæ convenienter vivant.

Vers. 8. *Si vero quis propriis*, id est ad se pertinentibus, *& maxime domesticis*. Id est parentibus, quorum è domo ortus est ℣. 4.

Non providet. Cum scilicet possit. Exponit qua in re consistat iste honor, de quo hic agitur.

Fidem abnegavit. Christianam nimirum hoc ipso facto suo. Aperte se Christianum haud esse ostendit, & factis plus credendum est quam verbis.

Et est infideli deterior. Infideles enim tamen natura & institutione humana duce, eos qui ad se pertinent, & imprimis parentes suos curant; quod iste, qui se fidelem dicit, non facit.

Vers. 9. *Vidua eligatur*. Nempe in viduarum collegium, quæ sumtibus alebantur ecclesiæ, & præsidebant fœminis.

Non minor annorum sexaginta. Causam exponit infra ℣. 11, 12, 13.

Quę fuerit unius viri uxor. Id est quæ divortium non fecerit à viro & alii nupserit, quod inter gentes adeo erat usitatum, ut conjugii fructus haberetur divortium. *Prælata est*, inquit Tacitus, *Pollionis filia, non ob aliud, quam quod mater ejus in eodem conjugio manebat*, Ann. 11. Judæi etiam quà libebat de causa repudiabant uxores, quæ sic repudiata, & alii nubens, secundum Christi legem, non erat unius viri uxor, propter quam notam fiebat, ut vidua facta, non posset eligi in sacrum viduarum collegium. Nam ut ab hac electione arceretur, quæ in juventute vidua facta, repetierit matrimonium, contra

tra præceptum foret Apostolicum, qui paulò post jubet, ut viduæ juniores nubant, liberos procreent, &c, ✝ſ. 14. Fateor tamen eam, quæ ſemel matrimonio functa, ſemper in viduitate manſit, ſi cætera ſint paria, in quibus multo plus eſt ſitum, merito præferendam eſſe. Nam & mox addit,

Si liberos educavit. An ergo ſi vel ſterile fuit matrimonium, vel proles non vivax fœminæ, alias ſanctiſſimæ, ſua infelicitas, non ulla culpa, fraudi eſſet! Hęc talia ex æquo bono accipienda ſunt. Plura hac de re vide cap. III. 2.

Verſ. 10. *Quæ in operibus bonis teſtimonium habeat,* nempe etiam ab iis qui extra ſunt cap. III. 7, *ſi liberos educavit.* Hanc rem in mulieribus tanti facit Apoſtolus, ut eam inter cauſas ſalutis earum ponat cap. 2, 15. Opponitur autem huic non ea quę liberos educate non potuit, ſed quæ noluit. Nam & fœtuum abactio, & liberorum expoſitio, res non erat nova inter gentes. Jam ſi liberorum procreatio & educatio laudem habet in primo matrimonio, cur non habeat & in repetito?

Si hoſpitalitatem exercuit. Magna & eximia virtus eſt, hoſpites & peregrinos tempeſtivo officio ſuſcipere, & iis omnem humanitatem exhibere.

Si ſanctorum pedes lavit. Id eſt & ipſa ſuis manibus, cum res ferret, lavit, Chriſti præcepti memor, & ſi ipſa decore impediretur, lavari fecit. Pars hæc erat & eſt hoſpitalitatis, quam idcirco Apoſtolus diſtincte nominat, quod à Chriſto præcepta ſit. Vide Joan. XIII. 14, 15. Apparet Apoſtolum præcipue de hoſpitalitate erga ſanctos loqui, quemadmodum de ſolis ſanctorum pedibus loquitur, neque etiam ullos alios ex Chriſti præcepto lavare tenemur.

Si afflictis. Inprimis propter Chriſtum.

Suppeditavit. Beneficentiam erga eos exercuit. Hæc ſignificant, viduas iſtas non ex paupertate ſolitas eligi: ſed etiam ex opulenta domo. *Si omne opus bonum ſectata eſt.* In genere concludit omnia. Conſiderat autem hanc viduam etiam temporis ejus reſpectu, quo necdum erat vidua. Et hoſpitalitas magis eſt matronæ conjugis, quam viduæ.

Verſ. 11. *Juniores autem viduas.* Id eſt eas quę adhuc ſunt habiles matrimonio.

Devita. In electione nimirum.

Quando enim laſcivierint. Paſtæ ſcilicet & ſaginatæ pane Chriſti, qui ab eccleſia, propter Chriſtum, iis haud parce datur.

Adverſus Chriſtum. Id eſt adverſus id quod decorum eſt in Chriſto.

Nubere volunt. Quaſi dicat, aniculæ jam & matrimonio ineptæ.

Verſ. 12. *Habentes judicium.* Id eſt pœnam haud dubie daturæ: judicium pro pœna, per metonymiam cauſæ, & præſens pro certo futuro, per enallagen temporis.

Quod primam fidem rejecerint. Qua ſe ſcilicet viduitati, ætate jam provectâ, ſacraverant.

Verſ. 13. *Simul autem & otioſæ.* Quia pane Chriſti aluntur.

Diſcunt circumeuntes, id eſt circumire, participium pro verbo, *domos.* Quid enim aliud agerent otioſæ, cum domum ſuam non curent?

Non ſolum autem otioſæ, ſed etiam garrulæ & curioſæ. Otia enim dant vitia.

Loquentes quæ non decent. Alienas inſpiciunt domos, aliena curant, hinc fit ut garrulæ ſint, & de aliis loquantur quæ non decent, nec loquenda ſunt. Efferunt in publicum quæ celanda erant, & multa etiam confingunt.

Verſ. 14. *Volo igitur.* Quaſi dicat, igitur ut huic occurratur malo, *volo* κατὰ συγγνώμην tamen, non κατ' ἐπιταγήν,

Ut juniores nubant. Quaſi dicat, non eligantur in viduarum collegium. Quid diceret Apoſtolus de virginibus? An eas permitteret includi muris, & à matrimonio per vim arceri?

Liberos procreent. Vide cap. 2. 15, & ſupra ✝ſ. 10.

Domum adminiſtrent. Suam domum curent, ſua agant. An ergo ſi hoc faciant, id mereantur, ut poſtmodum inter viduas eccleſiæ, locum habere nequeant, & quia liberos plures procrearint, domum adminiſtraverint, ſanctis hoſpitalitatem exhibuerint, in bonis operibus magis abundaverint, viduæ iterato factæ, inter viduas eligi dignæ non ſint?

Nullam occaſionem dent adverſario convicii gratia, λοιδορίας χάριν. Id eſt ad conviciandum. Vult ut ita ſe gerant, ne adverſario ullam occaſionem præbeant ad conviciandum, quaſi ſcilicet pudicæ non ſint. Solent enim adverſarii Chriſtianę veritatis & pietatis plus quam lynceis oculis ſpeculari Chriſtianorum actiones, & quamlibet occaſionem arrripere ad eos criminandos ac variis traducendos conviciis. Locus hic docet viduam juvenem, ſi nubat, non conviciis ullis ſemet objicere, ſed potius convicia evitare, quomodo igitur per ſecundas nuptias ſemet indignam reddat, ut eligatur in publicam eccleſiæ viduam?

Verſ. 15. *Jam enim quidam averſi ſunt poſt Satanam.* Quaſi dicat, non fruſtra dixi, ne occaſionem conviciandi præbeant adverſario.

Jam enim quidam. Eorum ſcilicet qui Chriſti ſectatores & diſcipuli facti erant.

Averſi ſunt poſt Satanam. Satanæ ſectatores & diſcipuli facti ſunt, deſerta Chriſti fide ac veritate, qui proinde minimas etiam occaſiones captant, ut Chriſtianorum converſationem omnem traducant & conviciis proſcindant, & ſi quid unquam viderunt in eccleſia criminationi alicui obnoxium, in apertum producunt, & modis omnibus exagitant. Hymenæum & Alexandrum & Philetum & ſimiles eorum deſignat cap. 1. 20. 2 Tim. 2. 17.

Verſ. 16. *Si quis fidelis,* πιστὸς ἢ πιστή. Fidelem utriuſque ſexus ſignificat.

Habet viduas. Ad ſe nimirum & ſuam domum ac curam pertinentes, vide ✝ſ. 4.

Suppeditate eis. Nempe ad victum & amictum neceſſaria, vide ✝ſ. 8.

Et non oneretur eccleſia, ut iis quæ vere viduæ ſunt, id eſt plane derelictæ ſunt ✝ſ. 5, *ſuppeditet.* Nempe eccleſia. An ergo ſi aliqua vera ſit vidua & derelicta, extra curam ponetur eccleſiæ, quia facta erat bis vidua? Docemur hic, quemque ſuis privatim proſpicere debere, ſi poſſit; eccleſiam onerandam non eſſe, ut iis proſpiciat & ſubveniat, qui neminem privatim habent ſui curatorem.

Verſ. 17. *Qui bene præſunt Seniores.* Qui iidem ſunt

sunt cum Episcopis. Vide Tit. I. 5, 6, 7. Act. xx. 17, 28.

Duplici honore digni habeantur. Nempe præ omnibus aliis quibus honor aliquis habetur ab ecclesia. Honorem intelligit, qui præcipue consistit in suppeditatione eorum quæ vitæ usibus inserviunt, ut apparet ex sequenti ℣. 18. Vide supra ℣. 3. Non frustra dicit, *qui bene præsunt*. Nam qui male præsunt, nec suo rite funguntur officio, removendi sunt.

Maxime qui laborant in sermone & doctrina. Istorum enim labor, & maximus est, & maxime salutaris. Necdum enim Missæ sacrificium innotuerat, quod hodie omni sermoni & doctrinæ longe præfertur in ecclesia, ut vel hinc ecclesiæ depravationem intelligas. Cæterum patet Seniores & Episcopos dari posse, quamvis non omnes donum habeant, ut in sermone & doctrina laborent. Neque enim docenda tantum est ecclesia; sed etiam regenda.

Vers. 18. *Dicit enim Scriptura.* Confirmat quod dixit de duplici honore Senioribus qui bene præsunt exhibendo, Scripturæ testimonio.

Bovi trituranti non obligabis os. Ut scilicet ex frumento, quod triturat, comedat quantum velit: quasi dicat, quanto magis igitur qui bene præsunt Seniores, & in salutem ecclesiæ laborant, ab ecclesia sumere debent alimenta, & ea quibus ad sustentationem vitæ opus habent? *Et*, nempe alio loco dicit Scriptura, *dignus* (est) *operarius mercede sua.* Quasi dicat, proinde fraudandus eo non est. Cum ergo, & Seniores operarii sint ecclesiæ, neque in re omnium maxima, mercede sua fraudandi non sunt. Hinc patet quem honorem supra ℣. 17 intellexerit Apostolus. Quo de argumento vide plura 1 Cor. IX. 9.

Vers. 19. *Adversus Seniorem accusationem non accipe.* Nempe ut ei credas, & sic locum des apud te.

Excepto nisi super duobus aut tribus testibus, ἐκτὸς εἰ μὴ. Vide 1 Cor. XIV. 5.

Vers. 2. *Peccantes*, id est peccati convictos, *coram omnibus argue.* Id est, coram universa ecclesia reprehende.

Ut & reliqui. Sive seniores sive fratres,

Metum habeant. Quasi dicat, proinde à peccando sibi caveant, ne idem sibi eveniat. Vide publicam ecclesiæ disciplinam.

Vers. 21. *Obtestor coram Deo & Domino Jesu Christo & electis Angelis.* Vides Dominum Jesum Christum a Deo, absolute & subjective dicto, proinde illo uno, non minus distingui quam electos Angelos. Nec mirum, distinguitur ab illo tanquam Filius a Patre, & Dominus ab ipso factus, & tanquam Christus ejus. Vides Angelos nominari, & Spiritus Sancti personam taceri. Nimirum quia Apostolus credebat, Spiritum Sanctum afflatum esse Dei, non personam aliquam proprie dictam à Deo & Christo distinctam. Alioquin enim eam potius nominasset quam Angelos, tantum abest ut Angelos nominaret & illam reticeret! Electi Angeli opponuntur rejectis, id est boni malis. Nec enim Deus alios eliget quam bonos, & alios rejicit quam malos. Ut vani sint qui hic ad prædestinationem æternam de singulis nominatim factam recurrant. Angelorum enim electorum & rejectorum exemplo refutantur, in quibus bonitas & malitia, electionem & rejectionem antecessit. Cur non idem fieret in hominibus? Obtestatur autem etiam coram electis Angelis, quia solent adesse piis, & interesse illorum actionibus.

Ut hæc. Nempe quæ tibi scribo,

Custodias. Tantorum nimirum reverentia testium qui te convincerent immorigerum.

Sine præjudicio. Id est animum semper sincerum afferens, tanquam rasam tabulam, quem nullum occupavit præjudicium, nulla præconcepta sententia.

Nihil faciens secundum propensionem, κατὰ πρόσκλισιν. Id est, ex eo quod animus tuus huc vel illuc magis inclinet ac propendeat. Tolle præjudicium omne, propensionem omnem, & recta quam tibi monstro via semper ingredere.

Vers. 22. *Manus celeriter nemini impone.* Id est, neminem celeriter ecclesiæ Seniorem vel Diaconum constitue. Hoc enim fieri solebat per manuum impositionem. Diu multumque probandi sunt qui ad hæc munera sacrari debent, nec alii quam exacte probati & probi deprehensi consecrari. Vide cap. III. 10.

Neque communica peccatis alienis. Quasi dicat, quod fieret, si per te consecratus officium suum peccatis deturparet. Tibi hæc luenda forent, quod tali homini manus imposueris, & tam sacrum munus indigno commiseris.

Teipsum purum serva. Nempe à peccatis tuis propriis: quasi dicat, ita fiet ut nec aliena, nec tua propria peccata unquam luas. Nam qui non alios consecrare debet, quam omnis peccati puros, etiam ipse omnis peccati purum semet præstare debet.

Vers. 23. *Non amplius aquam bibe.* Erat ut apparet vini abstemius, non ob superstitionem, quæ tantum in virum non cadebat, nec δι' ἄσκησιν ut puto, qui sciret exercitationes ejusmodi usus esse exigui cap. IV. 8, multo vero minus διὰ [illegible], hoc enim pertinebat ad doctrinas dæmoniorum cap. IV. 1, 3, 4, sed alias ob causas ad naturæ temperamentum pertinentes, quæ res in calidis illis regionibus ideo non est infrequens, forte etiam in remedium castitatis, quod causam dedisse videtur Apostolo, ut de puritate Timothei agens hoc monitum insereret. Qui varias induxerunt abstinentias majoris & perfectioris, ut putant, religionis ac pietatis causa, mirum est quod nullus eorum abstinentiam instituerit vini, cum tamen vel maxime vini abstemios esse conveniat, qui mulierum abstinentiam profitentur, & ad eam votis semet obstringunt.

Sed vino pauco utere. Vino jubet uti, sed pauco. Natura enim paucis est contenta, & sicut vino juvatur, sic multo obruitur. Atque in hoc sita est temperantia, ne voluptatis causa naturam lædamus. Natura necessariis rebus voluptatem admiscuit, ut earum usum gratiorem nobis redderet voluptatis accessio, quæ si suo veniat jure cum naturæ noxa, luxuria est.

Propter ventriculum tuum & crebras tuas infirmitates. Nimirum ex imbecillitate ventriculi provenientes. Usus vini ventriculum corroborare poterat,

terat, & sic infirmitatibus simul mederi. Nam dona sanationum, ut & alia miracula, in signum erant non credentibus, ut crederent 1 Cor. XIV. 22, & quæ naturalibus remediis curari poterant, ut per miracula tollerentur opus non erat.

Vers. 24. *Quorundam hominum peccata ante manifesta sunt, præcedentia ad judicium.* Redit ad monitum de non imponendis alicui celeriter manibus: quasi dicat, hos tales facile est declinare, quorum peccata ante manifesta sunt & præcedunt, quam de iis feratur judicium, dignine sint sacro munere, nec ne?

Quosdam autem etiam sequuntur. Quasi dicat, & in hos tales ne incidas cavendum est, qui postquam consecrati sunt, tum demum apparet quales sint, erumpentibus in apertum, quæ antea celabantur, peccatis.

Vers. 25. *Similiter & bona opera ante manifesta sunt.* Proinde facile est bonum virum cognoscere. Ex fructibus enim suis, id est, bonis operibus cognoscendus est.

Et quæ aliter habent. Id est bona non sunt, sed mala.

Occultari non possunt. Ne quis dicat probitatem simulari posse, & vitia dissimulari. Est quidem hoc verum; sed hæc hypocrisis diuturna non est, cito se prodit & simulata probitas & dissimulata nequitia.

Sub nive quod tegitur, cum nix perit omne videtur.

CAPUT VI.

Vers. 1. **Q**Uicunque sunt sub jugo servi, proprios dominos omni honore dignos ducant, ne nomen Dei & doctrina blasphemetur. Quasi scilicet Deus & doctrina Christiana, quæ à Deo profecta est, servos in licentiam solvat: longissime id abest a Deo & doctrina ejus per Christum tradita, quæ nullum seculo statum utilem tollit, sed omnem perficit.

Vers. 2. *Qui vero fideles habent dominos, ne contemnant*, nempe Dominos suos, *quia fratres sunt*, nempe in Christo, *sed magis serviant*, nempe dominis suis, *quia fideles sunt*, id est, ob id ipsum quia fidem habeant in Christum, *& dilecti*. In Christo videlicet, seu tanquam fratres in Christo.

Qui beneficentiæ opitulantur. Præcipua dilectionis causa, οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι. Christianam pietatem designat, (quid enim Christiana pietas aliud est quam εὐεργεσία, & bonorum operum perpetua continuatio?) quam fideles domini non premunt, ut infideles faciunt, sed ei opitulantur & auxilio sunt, nec servos in Christi cultu impediunt, sed juvant ac socios se præbent.

Hæc doce & adhortare. Docendi sunt, ut sciant, adhortandi, ut faciant quæ sciunt.

Vers. 3. *Si quis aliter docet.* Judæos tangit, qui suis odium contra dominos Gentiles instillabant, quod etiam tandem in apertam rebellionem erupit.

Et non accedit sanis sermonibus qui sunt in Domino nostro Jesu Christo. Id est in ejus disciplina, per metonymiam causæ. In Christi disciplina sermones omnes sunt sani, omnes ad pietatem unice spectant, nullus morbo laborat vel erroris, vel vanæ & ad pietatem inutilis speculationis. Vide cap. 1. 10, 11.

Et ei quæ secundum pietatem est doctrina. Id est, quæ nil nisi pietatem in moribus docet, & ad eam omnia dirigit. Huic doctrinæ qui non accedit, qui aliquid morum pietati contrarium, vel nihil ad eam pertinens docet,

Vers. 4. *Inflatus est.* Opinione scilicet scientiæ.

Nihil sciens. Id est cum nihil sciat.

Sed ægrotans. Id est sed ægrotat. Ægrotum opponit sanis sermonibus doctrinę Christianę.

Circa quæstiones & verborum pugnas. Id est, morbo correptus quæstionum vanarum & pugnarum de verbis, quibus nulla res subest. Magnus hic & periculosus morbus est, disputare, non vivere. Nam omnes istę disputationes, vel sunt de rebus nihil ad vitę pietatem spectantibus, imo ei noxiis, vel de nudis vocibus ac vocabulis, & contradictionum vanis conciliationibus, quibus nulla res, nullus sensus subest, sed tantum inanis vocum sonus.

Ex quibus oritur invidia. Probat quæstiones istas ac λογομαχίας morbos esse ex earum effectis. Oritur, inquit, ex iis invidia, nempe erga dissentientem.

Contentio. Itidem adversus dissentientem.

Blasphemiæ. Dum dissentientis famam lædit ac lacerat.

Suspiciones malæ. Dum dissentientem suspectum habet alicujus adversum se malevolentiæ, aut molitionis. Hæc omnia non tantum Judæis olim inter sese; sed etiam Christianis postmodum usu venisse videmus. Si quis Alexandrum & Arium consideret, videbit quæstionem inter eos excitatam esse; nihil ad pios & sanctos mores pertinentem, videbit meram inter eos fuisse logomachiam, quod & Imperator ipse Constantinus animadvertit, & utrumque literis suis ad concordiam & pacem hortatus est. Quid enim refert, sive Christum factum dicas ante creaturas omnes, sive genitum? Hæc disputatio in quantum odium, invidiam, contentionem, in quas blasphemias & suspiciones malas, imo persecutiones & cædes, & ecclesiarum divulsiones ac mutuas damnationes abierit, quis ignorat?

Vers. 5. *Pravæ disputationes*, παραδιατριβαί, *corruptorum hominum.* Appositione superiora exponit, appellans disputationes & logomachias istas, disputationes pravas, seu παραδιατριβὰς hominum mente corruptorum. Si enim mentem sanam, & veræ pietati ac sanctis moribus intentam haberent, nunquam in tam insanas disputationes prolaberentur.

Et privatorum veritate. Veritas enim, divina præsertim, lux est animi, nec in tam perversas & stultas disputationes prolabi sinit. Quid magis convenire potest in Christianorum disputationes, de tribus unius illius Dei personis, de persona ab essentia sua distincta, de Christo homine uno illo Deo, de homine singulari & individuo qui ipse per se non sit persona, sed in aliena persona subsistat, de σωματώσει τοῦ λόγου, de transsubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, de corporis Christi corporali ubiquitate, de mortuorum adoratione & invocatione,

tione, de cultu imaginum, de exclusione bonorum operum, quatenus fidei sunt fructus à causis salutis, de fide in meritorum Christi apprehensione & applicatione consistente, de servo arbitrio, de prædestinatione æterna cujusque nominatim ad salutem vel damnationem. Et quis enumeret omnia ipso dictu dissona & discrepantia?

Existimantium quæstum esse pietatem. Docet unde illis hæc corrupta mens, & veritatis privatio, inde nimirum, quod existiment pietatem ac religionem quæstum esse, id est quæstum ex ea petendum esse, proinde sic esse formandam & constituendam, ut opes & commoda apportet. Pietatem sterilem & inutilem susque deque habent. Vide 2 Petr. 2. 3. Et Et hæc potissima causa est depravatę pietatis Christianę, quodque pietas Christiana in quęstiones ac disputationes vanas versa sit, & tot contineat logomachias, etiam de ipso λόγῳ, hominum verba Scripturę in alienos à veritate sensus & interpretationes trahentium. Nam quia Christus crucifixus, Judæis erat scandalum, Gentibus stultitia; ideo ne fides ac pietas Christiana tantopere laboraret, sed ut lucrosior esset, plurimum interfuit ut Christus Deus fuisse doceretur, qui hominem induerit. Quo semel suscepto & credito, nullus deinceps quęstionum, & disputationum, & pugnarum de verbis finis fuit, neque etiamnum est, nec Christianis amplius curę fuit ut pie viverent, sed ut inter se disputarent ac controverterent, imo pie viventes, & recte sentientes damnarent ac pro hęreticis ducerent.

Absiste à talibus. Quales tum erant qui Christo nomen dederant, & tamen Legem ejusque ritus ac instituta in maximum pietatis Christianę detrimentum propugnabant, de quibus cap. 1, 3, 4, 5, 6, 7. Absistere Timotheum jubet a talibus, id est, ab eorum communione & se & alios Christianos abstinere, quod Timotheo, quippe viro Apostolico, & Apostolum in subsidiis habenti, & Christianorum multo plures, facile tum fuit. At his temporibus, in tam catholica Christianæ pietatis depravatione, non facile est semet ab aliis omnibus separare, nisi ipse separeris, quod erroribus & abusibus pietati noxiis contradicas. Nam hoc cuique piorum facere incumbit. Sic separato, licebit cum aliis eandem ob causam separatis, ecclesiam & communionem sanctam instituere, & si quę hoc nomine persecutiones ingruant, omnes pro veritate ac pietate patienter sustinendę sunt.

Vers. 6. *Est vero quæstus magnus pietas.* Redit ad id quod dixit, de quæstu pietatis, ne quis putaret pietatem nullatenus esse quęstum, & sic rem esse prorsus inutilem. Est vero, inquit, non tantum quęstus, sed etiam magnus & ingens quęstus pietas, quippe quę promissionem habeat & pręsentis & futurę vitę cap. IV. 8, 9.

Cum animo sua sorte contento, μετ' αὐταρκείας. Quasi dicat, quam virtutem, & consequenter veram pietatem, quę virtutes omnes complexa est, quia isti non habent, id est quia divites fieri cupiunt, ideo prava est & perversa ipsorum de quęstu pietatis existimatio. Longe aliter id intelligunt, quam debebant.

Vers. 7. *Nihil enim intulimus in mundum, manifestum (est) quod neque efferre quicquam possimus.* Causam adfert cur quisque sua sorte contentus esse debeat, nec affectare plura, quam quibus ad vitæ sustentationem habeat opus; quia nimirum, sicut in mundum nihil intulit, sic neque ex mundo quidquam secum est elaturus. Quorsum ergo attinet, animum intendere ad ea sine quibus vita præsens queat consistere, quæque exeuntes ex hac vita nobiscum nequeamus asportare?

Vers. 8. *Habentes autem alimenta & tegumenta his contenti erimus.* Id est contenti simus, futurum indicativi pro imperativo. Alimenta hæc & tegumenta non ad luxuriam, sed ad naturæ necessitatem exigenda sunt, quod & voces Græcæ, quibus hic utitur Apostolus, διατροφὰς & σκεπάσματα docent. Nimirum vir sapiens ad omnia institutus est, didicit in quibus est αὐτάρκης esse, novit & humiliari & abundare, quin & saturari & esurire, & abundare & deficere Phil. IV. 11, 12. Hoc igitur est præceptum Apostoli ad αὐτάρκειαν pertinens, virtutem Christianis omnibus & imprimis ecclesiarum Ministris maxime necessariam, cum hac virtute reliqua pietas omnis magnum iis erit lucrum.

Vers. 9. *Qui vero volunt divites esse.* Id est qui αὐτάρκειαν non habent, seu ita volunt, ut αὐτάρκειαν non habeant. Unum enim opponit alteri. Non dicit qui divites sunt aut divites fiunt seu ditescunt; sed qui volunt divites esse, sine αὐταρκείᾳ nimirum. Proinde voluntatem intelligit αὐταρκείᾳ non temperatam, quod & sequentia docent, & ipse voluntatem hanc appellat mox φιλαργυρίαν vs. 10. Nam alioquin etiam is qui ditescit, & divitias possidet cum αὐταρκείᾳ, non omni ditescendi seu divitias, si dentur à Deo, capiendi ac possidendi caret voluntate. Medium se quodammodo gerit inter volentem & nolentem, nec vult, quia non appetit divitias, & ut dives fiat non multum curat; nec plane non vult, quia non recusat, nec spernit divitias si dentur. Sicut Sapiens de morte dicit, mortem nec metuo, si acceleret, nec opto, si moretur.

Incidunt in tentationem & laqueum. Prius exponit per posterius. Laqueum enim tentationem dicit, per metonymiam, quia laqueis quibus capiuntur feræ aut aves, appositę sunt illecebrę quibus tentantur. Avaris divitiæ sunt illecebræ.

Et cupiditates multas dementes & damnosas. Exponit hunc laqueum, id est, in facta multa dementia & damnosa, per metonymiam causæ synecdochicam. Ita divitiarum amor etiam mentem hominibus eripit, ut dum eas avide consectantur, incidant in facta amentia & damnosa, quæ sibi putabant fore lucrosissima. Non secus ac aves & feræ, dum captant illecebras, capiuntur & incidunt in laqueum. *Auri sacra fames*, dixit ille, *quid non mortalia cogis, Pectora?*

Quæ demergunt homines in exitium & perditionem. Exponit quam sint amentia & damnosa, quia nimirum perpetrata demergunt homines in profundum exitii & perditionis. Huc tandem avaris exeunt divitiæ, seu illarum cupiditas.

Vers. 10. *Radix enim omnium malorum est amor pecuniæ,* φιλαργυρία. Confirmat quod dixit. φιλαργυρίας nomine intelligitur amor pecuniæ seu argenti & auri

auti, αὐτάρκειαν excludens, ut supra dictum est. Hic vere radix est omnium malorum. Nullum enim scelus est quod ex avaritia, tanquam ex pessima radice progeminare non possit.

Cujus quidam appetentes. Hic φιλαργυρίας nomine, per metonymiam, ipsam pecuniam seu argentum & aurum intelligit.

A fide aberrarunt. Id est a fide in Christum abducti sunt in devia, facti sunt apostatæ. Exempla ab antiquo repetere nihil attinet, cum ea nobis suppeditet hodierna Polonica persecutio. Jam enim reperti sunt quidam, iique etiam ex piis parentibus orti, qui divitiarum & possessionum amore, ne eas relinquere & patria excedere cogerentur, veritatem & baptismum sanctissimum, quem in Christi nomen susceperant, abnegarunt.

Et seipsos transfixerunt doloribus multis. Per indefinentem nimirum ac dirum conscientiæ cruciatum, & acerba divinæ ultionis flagella, & tristem exitum vitæ.

Vers. 11. *Tu vero, ô homo Dei, hæc fuge.* Convertit sermonem ad Timotheum. Nihil enim magis inculcandum est ecclesiæ ministris, quam ut fugiant avaritiam. Hominem Dei vocat Timotheum, ut ex hac ipsa appellatione intelligat, quam sibi fugienda sit avaritia. Est enim homo Dei, totus Deo ejusque ministeriis dicatus, & à Deo ad cælestem gloriam electus.

Hæc fuge. Nempe avaritiam, & quæ ex avaritia tanquam ex radice proveniunt.

Sectare autem. Illa fuge, hæc sectare omni studio.

Justitiam. Ut cuique quod suum est tribuas.

Pietatem. Ut semper Deum ante oculos habeas.

Fidem. Ne quenquam tibi fidentem fallas, nam de fide in Christum mox agit.

Charitatem. Ut in omnes beneficus sis.

Patientiam. Ut injurias & damna modeste toleres.

Mansuetudinem. Ut iram comprimas & coërceas. Omnes istæ virtutes adversa fronte repugnant avaritiæ.

Vers. 12. *Certa bonum certamen fidei.* Nempe in Christum. Hoc certamen in eo consistit, ut fidem in Christum constanter servemus, nullis persecutionibus & adversis, ac ne morte quidem ipsa ab ea & illius professione, & per sancta opera executione, nos dejici sinamus. Opponit hoc apostatis seu defectoribus a fide.

Certamen fidei. Per genitivum speciei vel differentiæ, certamen dicitur, quod est fides, quia certaminis istius præcipua pars, & cæterarum partium dux & administra est in Christum fides. Certamen fidei bonum ac pulchrum dicit, alludens ad certamina carnalia, ut indicet horum bonitatem ac pulchritudinem ne comparandam quidem esse cum illius bonitate ac pulchritudine.

Apprehende vitam æternam. Hoc enim hujus certaminis brabæum est: quasi dicat, ita certa ut apprehendas æternæ vitæ brabæum 1 Cor. IX. 24. Alludit ad victores in certamine, qui brabæum apprehendebant. In hoc certamine possunt omnes vincere. Neque enim hic alium vincere oportet quam seipsum.

Ad quam etiam vocatus es. A Deo nimirum & à Christo per Euangelium, ut proinde certus esse possis de illius adeptione.

Et confessus es bonam confessionem. Quasi dicat, qua confessione temet oppignorasti Christo. Hæc enim bona confessio est illa ipsa quam Christus Jesus testatus est coram Pontio Pilato ℣. 13, nempe Jesum esse Christum illum & Regem à Deo promissum, mundi Servatorem.

Coram multis testibus. Nempe coram ecclesia universa.

Vers. 13. *Præcipio tibi coram Deo.* Quasi dicat, in cujus conspectu versamur omnes.

Qui vivificat omnia, τὰ πάντα. Neutrum genus pro communi ponit, & apposito articulo certa omnia designat, nempe credentes in Christum omnes, & præsens usurpat pro futuro, id est vivificabit omnia, vel, qui vivificat quando vult, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, quia semper in ejus potestate est facere ut sint. Vide Rom. IV. 17, ne quis credentium in Christum mortem horreat. Ille enim qui Christum vivificavit mortuum, etiam omnes mortuos credentes in Christum vivificaturus est.

Et Christo Jesu. Quasi dicat, qui itidem spectator est omnium actionum nostrarum.

Qui testatus est coram Pontio Pilato bonam confessionem. Quasi dicat, quam proinde & tu constantissime testare. De hac confessione vide Joan. XVIII. 36, 37. Non confessus est Christus se unum illum Deum esse, sed se Regem illum esse seu unctum illum Dei, quod & nomen ipsum Christi seu uncti docet. Hæc est bona confessio. Hoc qui credit & confitetur, ex Deo genitus est, qui Jesum confitetur esse Deum illum unum, hactenus eum Dei illius unius unctum esse negat, cum Deus ille unus & unctus ejus relative sint opposita.

Vers. 14. *Ut serves hoc mandatum.* De fugienda nimirum avaritia, & sectandis quas enumeravit, virtutibus.

Immaculatus. Id est sine macula.

Irreprehensus. Id est sine reprehensione. Declarat prius per appositionem, ut nihil sit in te quod jure queat reprehendi, & quod sit veluti macula in pulchro corpore.

Usque ad apparitionem Domini nostri Jesu Christi. Intervallum temporis à morte Timothei ad Christi apparitionem pro nihilo habet. Nam mortuorum respectu nihil est. Et qui ad mortem usque immaculatum & irreprehensum se præstat, usque ad apparitionem Christi talem se præstat, quod dicere maluit, quam illud, quia Christi apparitio certior est, quam mors cujusque nostri, simulque exhibet ingens illud laboris nostri præmium.

Vers. 15. *Quam.* Alia exemplaria habent *quem*, nempe Christum, idque rectius. Nam & Christus absconditus in Deo dicitur Coloss. III. 2, & Christi adventus Deo tribuitur. Res eodem redit. Nam qui Christi apparitionem ostendet, simul ostendet & Christum ipsum, nisi quod apparitionem ostendere, non satis apte dicitur.

Tempo-

Temporibus propriis. Id eſt, huic rei deſtinatis. Vide cap. 2. 6.

Oſtendet. Ne quis de apparitione Chriſti dubitet, quicunque tandem temporum ac ſeculorum lapſus intercedant. Nam voces iſtæ, *temporibus propriis*, non exiguum temporum cumulum deſignare videntur, ſicut & teſtimonium illud de gratia Dei per Chriſti mortem temporibus propriis exhibendum cap. 2. 6, ſecula præmiſit ante ſe complura.

Ille beatus. Deſcribit Deum, ut ex hac ipſa deſcriptione fides rei conſtet. Qui Chriſtum hic deſcribi putant, ſuo id debent præjudicio. Nam & alia exemplaria legunt, *quem*, ut diximus, & ille ipſe qui apparet, non bene dicitur ſuam apparitionem oſtendere, & deſcriptio ipſa, Chriſti Patrem aperte deſignat, non ipſum Chriſtum. Ὁ μακάριος, nempe κατ' ἐξοχήν: quaſi dicat, qui proinde & omnes ſibi fidentes reddere poteſt beatos, & Chriſtum Jeſum reddidit.

Et ſolus Dynaſta. Id eſt qui ſolus potentatum habet, quatenus ſcilicet eum habet κατ' ἐξοχήν, & ita ut omnes alii Dynaſtæ ſint infra ipſum, & ab ipſo potentatum habeant ac dependeant. Dynaſtam appellat, non tantum ob poteſtatem, quod ſolus poteſtatem habeat, quia eam in omnes habet, ſed etiam ob potentiam, quod ſolus omnia poſſit, quæ velit, qui proinde etiam Chriſtum oſtendere poterit, & per eum omnia quæ promiſit, quæque comminatus eſt, exhibere.

Rex ille Regum & Dominus dominantium. Exponit quo ſenſu dixerit Deum eſſe ſolum Dynaſtam, cum tot alii ſint Dynaſtæ & Reges ac dominantes, eo nimirum ſenſu, quod ſit Rex Regum & Dominus dominantium omnium, quod Reges & Dominantes omnes ipſi ſubjecti ſint, tanquam Regi ac Domino & Creatori ſuo. Habet quidem & Chriſtus hunc titulum, ſed excipitur Pater, unus ille Deus 1 Cor. xv. 27; quippe qui Chriſto ſubjecit omnia, ſed extra ſe. Omnia enim Chriſto ſubjecit ad gloriam ſuam? & quamvis omnia poſſit, tamen ſeſe alii ſubjicere & Altiſſimus non eſſe non poteſt. At reſpectu Dei, non excipitur Chriſtus. Nam unus ille Deus etiam Chriſti Deus & caput eſt 1 Cor. xi. 3. Ipſe eſt qui Chriſtum fecit Regem Regum & Dominum dominantium. Ipſe eſt in cujus gloriam Chriſtus regnat & dominatur. Ipſe eſt, cui Chriſtus, abolitis omnibus inimicis, ipſaque morte, regnum quod ab ipſo accepit, tradet, & cui ſubjicietur, ut eo redeant omnia unde profluxerunt 1 Cor. xv. 24, 28. Ex hac autem tanta Dei illius unius majeſtate quis certiſſimum non capiat argumentum, fore ut tandem ſuis temporibus repræſentet nobis, quem promiſit adventum Chriſti ſui?

Verſ. 16. *Qui ſolus habet immortalitatem.* Nimirum, quia eam habet κατ' ἐξοχήν, id eſt ex ſe, non ex ullius dono, alii autem omnes ex ipſius munere ac dono. Hoc memorat, non tantum ut appareat quantum inter ipſum & alios terrenos Reges ac dominos interſit, quod ſcilicet ille ſolus immortalitatem habeat, ut morti non ſubjectus, conſilia ſua ad effectum perducere queat; iſti autem miſeri mortales ſint, non minus quam alii homines in quos imperium exercent: ſed etiam ut hinc promiſſæ ab eo immortalitatis certiſſimam ſpem ac fiduciam concipiamus, qui ſi tot Angelos immortalitate donavit, & Chriſtum Ducem noſtrum, an illi difficile erit, ut ex eodem inexhauſto fonte immortalitatem in nos derivet?

Lucem habitat inacceſſam. Ne quis miretur quod in hominum conſpectum non veniat, & ut quiſque ſciat ubi habitat, *lucem*, inquit, *habitat inacceſſam*. Nempe hominibus, nam Angelis acceditur. Hominibus autem eſt inacceſſa, tum quod ſit ſupra cælos omnes, tum quod eam mortalis non ferat conditio. Loquitur enim de naturæ humanæ, non de divinis viribus; quæ tantæ ſunt, ut homini acceſſum ad eam dare poſſint. Notetur autem quid Apoſtolus de habitatione Dei ſenſerit: quam digne Deo, quam non ex Philoſophorum placitis, ſed ut Apoſtolo dignum erat, ex Chriſtianæ veritatis inſtitutis. Eſt quidem Deus ubique, ſed ſicut opifex in ſuo opificio, & ſicut Sol in univerſo. Cæli cælorum non capiunt Deum. Recte. Eſt enim ſupra omnes cælos, & ipſi capiuntur & continentur a Deo ejuſque immenſa majeſtate.

Quem vidit nemo hominum. Hoc prioris eſt conſequens. Loquitur enim hic de hominum viribus, non de viribus Dei. Nam Chriſtus vidit Patrem Joan. vi. 46, in cælum nimirum ante prædicationem Euangelii aſſumptus Joh. iii. 13.

Neque videre poteſt. Si nimirum ſuis relinquatur viribus: Irenæus lib. iv. cap. 37. *Homo a ſe non videt Deum, ille autem volens videtur ab hominibus a quibus vult, & ſicut vult. Potens eſt enim in omnibus Deus.* Olim certe, *ſimiles erimus Deo, quia videbimus ipſum ſicut eſt* 1 Joh. iii. 2. Hæc autem Apoſtoli verba docent, Chriſtum hic non deſcribi, quem & olim plurimi viderunt hominum, & cum eum Deus oſtenderit, videbunt omnes, & illi etiam, qui eum confixerunt Joan. xix. 37. Apoc. 1. 7.

Cui honor & robur æternum. Intellige tribuatur. Robur æternum Deo tribuitur, roboris æterni in Deo agnitione, confeſſione, celebratione & deprædicatione.

Amen! Ita fiat! Apoc. xxii. 20: quaſi dicat Apoſtolus, nihil refert quod neque viſus ſit ulli hominum, nec videri ab ullo queat, nihilominus ei honor & robur æternum tribuatur ab omnibus hominibus. An ergo hoc tantum Numen ſuis temporibus Chriſtum non oſtendat, & ſuarum promiſſionum fidem excidere patiatur?

Verſ. 17. *Divitibus in præſenti ſeculo præcipe.* Superiori digreſſione finita, redit ad argumentum de divitiis, & docet quid Timotheus præcipere debeat divitibus, quos in præſenti ſeculo divites dicit, opponens eos divitibus in futuro ſeculo, ubi veræ divitiæ erunt.

Ne altum ſapiant. Efferentes nimirum ſeſe ſupra alios.

Neque ſperent in divitiarum incertitudine. Quaſi dicat, quid enim ſtultius, quam ſuper incertitudine ſpem ponere? At divitiis quid incertius? Quas ſi non tot alii caſus, mors certe ſingulis momentis poteſt adimere. Quod egregie docuit Chriſtus in parabola illa de divite Luc. xii. 16, & ſeqq. Non damnat Apoſtolus divites & divitias per ſe, nec eas jubet abjicere, aut earum poſſeſſione ſemet exuere,

(Kk) vel

vel in Monachorum & Communistarum leges concedere, quæque tuis in manibus habeas ex alienis exspectare. Sint & divites in ecclesia, habeant divitias suas, sed propter eas altum ne sapiant, neminem contemnant, nullam in iis spem ponant, habeant tanquam si non haberent, possideant tanquam si non possiderent, emant tanquam si non retinerent 1 Cor. VII. 30.

Sed in Deo vivente. Intellige sperent. Deum viventem opponit divitiis inanimis, quas pro Deo habent, qui spem in iis habent, & earum sunt avidi. Hinc avari dicuntur idololatræ, & avaritia idololatria Eph. V. 5. Nam hic avarorum Deus non magis vivit, quam idolum aut Deus falsus.

Qui præbet nobis copiose omnia ad fruendum, εἰς ἀπόλαυσιν. Describit Deum ab effectu, ut causam indicet collocandæ in ipso spei: quasi dicat, cujus munera sunt ipsæ divitiæ. Ille est qui nobis copiose præbet omnia, cum scilicet copiam habemus omnium. Præbet autem non ut in hac copia confidamus, sed ut hac copia fruamur & Deo gratias agamus. Qui divitiis non fruuntur, avari sunt, iisque tam deest quod habent, quam quod non habent; & cum in datore bonorum spem ponere deberent, ponunt eam in ejus donis. Sicut autem divitiis frui & uti debemus; sic iis non debemus ad luxuriam abuti, ne in contrarium avaritiæ vitium incidamus.

Vers. 18. *Ut benefaciant* ἀγαθοεργεῖν. Hic optimus divitiarum est usus, benefacere indigentibus.

Divites sint in operibus bonis. Hæ veræ sunt divitię, sine quibus, quanto majores sunt auri divitiæ, tanto major & gravior est paupertas. Nisi ergo divites auri, per divitias suas, divites simul evadant bonorum operum, pauperrimi sunt & miserrimi, nec divitiis suis uti norunt.

Faciles ad impartiendum, εὐμεταδότους εἶναι. Ne gravatim benefaciant, & ut inopes facile partem capiant ex illorum copia. *Faciles ad communicandum*, κοινωνικούς. Quod plus est quam impertiri, si nimirum sit opus, etiam ad communionem bonorum pauperes admittere debemus.

Pro thesauro recondentes sibi ipsis fundamentum bonum in futurum. Solent divites thesauros recondere, qui sibi sint fundamentum in futurum, cui queant ingruente calamitate insistere. Hoc ergo præcipi vult divitibus, ut sibi recondant bonorum operum & eleemosynarum thesaurum, qui ipsis sit vere bonum fundamentum in futurum.

Ut accipiant vitam æternam. Exponit quid futuri nomine intelligat, vitam nimirum æternam, quam accipient, hoc fundamento nixi. Nam sicut inopes ab opulentis hujus seculi accipiebant vitam, id est præsentis vitæ subsidia; sic & illi accipient à Deo vitam æternam; & sicut illi pauperibus communicabant sua bona in præsenti seculo, sic & illis pauperes communicabunt sua in seculo futuro Luc. XVI. 9. Beati qui hunc thesaurum sibi recondunt & hoc fundamentum in futurum. Nam cum ingruet inevitabilis illa mortis calamitas, quæ non tantum opes omnes, sed & vitam nobis rapiet, erit quo nos sustentemus, & cui innixi evehamur ex morte ad vitæ æternæ adeptionem Luc. XII. 33. Cætera peribunt, solus bonorum operum thesaurus manebit, nec enim reconditur in terra, sed in cælo. Omnia hic relinquenda sunt, at opera sancta & imprimis eleemosynæ sequuntur nos, nec deserunt nos unquam: quæ hic beneficiis erogavimus in egenos, inveniemus maximo cum quæstu in cælis. Deo enim & Christo fœneratur, qui in ejus nomine largitur indigentibus. Vide Matth. XXV. 31 & seqq. Hæc sunt quæ divitibus præcipi jubet Apostolus, si vitam æternam adipisci velint. Quo pertinet ut possessiones quoque vendant, & dent eleemosynam, quoties nimirum est opus Luc. XII. 33, quin si quis id faciat, etiam citra necessitatem, ardore quodam mentis & gaudio, (cujus exempla nobis præbuit prima illa ab Apostolis collecta ecclesia) haud dubie etiam singulare in cælis habiturus est præmium, dummodo ipse posthac nullam ex bonis istis partem capiat, nec vicissim aliena liberalitate vivat, sed suo labore se suosque sustentet. Nam communio bonorum ex collatis in commune opibus, quæ per communem aliquem Seniorem in communem usum administretur, non tam ad liberalitatem ac beneficentiam in pauperes, aut pietatem aliquam per se, quam citra hanc, ad certam quandam vivendi rationem pertinet.

Vers. 20. *O Timothee.* Absolutis superioribus tandem finit Epistolam. *O Timothee:* quasi dicat, qui meus es germanus filius in fide cap. 1. 3.

Depositum custodi. Doctrinam intelligit Christianæ veritatis & pietatis, quam Apostolus apud ipsum deposuerat, eique concrediderat. Vide 2 Tim. 2. 2. Hoc tam pretiosum depositum ut custodiat, monet & exhortatur. Insidiabantur enim huic doctrinæ falsi doctores, ut eam vel tollerent, vel suis dogmatis adulterarent.

Aversans profanas. Quasi dicat, neque enim sacræ & à Deo profectæ sunt, ut jactantur, sed ab hominibus otiosis excogitatæ.

Vaniloquentias, κενοφωνίας. Id est doctrinas, in quibus nihil est præter inanes voces, quibus nullæ res subsunt. Easdem supra ℣. 4. vocavit λογομαχίας, & cap. 1. 6, ματαιολογίαν. Hoc nomen merentur, sicut omnes falsę doctrinæ, sic imprimis ex meris contradictionibus compositæ, quæ sonum habent verborum, nullum autem sensum rerum.

Et oppositiones, ἀντιθέσεις, *falso nominatæ scientiæ*, τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Gnosticos intelligit, qui sibi nomen hoc indiderant, majorem præ cæteris scientiam, & mysteriorum divinorum cognitionem jactantes. Hi simplicitatem doctrinæ Christianæ irridebant, quod nil nisi ea quæ pertinerent ad fiduciam in Deum, & pios & sanctos mores traderet. Horum ergo antitheses, id est theses Christianæ veritati & pietati oppositas, ut Timotheus aversetur monet. Neque enim theses esse scientiæ & cognitionis, cui hoc nomen vere competat, sed cui falso tribuatur & arrogetur. Non mysteria hæc esse, sed inanes nugas, non scientiam, sed stultitiam & ignorantiam, ac ut supra dixit, *paradiatribas hominum mente corruptorum & privatorum veritate* ℣. 5. Videant ne in hoc ipsum incidant, qui scientiæ & mysteriorum divinorum nomine sua dogmata palliant, quæ cum piis & sanctis moribus nihil commune habent, & ex quibus nascuntur & natæ sunt contentiones ac rixæ &

mala illa omnia superius enumerata ℣ſ. 4. Proinde qui noſtræ ſimplicitati, & catholicæ veritati, quam & ipſi confiteri neceſſe habent, Gnoſticorum nomen hodie dederunt, ſibi ſuiſque rectius dediſſent. Gnoſtici illis videmur credo, quod eorum dogmata & pravas Scripturæ interpretationes refutemus, & exhibeamus veras.

Verſ. 21. *Quam quidam promittentes.* Id eſt profitentes, nempe ſcientiam & cognitionem.

Circa fidem aberrarunt. Id eſt, à fide in Chriſtum averſi ſunt, cum ſcilicet viderent huic ipſorum, quam putabant, ſcientiæ, cum fide in Chriſtum non bene convenire.

Gratia. Nempe Dei & Chriſti.

Tecum. Intellige, ſit.

Amen. Sic fiat, verba haud dubie Pauli manu, in ſignum Epiſtolæ vere à ſe profectæ, adſcripta.

Ad Timotheum prima, ſcripta Laodicea, quæ eſt Metropolis Phrygia Pacatianæ. Atqui Paulus Epiſtolam hanc ſcripſit, antequam Romam Hieroſolymis captivus eſſet deductus. Is vero Romæ jam captivus Laodicenſes inter eos ponit, qui faciem ſuam in carne non viderunt Col. 2. 1, quomodo ergo Laodicææ epiſtolam hanc ſcribere potuit? Nimirum & hic argumentum capere licet de hominum traditionibus, quæ ſi ſcriptæ fallunt, quanto magis fallere poſſunt non ſcriptæ.

COMMENTARIUS
IN
posteriorem Epistolam Apostoli
PAULI
AD
TIMOTHEUM.

CAPUT I.

Vers. 1. PAulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei. Priori epistola dixit eodem sensu, *secundum mandatum Dei* cap. 1. 1.

Secundum promissionem vitæ. Nempe æternæ, quę simpliciter vita dicitur κατ' ἐξοχὴν, id est Apostolus ad annunciandam promissionem vitæ. Similem phrasin vide Tit. 1. 1. *Quæ* (est) *in Christo Jesu.* Ne quis vitam æternam alibi quærat, quam in Christo Jesu.

Vers. 2. *Timotheo dilecto filio.* Quippe germano in fide 1 Tim. 1. 2.

Gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Christo Jesu Domino nostro. Eadem quæ in priore salutatio, nisi quod hic post voces *à Deo Patre*, non addatur pronomen ἡμῶν, quod servit refellendis iis qui sequentes voces τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ Latine interpretantur in genitivo casu, quasi Deus in istis salutationibus & votis dicatur Pater noster & Christi Jesu Domini nostri, non autem à Christo Jesu Domino nostro voveatur simul gratia misericordia & pax. Hoc faciunt, qui Christo cælestem in nos dominatum, & invocationis ac adorationis honorem abrogant, quod non sit unus ille Deus, qui solus Pater, & hic, & ubique dicitur esse. Nimirum & istis magis placuit ab uno extremo ad aliud evehi, quam in media veritatis via consistere. Alii enim, quia Christo vident divinam invocationem & adorationem tribui, protinus eum Deum illum unum faciunt: hi quia vident Christum Dei haud esse Deum illum unum, protinus ei invocationem & adorationem negant. Atqui via veritatis in medio erat, ut eum utrique pro eo qui dicitur esse, id est pro Christo Dei, pro Domino nobis ab uno illo Deo dato agnoscerent, & tanquam talem adorarent & invocarent, videntes in eo adorari & invocari ipsum unum illum Deum.

Vers. 3. *Gratiam habeo Deo.* Nempe pro te. Vide 1 Thess. 1. 2. 2 Thess. 1. 3.

Cui servio à majoribus. Quasi dicat, non alii nunc servio Deo, quam cui serviebant majores mei, & ego ipse, antequam servire inciperem Christo. Eidem & nunc servio Deo, sed in Christo & per Christum.

In pura, id est cum pura, *conscientia.* Ne quis putet, me ante Christianismum pollutam habuisse conscientiam, & propter hoc minus mihi fidem habendam ducat. Etiam in Judaismo pura cum conscientia servivi Deo, pro temporis nimirum illius & cognitionis quam tum habuit ratione. Magnum hæc res pondus addit auctoritati Paulinæ, meritoque præsumitur etiam in Christianismo vir integer esse, qui fuerit semper ante Christianismum, nec mutationem hanc aliunde quam ex optima conscientia factam esse. Vide Act. XXIV. 14, 16. Phil. iij. 16. Non parvum est veritatis argumentum, cum ad eam accedunt homines virtute ac probitate semper laudati, & qua suscepta longe fiunt meliores, quod usu venire videmus in hac ecclesia, quæ sola solam vere catholicam amplectitur veritatem.

Sicut non intermissam habeo tui mentionem. Quasi dicat, sic gratiam habeo pro te Deo, sicut mentionem tui habeo perpetuam & sine intermissione.

In precibus meis nocte & die. Vide 1 Thess. 1. 2, 3. Hac ratione maxime Christiana charitas aliorum erga alios exercetur.

Vers. 4. *Desiderans te videre, memor tuarum lacrymarum.* Cum scilicet à me divellereris.

Ut gaudio implear. Nempe ex conspectu tui.

Vers. 5. *Recordans*, ὑπόμνησιν λαμβάνων. Nempe semper in animo meo.

Ejus quæ in te (est) *non simulatæ fidei.* Nempe in Christum 1 Tim. 1. 5.

Quæ inhabitavit primum in avia tua Loïde, & in matre tua Eunice, persuasus autem sum, quod & in te. Intellige habitet, tanquam in minime degeneri stirpe.

Vers. 6. *Propter quam causam.* Quia nimirum nihil dubito de tua sincera fide in Christum.

Commonefacio te; ut exsuscites. Ἀναζωπυρεῖν est ignem sopitum exsuscitare.

Donum Dei quod est in te. Nempe docendi & adhortandi. Neque enim necesse est, aut fieri potest, ut ignis iste cælestis semper ardeat. Componitur etiam sæpe & quiescit; sed subinde excitandus est, ne tandem exstinguatur. Exstingui enim etiam Spiritus ipse Sanctus potest 1 Thess. v. 20. Hinc de Apostolis & aliis viris divinis legimus, cum aliquid eximium dicturi & facturi essent, quod replerentur Spiritu Sancto, dum scilicet illum in se concuterent & commoverent. Nimirum dona Spiritus Sancti semper ad usum revocanda sunt. Nam & ignis neglectus tandem in cineres abit. Hoc ergo vult Apostolus, ne Timotheus in opere cesset, & doni quod erat adeptus, usum intermittat. Ideo eandem admonitionem adhibens 1 Tim. IV. 14. *noli negligere*, inquit, *quod in te est donum*. Negligitur enim donum, & situi ac rubigini traditur, cum usu perpetuo non excolitur nec exercetur.

Per impositionem manuum mearum. Vide dicto loco ad Timotheum.

Vers. 7. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timiditatis.* Rationem moniti sui addit per prolepsin, ne diceret, timenda esse pericula. Non sunt timenda, respondet Apostolus.

Non enim dedit nobis Deus spiritum (per quem hæc ipsa dona in nos contulit) *timiditatis.* Qui scilicet nos timidos redderet periculorum & vexationum propter Christum.

Sed virtutis, δυνάμεως. Id est sed eum qui nobis magnam vim ac virtutem indit, ad adeunda, cum opus est, & sustinenda & superanda omnia propter Christum adversa. Spiritus virtutis, per genitivum effecti, ut & in sequentibus.

Et dilectionis. Id est qui nobis dilectionem erga omnes homines inspirat, etiam erga illos ipsos qui nos oderunt ac persequuntur, ut eorum salutem cupiamus, & omnia quæ ei promovendæ inserviant, libenter & faciamus & patiamur, tanquam fideles medici à furiosis.

Et prudentiæ. σωφρονισμοῦ. Id est qui nobis etiam prudentiam ac sapientiam suggerit ad vitanda pericula, & ne nos temere & improvide in ea conjiciamus.

Vers. 8. *Ne igitur te pudeat testimonii Domini nostri.* Infert conclusionem ex præmissis: quasi dicat, cum igitur talem spiritum habeamus, & tu eum habeas, non neglige donum quod in te est, sed illud subinde exsuscitata, ut te pudeat ullo modo testimonii Domini nostri, id est de Domino nostro, (Jesu Christo nimirum) per genitivum objecti, quæcunque tandem opprobria & contumelia te maneant. Dignus est Dominus noster, Rex ille Regum, & Judex vivorum ac mortuorum à Deo factus, ut te probris & contumeliis omnibus pro gloria ejus objicias. Magnæ tibi gloriæ erunt hæc dedecora, in ipsius gloriosissimo adventu. Pudeat eos qui tuo testimonio non credunt, & veritati contumaciam opponunt, quam æterna luent ignominia. *Neque mei.* Ut scilicet cesses ab Euangelii prædicatione quod à me accepisti, & quod meo sub nomine famosum est.

Vincti ejus. Quasi dicat, si vinctus essem propter facinora, merito te puderet mei: sed quia sum vinctus Christi Domini nostri, id est, propter ipsum & ad ejus gloriam; sicut te Domini ipsius non pudet, sic neque mei & vinculorum meorum te pudeat. Quin imo pro singulari tibi gloria ducito, mea propter Euangelium vincula. Ex iis enim certissimum veritatis capere potes argumentum.

Sed simul patere, συγκακοπάθησον. Nempe mecum, si nimirum sit opus.

Euangelio; tanquam fini, *cui.* Ut etiam per tuas perpessiones incrementum sumat, vel συγκακοπάθησον τῷ Εὐαγγελίῳ dicitur, pro κακοπάθησον σὺν τῷ Εὐαγγελίῳ: quasi dicat, patitur Euangelium, rejicitur, repudiatur, probris & contumeliis omnibus afficitur, tu quoque tanquam fidus Euangelii minister cum Euangelio patere. *Secundum virtutem Dei.* Id est virtuti Dei conformiter, vel per virtutem Dei, qua preditus ac roboratus es. Spiritum illum intelligit, de quo egit versu præcedenti. Posset quidem Deus omnes afflictiones à nobis avertere, & sæpe avertit; sed in eo singularis Dei virtus est, ut nos propter Euangelium affligi patiatur, & tamen vinci non patiatur. Hæc est ratio qua Deus fidem exercet nostram & mundum vincit, dum mundus nos affligit & vincere videtur, vincitur & sub obsequium Euangelii redigitur. Sic vincere nemo nisi Deus potest, sic vicit Euangelium Christi.

Vers. 9. *Qui servavit nos.* Describit Deum ab ingentibus effectis circa quos occupatur Euangelium, ut id hac ratione mirum in modum extollat, & quam nullæ perpessiones illius causa detractandæ sint ostendat. *Qui servavit nos*, quatenus nobis jus haud dubium dedit salutis æternæ. Vide Tit. iij. 5.

Et vocavit. Nempe ad salutem.

Vocatione sancta. Dum scilicet eam per largissimam Spiritus Sancti effusionem, & per tot stupenda miracula operatur & peragit. Ut hinc constet vocationem istam vere sanctam vere divinam esse, proinde omnes qui ei parent, haud dubie servatum iri, & salutis jus certissimum habere.

Non secundum opera nostra. Id est non respiciens ad opera nostra, quæ nec salutem, nec vocationem ad salutem ullo modo merebantur; imo, si Deus jure suo in omnes uti vellet, merebantur æternam damnationem.

Sed secundum proprium propositum. Id est sed respiciens ad suum proprium servandi nos & ad salutem vocandi propositum.

Et gratiam. Quasi dicat, istius propositi unicam causam. Quam hic *gratiam* dicit, alibi vocat χρηστότητα, φιλανθρωπίαν, id est benignitatem, dilectionem hominum Tit. iij. 4.

Quæ data, id est exhibita (sic infra *det misericordiam Dominus*, id est exhibeat, & Rom. XII. 6) *est nobis.* Decreto nimirum ac destinatione & constitutione divina. Quæ enim à Deo destinantur & constituuntur, jam esse & jam facta esse censentur. Sic & Christus erat, antequam Abraham fieret, & gloriam apud Deum habuit priusquam mundus esset; sic & nos Deus eligit in Christo ante constitutionem mundi Eph. I. 4. De constitutione divinâ etiam exordium Euangelii Joannis intelligi potest. Vide Commentarium in Joan. cap. viij. 58.

In Christo Jesu. Id est per Christum Jesum.

Ante tempora secularia. Id est ante tempora quæ seculis & astrorum cursu distinguuntur ac numerantur

merantur, proinde ante mundi creationem. Significat Apostolus etiam alia dari tempora præter secularia. Tempus enim erat antequam essent secula, quod durationem distinguebat secundum prius & posterius, seu secundum præsens, præteritum & futurum. Docet gratiam quam in Christo Jesu sumus experti, rem esse divina destinatione antiquissimam, & mundo ipso antiquiorem.

Verf. 10. *Manifestata est autem nunc.* Antea hæc tanta Dei gratia in Deo & ejus decreto latuit, nunc autem manifestata est.

Per apparitionem Servatoris nostri Jesu Christi. Quasi dicat, quia per Jesum Christum ipso facto exhibenda nobis erat, per apparitionem etiam ejus apparuit ac manifestata est. Hinc infra: *Apparuit*, inquit, *gratia Dei salutaris omnibus hominibus* cap. 2. 11, & cap. III. 4.

Quando vero benignitas & φιλανθρωπία apparuit Servatoris nostri Dei &c. Nulli mortalium unquam in mentem venit, nec venire potuit, tantam esse Dei gratiam erga genus humanum, quanta per apparitionem Jesu Christi manifestata est, Deum nimirum, etiam maximos peccatores servare, gentes etiam, easque sine discrimine omnes, tam admirabili vocatione ad salutem vocare, fidem in Christum omnibus ad justitiam imputare, à Lege & Legis ritibus omnes in Christum credentes, qui spiritu ejus agantur, manumittere, spiritualem tantum cultum ab omnibus exigere! Christus autem apparuisse dicitur, quia præcognitus & prædestinatus à Deo erat, sicut & gratia, in effectum deducta & exhibita, dicitur eandem ob causam manifestata & apparuisse.

Et Servator noster. Appellatur Christus, quia nos per ipsum Deus servat.

Qui mortem quidem destruxit. Id est destructum iri declaravit, & haud dubiam fidem fecit. Res ponitur pro rei declaratione, per metonymiam. Loquitur enim de mortis destructione per Euangelium facta, ut mox additur.

Illuminavit autem vitam & incorruptionem, id est vitam corrumpi nesciam, διὰ τοῦ, *per Euangelium*. Significat Apostolus vitam & incorruptionem tenebris fuisse abditam, sed per Euangelium Christi veluti luce illata hominibus ostensam esse. Et hoc etiam est quod Joannes dicit: *Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & manifestata est nobis* 1 Joan. 1. 2. Considerent hæc, qui ante Christi apparitionem & Euangelii lucem clarum vitæ æternæ nuntium putant extitisse. Hæc omnia quæ dixit Apostolus miram Euangelii continent commendationem, illudque rem esse divinissimam ostendunt.

Verf. 11. *Ad quod*, εἰς ὅ. Nempe totum quod præcessit. Vide 1 Tim. 2. 7.

Positus sum ego præco. Ut scilicet id, post Christum, publicem & proclamem.

Et Apostolus, & Doctor Gentium. Declarat prius: quasi dicat, ita positus sum præco, ut sim Apostolus & Doctor Gentium: quasi dicat, non Judæorum tantum, ut doceam etiam ad gentes hanc tantam Dei gratiam pertinere.

Verf. 12. *Propter quam causam.* Nempe quod Gentibus gratiam Euangelii prædicem, quod Apostolum & Doctorem gentium agam, hæc patior, nempe quæ patior, vincula scilicet, quæ captivos comitari solent mala. Judæi enim causa istorum omnium erant Paulo, capitali in eum flagrantes odio, quod Gentibus, sine Lege & circumcisione, salutem per solam in Christum fidem annuntiaret, ut ex Actis Apostolorum videre est.

Sed me non pudet. Nempe catenæ meæ & istorum quæ patior. Exemplum in se dat Timotheo ejus ad quod eum adhortatus est ℣. 8.

Scio enim cui credidi. Quasi dicat, scio enim me credidisse Deo & Christo glorificato, scio me non docere vana, scio me nec deceptum esse, nec deceptorem agere, scio me divinæ veritatis causa pati, & id mihi maximæ gloriæ in adventu Christi futurum esse, qui me etiam ex morte erepturus est, ad vitam morti non obnoxiam.

Et persuasus sum, nihil dubito, *quod potens sit.* Nempe Deus & Christus.

Depositum meum. Id est doctrinam Euangelii, quam apud te & alios fideles homines deposui. Vide ℣. 14, & 1 Tim. VI. 20.

Custodire ad illum diem. Illustrem nimirum illum & mundo finem allaturum: quasi dicat, tollant me licet, quem nunc in manibus & vinculis habent; at doctrinam meam jam alibi depositam non tollent. Potens enim est Deus & Christus eam custodire, proinde & custodiet haud dubie tanquam suam, ad gloriosissimum illum diem adventus sui, non patietur eam unquam interire, quamvis ego interream. Ego mortalis sum, at doctrina mea, quia ipsius Dei ac Christi est, manet ac manebit ad mundi finem, & Domini illius, à quo eam accepi adventum. Non fefellit Apostolum hæc fiducia. Etsi enim fefellerunt homines, qui doctrinam Pauli successu temporis mire depravarunt, non fefellit tamen Deus & Christus, qui eam literis, & Symbolo Apostolico mandatam puram & incorruptam perpetuo conservat, & ad extremum conservabit, estque nunc Paulus in maxima gloria, qui tum cum hæc scriberet tractabatur ut maleficus cap. 2. 9. Hanc eandem in Christo fiduciam habeant & hodie omnes, qui non aliam quam vere Catholicam & Apostolicam fidem propugnant, licet nunc, quod adscititia & minime catholica suscipere nolint, indignissime tractentur; nec hæretici tantum judicentur; sed etiam Christiani esse negentur, imo Judæis ac Turcis deteriores esse dicantur, & infra Orcum ipsum relegentur.

Verf. 13. *Exemplar habe*, ὑποτύπωσιν ἔχε. In animo scilicet ac memoria. Docet quo pacto depositam apud se doctrinam conservare queat, si nimirum exemplar illius & expressam formam animo suo gerat impressam.

Sanorum sermonum. Quibus nihil inest morbosum. Vide 1 Tim. 1. 10. VI. 3.

Quos à me audivisti. Doctrinam suam designat.

In fide & charitate. Id est de fide & charitate: *in* pro *de*, vide Matth. X. 34. Rom. XI. 2. Gal. I. 24. Phil. 1. 30. Docet quod sit sanorum istorum sermonum objectum, seu quæ materia, fides nimirum & charitas, nec ea quævis, sed

Quæ est in Christo Jesu. Id est in Christi Jesu disciplina,

sciplina, per metonymiam, ut scilicet in Christum Jesum, & per ipsum in Deum credamus, ut non tantum proximum sed etiam inimicum diligamus, ut pro fratre & sic alii pro aliis, in Christo, animam ponamus. Itaque & fidem & charitatem intelligit Christianam, quarum utraque nulla datur perfectior. Intra has metas, sani illi sermones, à Paulo auditi, consistunt, qui ad quæstiones inanes & otiosas, nihil ad fidem in Christum, & charitatem in Christo pertinentes, ad ritus, ad exercitationes corporales, ad abstinentias, a cibis, a matrimonio, tanquam a rebus illicitis, & ad alia hujusmodi exeunt & evagantur, sani non sunt. *In Christo Jesu enim nihil valet nisi fides per charitatem efficax* Gal. v. 6.

Vers. 14. *Bonum depositum custodi.* Sanos nimirum istos sermones, quos à me audivisti. Age tam boni ac præstantis depositi diligentem custodem, ne pereat & intervertatur, per falsos, qui exorturi sunt doctores, de quibus vide cap. III. 8, 13. IV. 3, 4.

Per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis. Qui scilicet in Christum credimus & ejus ministri sumus: quasi dicat, potes hoc facere quod tibi mando, habitat enim in nobis Spiritus Sanctus, qui tibi omnia revocabit in memoriam quę à me audivisti, qui te ducet in omnem veritatem, & aptum faciet ad retundendos ac coarguendos falsos doctores.

Vers. 15. *Scis hoc.* Quasi dicat, res enim obscura non est. Forte etiam tum Timotheus agebat in Asia, ut id ignorare non posset.

Quod aversi sint a me. Ne scilicet meo periculo involverentur, aut quod eos catenę meę puderet.

Omnes qui sunt in Asia. Intelligit sectatores & comites antehac suos, qui Romæ, deserto Paulo, in Asiam redierant. Vide cap. IV. 16. Queritur hoc apud Timotheum filium suum Paulus, quo tanto diligentius ac studiosius, exemplo istorum monitus depositum sibi commissum curet ac custodiat.

Ex quibus est Phygellus & Hermogenes. Hos solos nominavit, ne laterent, ut puto.

Vers. 16. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui.* Exemplum etiam adducit superioribus contrarium, ad consolandum & incitandum Timotheum. Adducit autem non simpliciter, sed cum voto & precatione.

Det misericordiam Dominus. Id est, exhibeat misericordiam Dominus, id est Christus, qui absoluta *Domini* voce semper ab Apostolo designatur, sicut Deus ille unus, Christi Pater, absoluta voce *Dei* 1 Cor. VIII. 6. Habemus hic exemplum voti & precationis ad Christum directę.

Onesiphori domui. Id est, Onesiphoro cum conjuge & liberis. Sic 1 Cor. XVI. 15, Stephanę domus includit etiam, idque principaliter, ipsum Stephanam. Voto prolixo prosequitur Onesiphorum. Ut incerta nitantur conjectura, qui ex eo quod & hic & infra cap. IV. 19, in salutatione ipse Onesiphorus non nominetur, sed tantum Onesiphori domus, colligunt Onesiphorum jam fuisse mortuum, & quia mox Apostolus pro Onesiphoro vota facit ℣f. 18, exemplum hic esse voti & precationis pro mortuis. Hoc quidem hinc colligi non potest, ut diximus, sed ut mortuis etiam non tantum vivis charitatem exhibeamus, res ipsa monet. Nam & mortui Deo vivunt, quatenus semper est in ejus potestate ut vivant. Qui nullum medium mortuorum statum credunt, mirum non est quod pro iis non orent. Sed qui credunt ac sciunt judicium de mortuis pariter & de vivis adhuc futurum esse, recte faciunt quod Christiani pro Christianis etiam mortuis orent. Nemo enim tam sanctus est, qui gratia & misericordia Dei non indigeat. At ubi gratię & misericordię locus est, ibi & precibus est locus, longeque certius est præsidium in vivorum precibus pro mortuis, quam in mortuorum pro vivis. Quanquam & hoc præsidium tale non est, ut ei fidere quisquam Christianorum debeat, qui spiritu carnis opera non mortificaverit.

Quia sæpe me refocillavit. Nempe Onesiphorus, sæpe mihi fuit refrigerio, dum scilicet, ut mox ait, Romæ versaretur, sæpe me invisit & consolatus est, & juvit quo potuit officio. Itaque pro misericordia quam erga me exercuit, precor ut vicissim Dominus misericordiam exhibeat ejus domui, non ipsi tantum soli.

Et catenam pudori sibi non duxit. Non puduit eum meæ catenæ. Erat enim Paulus catena militari illigatus ad manum custodis militis. Non puduit eum Pauli, quamvis catena vinctus esset, & speciem facinorosi hactenus gereret, sciebat Paulum non facinorosum, sed sanctum & Apostolum Christi esse, & in testimonium Euangelii quod prædicabat ista pati. Exemplum Timotheo, quod imitaretur ℣f. 8.

Vers. 17. *Sed cum esset Romæ.* Per contrarium rem illustrat.

Studiosius. Id est studiosissime, ut in tanta urbe, comparativus pro superlativo, phrasi Græca.

Quæsivit me. Non ut alii, quos quia pudebat meę catenę, desugiebant omnem mei conspectum.

Et invenit. Non destituit quærere donec inveniret, in diversorio scilicet Pauli cum custode milite.

Vers. 18. *Det ipsi Dominus ut inveniat misericordiam a Domino.* Conveniens votum ejus facto. Invenit me Onesiphorus, det ergo ei vicissim Dominus ut inveniat misericordiam.

A Domino. Id est ab ipso, nomen antecedens pro pronomine, Hebræa phrasi. Vide inter alia 2 Thess. I. 7, 8. Gen. IV. 23. Exod. X. 11. Psal. XIII. 6. Hujus phraseos ignarus Justinus Martyr, duos se putavit in Scripturis invenisse Dominos, quorum unus esset Pater, alter Filius, qui postmodum esset homo factus, & Jesus Christus appellatus.

In illo die. Quo scilicet cuique misericordia Domini maxime erit opus.

Et quanta Ephesi ministraverit. Quam non vulgaria præstiterit ministeria, cum scilicet ibi versaretur.

Melius. Id est optime, comparativus pro superlativo, ut paulo ante ℣f. 17.

Tu nosti. Qui ibi mecum fuisti. Ergo & Romæ dissimilis sibi non fuit.

CAPUT

CAPUT II.

Verſ. 1. TU *igitur*. Quaſi dicat, ut ad te poſt hæc exempla redeam.

Fili mi. Cap. 1. 2. 1 Tim. 1. 2, qui mihi præ cæteris, ut filius patri, conjunctus & dilectus es, & quem ex hac vita diſcedens tanquam filium pater relinquo hæredem fidei & doctrinę meę.

Corroborare in gratia. Id eſt in amplexu gratiæ, per metonymiam.

Quæ eſt in Chriſto Jeſu. Ut ei ſcilicet firmiter adhæreas, cum ea nihil ſit certius, nihil melius, nihil optabilius, nihil ſanctius ac divinius. Gratiam hanc opponit Legi.

Verſ. 2. *Et quæ audiviſti a me*. De hac videlicet gratia, de fide, charitate.

Per multos teſtes. Id eſt cum multis teſtibus, ſeu multis teſtibus præſentibus, qui ſcilicet atteſtari tibi poterunt hæc à me eſſe audita.

Hac committe fidelibus hominibus. Hæc viciſſim apud fideles homines depone, qui nihil demant, nihil addant, nihil mutent, & in depoſiti tanti cuſtodia fidem ac diligentiam omnem præſtent. Non fruſtra monuit iſta Paulus, jam ad exitum vitæ ſpectans cap. IV. 6. Verebatur enim ne, quod accidit, multis corruptelis & traditionibus contaminaretur veritas.

Qui idonei erunt & alios docere. Timothei enim officium erat, non tantum diſcipulos facere Chriſto, ſed etiam doctores, qui & ipſi alios docerent, & ſic veritatem Evangelii perpetuarent.

Verſ. 3. *Tu igitur patere*. Nempe quicquid adverſi inciderit, perfer & obdura.

Tanquam bonus miles Jeſu Chriſti. Bonus miles Imperatorem ſuum non deſerit, omnia patitur & perfert Imperatori ſuo militans. Et tu militas Imperatori tuo Jeſu Chriſto, huic nomen dediſti, & ſacramento obſtrictus es, hunc ergo non deſere, quicquid tandem patiendum tibi ſit. Veniet etiam tempus quo poſt peractos militiæ labores, cum Imperatore tuo triumphabis, & æternis gaudiis perfrueris.

Verſ. 4. *Nemo militans implicatur vitæ negociis*. Non agricultura, non paſtura, non mercatura, non procuratione, non fidejuſſione & ſimilibus.

Ut ei qui milites legit, id eſt Imperatori, *placeat*. Monet Timotheum ab eodem exemplo militum, ne ullum aliud vitæ genus adjungat & amplectatur, ſed totus ſit in Chriſti militia, id eſt in Evangelii prædicatione.

Verſ. 5. *Si vero etiam certet aliquis, non coronatur, niſi legitime certaverit*. Ab athletis exemplo ſumpto, docet non ſufficere ad coronam gloriæ cæleſtis, ut aliquis pro Chriſto certet, ſed opus eſſe ut legitime certet, ſignificans Timotheum non quocunque modo, ſed legitime ſuo munere defungi debere, proinde totum in illo eſſe, nec ullis implicari vitæ negotiis.

Verſ. 6. *Laborantem agricolam oportet primum fructus percipere*. Occupatio, ne dicat Timotheus, ſi ſibi victus & neceſſaria vitæ deſint, cogi ſe ad vitæ negotia. Significat enim Timotheum ante omnes debere fructus ex labore & agricultura ſua, Id eſt ex Evangelii prædicatione percipere, proinde Timotheum ſuo jure ſumere ſibi debere ex Chriſtianorum facultatibus tantum, quantum habeat opus. Nulli majore ac potiore jure ac merito ex fructibus participant, quàm qui totam vitam ſuam aliorum impendunt ſaluti.

Verſ. 7. *Intellige quæ dico*. Quaſi dicat, obſcurius de induſtria deſigno quod intendo, ſed tu intellige quæ dico, ſapienti ſatis, ut ajunt.

Det enim tibi Dominus intelligentiam in omnibus. Non fruſtra te intelligere jubeo quæ dico, precor enim Dominum, ut tibi & in hoc & in omnibus det intelligentiam. Habemus & hic exemplum invocationis Chriſti, qui abſolute Dominus ab Apoſtolo & Chriſtianis appellatur. Vide ſupra cap. 1. 16, 18.

Verſ. 8. *Memento Jeſum Chriſtum excitatum ex mortuis*. Quaſi dicat, hujus enim ſi ſemper memineris, non ceſſabis in opere tuo, nec tibi quicquam erit grave toleratu, aut factu, propter Jeſum Chriſtum, nec dubitabis unquam de doctrinæ ejus veritate, proinde & de ſpe vitæ æternæ.

Ex ſemine Davidis. Hoc addit ut tanto magis conſtet Jeſum eſſe Chriſtum illum à Deo promiſſum. Quia enim eſt ex ſemine Davidis & reſuſcitatus eſt ex mortuis, haud dubie in id reſuſcitatus eſt, ut, ſicut de ſe dixit & aſſeruit, Rex & Chriſtus conſtitueretur, ad ſalutem dandam omnibus in ipſum credentibus. Hoc igitur ſi memineris, ſemper credes Jeſum eſſe Chriſtum illum Dei, & ei conſtanter adhærebis, quantoque plura pro nomine ejus & ages & patieris, tanto magis gaudebis & alacrior eris, nec mors tibi terrorem ullum incutiet, cujus ſuperatæ vivum exemplum in Chriſto ante oculos tuos perpetuum verſabitur.

Secundum Evangelium meum. Hujus rei certam ſcientiam capi vult ex Evangelio ſuo, id eſt à ſe prædicato, & tot divinis miraculis confirmato.

Verſ. 9. *In quo*. Id eſt propter quod, per Hebraiſmum Matth. VI. 7. Eph. IV. 1.

Patior, uſque ad vincula, tanquam maleficus. Quaſi dicat, quo nunquam me demitterem, niſi à Chriſto miſſus eſſem, & niſi Evangelium meum eſſet ipſa veritas.

Sed ſermo Dei non vincitur. Ne Timotheus animo dejiceretur propter Pauli vincula, veritus ne per ea actum eſſet de Evangelio. Non vincitur, inquit, ſermo Dei, qui Evangelium eſt, quamvis ego ſim vinctus: hominem vincere potuerunt, at ſermonem Dei non poſſunt, qui multo magis etiam per hæc mea vincula ſolutus eſt, & longe majus ſpatium accepit, ac dilatatus eſt Philip. 1. 12, 13.

Verſ. 10. *Propter hoc omnia ſuſtineo propter electos*. Dicit ſe omnia ſuſtinere, etiam iſta vincula, propter electos, id eſt electorum (qui credentes ſunt) cauſa, quo ſcilicet in fide confirmentur, & exemplum capiant conſtantiæ ac patientiæ quod imitentur.

Propter hoc. Id eſt hunc in finem.

Ut & ipſi. Si nimirum ſocios ſe mihi & Chriſto præbuerint in afflictionum patientia propter Evangelii veritatem.

Salutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Id eſt veram illam & æternam.

Cum gloria æterna. Quâ ſcilicet omnes hujus ſeculi ignominiæ & contumeliæ abunde compenſabuntur.

Verſ. 11. *Fidelis* (eſt) *hic ſermo.* Epiphonema, cui ſimile vide 1 Tim. iij. 1. Ne quis putaret aliam eſſe Pauli rationem, aliam aliorum, Paulum eſſe vas eximium Chriſti, cui cæteri in præmiis adeundis æquiparari nequirent. Fidelis eſt, inquit, ſermo quem dixi, non fallet, nec fruſtabitur ullum credentem.

Si enim una morimur, etiam una vivemus. Confirmat dictum ſermonem. *Si enim una morimur*, id eſt ſi ſocietatem habemus in morte, pro veritate nimirum Euangelii, ſocietatem, inquam, & inter nos, & cum Chriſto.

Etiam una vivemus. Id eſt etiam ſocietatem vitæ, poſt mortem nimirum, proinde illius æternæ habebimus: quaſi dicat, hoc enim poſtulat ipſa æquitatis ratio.

Verſ. 12. *Si ſuſtinemus.* Nempe afflictiones & contumelias propter Chriſtum & cum Chriſto.

Etiam una regnabimus. Nempe omnes cum Chriſto. Morti oppoſuit vitam, contumeliis & perpeſſionibus ignominioſis opponit Regnum & gloriam cæleſtem.

Si negamus. Nempe Chriſtum, & ejus veritatem, quo nos morti & contumeliis ſubducamus.

Etiam ille negabit nos. Par pari nobis referet, nempe in adventu ſuo negabit nos eſſe ſuos, proinde perdet nos cum reliquis, & æternis ignibus abolebit.

Verſ. 13. *Si infidi ſumus*, ἀπιστοῦμεν. Id eſt fidem Chriſto datam non ſervamus.

Ille fidus manet. Non dicit ut antea, ille etiam infidus erit, ſed ille fidus manet, nos perfidia noſtra fidei & veracitati ejus nihil derogamus.

Negare ſeipſum non poteſt. Quaſi dicat, negare nos poteſt, ſed negare ſeipſum non poteſt, proinde nec infidus eſſe ullo modo poteſt. Negare non poteſt ſe Chriſtum illum eſſe, negare non poteſt vera eſſe quæ docuit. Semper ergo fidus manet, & quæ promiſit fidentibus ſibi, haud dubie exhibebit.

Verſ. 14. *Hæc in memoriam revoca.* Hæc ſemper memoriæ Chriſtianorum ſubjice, hæc iis ſunt ſalutaria.

Obteſtans coram Domino, ne de verbis pugnent. Vide 1 Tim. vi. 4. Tangit eos qui Scripturæ verba, veritati & fidei Chriſtianæ opponebant, & de iis pugnabant, nova dogmata ex iis condentes, vel tradita ab Apoſtolis oppugnantes.

(Quod eſt) *ad nihil utile.* Per μάταιον, nullum habet ad bonos & ſanctos mores uſum.

Ad ſubverſionem audientium. ἐπὶ καταστροφῇ. Ἐπὶ pro εἰς, ut mox ÿſ. 16. Eph. 2. 10. Quaſi dicat, ita eſt ad nihil utile, ut etiam ſit maxime damnoſum, & pertineat ad ſubverſionem audientium, fidei nimirum ipſorum reſpectu. Dum enim tales verborum pugnas audiunt, putant & dicunt in fide & religione Chriſtiana nihil eſſe certi, & ſic fides eorum ſubvertitur.

Verſ. 15. *Stude, ut teipſum probatum exhibeas Deo.* Quaſi dicat, non tantum hominibus.

Operarium, qui non pudefiat. Quia ſcilicet non ita ut oportebat operatus ſit.

Recte ſecantem ſermonem veritatis. Id eſt ſermonem veracem, per Hebraiſmum. Sermonem nimirum Euangelii. Sermo veritatis multis ex partibus conſtat, quem recte ſecat, qui ſuam cuique loco, cuique tempori, cuique perſonæ, partem ex illo tribuit. Secare dixit, alludens ad operarium, inprimis qui operabantur ſacris, quorum officium erat rite ſecare victimas.

Verſ. 16. *Profanas autem vaniloquentias*, κενοφωνίας. Id eſt, ſermones in quibus nihil aliud eſt quam vanæ voces, nullæ res, nulla veritas, quales erant explicationes illæ Scripturarum apud Judæos, metaphoricæ & allegoricæ, quas veritati & fidei Chriſtianæ opponebant. Profanas dicit, quia nihil cum ſermonibus divinis, quorum ſolidiſſima veritas eſt, commune habent, & mera hominum ſunt commenta. Vide 1 Tim. vi. 20.

Cohibe. Auctoritate nimirum tua, & ſi ſit opus etiam eccleſiæ cenſura.

Ad majorem enim proficient impietatem. Niſi ſcilicet cohibueris. Eo tandem devenient, ut etiam Jeſum negent eſſe Chriſtum, quod & factum eſt.

Et ſermo eorum. Vaniloquorum iſtorum ſcilicet & thaumaturgorum, qui toti ſunt in allegoriis.

Tanquam gangræna paſtum habebit. Id eſt etiam ſana membra invadet, ut gangræna facit, niſi cohibeatur, abſciſſis etiam, ſi aliter curari nequeat, infectis membris.

Ex quibus eſt Hymenæus & Philetus. Nominat ex iis duos, ne lateant. De Hymenæo ſupra 1 Tim. 1. 20.

Verſ. 18. *Qui circa veritatem.* Id eſt à veritate, ut 1 Tim. vi. 21 *circa fidem*, id eſt à fide.

Aberrarunt, dicentes reſurrectionem jam factam eſſe. Ex ſenſu nimirum metaphorico proprium oppugnabant. Iræn. lib. 1. cap. xxvij de Gnoſticis. *Eſſe* (eorum ſcilicet ſententiâ) *reſurrectionem à mortuis, agnitionem ejus, quæ ab ipſis dicitur, veritatis.*

Et ſubvertunt quorundam fidem. Nempe reſurrectionis proprie dictæ, ut fieri ſolet, cum aliquid creditu facilius ſub iiſdem nominibus ſubjicitur. Ex eadem credo diſciplina erant, qui inter Corinthios mortuorum negabant reſurrectionem 1 Cor. xv. 12, qui habent quod imputent. Occaſionem enim & cauſam præbuerunt Apoſtolo, ut fidem & argumentum reſurrectionis ibidem tam divinè explicaret.

Verſ. 19. *Solidum tamen fundamentum Dei ſtat.* Ἕστηκε, præteritum pro præſenti, ex Hebraiſmo: quaſi dicat, quicquid illi contra moliantur. Solidum Dei fundamentum eſt Euangelium ſeu doctrina de futurâ mortuorum reſurrectione, quæ fundamentum dicitur, quia ſuper eam omnis Chriſtiana fides & pietas fundatur.

Dei fundamentum. Quia Deus ipſe illud poſuit, qui Euangelii auctor eſt.

Solidum. Quia firmum, immotum & inconcuſſum eſt. Ideoque ſtat & ſtabit hæc veritas, donec in effectum veniat.

Habens ſigillum hoc. Quia fundamenti nomine doctrinam intelligit, recte ei, κατὰ τὸ σχηματισμὸν, ſigillum tribuit, quo doctrina hæc confirmatur.

Novit Dominus qui ſunt ſui. Quam ergo certum, immotum

immotum & inconcussum est, quod Dominus, id est Deus ille unus (respicitur enim ad veteris Scripturæ testimonium, nimirum Psalm 1. 9) novit suos, id est suos cultores amet ac diligat, per metonymiam. Unde non novisse Dominus dicitur quos odit & damnat; tam certum etiam, immotum ac inconcussum est, fore ut eos ex mortuis resuscitet ad vitam sempiternam. An enim perire pateretur sibi charissimos, quique ipsi confisi etiam mortem pro eo non dubitarunt oppetere? Nisi forte putemus Deum non posse mortuos suscitare. Hoc vero qui putet, eadem opera neget simul Deum esse, neget etiam contra tot haud dubiæ fidei testes, tot divina miracula, & tam divinam Euangelii per omnes gentes, sine ullis potentiæ humanæ adminiculis prædicationem, Christum ab eo suscitatum esse ex mortuis. *Et.* Quasi alterum sigillum, seu altera sigilli pars, quarum prior confirmat resurrectionem justorum ad præmia; hæc posterior injustorum ad pœnas. Nam sicut resurrectio duas habet partes, sic etiam duplici munitur sigillo.

Absistat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Christi. Hoc enim quia in Christi doctrina perpetuo inculcatur, sigillum & argumentum certissimum est, fore ut quicunque nomen Christi profitentium ab injustitia non recesserit, pœnas luat gravissimas ac sensibiles, proinde ut mortuus ad eas subeundas resurgat. Posset etiam particula *&* in Apostoli verbis, ex Hebræorum idiotismo significationem habere particulæ illativæ *igitur*, ut inter alia 1 Cor. v. 13: quasi dicat Apostolus; *Igitur absistat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Christi*, sciens scilicet & pro certo habens futurum, ut omnes resurgant, & præmia ac pœnas pro factis ac meritis suis reportent.

Vers. 20. *In magna autem domo.* Quasi dicat, ne quis miretur tales homines & hæreticos in ecclesia reperiri, ecclesia magna domus est, magni Regis ac Domini. In magna autem domo

Non sunt tantum vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & testacea, & hæc quidem, aurea nimirum & argentea, *in honorem.* Quia in honestos usus, ut ex iis edatur ac bibatur, unde illis est honor.

Hæc vero, lignea videlicet & testacea, *in ignominiam.* Quia in usus ignominiosos, ut in ea egerantur cibi ac potus excrementa, unde illis est ἀτιμία & contemptus. Sic etiam in ecclesia non tantum sunt homines præstantes, veritati ac pietati unice dediti, quos Deus & Christus habet in honore: sunt etiam ad quos varii errores ac vitia quasi excrementa deferuntur, sordium receptacula, quibus nullus est apud Deum & Christum honor, & quos manet æterna ignominia. Nimirum ut idem Apostolus ait alibi; *Oportet & hæreses inter vos esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos* 1 Cor. XI. 19.

Vers. 21. *Si quis igitur expurget seipsum ab istis.* Nempe hæreticis vel apostatis, vel prava & vana docentibus, vasis vilibus & impuris, ne scilicet quicquam cum illis commune habeat.

Erit vas in honorem. Id est honori destinatum.

Sanctificatum. Segregatum à profanis usibus.

Utile Domino. Nempe ad sanctos usus.

Ad omne opus bonum præparatum. Explicat prius. Tales sunt omnes qui veritatem Christianam tenent, hæreses omnes, & sententias quæ pietatem Christianam moliuntur & evertunt, una cum ipsis earum auctoribus longissime vitant Tit. iij. 10. Locus hic docet in cujusque potestate esse, ut sit vas in honorem, proinde falsum esse ullum hominem nominatim, nedum longe majorem hominum partem, antequam nascerentur, imo ante secula, destinatos esse ad ignominiam & interitum. Et qui talia docent, profanas movent vaniloquentias *v.* 16, & stultas ac ineruditas quæstiones, pugnarum semina *v.* 23, quamvis in iis maxime sibi sapere videantur.

Vers. 22. *Novitias autem cupiditates*, (Τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας) *fuge.* Νεωτερικὸς, non significat juvenem aut juvenilem, sed novitium. Unde scriptores Neoterici. Monet ergo Timotheum, ut fugiat cupiditates rerum novitiarum, noviter repertarum & proditarum, quarum homines, juvenes præsertim, solent esse cupidi, fastidientes antiqua. Novas amant opiniones, quo cæteris videantur esse sapientiores, sicut nunc prodiit nova Philosophia. Hoc in Christiana religione, ad quam Apostolus monitum istud refert, maxime cavendum est, in qua illud optimum, quod primum & antiquissimum. Hoc si Christiani omnes meminissent, nunquam in novitia dogmata & hæreses delapsi essent.

Sectare autem justitiam. Rem nimirum antiquam, ut & ea quæ sequuntur. *Justitiam*, ne cuiquam injuriam facias.

Fidem, ne quemquam fallas.

Dilectionem. Ut quemque diligas. *Pacem cum omnibus invocantibus Dominum.* Id est Christum.

Ex puro corde. Si nimirum non sint hæretici, non Judæi magis quam Christiani, non vitiis dediti, sed toti Christo devoti. Hinc enim de cordis eorum puritate, in Christo invocando, argumentum capere licet certissimum. Significat cum Christianis, qui vere Christiani non sint, pacem haud esse posse. Argui enim debent, & nisi resipiscant, à Christianorum communione separari. Hactenus tamen etiam cum istis pax sectanda est, ne iis ulla in re noceamus, eorum commodis studeamus, & injurias ab illis illatas patienter toleremus. Nota hic Christianos describi ab invocatione Christi, ne quis de illa dubitet. Vide 1 Cor. 1. 2. Hæc verorum Christianorum est differentia specifica, à qua adeo degenerarunt sequentium temporum Christiani, ut Christum unius illius Dei non aliter invocent, quam quatenus eum Deum illum unum esse credunt.

Vers. 23. *Stultas autem & ineruditas quæstiones devita.* Pacem sectare, inquit, stultas autem & ineruditas quæstiones devita; quæ scilicet nihil ad bonos ac pios mores faciunt: quas *stultas* dicit, quia sapientes viri eas non movent.

Ineruditas. Quia eas non movent in veritate Christiana eruditi. *Devita.* Noli te iis immiscere. Ad tales quæstiones merito referas quæ hodie disputantur, an unus ille Deus sit tres personæ? An Christus Dei sit ipse Deus ille unus? An una persona sit unus ille Deus & homo? Et similia.

Sciens quod generent pugnas. Id eſt concertationes, contentiones, rixas, jurgia, ut fieri ſolet ac neceſſe eſt, cum de rebus nihili, & de lana, ut ajunt, caprina, de quæſtionibus quibus nulla res ſubeſt, de meris contradictionibus, de nudis vocibus ac vocabulis diſceptatur.

Verſ. 24. *Servum autem Domini.* Eumque etiam eximie ſit dictum.

Non decet pugnare. Affectu nimirum, verbis contentioſis, multo vero minus manibus.

Sed placidum eſſe erga omnes. Quod repugnat omni pugnæ.

Ad docendum aptum. Proinde affectu non commoveri. *Tolerantem malos.* Ut Medici furioſos.

Verſ. 25. *In manſuetudine.* Id eſt cum manſuetudine; procul ſcilicet omni ira & feritate.

Erudientem eos qui contraria ſtatuunt. Nempe veritati Chriſtianæ.

Si quando det eis Deus reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis. Non quia Deus dare nolit, ſed quia illi accipere renuunt, ideo ſumma cum manſuetudine tractandi ſunt, ne magis efferentur, ſed ut, ſi fieri queat, noſtra modeſtia moti, animum tandem ad accipiendam à Deo reſipiſcentiam inducant.

Verſ. 26. *Et ſobrietatem recipiant*, (ἀνανήψωσι) *evigilent.* Sunt temulentis & ebriis & ſomno profundo conſopitis ſimiles, non vident, nec ſentiunt ſe laqueo diaboli conſtrictos teneri, ideo addit

Ex diaboli laqueo. Si enim ad ſobrietatem redirent, ſi evigilarent & veritatem agnoſcerent, protinus ex diaboli laqueo ſeſe expedirent.

Vivi ab eo capti. Non ita capti ut vitam amiſerint, quod ſæpe feris ſolet, ſed ita capti ut vivant.

Ad illius voluntatem. Id eſt ad opponendum ſeſe divinæ voluntati & doctrinæ Chriſtianæ, ad falſa dogmata & hæreſes defendendas, ad perſequendos pios, & varia peccata committenda. Voluntas diaboli, per metonymiam, ponitur pro eo quod diabolus vult.

CAPUT III.

Verſ. 1. HOc *autem noris.* Quaſi dicat, ut tanto magis vigiles, & quæ tui ſunt muneris agas. Vide cap. IV. 1, 2, 3, 4, 5.

Quod in ultimis diebus. Nempe ſeculi præſentis, cum mundus properabit ad exitum poſt exortum Antichriſtum.

Aderunt tempora difficilia. Id eſt malis moribus plena. Tempora enim mala fiunt per malos hominum mores. Hoc Paulus prædicit ex ſpiritu Prophetico. Vide 1 Tim. IV. 1.

Verſ. 2. *Erunt enim homines.* Rationem & cauſam adfert dicti. Loquitur de hominibus profeſſione Chriſtianis, ſeu qui ſunt intra non extra eccleſiam. Nam iſtorum ſemper corruptiſſimi ſunt mores. At hic Paulus prædicit quantopere degeneraturi ſint Chriſtiani, quod etiam eveniſſe oculis noſtris uſurpamus. Unde conjicere licet nos circa dies ultimos verſari.

Amantes ſui, φίλαυτοι. Amorem ſui intelligit vitioſum, qui excludit amorem proximi: quaſi dicat, quiſque ſeipſum amabit, nemo proximum, charitas Chriſtiana exſtinguetur.

Avari, φιλάργυροι. Amantes argenti, obliti Regni cæleſtis & juſtitiæ ejus.

Glorioſi, ἀλαζόνες. Laudum ſuarum jactatores.

Superbi, ὑπερήφανοι. Qui ſe ſuper alios extollunt.

Blaſphemi. Maledici, tam in Deum, quam in homines.

Parentibus immorigeri. Quibus primus poſt Deum & alios homines debetur honos.

Ingrati. Indigni ſcilicet quos terra alat, quippe quę ſe cultoribus ſuis gratam exhibet.

Prophani, ἀνόσιοι. Quibus ſacra & profana perinde habentur, irreligioſi.

Verſ. 3. *Aſtorgi.* In quibus inſitus erga proprium ſanguinem amor extinctus eſt.

Inſociabiles, ἄσπονδοι. Qui nec Fœderis vinculis ullis ligantur.

Calumniatores, διάβολοι. Falſis & fictis criminibus alios onerantes.

Incontinentes, ἀκρατεῖς. Frænum permittentes affectibus.

Immanſueti ἀνήμεροι. Quos ne dies quidem ulla queat manſuefacere.

Non amantes bonorum, ἀφιλάγαθοι. A quibus ne boni quidem viri queant amorem elicere.

Verſ. 4. *Produtores.* Etiam optimorum; lucri alicujus cauſa.

Præcipites, προπετεῖς. Sine deliberatione & inconſulto impetu omnia agentes Act. XIX. 36.

Inflati. Vana ſcilicet de ſe opinione.

Amantes voluptatis magis quam Dei. Quibus voluptas pro Deo eſt. Omnia enim voluptatis cauſa faciunt, & ad voluptatem cuncta dirigunt, Deum ad aſſequendam voluptatem tantum pro prætextu habent. Ideo addit:

Verſ. 5. *Habentes formam pietatis.* Quaſi Dei cultores eſſent,

Virtutem autem ejus abnegarunt. Id eſt, ea opera in quibus pietas virtutem ſeu vim ſuam maxime exerit, per metonymiam cauſæ, charitatem nimirum, humilitatem animi, modeſtiam, patientiam, ſobrietatem, caſtitatem, mundi contemptum, & alias virtutes veras, non inania virtutum ſimulacra. Abnegarunt autem non verbis, id enim eſſet adverſum externæ pietatis formæ, ſed rebus ipſis ac factis, quippe talium expertes virtutum, Vide quanta divinitate hæc præviderit & prædixerit Apoſtolus? Tot inſtituta hominum in eccleſiam invecta, quid aliud continent, quam formam pietatis externam ſine vera pietate? formam caſtitatis ſine caſtitate, formam humilitatis, ſine humilitate, formam modeſtiæ, ſine modeſtia, formam patientiæ, ſine patientia, formam paupertatis, ſine paupertate, formam abſtinentiæ, ſine ſobrietate, formam contemptus mundi cum ſummo faſtu, formam divini cultus ſine vero cultu, qui non cerimoniis peragitur, ſed ſpiritu ac veritate. Mirum vero non eſt, tantam morum corruptionem invehi debuiſſe in eccleſiam. Hoc enim fieri neceſſe fuit, poſt univerſalem doctrinæ Chriſtianæ depravationem, itidem ab Apoſtolo prædictam 2 Theſſ. 2.

Et

Et hos aversare. Nempe externam pietatis formam præferentes, virtute pietatis abnegata. Abstine ab eorum consuetudine & convictu, & tuum exemplum imitentur & cæteri Christiani. Etsi enim isti non sunt in ecclesia, quia tamen veritatem Christianam impugnant eique resistunt ℣. 8, 9, aversandi sunt.

Vers. 6. *Ex his enim sunt qui irrepunt in domos.* Rationem reddit moniti per prolepsin, ne diceret Timotheus, quomodo istos aversari possum, qui nondum exorti, sed ultimis demum diebus exorituri sunt. Potes & debes, inquit Apostolus. Ex istis enim sunt, id est ex eorum genere ac censu, qui jam nunc *irrepunt in domos* &c. Quasi dicat, non desunt etiam nunc homines, quos dixi, sed ultimis diebus Christiani tales erunt, iique non pauci, sed omnes in commune. Irrepebant autem in domos easque opulentas externa pietatis specie ac forma, per artes varias, cujus rei nunc habemus innumera exempla.

Et captivas ducunt mulierculas. Id est, obnoxias sibi & suis dogmatis reddunt sexum infirmiorem, quem promptius est seducere, & quo seducto ac capto, virilis deinde ducitur sexus. Vide Actor. XIII. 50.

Oneratas peccatis. Non adoriuntur, multo vero minus captivas ducunt castas & probas fœminas, sed peccatis, sed stupris, adulteriis, veneficiis, & similibus criminibus oneratas mulierculas, extenuatione peccatorum, & pollicitatione absolutionis, non raro & stuprorum consuetudine.

Et quæ aguntur cupiditatibus variis. Ut scilicet illis potitæ, habeant sanctos istos pro deprecatoribus, in quorum sinum conscientiam suam exonerent. Ita similes habent labra lactucas.

Vers. 7. *Quæ semper discunt.* Nimirum ab istis suis doctoribus.

Et nunquam ad cognitionem veritatis venire possunt. Quia nimirum nec doctores habent, qui veritatem doceant, nec animos ad discendam veritatem idoneos. Discere enim volunt sibi cupiditates suas explere licere, citra scelerum pœnas, quod nunquam erit verum.

Vers. 6. *Quemadmodum autem Jannes & Jambres* (vulgatus legit *Mambres*) *restiterunt Mosi.* Ne quis dicat, posse omnes à Christianis veritatem discere? Fortassis possent, nisi novi isti Joannes & Jambres essent. Jannes & Jambres Magi erant, qui coram Pharaone Mosi resistebant, & Pharaonem divinorum signorum imitatione retinebant, ne Mosi obtemperaret.

Sic & isti resistunt veritati. Id est Euangelio, ne homines credant Jesum esse à Deo missum & suscitatum ex mortuis, & Dominum ac judicem omnium vivorum ac mortuorum factum; sicut & Magi illi derogabant Mosi fidem. Talis erat Magus ille, pseudopropheta Judæus Bar-Jesus, seu Elymas Act. XIII. 6, 8, & exorcistę illi, filii summi Sacerdotis Scevę Act. XIX. 14, & Alexander ille faber ærarius, infra cap. IV. 14, 15.

Homines corrupti mente. Quasi dicat, quibus si sana & integra mens esset, cederent tam claræ veritati. Vide 1 Tim. VI. 5.

Reprobi circa fidem. Id est fidei in Christum respectu, ad quam plane sunt inhabiles propter suam perversitatem & obstinatum ad prava animum.

Vers. 9. *Sed non proficient amplius.* Quasi dicat, fecerunt quæ potuerunt, nil proficient ultra præstigiis & contradictionibus suis.

Amentia enim ipsorum. Nempe quod tam claræ veritati resistant, & cedere nolint.

Manifesta erit omnibus. Hoc adeo comprobavit eventus, ut credere maluerint homines, Jesum esse unum illum Deum, (quæ opinio Ignatii tempore jam erumpebat, & hæresis vocatur à Satana disseminata Epist. ad Tarsenses) quam Jesum rejicere & imposturæ damnare. Nec Mahomet successum ullum suis imposturis ominari potuit, nisi veritatem hanc, Jesum à Deo missum esse, intactam reliquisset.

Sicut & illorum erat. Nempe Magorum apud Pharaonem, quos veritas cito convicit, & ipsos impostores esse, Mosen autem Dei Legatum esse ostendit.

Vers. 10. *Tu vero.* Quasi dicat, quem mihi superstitem relinquo, quæcunque tandem futura sit morum depravatio. Redit enim ad id quod a principio dicere cœperat ℣. 1, & seqq. & cujus occasione proxime præcedentia interjecit.

Assecutus es meam doctrinam. Optime scis quæ docuerim, proinde resistes hæresibus, ne depraventur mores Christiani.

Ductum. Quomodo duxerim & texerim discipulos.

Propositum. Quid mihi fuerit unice propositum; quid intenderim, quid spectarim.

Fidem. Quam fidem habeam in Dominum Jesum.

Longanimitatem. Quanta semper usus sim longanimitate.

Charitatem. Quanta sim usus erga omnes, etiam inimicos & persecutores.

Patientiam. Quanta sim usus patientia.

Vers. 11. *Persecutiones.* In me scilicet excitatas nosti optime.

Perpessiones. Quæ & quanta sim perpessus propter Euangelium.

Quæ mihi evenerint Antiochiæ. Pisidiæ nimirum Act. XIII. 14, unde fuit ejectus ℣. 50.

Iconii Act. XIV. Ubi nisi effugisset, lapidatus fuisset ℣. 5, 6.

Lystris. Ubi lapidatus fuit ℣. 19, quæ omnia Timotheo optime nota erant, Lystris in vicinia agenti Act. XVI. 1.

Quales persecutiones sustinuerim. Non in istis tantum quæ dixi locis, sed etiam in multis aliis. Jam enim Timotheus comitem agebat Pauli Actor. XVI. 3.

Et ex omnibus eliberavit me Dominus. Id est Christus: quasi dicat, ut sicut ego perpessionibus & tolerantia persecutionum testabar esse me Christi servum & Apostolum; sic & Christus liberando me ex omnibus persecutionibus testaretur esse se meum Dominum. Hæc omnia assecutus es probe, multis etiam ipse præsens adfuisti, & pars eorum magna fuisti. Itaque licet ego discedam ex hoc seculo, tu eris instar mei.

Vers. 12. *Et omnes autem.* Particula & redundat ex He-

ex Hebraismo; ut Joh. vi. 15.

Omnes, inquit, sine exceptione temporum & personarum.

Qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Quasi dicat, ne mireris me tantas persecutiones esse perpessum, & adhuc pati, neve propterea de Christi amore & gratia erga me dubites.

Omnes qui volunt pie vivere. Et consequenter pie vivunt, loquitur enim de voluntate efficaci.

In Christo Jesu. Id est secundum Christi Jesu doctrinam, in qua vera & perfecta docetur pietas. Hanc mundus pati non vult, pietatem secundum Legem Mosis pati potest, secundum humanos ritus & opiniones etiam lubens amplectitur. At pietas in Christò Jesu semper est invisa mundo. Atque hinc factum etiam est, ut mundus non ante cessaret à Christianorum persecutione, nec ante iret in Christi nomen, quam Christi doctrina per varias opiniones ad mundi palatum attemperaretur.

Persecutionem patientur. Unde & jam, ab ipsis Christianis ad prava delapsis, veri & in solo Christo Jesu pie viventes Christiani, duris vexantur persecutionibus, quod & nunc evenit in Polonia, Regni civibus expulsis, tantum ob id quod solam Catholicam & communem omnium Christianorum fidem amplectantur, & secundum eam vivant. Ita semper veræ pietatis in Christo Jesu comes est persecutio, quæ & pietatem custodiat, & fidem experiatur ac exerceat, fides enim est quæ nobis imputatur ad justitiam. Nec sane deceret, ut Christiani alia via contenderent in cælum, quam a fidei ac pietatis eorum duce Christo calcata. Vide Act. xiii. 22. Joh. xv. 18, & seqq. 1 Thess. iii. 3, 4. Qui igitur in Christo Jesu pie vivere volunt, mirari non debent quod persecutionem patiantur, nec persecutionibus à Christo depelli, quin hoc ipsum pro argumento certissimo, se veros esse Christi discipulos, & pro pignore Regni cælestis capere debent. Vide cap. 2. 11, 12, 13.

Vers. 13. *Mali autem homines.* Qui scilicet pie vivere volentes in Christo Jesu persequuntur, seu persecutiones in eos movent & concitant.

Et deceptores, γόητες. Qui suis dogmatis homines fascinant & seducunt, unde persecutiones piorum & amplecti falsa renuentium oriuntur.

Proficient in deterius. Ut semper falsa falsis accumulent. Eventus hoc abunde comprobavit.

Seducentes & seducti. Id est dum seducunt & vicissim seducuntur, nec ullum errandi finem faciunt, antequam ad extremum errorum deveniant.

Vers. 14. *Tu autem mane in iis quæ didicisti*, ἐν οἷς ἔμαθες. Non patere tibi nova & à me non audita dogmata persuaderi, aut ab iis quæ didicisti te abduci, nec addi nec demi quicquam patere, nam nec ultra, nec citra hæc rectum ac verum consistit.

Et quæ tibi concredita sunt, καὶ ἐπιστώθης. Fidem serva in iis quæ fidei tuæ sunt commissa, seu ut supra locutus est; *Bonum depositum custodi* cap. 1. 14. 1 Tim. vi. 20.

Sciens a quo didiceris. Nempe a me Paulo, Christi ad Gentes Apostolo, magistro minime fallaci, cujus conversatio tibi optime nota & explorata est ℣. 10, 11.

Vers. 15. *Et quia ab infantia.* Per hyberbolen, id est a puero, ex matris & aviæ institutione & educatione cap. 1. 5.

Sacras Scripturas nosti. Aliam addit causam, cur in doctrina à se tradita manere ac persistere debeat, quia scilicet à pueritia sacras Scripturas norit, significans doctrinam suam plane cum sacris literis consentire. Intelligit autem sacras literas Veteris Testamenti, in quarum lectione Judæi liberos a teneris exercebant, ex præcepto Legis. Et nunc doctores reperiuntur Christiani, qui etiam adultos arcent a lectione Scripturarum! Nimirum & hoc est unum ex Christianorum maximis corruptelis.

Quæ possunt te sapientem reddere ad salutem. Id est, ad salutis adeptionem, metonymia consueta.

Per fidem quæ est in Christo Jesu. Quasi dicat, quæ unicum est medium adipiscendæ salutis, proinde efficere ut iis quæ a me didicisti firmiter adhæreas. Literæ enim sacræ ad Christum Jesum & ad fidem in ipsum ducunt Joh. v. 39, 40, 46, & Christi doctrinam mirifice confirmant. Ideo testimoniis earum sæpe sunt usi Apostoli in Euangelii prædicatione & Apostolici viri. De Apollo vide Act. xviii. 23, 28.

Vers. 16. *Omnis Scriptura.* Nempe de qua res est, quæ scilicet dicitur Sacra ℣. 15. Digreditur paulum ad commendationem Scripturæ sacræ, ut Timotheus videat quantum sibi thesaurum a pueritia collegerit.

A Deo inspirata. Per Spiritum nimirum Sanctum, intellige est, & sic Deum habet auctorem non homines.

Et utilis ad doctrinam. Id est, ad id ut doceantur homines viam salutis.

Ad redargutionem. Ut redarguantur qui se opponunt veritati.

Ad correctionem. Ut corrigantur & ad rectum reducantur depravati.

Ad institutionem quæ est in justitia. Id est, ad id ut aliquis erudiatur in justitia, & evadat justus.

Vers. 17. *Ut perfectus sit homo Dei.* Eximie ninimirum sic dictus, id est Euangelii minister. Nam alias quilibet Christianorum est etiam Dei homo. Vide 1 Tim. vi. 11.

Ad omne opus bonum perfecte instructus. Exponit prius. In hoc enim perfectio ista consistit, ut sit ad omne opus bonum perfecte instructus, non tantum ad pie vivendum, sed etiam ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad instituendum & erudiendum in justitia. Hoc qui habet, ἄρτιος, perfectus, & ἐξηρτισμένος absolutus in suo genere est. Eant nunc & dicant Sacrosanctæ Scripturæ lectionem laicis & idiotis permittendam non esse, quæ Deum habet auctorem, quę non tantum infantes sapientia imbuit, ut ipsamet loquitur Psalm. xix. 8, sed etiam viros Dei perficit & absolvit. Abutuntur, inquis, Scriptura Laici. Atqui eadem abunduntur & docti, idque

idque etiam multo magis quam laici, à doctis enim omnes hæreses disseminatæ sunt. Nullum est Dei donum, quo non abutantur multi homines, nec tamen eorum usu quisquam prohibetur. Abusus vetandus est omnibus, usus nemini.

CAPUT IV.

Vers. 1. O*Btestor igitur*. Quasi dicat, cum sis homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus & absolutus.

Ego. Quasi dicat, ego Paulus.

Coram Deo. Singulis verbis inest pathos.

Et Domino Jesu Christo. Vides & hic Jesum Christum ab uno illo Deo distingui. Vides tertiæ alicujus personæ nullam fieri mentionem.

Qui judicaturus est vivos & mortuos. Proinde mortuos resuscitaturus est. Nisi enim resuscitentur mortui, non possunt judicari. Ita describit Christum, ut Timotheus istius judicii perpetuo memor, officium suum faciat.

Secundum apparitionem suam. Id est in apparitione & illustri suo adventu, seu cum apparebit. κατὰ pro *in* Matth. I. 20. Luc. xv. 14.

Et regnum suum. Id est in Regno suo, seu cum regnabit, eodem ut prius modo. Regnare enim dicitur Deus, sic & Christus, cum magnifica patrat, pios liberat, impios punit, quod omnium maxime futurum est in adventu Christi. Regnat quidem Deus & Christus semper, sed non semper eum regnare oculis apparet, tum apparebit. Syrus utrumque explicat per [Syriac], quasi scriptum esset, secundum apparitionem regni sui.

Vers. 2. *Prædica sermonem*. Nempe Euangelii. Exponit quid tantopere obtestetur.

Insta. Urgendo pietatem.

Tempestive, intempestive. Id est assidue: in re salutis non semper attendi debet temporis opportunitas.

Argue. Qui se opponunt.

Increpa. Denunciando inobedientibus Dei judicia.

Adhortare. Etiam currentes.

In omni, id est cum omni, *longanimitate*. Etiamsi non semper ex voto respondeat fruges.

Et doctrina. Nulli parce doctrinæ, si alicujus vel inscitiam, vel tarditatem videas, nullum te capiat docendi tædium. Vult nimirum Apostolus, ut Timotheus totis viribus sese opponat corruptelis quę invasurę erant ecclesiam, sicut prædixit cap. III. ℣. 1, & seqq. Ideo & hic addit:

Vers. 3. *Erit enim tempus quando sanam doctrinam non ferent*. Doctrinam in qua nihil est morbosum, nihil falsum, nihil ineptum, nihil superstitiosum, nihil mutile, nihil pietati veræ noxium, in qua omnia ad pietatem sunt efficacia. Vide 1 Tim. I. 10. VI. 3.

Non ferent. Christiani nimirum, nam mundus eam nunquam tulit. Erit ergo tempus, inquit, cum etiam Christiani ad mundum inclinabunt, & impatientes erunt sanę doctrinę per nos Apostolos traditæ, tædebit eos verę pietatis, & continuarum pro Filio hominis afflictionum. Tentabunt ut alia magis expedita via penetrent in cælum. Hoc tempus autem non ita longe abfuisse, id docet quod Timotheus jam tum in excubiis esse debuerit, ut supra vidimus, & infra ℣. 5 expresse dicitur.

Sed secundum cupiditates proprias sibupsis congregabunt doctores. Quos tædet sanę vitę, tædet etiam sanę doctrinę. Sana doctrina cupiditates frænat, quibus quia frænum laxari cupiebant, tales etiam doctores sibi congregarunt, qui cupiditatibus eorum consentanea traderent, quique salutem pollicerentur æternam, quamvis secundum carnem, non secundum spiritum ambulantibus, & quo tandem liberarentur Christi cruce, quin & Christum majoribus in speciem honoribus viderentur afficere, qui dicerent Christum Deum fuisse, & hominem induisse. Sic enim Christiani maxima sunt invidia levati, quibus id perpetuo objiciebatur, quod hominis in crucem acti cultores essent. Ita sensim & per gradus ad universalem illam apostasiam, & tandem etiam ad Antichristum, secundum prædictionem Apostolicam, deventum est 2 Thess. 2. 3, & seqq.

Prurientes auditu. Qui pruriunt, scabi volunt: ideo qui pruriunt auditu, talia volunt audire quæ auditui jucunda sint, sicut scabi jucundum est prurientibus. Vide 2 Pet. 2. 18, 19.

Vers. 4. *Et a veritate quidem auditum avertent*. Veritas enim Christiana radit aures hominum carnalium.

Ad fabulas autem convertentur. Fabulæ enim auribus sunt gratæ. Intelliguntur autem non fabulosæ tantum narrationes, & inventiones ingeniosæ, quibus Christianus orbis totus refertus est, & sine quibus nulla sacra concio grata est, sed etiam falsa dogmata carni blandientia. Voluptatem nunc quærunt & delectationem, qui veniunt in ecclesiam, non ut meliores & sanctiores evadant. Et omnia etiam ad voluptatem aurium & oculorum sunt accommodata. Vide quanta divinitate omnia quæ evenerunt & adhuc eveniunt, ab Apostolo sint prænuntiata.

Vers. 5. *Tu autem*. Quasi dicat, rebus in hoc discrimine positis.

Vigila in omnibus. Nulla in re dormi, attentus esto ad omnia, ut ubi primum se periculum aliquod ostenderit, protinus accurras.

Patere. Nullas perpessiones defuge propter Euangelium, neve te subtrahe Euangelio, ut perpessiones defugias. Hoc enim tibi maximæ erit gloriæ in Christi adventu. Vide cap. 2. ℣. 3.

Opus fac Euangelistæ. Opus quod Euangelistæ convenit exsequere: quasi dicat, es enim in Euangelistam ordinatus.

Ministerium tuum imple, πληροφόρησον. Idem quod πλήρωσις Col. IV. 17, ubi eadem monitio. Nulla in parte ministerio tuo & muneri Euangelistæ desto.

Vers. 6. *Ego enim jam libor*. Significat sanguinem suum brevi effusum iri. Metaphora à vino quod in sacrificiis libabatur, cum super humum in honorem Deo spargebatur. Et Pauli sanguis, in honorem Christi, quia pro Christo super humum effundendus erat. Vide Philip. 2. 17. Præsens ponit pro brevi futuro.

Et

Et tempus mei discessus (τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως) *instituit*. Pro instat, per enallagen Hebraicam, ut Col. I. 17. Exponit prius. Jam vitæ meæ finis imminet. Jam adest tempus, quo mihi abeundum est ex hac vita. Metaphora a nautis qui abituri navem solvunt. Vide Phil. I. 23: quasi dicat, tu igitur stationi meæ succede & operam da, quantum in te est, ne quid per meum discessum gloriæ divinæ & ecclesiarum saluti decedat. Vide infra ✝. 13, 21.

Vers. 7. *Certamen bonum certavi*. Exultat ob rem præclare gestam, vitæ & laborum suorum finem prospiciens, ut Timotheus videat quam beati sint, qui ad extremum usque officio suo Christiano bene defuncti fuerint. Similitudinem sumit a certantibus. Nam & Paulus certabat cum mundo & mundi Principe, & cum propria carne, a quibus oppugnabatur modis omnibus, & tum etiam erat in vinculis, ut à fide in Christum & Euangelii prædicatione decederet. Quod certamen vocat bonum seu pulchrum, quia vere bonum, vere pulchrum est, omnibus hujus seculi certaminibus sine ulla comparatione melius ac pulchrius.

Certavi, inquit, quasi jam absoluto certamine, cum tamen adhuc & vincula pateretur pro Christo, & mors restaret oppetenda pro Christo. Nimirum quia jam in fine certaminis erat, & animum ad ea quæ restabant perpetienda penitus & magna cum alacritate induxerat, ita jam factum dicit, quod brevi futurum erat.

Cursum consummavi. Alia metaphora ab iis qui cursu contendunt in stadio, significat se suos in Christo & pro Christo labores absolvisse. Et hic præteritum ponit pro brevi futuro, quia id quod adhuc supererat pro jam peracto habebat.

Fidem servavi. Fidem quam Christo Domino meo dedi non fefelli, præstiti me Domino meo fidelem in omnibus, nimirum quia & ipse de fide ejus nihil dubitavi nec dubito. Utramque fidem hic complexus est Apostolus, & quam Christus habet de nobis, & quam nos habemus de Christo, & in Christo, quarum hæc facit ut illam præstemus Christo. Hic quoque fidem se jam servasse dicit, quia servaturus, & in vinculis illis maximo cum gaudio sanguinem suum pro Christo profusurus erat.

Vers. 8. *Reliquum* (λοιπὸν.) Id est quod ad reliquum attinet, ellipsi functa. Hoc addit, ne quis dicat, quid tum postea?

Reponitur, inquit, *mihi illa justitiæ corona*. Certamine & cursu probe defunctis, datur corona. Paulo & Christianis omnibus ante Christi adventum non protinus datur, sed reponitur danda. Metaphora ab hominibus, qui certo loco reponunt quæ alicui daturi sunt. Christus coronam iis reponit quibus eam immutabili decreto destinat. Hoc autem non ante fit, quam certamine & cursu rite ac legitime peracto, & fide ad extremum servata. Vide 1 Cor. IX. 27. Philip. III. 13, 14. Ideo nec dicit Apostolus *reposita est mihi*, sed, *reponitur mihi*, ἀπόκειταί μοι, quia necdum Paulus certamini & cursui extremam imposuerat manum, sed imponebat, sic & Christus Paulo coronam nondum reposuerat, sed jam reponebat. Coronam hanc dicit esse justitiæ coronam, per genitivum speciei vel differentiæ, id est coronam quæ est justitia. Justitia nimirum illa Dei, quæ propter fidem imputatur à Deo credentibus. Hæc enim egregie respondet fidei ab Apostolo servatæ. Justitia enim ista ex Dei gratia & voluntate debetur fidei, & hoc sensu Paulus sæpe vocem accipit justitiæ in epistola ad Romanos, ad Galatas, ad Philippenses & alibi. In hac autem justitia continetur simul & vita æterna. Nam quibus Deus justitiam imputat, iis & vitam æternam largitur. *Quos enim justificavit, eosdem & glorificavit* Rom. VIII. 30. Potest & justitiæ nomine hoc loco intelligi vita æterna, per metonymiam causæ, ut 2 Pet. III. 13. Psalm. XXIV. 5. Sed Paulus justitiam dicere maluit, quam vitam æternam, ut significaret se minime facinorosum & maleficum esse, licet tractetur ut maleficus. Potest & Hebraismus esse, ut per justitiæ coronam illam, intelligatur corona illa justissima, nempe vita & gloria æterna. Justum enim est apud Deum retribuere iis qui nos affligunt afflictionem, & nobis qui affligimur relaxationem, nosque dignari regno suo, pro quo etiam patimur 2 Thess. I. 5, 6. Non meremur quidem ullo pacto coronam hanc, si quis labores nostros cum ea comparet, nec ideo est corona justissima; sed quod eam justissimus ille & benignissimus Deus laboribus & fidei nostræ destinarit ex immensa sua gratia.

Quam reddet mihi, ἀποδώσει μοι. Vide infra vers. 14.

Dominus, ὁ κύριος. Id est Christus, ecclesiæ suæ caput & Servator, ille ipse pro quo tanta sum perpessus & patior, pro certamine videlicet bene decertato, pro cursu peracto, pro fide servata. Non semper manebit mihi reposita, erit etiam tempus quo mihi reddetur.

In illa die. Notat istius rei tempus, diem nimirum illam maxime illustrem, qua apparebit & regnabit Christus ✝. 1. Hac enim die demum resuscitabuntur mortui, qui sane coronari vitæ æternæ corona non possunt, nisi resuscitentur.

Justus ille judex. Hoc addit ne de coronæ istius redditione ullum esset dubium. An enim judex ille justus coronam justitiæ non redderet? Annon redderet mihi quod meum est? Justitiæ enim est reddere suum cuique. Opponit autem tacite justum illum judicem injustis judicibus, qui Paulum injustissime damnarunt, & Christianos omnes damnant. Damnent ergo ut libet, pios & sanctos, veniet justus ille judex, qui eos non tantum absolvet damnatos, sed etiam justitiæ corona, propter hanc ipsam damnationem donabit. Justus judex non rigidum, sed rectum, & æquum significat judicem, qui clementer & benigna agit, nec bonis, ob aliquos defectus, sua denegat bona, ac destinata præmia.

Non tantum autem mihi. Ne quis putet aliorum Christianorum aliam hic esse rationem, qui cum Paulo non sint comparandi.

Sed etiam omnibus qui dilexerunt apparitionem ejus. Ad coronæ istius adeptionem cuilibet, etiamsi Paulo longe sit inferior, sufficit diligere apparitionem & adventum Christi. Non mihi tantum in illo die reddet coronam hanc Dominus, justus ille judex, sed etiam omnibus, nemine excepto, qui dilexerunt apparitionem

paritionem ejus. Non dicit, qui diligunt, sed qui dilexerunt. Multi enim jam non amplius diligunt, quia non amplius vivunt, sed dilexerunt quoad vixerunt, & qui diligunt mutari possunt, ut mox in Dema videbimus ℣. 10. Omnibus ergo qui dilexerunt, vel ad mortem, vel ad ipsam apparitionem, corona hæc reddetur, ipsorum itidem merito: (meriti enim vocem hic accipimus eodem quo mercedem illi respondentem sensu, qui gratiam non excludat, sed includat & supponat.) Nam qui apparitionem Christi diligunt, hi eandem etiam unice cupiunt ac desiderant, & de ea dies noctesque cogitant, qui vero tales sunt, iidem etiam sic vivunt, sic omnes actiones suas componunt, ut Christo sese probent, & ab eo inveniantur inculpati. Unum ponit Apostolus, sed quod secum trahit & reliqua ad salutem necessaria. Sic fidei, sic charitati, sic invocationi Domini, sic peccatorum confessioni, & aliis tribuitur salus æterna, quia omnia per quæ servamur, ita inter se conjuncta sunt & concatenata, ut uno posito, protinus ponantur, ac sese mutuo consequantur & reliqua. Docemur hoc loco Christianis simul omnibus, haud dubie majorem ad Dei gloriam in illo die & publico omnium conspectu redditum iri coronam pro laboribus. At si etiam ante hunc diem & ante resurrectionem, animarum tenus gaudiis perfruantur cælestibus, perinique fecit Apostolus, quod tanta gaudia reticuerit, quinetiam asserere fuerit ausus, si non detur resurrectio, actum esse de omnibus in Christo mortuis 1 Cor. xv. 30, 32.

Vers. 9. *Da operam ut venias ad me cito.* Infra dicit, *ante hyemem* ℣. 21. Hinc patet Paulum nondum fuisse damnatum, cum potuerit adhuc disponere ad se veniendi etiam sat remota tempora. Venisse Timotheum ad Paulum Romam, patet ex Epistola ad Col. 1. 1. Philemonem ℣. 1. Phil. 2. 19.

Vers. 10. *Demas enim me reliquit.* Discessit à me & deseruit me. Tu igitur veni, ut ejus locum suppleas.

Diligens hoc seculum. Id est præsentem hanc vitam, per metonymiam continentis. Verebatur miser ne sibi cum Paulo moriendum esset. Itaque amore vitæ, mortis metu subduxit se periculo. Erat autem Demas Pauli cooperarius ad Philemonem ℣. 24. Col. IV. 14. Quem tamen pœnitentia ductum ad Paulum rediisse iisdem ex locis colligitur. Discessit autem à Paulo ante Marci adventum, ut patet ex sequenti ℣. 10. At Marco postmodum præsente, adest & Demas Col. IV. 10, 14. Philem. ℣. 23, 24.

Et profectus est Thessalonicam. Ad ecclesiam haud dubie Thessalonicensem. Unde ad Paulum rediit, videns præsertim eum ex ore leonis ereptum fuisse ℣. 17.

Vers. 11. *Crescens in Galatiam.* Credo missus à Paulo ad ecclesias Galatiæ Gal. 1. 3.

Titus in Dalmatiam. Regionem Italiæ objectam, Euangelii haud dubie causa.

Lucas est solus mecum. Nam & cum Paulo Romam venerat, de quo Col. IV. 4. Philemonem ℣. 24.

Marcum assumens duc tecum. Consobrinum illum Barnabæ, quem Paulus aliquando assumi dedignabatur Act. XV. 38. *Est enim mihi valde utilis ad ministerium.* Sacrum ut puto. Voti autem istius compos factus est Paulus Col. IV. 10. Philem. ℣. 24.

Vers. 12. *Tychicum autem misi Ephesum.* Vide Eph. VI. 21, 22. Hinc patet Timotheum Ephesi tum non fuisse, nec Episcopum istic egisse. Cur enim hoc significaret Timotheo Ephesi agenti?

Vers. 13. *Penulam quam reliqui Troade, apud Carpum, veniens adfer.* Patet hinc, Epistolam hanc non ita multo post Pauli adventum Romam scriptam esse, an enim uno aut altero anno elapso penulæ meminisset Troade relictæ, & nunc primum de ea scriberet? Ideo quod supra dixit, de instante suo ex hac vita exitu ℣. 6, ita intelligendum videtur, ut Paulus ad statum in quo tum erat respexerit, in vinculis videlicet constitutus & sub Nerone. Cæterum hoc argumento est, Paulum, cum hæc sciberet, non fuisse in ea fortuna ut penulæ istius non indigeret, forte quod nondum ullum accepisset ab ecclesia aliqua subsidium. Vide Phil. IV. 10, & seqq.

Et libros, τὰ βιβλία. Credo κατ' ἐξοχὴν dicta, id est sacra, quorum Paulo creber usus, in docendo.

Maxime membrana. Quod in eis multa haberet scripta vel annotata, quorum jactura nullo alio exemplari reparari poterat.

Vers. 14. *Alexander ille faber ærarius.* Hoc addit Paulus ad differentiam, & in Alexandrum illum Satanæ traditum, de quo 1 Tim. VI. 20, quæ sequuntur non satis videntur quadrare.

Multa mihi mala exhibuit. An vero hoc posset facere homo Satanæ traditus? An illi tantum vacaret malis a propriis? Ita sane non tantum non dedidicisset non blasphemare, sed majores etiam sumsisset vires ad persequendum Paulum. Male profecto exercitus fuisset à Satana! Verisimilius videtur Alexandrum hunc, fabrum ærarium, eundem esse de quo Act. XIX. 33, qui in tumultu illo Ephesi contra Paulum excitato propellebatur a Judæis, ut contra Paulum ad populum peroraret, sed divina providentia tum effectum est, ne disertulus iste verba facere posset suspectus populo, & ab eodem loqui prohibitus, quod Judæus esset. Hic igitur fortassis Romam venit, & Pauli accusatorem egit, Paulumque criminatus, quantum potuit, omnes adversus eum concitavit.

Reddat ei Dominus, id est Christus, *secundum opera ejus.* Hoc non pravo affectu dixit Apostolus, sibi pro injuriis pœna mali hominis satisfieri cupiens; sed affectu justo ac recto, cupiens satisfieri gloriæ Christi, per hominem istum vehementer in Paulo læsę. Ideo nec dicit ulciscatur Dominus vicem meam, sed reddat ei secundum opera ejus: quasi dicat, ad opera ejus respiciat, non ad me, quod quia non intellexerunt quidam, veriti ne Paulus peccaverit animi impotentia, pro ἀποδῴη, *reddat*, legerunt hoc loco, ἀποδώσει *reddet*, quasi non æque vitiosum sit ex impatientia vaticinari alicui pœnam, quam imprecari; impatientia vero sublata non tam fas sit imprecari pœnam, quam polliceri.

Vers. 15. *Quem & tu cave.* Ubicunque scilicet in eum incideris. Non enim tibi magis parcet quam mihi.

Valde enim restitit nostris sermonibus. Id est communi nostræ doctrinę, de Christo, de gratia Euangelii erga omnes Gentes, criminatus a nobis ad seditiones ac rebelliones incitari, non tantum Ju-

dæos per annuntiationem regni Jesu, sed etiam Gentes universas Act. XVII. 6, 7, 8. Hæc autem & his similia, hominem Satanæ traditum, à quo flagelletur assidue, non arguunt.

Vers. 16. *In prima mea defensione*, ἀπολογίᾳ. In qua forte faber iste accusavit Paulum, eique perniciem fabricari conatus est. Apparet Paulum cito postquam Romam deductus esset ad tribunal Prætoris vocatum, causam dixisse accusantibus Judæis. Hanc suam Apologiam primam vocat, quia videbat imminere sibi secundum accusationem, priore etiam periculosiorem, in qua secundo sibi pro se dicendum esset, cujus respectu dicere supra potuit exitum sibi impendere ex hac vita.

Nemo mihi adfuit. Ex amicis nimirum & fratribus in Christo, ut me scilicet ad judicium comitaretur & mihi adsisteret.

Sed omnes me deseruerunt. Metu nimirum periculi, quo forte tempore & Demas ita consulendum sibi putavit, ut etiam Roma Thessalonicam usque sese proriperet ℣. 10, cæteris tamen Romæ manentibus. Idem Paulo accidit, quod ante Domino ipsi, id est Christo evenerat.

Ne ipsis imputetur. Id est, rationi ducatur ad solvendas pro hoc facto pœnas. Contraria superiori adversus Alexandrum fabrum ærarium precatio. Nimirum quia hic infirmitas erat, illic improbitas ac malitia summa. Eos tamen solos intelligit Apostolus, qui sibi in judicio allevamento aliquo poterant esse, non quos ipse forte volebat abiisse. Hi enim deseruisse Paulum dicendi non sunt.

Vers. 17. *Dominus autem mihi adfuit*. Non deseruit me, ut omnibus me deserentibus tanto conspectior & illustrior esset ejus præsentia. Habent quo se solentur servi Christi, si in periculo deseruntur ab omnibus fratribus. Non deserit illos Dominus.

Et corroboravit me. Per spiritum nimirum suum, animum & parrhesiam mihi largiens.

Ut per me prædicatio certissima redderetur. Ita prædicationem nostram, id est Euangelium exposui, ita illud argumentis & rationibus munivi, ita rem deduxi, ut ad certitudinem ac fidem ei faciendum nihil deesset.

Et audirent omnes Gentes. Id est, omnium Gentium homines, per synecdochen totius, qui Romam tanquam ad Dominam undique confluebant, & judiciis aderant, exciti præsertim tam novo & insolito judicio cum Paulus ad tribunal duceretur. Et ideo Dominus Paulum Romam duci voluit captivum, ut in illo Gentium omnium compendio causam diceret pro Euangelio.

Et liberatus sum ex ore Leonis. Hic fuit illius meæ defensionis & apologiæ exitus, ut ejusdem Domini nostri Jesu Christi beneficio liberarer ex ore leonis. Nemo me non habuit pro perdito, non secus ac eum, quem jam corripuit leo, & qui hæret in ore ac faucibus leonis, sed Dominus in cujus manu sunt omnia liberavit me ex tanto periculo. Effecit ut apologia mea mitigaretur ira ac feritas Leonis, ne tum in me sæviret. Ampliavit causam meam, nimirum quia Dominus voluit ut & Paulus adhuc ampliaret Euangelium, quod & summa cura fecit Actor. XXVIII. 30, 31. Leonis nomine designat Neronem, vel quod eodem recidit, Neronianum judicium. Fortasse enim Paulus ante Neronem ipsum adductus non fuit. In additamentis orat Ester; *Memento Domine, ut te notum facias in calamitate nostra, & da mihi audaciam, ô Rex Gentium, qui dominaris in omnes principes, da sermonem decentem in ore meo, ante oculos Leonis, & immuta cor ejus* &c, cap. XIV. 14. Hoc tum Paulo evenit.

Vers. 18. *Et liberabit me Dominus*, id est Christus, *ab omni opere malo*. Quasi dicat, etiamsi me non liberet semper ex ore leonis, & morte cruenta, aut relinquat in vinculis & aliis afflictionibus propter Euangelium suum; at liberabit me ab omni malo opere. Mala pati propter Christum & veritatem ejus malum non est, at male agere malum est, ab hoc malo liberabit me Dominus, dummodo nec ipse mihi unquam desim.

Et servabit in regnum suum illud cæleste. Nempe ab omni opere malo liberatum, hoc enim debet præcedere. Hoc cum præcedet, etiamsi vinciar, etiamsi cædar, etiamsi occidar, & quicquid malorum est patiar, servabit me ex malis omnibus & ex ipsa morte, ut me transferat in Regnum suum cæleste, cujus respectu omnia hujus mundi regna, & Romanum Imperium nihil sunt. *Cui*, nempe, Christo,

Gloria in secula seculorum. Intellige *sit*, id est tribuatur, qui gloria & laudibus, quam diu secula erunt, extollatur. Vide Christo divinum cultum & honorem ab Apostolo tributum. In Christo enim colitur & adoratur ipse Deus.

Amen! Ita fiat!

Vers. 19. *Saluta Priscam & Aquilam*. Hos quidem Paulus Ephesi reliquerat Actor. XVIII. 19, sed supra ℣. 12 vidimus Timotheum Ephesi non fuisse, arante hanc ad ipsum Epistolam Paulo, & si Ephesi erat, cur hos tantum & Onesiphori domum istic salutare juberet? Nisi quis alios non salutari dicat tanquam à Paulo aversos cap. I. 15. Credibilius est Priscam & Aquilam, etsi in Asia, tamen jam alibi quam Ephesi cum Timotheo fuisse. Solebant enim sæpe locum mutare, & prout se dederit occasio Christi ministris inservire.

Et Onesiphori domum. Vide cap. I. 16.

Vers. 20. *Erastus mansit Corinthi*. Hic Erastus præmissus erat Epheso in Macedoniam cum Timotheo Actor. XIX. 22, ex quo itinere, si Corinthum profectus erat, ignorare id Timotheus non potuit, qui etiam redierat ad Paulum Actor. XX. 4. Profectum ergo eum Corinthum esse scivit, sed ab eo tempore nondum ad Paulum rediisse & Corinthi mansisse, nescire poterat: hoc ei significat Apostolus. Retinuit hominem urbs cujus erat œconomus Rom. XVI. 23, præsertim cum audiret de calamitate Pauli.

Trophimum autem. Quem secum ex Asia duxerat Hierosolymis.

Reliqui in Mileto ægrotantem. Erastus ipse remansit; hic autem à me relictus est ægrotans. In Mileto relinqui non potuit. Miletum enim transiit Paulus, Hierosolyma tendens Act. XX. 15, 17, & Trophimus cum Paulo Hierosolymis conspectus est Act. XXI. 29. Unde Paulus vinctus & Romam ductus Miletum non attigit, sed attigit Meliten Act. XXVIII. Hic ergo Paulus

Paulus Trophimum ægrotantem reliquit, ideoque librariorum errore pro Meliti, scriptum est Mileti. Hæc Paulus nuntiat, ut Timotheus acceleret adventum suum ad Paulum, quem viderat ita ab omnibus fere comitibus & ministris esse destitutum. Hæc quoque recentem tum Pauli Romam adventum arguunt, ut quid Erasto vel Trophimo deinceps sit factum, necdum scire vel Paulus ipse, vel Timotheus posset. Miretur aliquis Trophimum à Paulo sanatum non fuisse, qui eadem in Insula tot aliorum morbos sanaverit Act. xxviij. 8, 9. Nimirum quia, quod Paulus de linguis dixit 1 Cor. xiv. 22, id etiam de sanationibus dicendum est, eas in signum datas fuisse, non credentibus, sed non credentibus. Qui non habet opus ut credat, qualis erat Trophimus, non habet etiam opus ut miraculose sanetur. Nam ut alii credant, aliorum etiam quam credentium miraculosis sanationibus adduci poterant ac debebant, Christianis jam satis superque constat se Deo & Christo curæ esse, proinde non inviti sese continent intra naturæ modum.

Vers. 21. *Da operam ut ante hyemem venias.* Quasi dicat, quandoquidem me ita desertum vides, nec vellem iter tuum in hyemem extrahi propter incommodam navigationem.

Salutat te Eubulus & Pudens, & Linus. Qui postea Romæ dicitur fuisse Presbyter.

Et Claudia, & fratres omnes. De Petro nihil, qui tamen jam tum idque ab annis compluribus Romæ fuisse narratur. An ergo Eubuli, Pudentis & Lini & Claudiæ, & fratrum omnium potius esset mentio quam Petri?

Vers. 22. *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo.* Intellige *sit.* Per Spiritum nimirum suum Sanctum.

Gratia vobiscum. Intellige *sit. Amen!* Hæc sua manu Paulus adscripsit in signum Epistolæ à se scriptæ. Vide 2 Thess. iij. 17, 18. Col. iv. 18. Quod Epistolæ subscribitur, per ipsam Epistolam refutatur, in qua Timotheus dicitur à Paulo Euangelista ℣. 5, qui major erat Episcopo, nec secundæ adductionis Pauli ante Cæsarem Neronem ulla in hac Epistola mentio. Decepit homines non satis attentos primæ Apologiæ mentio ℣. 16, & quod scribat, se jam libari, ac tempus abitûs sui, nempe ex hac vita, jam instare ℣. 6. Itaque putaverunt Epistolam hanc scriptam esse cum secundo sisteretur coram Nerone. Atqui nondum erat in hac angustia Paulus, qui Timotheum ad se venire jubeat, tempus etiam definiat, ut det operam, quo ante hyemem veniat, aliaque in hac Epistola extent, quæ eam circa principia Paulini Romam adventus scriptam esse arguant, ut suis locis annotavimus. Et satis aliunde constet Timotheum Epistola hac evocatum Romam ad Paulum venisse, cumque eo istic versatum esse. Lucas etiam narret in fine Actuum Apostolicorum, Paulum in proprio conducto, totum biennium egisse, & regnum Dei prædicasse sine ulla inhibitione. Ita & hic exemplum habemus, quam sint fallaces hominum traditiones, & quam sæpe Scripturis superstruantur nullo suo merito. AMEN.

COMMENTARIUS IN *Epistolam Apostoli* PAULI AD TITUM.

CAPUT I.

Vers. 1. P*Aulus servus* Dei, quasi dicat, non ur Judæi criminantur, apostata à Deo, *Et Apostolus Jesu Christi.* Quasi dicat, talis servus Dei qui simul est & Apostolus Jesu Christi: non enim hæc sunt dissentanea, sed maxime consentanea. Inter Deum & Christum ejus, maximus est consensus & unitas.

Secundum fidem electorum Dei. Quasi dicat, non secundum Legem Mosaicam, qui scilicet Legem Mosaicam sectaretur & doceret; sed secundum fidem electorum Dei, id est, qui sectetur & doceat fidem quam electi Dei habent, & propter quam electi sunt. Hæc autem est fides in Deum per Christum ejus, qui Jesus est. Similem loquendi rationem habes 2 Tim. 1. 1.

Et cognitionem veritatis. Id est qui habeat & doceat cognitionem veritatis.

Quæ secundum pietatem est. Quasi dicat, non cujusvis veritatis cognitionem, sed ejus quæ tota refertur ad pietatem & cum ea penitus conspirat. Veritatem intelligit Euangelii.

Vers. 2. *Super spe vitæ æternæ.* Quasi dicat, non quamvis pietatem, sed eam quæ fundatur super spe vitæ æternæ, id est pietatem Christianam. Significat solos Christianos certam notitiam & spem vitæ æternæ habere, ut & mox docet.

Quam promisit, mentiri nescius Deus, ante tempora secularia. Id est promittere decrevit & constituit ante mundum & secula condita. Nam quæ Deus facere constituit, jam fecisse dicitur. Vide similem locutionem 2 Tim. 1. 9. Eph. 1. 4. Propterea & Joannes dicit, *vita erat apud Patrem*, id est vitæ æternæ promissio, seu de ea promimittenda decretum 1 Joan. 1. 2.

Manifestavit autem temporibus propriis. Id est à se definitis, post mundum conditum.

Vers. 3. *Sermonem suum.* De vita scilicet æterna danda omnibus credentibus in Jesum Christum: quem sermonem in suo secreto consilio destinaverat antequam secula conderet. Male hæc verba dirempta sunt à superioribus. Significat hunc sermonem antea non fuisse manifestatum. Ideo & Joannes, dicto loco: *Et vita manifestata est*, inquit, *& vidimus & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & manifestata est nobis.* Hinc & Jesum Christum *sermonem* ibidem appellat *vitæ* ℣. 1, quod per eum vita æterna sit manifestata.

In prædicatione. Id est per prædicationem. Prædicari curavit publice & inter omnes gentes hunc suum sermonem. Nimirum mentiri nescius Deus quod apud se promiserat, effectu & rebus ipsis explevit, ut promissionem hanc manifestaret, & publice prædicari ac proclamari temporibus à se constitutis faceret. Eandem veracitatem quam in vitę ęternę promissione exhibenda pręstitit, etiam in ipsa vita ęterna exhibenda, suis item temporibus, haud dubie pręstabit.

Quæ concredita est mihi. Nimirum ut inter omnes gentes prędicem. Vide 1 Tim. 1. 11, 17. 2 Tim. 1. 11. Frustra igitur sunt, qui ante Christum vitę promissionem ęternę manifestatam fuisse contendunt.

Secundum imperium Servatoris nostri Dei. Ne quis putet hoc citra Dei imperium esse factum. Secundum Dei imperium hoc factum est, inquit, à Christo: idcirco etiam Deum Servatorem nostrûm omnium appellat, quod ipse primus & princeps auctor sit salutis nostrę, & quod quę Christus faciat, secundum imperium ejus faciat. Vide hinc discrimen inter Deum & Christum. Quia vero locus iste docet, clarum & publicum vitę æternę nuntium, non ante allatum ac manifestatum esse, quam per Euangelii prędicationem; patet hinc pietatem, sub spe æternæ vitæ, certo & claro Dei verbo innixâ, solis Christianis esse propriam, ideoque & omni alia pietate longe perfectiorem. Vide quam sese undique divinitas exerat doctrinæ Christianæ! De hac spe,

COMMENTARIUS IN Epistolam Apostoli PAULI AD TITUM.

CAPUT I.

Vers. 1. PAulus servus Dei, quasi dicat, non ut Judæi criminantur, apostata à Deo, *Et Apostolus Jesu Christi*. Quasi dicat, talis servus Dei qui simul est & Apostolus Jesu Christi: non enim hæc sunt dissentanea, sed maxime consentanea. Inter Deum & Christum ejus, maximus est consensus & unitas.

Secundum fidem electorum Dei. Quasi dicat, non secundum Legem Mosaicam, qui scilicet Legem Mosaicam sectaretur & doceret; sed secundum fidem electorum Dei, id est, qui sectetur & doceat fidem quam electi Dei habent, & propter quam electi sunt. Hæc autem est fides in Deum per Christum ejus, qui Jesus est. Similem loquendi rationem habes 2 Tim. 1. 1.

Et cognitionem veritatis. Id est qui habeat & doceat cognitionem veritatis.

Quæ secundum pietatem est. Quasi dicat, non cujusvis veritatis cognitionem, sed ejus quæ tota refertur ad pietatem & cum ea penitus conspirat. Veritatem intelligit Euangelii.

Vers. 2. *Super spe vitæ æternæ*. Quasi dicat, non quamvis pietatem, sed eam quæ fundatur super spe vitæ æternæ, id est pietatem Christianam. Significat solos Christianos certam notitiam & spem vitæ æternæ habere, ut & mox docet.

Quam promisit, mentiri nescius Deus, ante tempora secularia. Id est promittere decrevit & constituit ante mundum & secula condita. Nam quæ Deus facere constituit, jam fecisse dicitur. Vide similem locutionem 2 Tim. 1. 9. Eph. 1. 4. Propterea & Joannes dicit, *vita erat apud Patrem*, id est vitæ æternæ promissio, seu de ea promimittenda decretum 1 Joan. 1. 2.

Manifestavit autem temporibus propriis. Id est à se definitis, post mundum conditum.

Vers. 3. *Sermonem suum*. De vita scilicet æterna danda omnibus credentibus in Jesum Christum: quem sermonem in suo secreto consilio destinaverat antequam secula conderet. Male hæc verba dirempta sunt à superioribus. Significat hunc sermonem antea non fuisse manifestatum. Ideo & Joannes, dicto loco: *Et vita manifestata est*, inquit, *& vidimus & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & manifestata est nobis*. Hinc & Jesum Christum *sermonem* ibidem appellat *vitæ* ℣. 1, quod per eum vita æterna sit manifestata.

In prædicatione. Id est per prædicationem. Prædicari curavit publice & inter omnes gentes hunc suum sermonem. Nimirum mentiri nescius Deus quod apud se promiserat, effectu & rebus ipsis explevit, ut promissionem hanc manifestaret, & publice prædicari ac proclamari temporibus à se constitutis faceret. Eandem veracitatem quam in vitę ęternę promissione exhibenda pręstitit, etiam in ipsa vita ęterna exhibenda, suis item temporibus, haud dubie pręstabit.

Quæ concredita est mihi. Nimirum ut inter omnes gentes prędicem. Vide 1 Tim. 1. 11, 17. 2 Tim. 1. 11. Frustra igitur sunt, qui ante Christum vitę promissionem ęternę manifestatam fuisse contendunt.

Secundum imperium Servatoris nostri Dei. Ne quis putet hoc citra Dei imperium esse factum. Secundum Dei imperium hoc factum est, inquit, à Christo: idcirco etiam Deum Servatorem nostrûm omnium appellat, quod ipse primus & princeps auctor sit salutis nostrę, & quod quę Christus faciat, secundum imperium ejus faciat. Vide hinc discrimen inter Deum & Christum. Quia vero locus iste docet, clarum & publicum vitę ęternę nuntium, non ante allatum ac manifestatum esse, quam per Euangelii prędicationem; patet hinc pietatem, sub spe æternæ vitæ, certo & claro Dei verbo innixâ, solis Christianis esse propriam, ideoque & omni alia pietate longe perfectiorem. Vide quam sese undique divinitas exerat doctrinæ Christianæ! De hac spe,

tanquam Christianis propria loquitur & Petrus 1 Petr. 1.1.15.

Vers. 4. *Tito germano filio.* Æquatur Timotheo 1 Tim. 1. 1. *Secundum communem fidem.* Quasi dicat, etsi non secundum carnem; sed quod multo plus est secundum communem fidem, fidem nimirum sanctissimam, fidem in Christum Jesum, quam ℣. 1 dixit fidem electorum Dei, quæ Christianis omnibus, etsi gente & natione & linguis ac ritibus discriminatis, (nam & Titus erat Græcus, ideo nec circumcisus Gal. 2. 3) communis est. Cujus respectu, quia Paulus Titum generarat, ideo ejusdem respectu filium appellat, eumque germanum: quod Paulum in eadem fide ejusque doctrina singulariter referret.

Gratia, misericordia, pax. (Ex ubere, sicut & ad Timotheum, in utraque epistola, affectu,) intellige sit.

A Deo Patre, & Domino Jesu Christo, Servatore nostro. Nobis scilicet à Deo dato, & per quem nos servat Deus Pater, primus salutis nostræ auctor ℣. 3.

Vers. 5. *Hujus gratia reliqui te in Creta.* Adhuc scilicet, ut te non revocarim inde. Paulum enim ipsum in Creta fuisse, ex Actis ejus, a Luca descriptis, non apparet; sed per hunc ipsum Titum fortassis Euangelii messem in Creta fecerat.

Ut reliqua. Quæ scilicet adhuc a te vel ab aliis perfecta non sunt.

Ordinares, ἐπιδιορθώσῃ, dirigeres. Nam corrigendi significatio locum non habet in nova & recenti ecclesia.

Et constitueres secundum civitatem, nempe quamque in qua ecclesia est Christiana, *Seniores.* Ad regendam scilicet ecclesiam. Qui Seniores dicti sunt, quia plerumque ex ætate provectioribus sumebantur. Hoc unum erat ex præcipuis quæ illic adhuc ordinanda restabant.

Sicut ego tibi præcepi. Id est ad præceptum ac præscriptum à me modum. Memoria & respectus præcepti Christi haud dubie effecit ne appellarentur patres. Et tamen sequentibus seculis ecclesia patribus adeo repleta est, ut unus etiam sit qui absolute & κατ' ἐξοχὴν Pater vocetur. Nimirum & hoc signum ac pars est illius quæ invasura ecclesiam erat corruptionis.

Vers. 6. *Si quis est inculpatus.* Exponit hunc modum à se præceptum, ne quidquam contra eum peccetur.

Unius uxoris vir. Vide 1 Tim. iij. 2.

Liberos habens fideles. Id est fide in Christum præditos, si scilicet liberos habeat. Præsumitur enim uxoratum hominem, annis provectum, & liberos habere, & ejus ætatis, ut in Christum credere possint.

Non in accusatione intemperantiæ. Id est qui non accusentur intemperantiæ, non laborent hac fama, qua nullius hominis Christiani liberi laborare debent, multo minus Senioris ecclesiæ.

Aut inobedientes. Nempe patri. Nam cui liberi non obediunt, quomodo obediet ecclesia.

Vers. 7. *Oportet enim Episcopum.* Quem ante dixit Seniorem, nunc Episcopum dicit. Iidem enim erant Apostolorum tempore Presbyteri & Episcopi. Posteriorum temporum ambitio, gradus fecit, & nomina hæc distinxit, multaque alia excogitavit nova, Apostolorum inaudita temporibus.

Inculpatum esse. Causam exponit superioris præcepti Timotheo dati, quilibet Christianorum inculpatus esse debet, quanto magis Episcopus? patet hinc, *Unius uxoris virum*, sic accipi debere, ut ejus contrarium, crimine & culpa in quolibet non vacet.

Tanquam Dei dispensatorem. Ecclesia Dei domus est. Episcopus est in hac Dei domo dispensator, in id constitutus, ut cuique dispenset quod saluti ejus conducat. Quis ergo non videat dispensatorem Dei qui sanctissimus est, & sanctitas ipsa, omni crimine vacare debere?

Non arrogantem. Recenset plura quibus vacare debet, μὴ αὐθάδη, non sibi ipsi placentem, ut solent qui Dei donis præ cæteris instructi sunt, qui si etiam ad Episcopatum promoveantur, intolerabiles evadunt.

Non iracundum. Non facilem irasci. Turpe vitium est iracundia, in Episcopo præsertim, quem gravitas omnis decet; & magnum impedimentum in exercendis Episcopi muniis.

Non vinosum. Nam & vinum animum alienat, non minus quam iracundia.

Non percussorem. Ut iracundi & vinosi solent.

Non turpis lucri sectatorem. Non fœneratorem, non res suas cum turpitudine aliqua augentem, non sordidum, non vitiose parcum.

Vers. 8. *Sed hospitalem.* Liberalem erga hospites & advenas.

Amantem bonorum. Liberalem & beneficum erga bonos; quorum utrumque avaritiæ & turpis lucri sectationi opponitur.

Temperantem. Quod opponitur ebriositati & violentiæ.

Justum. Nemini injurium, nullius percussorem.

Sanctum. Nullo vitio pollutum.

Continentem. Castum.

Vers. 9. *Adhærentem secundum doctrinam*, id est in doctrina, *fideli sermoni.* Id est qui in doctrina fideli sermoni adhæreat, id est sermoni vero, neminem fallenti, fide digno, à Deo & Christo per Spiritum Sanctum tradito, non sit hæreticus, non habeat ullam falsam & errantem opinionem in doctrina sua.

Ut potens sit & adhortari in doctrina sana. Id est per doctrinam sanam, nihil morbosi in se habentem, totam ad veram pietatem directam. Vide 2 Tim. 1. 13.

Et contradicentes, nempe Christianæ veritati, *arguere.* Id est coarguere.

Vers. 10. *Sunt enim multi & refractarii.* Quasi dicat, iique refractarii, cedere nolentes.

Vaniloqui. Qui vana loquuntur.

Et mentium deceptores. Qui hominum mentes decipiunt ac deludunt vanis & falsis sermonibus ac dogmatis.

Maxime qui ex circumcisione sunt. Id est ex Judæis. Circumcisio pro circumcisis.

Vers.

Verſ. 11. *Quibus oportet os obturare.* Ut ne hiſcere quidem amplius poſſint.

Qui. Totas domos evertunt. Quaſi dicat, ut proinde penitus confutandi ſint ne, tanta dent damna. Vide 2 Tim. III. 6, 7.

Totas domos. Id eſt totam in domo familiam exitio dant.

Docentes quæ non oportet. Ut Jeſum non eſſe Chriſtum, ex Lege, & per circumciſionem, ac ritus Legis quærendam eſſe juſtificationem ac ſalutem, hos qui ſervet, hunc ſalvatum iri, etiamſi de cætero licentiùs vivat & carni indulgeat. Cujus generis complura ſunt inter Chriſtianos dogmata, omnia ad certam ſpem ſalutis, ſine vera pietate, hominibus faciendam comparata.

Turpis lucri gratia. Tantum ob lucrum fœdum ac turpe. Quid enim fœdius ac turpius eſſe poteſt hoc lucro quod petitur ex doctrina ſalutem hominum evertente? Nimirum blanda docent, ſed peſtifera. Vide 2 Petr. 2. 3, 18, 19.

Verſ. 12. *Dixit quidam ex eis.* Cretenſibus videlicet. Citat dictum Epimenidis de moribus gentis. Tranſit enim à Doctoribus falſis, ad gentem.

Proprius ipſorum Propheta. Quaſi dicat, ut teſtimonium ejus rejicere non poſſint. Nam & gentilis eorum fuit, & ab ipſis pro vate habitus.

Cretenſes ſemper mendaces. Infamis ſemper hoc vitio Creta.

Malæ beſtiæ. Per metaphoram, quod ſint ſimiles malis & noxiis beſtiis, puta viperis, & his ſimilibus.

Ventres pigri. Et hoc per metaphoram, quod ſint ventribus ſimiles, qui otioſi jaceant, & interim omnia conſumant, ut Menenius in ſuo dixit ad populum Romanum apologo. Homines eos ignavos & otioſos eſſe ſignificat, & fruges tantum conſumere natos. Ut ita minime ſit mirum falſos doctores in tali gente diſcipulos facile invenire.

Verſ. 13. *Teſtimonium hoc eſt verum.* Quaſi dicat, tales omnino ſunt Cretenſes, veracem ſe in hoc ſuo dicto præſtitit iſte ipſorum Propheta.

Propter quam cauſam. Cum tales ſint Cretenſes.

Argue ipſos præciſè, ἀποτόμως. Id eſt ſevere, vide 2 Cor. xiij. 10, ἀποτομία *Severitas* Rom. xi. 22, cum ſcilicet aliquid delinquunt. Degeneres animi & ſervilia ingenia ſevere tractanda ſunt ab iis quos decet ſeveritas, qualis erat Titus. Agit nunc Apoſtolus de Chriſtianis Cretenſibus qui in eccleſia erant, non de falſis doctoribus qui erant extra eccleſiam.

Ut ſani ſint in fide. Id eſt fide, ut cap. 2. 2. Particula *in* redundat, more Hebræo, ut ſanam habeant fidem, ut nihil vani credant, nihil quod veræ pietati noxium ſit, ut credant ea, & ſola, & omnia, quæ ſanæ & ſecundum pietatem doctrinæ ſunt, id eſt quæ didicerunt in Chriſti Euangelio.

Verſ. 14. *Non attendentes.* Id eſt aures & animum non præbentes,

Judaicis fabulis. Quaſi dicat, ſi enim fabulis crederent, ſanam non haberent fidem. Judaicas dicit, non quod ullis aliis fabulis credendum ſit; ſed quod à Judæorum fabulis tum præcipue periculum eſſet. Nunc etiam inter Chriſtianos fabularum eſt affatim, quibus ut Judæi olim ſuos ritus, ſic hodie Chriſtiani ſuos commendant. In ſpeculo quod vocant ſanctorum multas collectas qui volet inveniet. Vide 2 Tim. IV. 4. 1 Tim. 1. 4.

Et præceptis hominum averſantium veritatem. Fabulæ ad fidem, præcepta ad actiones pertinent. Fabulæ fidem non merentur, præcepta hominum veritatem averſantium, executionem. Intelligit autem veritatem quam docet Euangelium, ſpiritu nimirum Deo ſerviendum eſſe, non per ritus, non per abſtinentiam ab his aut illis cibis. Hanc veritatem præcipue Judæi averſabantur & adhærebant ſuæ legi, quæ quia rituum reſpectu, maxima ex parte gentibus lata non fuit, & allata veritate Euangelii, evaneſcere debuit; recte omnia ritualia, quamvis olim à Deo præcepta, quanto magis nunquam præcepta, hominum eſſe dicuntur veritatem averſantium. In Chriſto Jeſu, veritatis perfectæ magiſtro, nihil valet, niſi fides per charitatem operans, & quidquid ſua natura verum, juſtum ac rectum eſt.

Verſ. 15. *Omnia quidem pura puris.* Quaſi dicat, diſtinguunt iſti homines inter pura & impura, & præcipiunt ut abſtineatur ab impuris, ego vero dico omnia quidem pura eſſe puris, id eſt fidem in Chriſtum habentibus & ſecundum eam viventibus, ut fruſtra ſint iſti homines qui iis aliquid impurum ineſſe dicunt.

Pollutis autem. Per varia nimirum vitia & peccata.

Et infidelibus. Id eſt à fide in Chriſtum averſis, quales iſti ſunt.

Nihil purum. Omnia illis ſunt impura, ut proinde nequicquam pura ab impuris diſcriminent.

Sed polluta eſt ipſorum & mens. Falſis nimirum ac pernicioſis opinionibus, & eo ipſo quod Euangelio non credant.

Et conſcientia. Malis & improbis factis: quaſi dicat, ut propterea nihil purum illis eſſe poſſit.

Verſ. 16. *Deum confitentur noſſe.* Id eſt ſe noſſe, activum pro reciproco. Probat per proleþſin quod de iis aſſeruit: quaſi dicat, nam ſi quis objiciat iſtos homines Deum noſſe, reſpondeo illos quidem id ore confiteri, ſed operibus negare, quibus multo plus fidei tribuendum eſt quam verbis. An ergo qui Deum non novit, pollutam non habet mentem & conſcientiam?

Cum ſint abominabiles. Operibus nimirum ac factis ſuis, maxime perſequendo pios. Probat quod dixit de operibus.

Et inobedientes. Nempe Deo, credere nolentes Euangelio, vide 1 Theſſ. 2. 15, 16.

Et ad omne opus bonum reprobi. Nulli ſunt uſui ad ullum opus bonum reprobi, ut nummi adulterini. Intelligit autem opus quod vere bonum eſt, ſeu quod ſolius Dei cauſa fiat, etiam cum omnium rerum aliarum ipſiuſque vitæ diſpendio. An vero qui tales ſunt, licet ore dicant ſe Deum noſſe, quod ore dicunt, operibus non refutant? Dei cultores igitur profeſſione ſunt, reipſa Athei, ſeu ut alibi loquitur, Deus illorum eſt venter Phil. III. 19. Et φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι 2 Tim. III. 4.

CAPUT

CAPUT II.

Vers. 1. **T**U *vero loquere quæ decent sanam doctrinam.* Opponit Titum falsis illis doctoribus: quasi dicat,

Tu vero. Qui homo es Dei,

Loquere, id est doce, *quæ decent sanam doctrinam.* Quæ tota composita est ad veram pietatem, in qua nihil morbosum, nihil falsum, ineptum, superstitiosum, inutile, nulla imperfectio, omnia sana, vera, sancta, perfecta. Vide cap. 1. 9.

Vers. 2. *Senes vigilantes esse.* Id est ut senes sint vigilantes. Non loquitur de Senioribus ecclesiæ, de quibus jam egit cap. 1, sed de senibus in ecclesia, quibus infra juniores opponit, itidem ætate, non officio vel statu. Exponit quæ sanam doctrinam deceant, ut hinc argumentum capi possit, sanam doctrinam esse, quæ tota comparata est ad veras virtutes animis inserendas. Νηφάλιος hoc loco vigilantem significat, ut 2 Tim. IV. 5, non sobrium: sequitur enim σώφρονας, temperantes. Decet senes vigilantia. Ideo & sanam doctrinam decet, ut senes jubeat esse vigilantes & somni parcos.

Graves, σεμνούς. Ut nihil in illis sit leve, nihil indecorum.

Temperantes. Id est sobrios & castos.

Sanos fide. Quasi dicat, si corpore sani non sint; nam & senectus ipsa per se morbus est; fide tamen ut sani sint, ut fide non sint morbosi, fide nimirum Christiana: vel non satis firmam habentes fidem, vel credentes quod credi non debeat, vel non credentes quod oporteat credi.

Charitate. Ne quidquam eis ad charitatem desit.

Patientia. Ne quidquam eis desit ad patientiam.

Vers. 3. *Senes.* Nempe fœminas, πρεσβύτιδας, non officio, sed ætate, ut supra cum ageretur de viris. Nec solas viduas intelligit, sed & maritatas.

Similiter in habitu. Id est habitu: præpositio *in* redundat ex Hebraismo.

Sancte decentes. Non simpliciter decentes, sed ἱεροπρεπεῖς, ita decentes ut sanctis fœminis convenit. Omnes enim Christiani Deo sacrati sunt.

Non calumniatrices. Vitium familiare mulieribus. Hinc monitum illud, *non temere uxori de servis credere querenti.*

Non multo vino mancipatas. Ut solent seniculæ, ex vino ultra quam oportet calorem quærere.

Recta docentes. Et sermone videlicet & exemplo. Utrumque senes fœminas decet. Nam ætas, & prudentiam largitur, & affectus reddit moderatiores.

Vers. 4. *Ut doceant.* ἵνα σωφρονίζωσι

Juvenes. Mulieres videlicet. Exponit quæ docere debeant.

Amantes virorum esse. Nempe propriorum, quibus nupserunt, non quærere divortia, iisque causam dare.

Amantes liberorum. Multæ enim viros amant, liberos non amant.

Vers. 5. *Temperantes.* Id est sobrias.

Puras. Id est castas.

Domum curantes. Habent enim semper quod agant domi.

Benignas, ἀγαθάς. Non iracundas, beneficas.

Subjectas propriis viris. Viro enim Deus in uxorem dedit imperium.

Ne sermo Dei. Id est doctrina Christiana,

Blasphemetur. Id est conviciis laceretur, à maritis videlicet infidelibus, & ab aliis. In doctrinam enim Christianam, adversariorum malitia & iniquitate, redundat quidquid ab illius professoribus peccatur. Hoc ergo ne fiat, ab omni culpa abstinendum est. Suas enim contumelias in nobis ulcisceretur Deus.

Vers. 6. *Juniores similiter adhortare ut temperantes sint.* Id est & sobrii & casti. Prona enim est ad voluptates juventus, quibus utatur sane, sed salva temperantia.

Vers. 7. *Circa omnia*, id est in omnibus, *teipsum exhibens typum bonorum operum.* Ut simul doceas & exemplo. Frustra enim alios virtutem docet, quam ipse negligit.

In doctrina integritatem. Intellige & hic, & in seqq. ἀπὸ κοινοῦ *Exhibens* ἀδιαφθορίαν. Id est vacuitatem ab omni corruptione & mutatione.

Gravitatem. Ut in docendo sis gravis & venerandus.

Vers. 8. *Sermonem sanum.* Id est verum, pietati utilem, nullo defectu laborantem.

Qui damnari nequeat. Exponit prius.

Ut qui ex adverso (est) *pudefiat, nihil habens quod de vobis loquatur malum.* Pudefiunt enim adversarii, cum nihil in doctrina nostra inveniunt, quod damnare & quo nos traducere possint. Hoc evenit in confessione nostra Christiana catholica: in qua nihil magis offendit & in furorem egit adversarios, quam quod eam ullius blasphemiæ & erroris damnare nequirent.

Vers. 9. *Servos propriis dominis subjectos esse.* Exponit quid servos docere debeat; non, ut Christiani facti solutos se putent servitute; sed ut tanto magis subjecti sint. Christi disciplina non tollit status seculo necessarios, sed perficit in omnibus.

Acceptos esse, εὐαρέστους εἶναι. Ita se gerere ut in omnibus ad placitum sint dominorum suorum.

Non contradicentes. Ut solent responsatores.

Vers. 10. *Non intervertentes.* Quod servis facere est usitatum. Unde nunc fures dicuntur, cum primitus hoc nomine vocarentur servi.

Sed fidem omnem demonstrantes bonam. Ut Domini videant omnia eos bona fide agere.

Ut doctrinam Servatoris nostri Dei ornent in omnibus. Nempe quæ agunt. Christi doctrinam intelligit, quæ Deum habet auctorem, quia Christus à Deo missus est. Hæc doctrina ornatur à servis Christianis, cum per eam longe meliores fiunt, & ipsorum domini coguntur fateri, se per Christi disciplinam nactos esse servos omnium optimos.

Vers. 11. *Apparuit enim gratia Dei salutaris omnibus hominibus.* Causam reddit cur Deum Servatorem nostrum dixerit, communem omnium hominum Servatorem intelligens, & cur vicissim omnes homines, sive sint viri, sive fœminæ, sive senes,

ſenes, ſive juvenes, ſive liberi, ſive ſervi, ſancte vivere debeant in poſterum.

Apparuit enim, inquit. Ἐπεφάνη, cælitus nimirum, tanquam lucidiſſimum & clariſſimum ſydus: apparuit per Euangelium.

Gratia Dei ſalutaris. Id eſt ſalutifera, tanquam ſydus ſalutiferum.

Omnibus hominibus. Non certis tantum, ſed omnibus in univerſum, utriuſque ſexus, cujuſcunque gentis & conditionis, ne quis eam ad ſolam Iſraëliticam gentem reſtringat, ut erat Lex olim. Quæ gratia in eo eſt quod velit omnes homines ſalvare; id eſt æternæ vitæ facere participes per fidem in Chriſtum Jeſum. Quia vero omnibus hominibus ſalutaris eſt, omnibus etiam apparuit.

Verſ. 12. *Erudiens nos.* Qui ſcilicet eam agnovimus, & ejus nuntio credidimus. Docet maximam iſtius gratiæ vim eſſe in nobis ad officium adducendis, eam inſtar eſſe optimi & aſſidui præceptoris ac magiſtri qui nos erudiat.

Ut abnegantes omnem impietatem. Quæ abnegamus ea pro noſtris non agnoſcimus ac repudiamus. Hoc facit Dei gratia ab hominibus agnita, ut omnem impietatem in Deum, tam bonum, tam clementem, tam beneficum Servatorem ſuum, penitus repudient, ei renuntient, eum ad ſe quidquam pertinere negent, etiamſi forte antehac ab ea non alieni, imo cum ea maxime familiares eſſent. Impietas eſt, nullus Dei reſpectus. *Et mundanas cupiditates.* Etiamſi impietas abſit: id eſt mundanos mores, per metonymiam cauſę ſynecdochicam. Mundani mores, ſunt mores quibus omnes homines in commune ſunt dediti, paucis probioribus exceptis. Etiam hos, ut abnegemus, eadem Dei gratia facit, proinde omne id quod in ſe vitium aliquod habet, & ullo modo diſpliceat Deo.

Temperanter, & juſte & pie vivamus in hoc præſenti ſeculo. Contrario videlicet prioribus modo. *Temperanter*, id eſt ſobrie & caſte, hoc pertinet ad nos ipſos, & opponitur ei parti mundanatum cupiditatem, quę poſita eſt in comeſſationibus, compotationibus, laſciviis, tripudiis, ſtupris, ſcortationibus, & omni impuritate.

Juſte. Hoc pertinet ad proximum, ut cuique tribuamus quod ei ullo jure debetur, adeo ut hic juſtitia etiam charitatem complectatur, & opponitur ei parti mundanarum cupiditatum, qua cujuſcunque generis injuſtitia continetur.

Pie. Hoc ad Deum pertinet, ut ſemper ad Deum reſpiciamus, ei confidamus, cum in ſpiritu & veritate colamus, eique ſerviamus, ex Euangelii, per quod nobis hæc apparuit gratia, præſcripto.

Vivamus. Non ut aliquid aliquando temperanter, juſte, pie faciamus, ſed ut vitam & vitæ actiones omnes ex his virtutibus dirigamus.

In hoc præſenti ſeculo. Non in futuro demum, in quo nec ullus erit intemperantiæ, injuſtitiæ, impietati, proinde nec temperantiæ nec juſtitiæ, qualis in hoc ſeculo datur, nec item tali pietati locus.

Verſ. 13. *Exſpectantes illam beatam ſpem.* Exponit qua ratione nos gratia illa Dei, ad hæc talia facienda erudiat; quatenus nimirum in nobis excitat & progenerat exſpectationem illius beatæ ſpei. Quomodo enim illam non exſpectemus, agnita hac omnibus hominibus ſalutari Dei gratia, & illius credentes nuntio? Dum vero ad beatæ illius ſpei exſpectationem animus erigitur, ſimul etiam incitatur efficaciſſime ad illa quæ dicta ſunt ſummo ſtudio exequenda, ideo quod ad beatam illam ſpem nemini pateat aditus, niſi hæc exequenti. Qui ſi pateret abſque iſtis, neminem hæc Dei gratia ad ea facienda erudiret. Quis enim non mallet beata illa ſpe potiri, ſi poſſet ſine tantarum, imo ſine omnium labore ac moleſtia virtutum? Unde patet fidem illam qua ſervamur, cum ita ſumitur ut omnia ex parte noſtra ad ſalutem neceſſaria velut in cumulo quodam complectatur, exſpectationem eſſe beatæ illius ſpei talem, qua fiat ut impietatem & mundanas cupidirates abnegemus, & temperanter, juſte & pie vivamus in hoc præſenti ſeculo, quod dum facimus, tanto certius etiam ſpem illam beatam exſpectamus. Ut hic Apoſtolus egregie ſalutis noſtræ rationem complexus ſit. Primum, gratiam illam Dei ſalutarem tanquam fundamentum ponit, eamque conditioni ſancte vivendi innexam, ſine qua gratia Dei nos diſſolveret potius, quam ad ſancte vivendum adſtringeret. Gratia Dei ſuperſtruitur fides. Gratia enim Dei tum demum nos erudit, cum ei fidem adhibemus: fidem conſequitur ſancta vita: hanc tandem conſequitur exultans exſpectatio & ſpes æternæ vitæ. *Spei* nomine intelligit Apoſtolus id quod ſperamus, per metonymiam adjuncti, ut Col. I. 5, nempe vitam illam immortalem, quam *beatam* dicit, quia vere beatos reddit qui ea potiantur.

Et apparitionem gloriæ magni illius Dei. Notat quæ ſimul exſpectemus, beatam illam ſpem exſpectantes, cum quibus tanquam cum certiſſimis cauſis, & admitandis adjunctis ac circumſtantiis datio beatæ illius ſpei conjuncta erit.

Expectantes, inquit, *& apparitionem gloriæ magni illius Dei.* Non apparitionem ipſius magni Dei, ſed appatitionem gloriæ ejus. Significatur omnis ille divinus ſplendor ac majeſtas quæ cum Chriſto & circa Chriſtum apparebit. Nam ipſe magnus ille Deus, in ſua manebit inacceſſa luce inconſpicuus; ſed ſuam apparere faciet gloriam omnibus hominibus, non nobis tantum qui credimus Euangelio, & glotiæ iſtius apparitionem exſpectamus; ſed etiam omnibus aliis.

Et Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. Intellige apparitionem. Ipſe enim Servator noſter Jeſus Chriſtus apparebit in gloria Patris ſui, magni illius Dei Matth. XVI. 27. Et apparebit ut exſpectationem noſtram beatæ illius ſpei impleat, id eſt vitam æternam nobis largiatur Philip. III. 20. Quem etiam idcirco hic Servatoris noſtri nomine inſignivit Apoſtolus. Deus ille magnus, Chriſti Pater, eſt Servator noſter, quia eſt prima ſalutis noſtræ cauſa, Chriſtus eſt Servator noſter, quia eſt ſalutis noſtræ cauſa media, per quam prima illa ſalutem noſtram operatur ac perficit. Hæc igitur omnia exſpectamus, inſtituti ex Euangelio, quo Deus gratiam illam ſuam tanquam ſydus ſalutare omnibus hominibus exoriri & affulgere fecit. Quis ergo talia exſpectans, non totum

se dedat temperantiæ, justitiæ, pietati, omnique studio virtutum omnium? Non enim Dei gratiam ita debemus interpretari, ut illa patrocinetur ullo modo vitiis; sed ut exscindat & eradicet penitus omnia vitia. Qui magnum illum Deum, & Servatorem nostrum Jesum Christum synonyma putant, quod articulus discretivus vocibus *Servatoris nostri Jesu Christi*, in Græco non sit præfixus, contrarium potius hinc statuere deberent. Articuli enim isti negligi solent, ubi ipsa rerum per se patent discrimina. Quis enim non videt magnum illum Deum, qui summus ille Deus est, & Christum ejus, relative inter se opponi? Et huic tam liquidæ veritati prævalere debet unius articuli consueta satis omissio! Hoc ipso in loco, inter beatam spem, & apparitionem gloriæ magni illius Dei, nullus ponitur articulus, cum tamen alterum ab altero distinguatur, tanquam antecedens à consequente, aut causa ab effecto. Vide Eph. v. 5. Gal. iv. 7, & Eph. 2. 20.

Vers. 14. *Qui dedit seipsum pro nobis.* Nempe ex Dei Patris sui voluntate & mandato. Dedit, tanquam victimam piacularem. Sic enim placuit hominum amantissimo Deo, tanto pignore sese ad dandam peccatorum remissionem & vitam æternam credentibus in Christum obligare. Attexuit tantæ charitatis Christi erga nos commemorationem, ut simul ex ea certissimum caperemus argumentum nostræ salutis. An enim is non daret nobis vitam æternam qui seipsum pro nobis & pro peccatis nostris dedit victimam?

Ut redimeret nos, id est liberaret, sui sanguinis ac vitæ impendio, *ab omni iniquitate.* Docet Christum Servatorem nostrum hac tanta sua erga nos charitate id spectasse, ut nos eodem illo sanguine quem pro nobis & peccatis nostris fudit, ad redemptionem ab eorum pœnis, redimeret ab ipsis peccatis, seu ab omni iniquitate, ne scilicet ullius iniquitatis amplius servi & mancipia essemus. Ita alterum petit argumentum emendationis nostræ à morte Christi, sicut primum sumptum erat à Dei gratia. Huc enim nos pellit tanta Christi charitas, hæc est vis mortis Christi pro nobis, ut illius esse velimus in posterum servi ac mancipia, non iniquitatis ullius. Nec enim Christus in morte mansit, sed in vitam à Deo revocatus, dominatum obtinuit in omnia. Vide 2 Cor. v. 14, 15. Gal. 2. 20.

Ab omni iniquitate. Non ab una & altera; sed ab omni. Ἀνομία est, (qua voce hic utitur Apostolus) quidquid à lege recti & veri discedit, proinde includit omne peccatum, & sic ne ullius peccati servi simus.

Et purificaret. Ab omni videlicet immunditia spirituali, hoc ipso suo sanguine, nempe nos.

Sibi ipsi. Id est in suum honorem & usum.

Populum peculiarem. Id est proprium, ipsius nomine signatum, & ab omnibus aliis populis discriminatum. Peculium enim, unde peculiaris dicitur, maximo labore, quanto magis sanguine comparatum & acquisitum, cuique maxime proprium est.

Sectatorem bonorum operum. Exprimit alteram istius populi qualitatem. Prior erat, redemptum ac purificatum esse ab omni iniquitate & inquinamento peccati; altera sectatorem esse bonorum operum. Ζηλωτὴν talem sectatorem qui nemini cedere velit bonis operibus, quippe qui sciat esse sibi reposita præmia cælestia, habere se Dominum in cælis qui pro se mortuus sit, & qui bonis operibus unice delectetur, iisque populum suum maxime velit esse illustrem ac præcellentem cap. iij. 8. Vide qualis esse debeat populus Christianus, & quam longe recesserit ab hoc typo, ut vix quidquam præter inane nomen in illo supersit. Nec sane mirum. Nam quibus hic Apostolus tanquam validissimis cuneis utitur, ut Christianos impellat ad peccata deserenda, & sectanda bona opera, gratia videlicet Dei, & morte Christi, iisdem nunc Christianus orbis potissimum abutitur ad retinenda vitia & negligendas virtutes. Nimirum sana doctrina de gratia Dei, & de morte Christi, mundo non placuit, morbosa reddita, facta est gratissima. Salvamur sane gratia Dei, non ex operibus; sed cognitionem Dei, gratiam & fidem antecedentibus. Nam quod ad sequens tempus attinet, ita est Dei gratia, ita fides comparata, ut maxima sit bonorum operum effectrix & magistra. Quia nimirum vita æterna nemo potiri debeat, nisi se totum virtutibus ac sanctis moribus dedat. Vide cap. III. 8. Et Christus mortuus est pro peccatis nostris, eaque sanguine suo penitus expiavit; sed se & nos peccatis in posterum moriamur ac Christo vivamus. Hac conditione demum mortis ejus pro peccatis nostris fructu gaudebimus. Nimirum non considerant homines, Christum fuisse mortuum in peccatorum remissionem, non in eorum proprie dictam persolutionem. Illa conditionem sancte in posterum vivendi egregie admittit, imo requirit; hæc tollit & excludit. Orandus est Deus ut tantis malis remedium ipse adferat, & amoveat omnia quæ luci veritatis tenebras offuderunt.

Vers. 15. *Hæc loquere.* Nempe quæ dixi de gratia Dei, de morte Christi, deque illarum vi & Christianæ pietatis officiis.

Et adhortare. Ad ea videlicet facienda, ad quæ nos ducit & impellit gratia Dei & mors Christi.

Et argue. Si quis secus faciat.

Cum omni imperio. Ut scilicet inobedientibus pœnam Dei nomine denunties, & ecclesiam ab eorum communione abstineas.

Nemo te contemnat. Quasi dicat, quamvis nullam cogendi vim & potestatem habeas. Dei & Christi nomine hæc imperas & facis. Deus & Christus vindicabit in contumaces & immorigeros.

CAPUT III.

Vers. 1. *In memoriam eis revoca.* Nempe subinde, & quoties opus est.

Ut principatibus & potestatibus sese subjiciant, ὑποτάσσεσθαι. Passivum ponitur pro reciproco. Ne se opponant ordini à Deo instituto.

Obediant iis, πειθαρχεῖν. Quæ vox hic proprie locum habet, non detrectent principatum habentium imperata.

Ad omne opus bonum parati sint. Animo scilicet ac voluntate, ut boni operis occasione oblata, protinus id faciant.

Vers.

Verf. 2. *Neminem blasphement.* Id eft verbis contumeliofis lædant, minime omnium principatus ac poteftates.

A pugna alieni fint. Etiam percuffi non repercutiant, multo vero minus rebellionem cœptent.

Æqui. Multum de fuo jure remittentes.

Omnem demonftrantes lenitatem erga omnes homines. Neullus mortalium feab iis ulla in re læfum effe queratur.

Verf. 3. *Eramus enim quondam & nos.* Confirmat fuperiora præcepta, per prolepfin. Ne quis dicat difficile effe mores inveteratos mutare, & alium fieri hominem, iis præfertim qui nunquam fub lege divina fuerint. Aliam effe Judæorum rationem,qui per opera fervati fint, fe vero per folam in Chriftum fidem fervatum iri. Eadem, inquit Apoftolus, eft omnium ratio, tam Judæorum, quam Gentium.

Eramus quondam. Nempe antequam appareret Dei gratia, ut patet ex fequenti ✝︎f. 4.

Et nos. Judæi nimirum: quafi dicat, quamvis fub lege divina nati & educati. Sic & Eph. 2. 7 Judæos opponit gentibus.

Amentes. Quatenus non fequebamur mentis & rationis ductum, beftiis fimiles.

Inobedientes. Recta monentibus & legi divinæ.

Errantes. In cogitationibus nimitum & actionibus, ut folent qui nec ipfi mentem habent, nec mentem habentibus obtemperant.

Servientes cupiditatibus & voluptatibus variis. Hæ fe fecerant noftri dominas, & nos, in fues ac pecudes converterant.

In malitia & invidia agentes. Διάγοντες, nempe βίον. Vide 1 Tim. 2. 2, vitam tranfigentes in malitia. Malitiam adverfus alios exercere nobis in promptu & in ufu femper erat, invidia item uri ex aliorum incrementis.

Odiofi, στυγητοί. Odio digni, ob mores nimirum noftros odiofiffimos.

Odio profequentes alii alios. Sicut ipfi odiofi, fic & alii alios profequebamur odio, mutua inter nos exftincta charitate, odio accenfo. Vide quæ fuerit vita hominum fub lege agentium, ipfiufque adeo Pauli, quamvis fe dicat inculpatum fuiffe fecundum juftitiam Legis Philipp. 3. 6. Nimirum Lex intra fuum in exigenda juftitia manebat modum, ad liberalem illam quæ Chriftianorum eft juftitiam non adfpirabat.

Verf. 4. *Quando vero benignitas illa, & philanthropia illa, apparuit Servatoris noftri Dei.* De qua fcilicet egit fupra cap. 2. 11, quando fydus iftud illuxit per Euangelium. Significat hanc benignitatem & philantropiam, id eft amorem hominum, femper fuiffe in Deo; fed non femper apparuiffe. Nimirum, quia ut appareret, tempora à Deo deftinata nondum venerant. Nunc apparuit per Euangelium quanta fit Dei bonitas ac benignitas, quantus humani generis amor. Nam & fapiens pater, antequam tempus maturum veniat, liberis non aperit totum amoris fui affectum Gal. 4. 1, 2. Deum & hic, ut fupra cap. 2. 10, Servatorem noftrum appellat, ad rem accommodate.

Verf. 5. *Non ex operibus quæ in juftitia funt.* Id eft juftis. Hebræorum phrafi ob adjectivorum defectum. Similem phrafin habes inter alia 1 Tim. 2. 7.

Quæ fecerimus nos. Ὧν ἐποιήσαμεν, pro ἃ ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ob antecedentem genitivum ἔργων. Tacite fignificat Apoftolus fe non loqui de juftis operibus qua Deus ipfe per gratiam & fpiritum fuum, poftquam Euangelio credidimus, effecit in nobis; per hæc enim opera nos fervatos effe mox dicit; & hæc opera Dei potius funt opera quam noftra.

Ipfius enim opus fumus, creati per Chriftum Jefum ad bona opera quæ præparavit ut in iis ambulemus Eph. 2. 10. Sed de juftis operibus, quæ homines ipfi fecerint, tanta Dei gratia & fpiritu ejus qui eft in Chrifto Jefu non excitati & adjuti. Negat ergo Judæos per hæc opera fervatos effe magis quam gentes, idque merito; cum eorum opera nihilo meliora quam gentium effent, ut modo dixit ✝︎f. 3.

Sed fecundum fuam mifericordiam. Id eft per & propter fuam mifericordiam, cum nos tot peccatorum ac criminum fontes effemus.

Servavit nos. Jure nimirum ac fpe.

Spe enim, inquit Apoftolus alibi, *fervati fumus* Rom. viij. 24. Et mox hic quoque de fpe falutis fe loqui fignificat ✝︎f. 7. Ut igitur in jure ac fpe certa falutis æternæ poneremur, non effecerunt jufta opera à nobis facta, fed effecit fumma Dei mifericordia erga nos maximos peccatores & æterna meritos fupplicia.

Per lavacrum regenerationis ac renovationis. Id eft per lavacrum quod eft regeneratio ac renovatio, per genitivos fpeciei. Hoc addit Apoftolus ne quis putet nos fervatos effe in peccatis manentes, feu, non purgatis peccatorum fordibus. Abfit hoc, inquit Apoftolus, fervati fumus & in jure ac fpe falutis conftituti, per lavacrum quod eft regeneratio, qua fcilicet facti fumus alii homines, & renovatio, qua facti fumus homines novi. Alterum declaratur per alterum. Significat fe non loqui de corporis lavacro, quod non pertingit ad animum, fed de lavacro fpirituali quo purgantur & lavantur animi fordes, non corporis. Animi fordes & purgamenta vitia funt ac peccata. Hoc ergo dum dicit Apoftolus, fignificat nos effe per opera jufta fervatos. Quid enim aliud eft regeneratio & renovatio, quam prioris impuræ & vitiis pollutæ ac profanæ vitæ, in puram ac fanctam mutatio? Unde & lavacrum dicitur. Quocirca cum negat nos ex operibus juftis fervatos, opera jufta intelligit quæ nos ipfi fecerimus ante fidem in Chriftum, non quæ Deus ipfe in nobis effecit per fidem in Chriftum ac fpiritum fuum, quæque lavacro regenerationis & renovationis continentur; quanquam nec per ifta fervamur hactenus, quatenus nemo tam fanctus eft, ut citra Dei gratiam & mifericordiam damnari merito non poffit. *Spiritus Sancti.* Declarat iftius lavacri tam efficacis aquam, quâ fiat regeneratio ac renovatio. Nam Spiritum Sanctum hic tanquam aquam confiderari, & vox *lavacri* docet, & fequentia, cum dicitur in nos effufus effe copiofiffime. Non ergo hic agit de lavacro materialis feu proprie dictæ aquæ, quæ adhibetur in baptifmo, fed de lavacro aquæ quæ Spiritus eft Sanctus. Hic enim folus vim & efficaciam habet, ut nos regeneret ac renovet.

Lavacrum aquæ, quod baptismo continetur, hactenus tantum huc pertinet, quatenus lavacri Spiritus Sancti, seu regenerationis ac renovationis, quæ per Spiritum Sanctum fit, signum ac Sacramentum est institutum divinitus. Qui salutem suam omnem ad baptismum aquæ referunt, nec deponunt vitia ac malos mores, ad quod faciendum baptismo aquæ sese obligarunt, majori tenentur crimine, tantum abest ut baptismo aquæ juvari quidquam possint. Locus hic explicat egregie verba illa Christi ad Nicodemum: *Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei* Joan. iij. 5. En habes interpretem Paulum, aquam istam ex qua nascimur ac generamur Spiritum esse Sanctum, proinde vocem *spiritus*, appositam esse aquæ in verbis Christi, ut aquam istam declaret. Idem Apostolus alibi: *Et hæc quidam eratis*, inquit, nempe injusti, scortatores, idololatræ, moechi, molles, drauci, fures, avari, ebriosi, conviciatores, rapaces; *sed abluti estis*, nempe ab omnibus istis vitiorum sordibus, *sed sanctificati estis*, jam sancti facti estis. Exponit prius, *sed justificati estis*, id est absoluti à veteribus peccatis, *in nomine*, id est per nomen *Domini Jesu*. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini Jesu servabitur Rom. x. 13.

Et in spiritu, id est per spiritum, *Dei nostri*. 1 Cor. vi. 11. Per nomen Domini Jesu justificamur & absolvimur ab omnium antecedentium criminum reatu; per spiritum autem Dei nostri, quem accepimus justificati, lavamur & abluimur ab omnibus quibus polluti eramus vitiis, & sanctificamur, seu sancti reddimur Deo nostro. Hoc ipsum & hic docet Apostolus, nempe nos aliter servari non posse, nisi pristina deponamus vitia, & totos nos dedamus sanctitati.

Quem effudit in nos abundanter. Docet unde hæc Spiritus Sancti aqua, & consequenter lavacrum proveniret. A Deo itidem qui hanc aquam Spiritus Sancti abundanter in nos effudit. Nam & lavacrum abundanti indiget aqua. Et ita regenerationis ac renovationis nostræ ipse Deus auctor & effector est.

Per Jesum Christum. Per hunc ipsum per quem nobis gratiam illam suam annunciari ac publicari fecit ℣. 4, & cap. 2. 11. Significat spiritum hunc, non aliis quam credentibus in Christum Jesum contigisse, qui dextra Dei exaltatus Spiritum Sanctum accepit à Patre, & eum effudit super omnes in se credentes Act. 2. 33. Proinde lavacrum istud regnerationis ac renovationis Spiritus Sancti, nusquam alibi quam apud Christum Jesum quærendum esse.

Servatorem nostrum. Hoc epitheto causam tacite insinuat, cur per Jesum Christum Deus Spiritum hunc Sanctum effudat. Quia nimirum Jesus Christus est is, per quem nos Deus servat, seu quem nobis in Servatorem evexit Act. v. 31, per quem, sicut nos justificat, sicut vitam æternam nobis largitur; sic etiam Spiritum Sanctum effundit, ut nos ab omnibus vitiis purificet, & capessendæ vitæ æternæ reddat idoneos. Si quis dicat, non omnibus Christianis, ac forte nec Cretensibus ipsis, qui crediderant in Christum, contigisse, ut Spiritus Sanctus visibiliter in eos effunderetur. Nam si Apostolus non fuit in Creta, nec Apostolorum ullus, haud dubie tam caruerunt visibili Spiritus Sancti dono, quam qui crediderant in Samaria, antequam ad eos Apostoli venissent. Apostolis enim solis hoc concessum erat à Christo, ut ad eorum orationem & manuum impositionem daretur Spiritus Sanctus visibiliter Act. viii. 14, & sequentibus, xix. 6. Si quis, inquam, hoc dicat, scire debet, Spiritum Sanctum, qui visibiliter in Christianos effundebatur, hactenus in omnes etiam alios effundi, quatenus effectus ejus dimanat in omnes. Effundebatur enim in id, ut veritatem Christianam, de gratia illa Dei omnibus hominibus salutari, & aliis quæ ad eam pertinent universis, doceret ac confirmaret. Qua cognita & in animum per fidem recepta, admirabilis oritur efficacia & virtus in animis nostris, quæ nos purgat a vitiis, & Deo penitus consecrat. Ideo supra de gratia Dei salutari dixit Apostolus, quod nos erudiat, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, & juste, & pie vivamus in præsenti seculo cap. 2. 11, 12. Et sicut Lex olim spiritum servilem indebat hominibus Rom. viii. 15, sic Euangelium nobis indit spiritum adoptionis per quem clamamus, Abba, Pater. Hic est spiritus fidei, spiritus Christi, spiritus secundum quem ambulare debemus, & non secundum carnem, quo carnem & carnis opera mortificare, cujus fructibus abundare nos oportet, & quem qui non habet, is Christi non est. Hoc qui utitur & agitur regeneratus ac renovatus est. Nam & spiritus ille qui dabatur visibiliter, non aliis dabatur quam jam credentibus, ut in fide confirmarentur, & alii ad fidem accederent, quod in Samaritanorum illorum exemplo Act. viii, & in aliis omnibus videre est, & ex ipsius Christi verbis eorumque à Joanne addita interpretatione constat Joan. vii. 38, 39, ne aliorum Apostolorum accumulem testimonia. Nam fides illa quæ inter Spiritus Sancti numeratur fructus, ad charitatem pertinet, & opponitur perfidiæ. Qui ad locum hunc adnotarunt, manifestam in eo fieri sanctæ Trinitatis mentionem, utinam & rationem sanctæ Trinitatis ex hoc eodem loco intellexissent. Pater enim est unus ille Deus, qui nos servat secundum suam misericordiam, per lavacrum regenerationis & renovationis; Spiritus Sanctus est, quo lavacrum istud peragitur, & qui tanquam cælestis aqua effunditur: ut proinde hic nihil minus dicatur, quam Jesum Christum, & Spiritum Sanctum esse unum illum Deum, qui est Pater.

Vers. 7. *Ut justificati illius gratia*. Exponere volens ultimum finem lavacri ejus quod dixit, & effusionis in nos Spiritus Sancti, exponit & gradus quibus ad ultimum hunc finem evehimur. *Ut*, inquit, *justificati illius*, nempe Dei, *gratia*, quod fit, quam primum Euangelio, & consequenter in Christum credimus; hic primus est gradus. Fides enim credentibus protinus imputatur ad justitiam, & sic quantumvis maximi peccatores antea essent, justi declarantur ex Dei summa gratia & misericordia.

Hæredes fiamus, secundum spem vitæ æternæ. Alter gradus est, spes vitæ æternæ, cum justificati Dei gratia, porro per lavacrum Spiritus Sancti purgamur a vitiis, seu regeneramur ac renovamur, de quo supra dixit: hoc enim facto, spes exoritur certa vitæ sempiternæ. Tertius & ultimus est gradus, seu priorum duorum ultimus finis, ut spes nostra impleatur,

& sicut nunc spe servati sumus, sic re servemur ipsa, seu secundum spem nostram, hæredes simus vitæ æternæ. Huc tendunt & hic finiuntur omnia, in hæreditate inquam vitæ cui nullus erit finis, quam idcirco etiam beatissimam esse necesse est. Ita igitur fides ad justificationem; lavacrum regenerationis & renovationis, quod fit per effusum in nos abundanter Spiritum Sanctum, ad spem æternæ vitæ tendit. Spes autem æternæ vitæ, in ipsius terminatur hæreditate.

Vers. 8. *Fidelis est hic sermo.* Nempe quem modo locutus est, verus est, neminem fallet, neminem decipiet.

Et de his volo te asseverare. Tanquam scilicet de rebus verissimis ac certissimis, de gratia Dei, de justificatione, non ex operibus justis, quæ fecerimus nos; sed secundum Dei misericordiam, per fidem, de lavacro regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti, abundanter in nos per Jesum Christum effusi, per hoc nos nunc spe servatos esse, postmodum re servatum iri, seu vitæ æternæ hæredes futnros esse.

Ut studeant bonis operibus præstare, καλῶν ἔργων προΐστασθαι. Id est, eximii ac præstantes esse bonorum operum, omnibus aliis hominibus hac in re longe præcellere. Vide infra ℣. 14.

Qui crediderunt Deo. Nempe per Euangelium loquenti. Ne putent, solam fidem, si non exeat in singularem bonorum operum præstantiam, ad vitæ æternæ hæreditatem sufficere. Quod & res ipsa dictat. Quid enim aliud loquitur Deus in Euangelio quam daturum se vitam æternam omnibus sancte viventibus in posterum? At huic sermoni credere quid juverit, nisi sancte vivas? Damnaret potius te fides ista, quam nt tibi quidquam prodesset ad vitæ æternę hæreditatem. Vide quam opinione sua fallantur qui de non necessitate bonorum operum ad salutem disputant, & fidem sic definiunt ut ei nihil cum bonis operibus sit commune! Cæterum, quia vult Apostolus, ut qui crediderunt Deo, studeant bonis operibus præstare, eo ipso docet lavacrum illud Spiritus Sancti, quo regeneramur ac renovamur, ita comparatum esse, ut nisi cura studiumque nostrum accedat, nisi & ipsi animi nostri manus admoveamus, purificationem, regenerationem ac renovationem non adferre. Est nimirum regeneratio ac renovatio nostri, & quidquid in illa continetur, opus Dei, sed tale, quod Deus perficere nolit, nisi ei animum, voluntatem, curam, studium, conatum, laboremque nostrum commodemus.

Hæc sunt bona. τὰ καλά. Eximie bona, nempe de quibus Timotheum vult asseverare.

Et utilia hominibus. Quia ad salutem unice sunt utilia, hæc sunt quæ sanam illam doctrinam constituunt cap. 1. 9.

Vers. 9. *Stultas autem quæstiones.* Quales & hodie inter Christianos sunt plurimæ, absurdæ, contradictoriæ, in quibus tamen magna ostentatur eruditio.

Et genealogias. Quibus Judæi delectantnr. Vide 1 Tim. 1. 4.

Et contentiones. Ut fieri solet de rebus obscuris & inanibus.

Et pugnas Legales. Quæ scilicet Judæos varie Legem interpretantes inter se committunt.

Cohibe. Nempe monitis, auctoritate, censura ecclesiastica. Non patere hæc in Christi ecclesiam invehi.

Sunt enim inutiles. Nihil ad scopum illum, quem Christiani sibi habere debent præfixum, id est ad pietatem & salutem pertinent, imo noxiæ sunt ac perniciosæ, generant enim pugnas 2 Tim. 2. 23.

Et vanæ. Nihil in illis veri, nihil solidi insuper subest. O si quis nunc etiam existeret Titus, qui tot inutiles & vanas cohiberet quæstiones & pugnas, non jam Legales, nec Judaicas, sed Christianorum proprias, in quibus, dum omnes desudant, omnem interea curam ac studium pietatis neglexerunt, hoc uno contenti si dogmata sua quovis modo propugnent, si Christum Dei, Deum illum unum fecerint, & eorum qui Christum dicunt esse Christum, & in ipsum, ut in Christum credunt, diris, odiis & persecutionibus, Christo sese, ut putant, probaverint, id est persequendo & occidendo pios, sacrificium sese offerre Deo existimaverunt Joan. xv 1. 2. En quo tandem inutiles istæ & vanæ quæstiones ac controversiæ deduxerint Christianos!

Vers. 10. *Hæreticum hominem.* Absolute & in genere. Docet quid cum hæreticis sit faciendum, internis hostibus ecclesię, quorum dogmata non tantum inutilia sunt & vana, sed etiam perniciosa. Hinc patet, jam tum non defuisse hæreticos in ecclesia, ut mirum non sit eos post Apostolorum excessum obtinuisse dominatum in ecclesia. Sunt enim eorum dogmata carni allubescentia. Vide 2 Petr. 2. 1, & seqq. Hæreticus & hæresis ab electione dicuntur, quod hæretici eligant sibi sententiam peculiarem, & ab aliis sui generis diversam, eamque primæ & communi disciplinæ noxiam & perniciosam, ex falsis ejus, ut plurimum, interpretamentis. Unde patet hæreticum haud esse, qui nihil habet quod cæteri sui generis non semper habuerint & habeant, imo ob hoc ipsum plane catholicum esse, quod nihil suscipiat eorum quæ ad primam disciplinam adscita fuere, sola prima, eaque tota, nec mutilata, nec immutata disciplina contentus. Sic inter Christianos hæretici erant qui Jesum Christum negabant hominem fuisse verum, sed δοκεῖν tantum, aut qui Jesum Christum dicebant esse unum illum Deum, contra quas hæreses jam olim pugnare necesse habuit Ignatius, Epistola ad Tarsenses. Sic hæresis est docere, bona opera post fidem non esse necessaria ad salutem, hominem non justificari ex gratia, & per fidei imputationem ad justitiam, sed ex operibus Legis, seu quia Legem servaverit, Christianos non esse, qui Jesum credant esse Christum, nisi simul credant, eum etiam esse non Christum, id est unum illum Deum, & similia, quis enim enumeret omnia? Sed nulla est immanior hæresis quam eorum, qui hæreticos pœnis subjiciunt civilibus, quin & ferrum & ignes in eos expediri jubent. Hoc enim dogmate solæ hæreses & hæretici sese contra veritatem armarunt, hoc dogma semper in meliores a deterioribus est exercitum, hoc innumerabiles piorum extinxit, nec adhuc otiatur. Nam hæreticos unquam a piis Christianis persecutionem esse passos, nunquam est auditum, nec id rei natura permittit. Sciunt enim pii ac veri Christiani, ad ve-

ritatem ac fidem Christianam cogendum esse neminem, sciunt eam non indigere carnalibus armis, cum suis propriis viribus semper stet invicta, sciunt eam per talia pollui, non propugnari. Qui Mosaicas Leges hic allegant, non tantum male confundunt Christum cum Mose, pietatem Christianam cum Legali & Mosaica, sed etiam hæreticos, cum Israëlitis defectoribus a vero Deo, ad falsos Deos & idola, aut cum Pseudoprophetis, qui se mentiebantur a Deo missos. Atqui Lex ipsa nunquam vocavit hæreticos ad pœnam, nec quenquam ob diversa Legis interpretamenta est persecuta. Quis unquam Sadducæorum à Lege plexus est, quod mortuorum negaret resurrectionem? Quis quod negaret Jesum esse Christum? cum tamen his hæresibus nullæ sint graviores.

Post unam & alteram admonitionem devita. Semel atque iterum admonendum esse dicit, ut a sua desistat hæresi, sed si una atque altera admonitione nihil proficiatur, devitandum esse hominem, ne alios sua hæresi inficiat. Itaque illud *devita* sic accipi debet, ut non ipse Titus tantum hominem devitet, sed etiam toti ecclesiæ eum devitandi sit auctor. Hæc unica Hæreticorum apud veros Christianos est pœna, inter quos & hæreses oportet esse, ut qui probati sunt manifesti fiant 1 Cor. XI. 19. Hac ratione & Christiani ab hæresibus conservari possunt, & hæreticis non præciditur via redeundi ad saniorem mentem 2 Tim. 2. 25, 26.

Vers. 11. *Sciens quod perversus sit hic talis.* Causam reddit cur sic facere debeat, scire eum jubens,

Quod perversus sit talis. A suo nimirum carnali affectu, ut aliter loquatur quam intra se sentiat: ἐξέστραπται, passivum pro reciproco.

Et peccat. Fovendo ac defendendo hæresin.

Cum se ipsum damnet, ὢν αὐτοκατάκριτος. Non peccat imprudens & peccare se nesciens, scit se peccare, quin & seipsum damnat intra animi sui conscientiam, sed quod facit, commodi alicujus carnalis causa facit: Quid igitur eum nec quiquam diutius moneas, & inter pios conversari sinas? Perexigua spes est emendationis, nihil ei dici potest quod ipse nesciat, aut sibi non dicat. Hoc Apostolus merito pronuntiavit de sui temporis hæreticis, qui peculiares sibi sententias ab Apostolorum doctrina deligere non poterant, quin se peccare scirent, cum tantam eorum divinitatem oculis suis usurparent. Unde nec facile viventibus Apostolis in lucem prodibant. At idem his temporibus de aliquo affirmare, non facile est, qui tamen ut sit perversus, & ita peccet ut sui ipsius damnator sit intra semet ipsum; a civili tamen Magistratu ob hæresin damnandus non est, multo vero minus vita privandus, sed tantum piis omnibus devitandus est.

Vers. 12. *Quando mittam Artemam ad te, aut Tychicum.* In tui videlicet locum. De Tychico vide Actor. XX. 4. Eph. VI, 21. Coloss. IV. 17. 2 Tim. IV. 12.

Da operam ut venias ad me Nicopolim. Quod eum alio fortasse ad Euangelii messem mittere haberet in animo. *Ibi enim decrevi hiemare.*

Vers. 13. *Zenam Legisperitum.* Forte Mosaicæ, quæ κατ' ἐξοχὴν Lex appellatur.

Et Apollo, studiose deduc, ne quid eis desit. Forte Nicopolim ad Paulum. Vide, quam curam habuerit Paulus & haberi voluerit virorum præstantium, & Ministrorum Euangelii!

Vers. 14. *Discant & nostri.* Nempe qui in Creta sunt, non minus quam alii Christiani.

Bonis operibus. Id est, communicationibus quæ κατ' ἐξοχὴν bona opera dicuntur.

Præstare, in necessarios usus. Sanctorum imprimis.

Ne sint infructuosi. Ut arbores infructuosæ: quasi dicat, omnes alii Christiani fructibus bonorum operum abundant, etiam in pauperes in Judæa. Idem facere discant & nostri in Creta. Hoc addit Apostolus ne quis dicat, unde vero sumptus ad talem virorum istorum deductionem?

Vers. 15. *Salutant te qui mecum sunt omnes.* Quorum nomina credo cognoscere poterat Titus ex Epistolæ latore.

Saluta qui diligunt nos. Id est, me & te & alios cooperarios meos.

In fide. Id est fideliter & vere, Hebræa phrasi, nec enim omnes Paulo & comitibus ejus ex animo erant affecti, quod Paulum crederent Legis ritibus & Judaicis dogmatis iniquiorem esse ℣. 9. cap. 1. 10, 11, 14.

Gratia. Nempe Dei & Christi.

Cum omnibus vobis. Intellige, *sit.*

Amen. Hoc votum haud dubie sua manu in signum Epistolæ a se missæ.

Ad Titum, Cretensium ecclesiæ primum Episcopum suffragiis electum. Titus Euangelista erat, Episcopo major.

Scripta Nicopoli Macedoniæ. Atqui Nicopolim nondum venerat, cum Epistolam hanc scriberet. Nec enim dixisset ibi constitui hiemare ℣. 13. Vide & hic Traditionum, etsi scripturam, fidem! AMEN.

COM-

COMMENTARIUS
IN
Epistolam Apostoli
PAULI
AD
PHILEMONEM.

CAPUT I.

Vers. 1. P*Aulus vinctus Christi Jesu.* Id est ob Christum Jesum, per genitivum causæ. Permovere protinus Philemonem voluit. Vide vers. 9.

Et Timotheus frater. Quia Paulo tum aderat.

Philemoni dilecto & cooperario nostro. In promovendo nimirum Euangelio,

Vers. 2. *Et Appia dilectæ.* Forte Philemonis conjugi.

Et Archippo commilitone nostro. De quo Col. IV. 17.

Et quæ domus tuæ est ecclesia. Salutat Philemonem, & conjugem, & ministrum, & ecclesiam in domo Philemonis, cujus quia Patronus erat, merito eum vocavit cooperarium Apostolus.

Vers. 3. *Gratia vobis & pax a Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.* Hactenus ad omnes supra nominatos, quæ sequuntur ad solum Philemonem spectant.

Vers. 4. *Gratias ago Deo meo, semper mentionem tui faciens in precibus meis.* Significat se semper in precibus suis mentionem facere Philemonis, quam dum faciat, etiam simul pro ipso gratias agere Deo. Vide dilectionem Pauli erga Philemonem, quam ut imitemur & nos, erga Philemonis similes, annitendum est.

Vers. 5. *Audiens tuam dilectionem.* Exponit caussam cur pro Philemone gratias agat, & semper ejus mentionem faciat in suis precibus.

Et fidem. Dilectio tua & fides, quam audio, incitamento est mihi ad id faciendum quod dico. Duas conjungit virtutes quibus universa Christiana pietas continetur, & quarum una sine altera vel nihil valet, vel esse non potest. Fides sine charitate nihil valet, charitas, de qua hic agitur, sine fide dari non potest.

Quam habes erga Dominum Jesum. Exprimit objectum fidei, quod est Dominus Jesus.

Et erga omnes sanctos. Exprimit objectum charitatis, quod est omnes sancti, id est omnes in Dominum Jesum credentes. Diligebat Philemon non hunc aut illum sanctorum tantum; sed omnes sanctos, etiam aliunde & peregre advenientes, ob communem cum iis fidem. Egregium exemplum quod imitemur omnes.

Vers. 6. *Ut communio fidei tuæ.* Id est, ut fides tua quam habes communem cum sanctis omnibus, per hypallagen Hebraicam. Exponit quid pro Philemone oret.

Efficax sit in cognitione. Id est per cognitionem,

Omnis boni. Id est benefacti. Vide ℣. 14.

Quod in vobis. Id est quod inter vos, vel apud vos peragi queat. Sensus est, ut quidquid te boni facere posse cognoveris, protinus id facias. Talem fidei tuæ efficaciam tibi precibus meis semper exopto. Sensim accedit ad id quod ab eo postulaturus est. Bonum enim erat ut Onesimum pœnitentem & Christianum factum benigne susciperet ℣. 12.

In Christum Jesum. Id est in Christi Jesu laudem & gloriam. Similem phrasin habes Coloss. 1. 16.

Vers. 7. *Gaudium enim habemus magnum & consolationem.* In istis videlicet vinculis & calamitate mea propter Christum Jesum.

Super charitate sua. Id est ex charitatis tuæ causa. Rationem adfert cur charitate Philemonis tantopere excitetur ad faciendum id quod dixit, quia nimirum charitas Philemonis magnum sibi gaudium & consolationem in afflictione sua afferat.

Quod viscera sanctorum refocillata sint per te. Exprimit hanc charitatem. Forte sanctos hospitio exceperat, & omnibus juverat officiis, qua charitate Paulus non minus lætatur, quam si fuisset exhibita sibi ipsi. Sanctorum enim communia sunt omnia. *Frater*, Amabile fratris nomen ei tribuit in re amabili, & quo incitamur ad mutuam dilectionem.

Vers. 8. *Propter quod.* Quia nimirum sic meritus es charitate tua erga sanctos.

Magnam in Christo libertatem habens. Id est, quamvis magnam per Christum libertatem & animi fiduciam habeam, quippe Apostolus ejus, παῤῥησίαν, per synecdochen speciei.

Imperare tibi quod convenit. Quod te facere decet, seu quod ut facias, ex tuo officio est Christiano. Alia non imperabant Apostoli, nec imperandi jus habebant.

Vers. 9. *Propter charitatem.* Nempe qua ipse ferris in omnes sanctos, ut nullis hic imperiis indigeas.

Magis rogo. Quod multo blandius est quam imperare.

Talis cum sim. Addit precibus pondus: quasi dicat, quamvis talis sim, non pudet me tibi supplicem fieri, sic meritus es. *Ut Paulus.* Exponit qualis sit: quasi dicat, ut puta Paulus, Apostolus ille Christi & Doctor Gentium.

Senex. Qui jam consenuit in hoc tanto munere, & cui senectus ipsa conciliat auctoritatem.

Nunc autem & vinctus Jesu Christi. Per genitivum causę, ut supra ỳ. 1: quasi dicat, ad illa autem nunc etiam hoc accedit, prorsus eximium, & singulare, & maximum Apostolatus mei decus ac ornamentum, quod sim vinctus ob Jesum Christum. Hæc omnia quamvis in me concurrant, tanti te tamen meritissimo duco, ut te rogare malim id quod te omnino facere decet, quam tibi imperare. Vide quanto artificio jam constrictum teneat Philemonem! Adeo Paulus provide & circumspecte agebat, ne videretur jura dominorum in servos violare.

Vers. 10. *Rogo te, pro meo filio.* Exponit nunc quid roget. Et hic quam molliter, quam sensim incedit! Prius homini descriptione gratiam singularem conciliat, quam eum nominat. *Pro filio*, inquit, *meo.* Et quis piorum, Pauli filio, Paulo ipso pro filio orante, quidquam denegaret?

Quem genui in vinculis meis. Exponit cur eum filium suum vocet. *Quem genui*, secundum spiritum nimirum, quem ad fidem in Christum adduxi & Christianum effeci, quę multo præstantior generatio est quam secundum carnem genuisse, & tales filii multo pluris æstimantur & amantur quam carnales.

In vinculis meis. Quasi dicat, hoc quoque eum mihi gratiorem & amabiliorem reddit, quod eum in vinculis meis genuerim: singulare vinculorum & calamitatis meę solatium.

Onesimum. Nunc tandem hominis nomen exprimit, postquam omnem præteriti facinoris invidiam extinxit, & animum Philemonis ad eum prompte suscipiendum penitus præparavit.

Vers. 11. *Qui quondam tibi inutilis erat.* Non reticet præteritam culpam, sed tamen & hanc mollibus tangit verbis.

Quondam, inquit. Jam hujus facti memoriam tempus delevit.

Tibi fuit inutilis. Molliter, ut parentes solent, id est & fugit, & damnum fecit ỳ. 18. Servum fuisse fugitivum Philemonis significat.

Nunc autem. Quasi dicat, ut præsens tempus longe magis spectes quam pridem præteritum.

Tibi & mihi valde utilem. Et sic vere Onesimum, qui significat utilem. *Tibi*, tanquam domino, *mihi*, tanquam patri, *valde utilem.* Proinde præterita quę tibi fecit damna abunde compensaturum. Tibi soli olim inutilis erat; nunc autem & tibi & mihi valde utilis est propter communem in Christum fidem, quę etiam servos, olim inutiles & fugitivos, optimæ frugi facit. Prius ponit Philemonem quam se, ne quid etiam hic contra jus herile peccet.

Quem remisi. Tanquam tui juris hominem. Neque enim decuit ut Christianus factus, se tibi non redderet. Hoc enim principium pœnitentiæ est, ablatum restituere.

Vers. 12. *Tu autem ipsum.* Et hic suspendit orationem, miro artificio interserens quod sequitur.

Hoc est, mea viscera. Quasi dicat, non Onesimum illum qui fuit, sed mea viscera, id est mihi æque charum, æque intimum ut sunt mea viscera, meum quippe filium ỳ. 10, meum cor.

Recipe. Et sic habe quem amiseras, sed recipe benigne, non secus ac si meipsum reciperes.

Vers. 13. *Quem ego volebam apud me retinere.* Id est voluissem, vel libenter apud me retinuissem. Indicativus pro subjunctivo, per Hebraismum.

Ut pro te. Id est tui loco, tanquam tuus proprius,

Ministraret mihi, in vinculis Euangelii. Iterum genitivus causæ, id est propter Euangelium, ut ỳ. 1, 9. Vinctus enim erat Paulus quod Euangelium prædicaret Gentibus. Ministerio senes indigent, præsertim in vinculis positi, merentur autem ministerium piorum omnium, si sint in vinculis propter Euangelium & veritatem divinam.

Vers. 14. *Sine tua autem sententia.* Id est te inconsulto, quippe in re tui juris ac potestatis,

Nihil volui facere. Omnia ad te retuli. Vide & hic quam Paulus herile jus in servos sacrum habuerit & inviolabile.

Ne tanquam secundum necessitatem. Id est tanquam ex necessitate.

Bonum tuum, id est benefactum tuum, *sit.* Ut mihi scilicet is qui tui juris & dominii est ministret, seu ut mihi serviat servus tuus; quod fieret si eum sine tua sententia retinuissem. Haberet hoc tuum erga me bonum, (tuum inquam, tuus enim est Onesimus,) speciem quandam necessitatis.

Sed secundum spontaneum. Id est sponte tua, quod fiet, si eum ad me hoc fine remiseris ut mihi pro te ministret. Ita hoc tuum bonum, in solidum erit tuum.

Vers. 15. *Forte enim propter hoc separatus est ad horam.* Confirmat superiora per prolepsin: quasi dicat, nam quod a te separatus fuerat, id est a te fugerat, (leni verbo tegit rem duram,) & sic possessione ac usu tuus esse desierat; forte propter hoc ipsum separatus est ad horam, id est ad tempus non ita longum:

Ut æternum eum reciperes. Vide quam res optime ceciderit! Non audet id asserere Paulus, sed ex eventu conjectat. Id quidem Onesimus haud intenderat, sed divina providentia poterat rem ad hunc finem dirigere, sicut in Josepho, & alias sæpe factum est, & fit. Nisi enim Onesimus fugisset, in Paulum

Paulum Romæ jam vinctum non incidisset. Fugit igitur, & fugit Romam, in illam omnium Gentium colluviem, ut sic perveniret ad Paulum, a quo conversus ad fidem, rediret ad herum, non jam temporarius, sed æternus ejus futurus.

Vers. 16. *Non amplius servum.* Illi adjectivo *æternum*, tribuit suum substantivum æternum, non amplius servum sicut prius erat cum nondum æternus esset. Æternus dicitur alicujus servus qui dominum non mutat quoad vel ipse vel dominus vivat.

Sed plusquam servum. Vi nimirum Christianæ religionis, quæ ex servis facit plus quam servos, non ut deteriori sint conditione, sed quia longe majori sunt erga dominos suos fide.

Fratrem dilectum. Nempe in Christo. Hoc in parenthesi legi debet, appositum ad explicandum illud *plusquam servum*: quasi dicat, hoc enim accessit ad servitutem, quod frater, isque dilectus seu summopere diligi dignus ob communem in Christum fidem, sit factus.

Maxime mihi. Cui scilicet studiosissime servivit in his meis vinculis, & mihi se protinus addixit.

Quanto vero magis tibi, intellige, *plus quam servum, & in carne, & in Domino.* Quasi dicat, mihi tantum est plus quam servus in Domino, tanquam frater in Domino; tibi vero plus quam servus est; & in carne, & in Domino, id est & carnis, & Domini respectu. Nam secundum carnem est servus tuus, in Domino autem est etiam frater tuus, non minus quam meus. Vide quantas undique machinas admoveat Philemoni ut eum Onesimo penitus reconciliet; ita ut etiam eo quod maximum erat, aliquid multo majus Philemoni tribuat in Onesimo. Quem etsi fratrem dilectum vocat, tamen eundem & servum in carne dicit, significans Religionem Christianam mores tantum & animos hominum, non statum & conditionem secundum carnem mutare.

Vers. 17. *Si igitur.* Quasi dicat, ut rem hanc finiam.

Habes me socium. Tantis nimirum in rebus, quantæ Christianis inter se sunt communes, proinde si me diligis ut par est,

Recipe eum sicut me. Id est, eadem benevolentia qua me reciperes ad te venientem. Quare? Quia Onesimus est alter ego, est mihi æque charus ac egomet mihi. Nihil potest Onesimo accidere sive boni sive mali quod ad me non pertineat.

Vers. 18. *Si vero quam injuriam tibi intulit*, εἰ δὲ ἠδίκησέ σε, *aut debet.* Etiam hic honestioribus verbis rem inhonestam contegit, id est, si quid fugiens secum abstulit, vel etiam ob furtum aut damnum illatum fugit. De ipso homine res videbatur confecta, restabant res interversæ. Etiam de his transigit Apostolus.

Hoc mihi imputa. Hoc meis rationibus tanquam debitum adscribe.

Vers. 19. *Ego Paulus*: quasi dicat, cujus fidem nosti, *scripsi mea manu.* Habes meum chyrographum. Apparet Epistolam hanc Pauli manu scriptam, quo tanto ponderosior esset, & testis major Paulini erga Onesimum affectus.

Ego restituam. Non fallam te.

Ne dicam tibi, quod etiam teipsum mihi debeas. Quasi dicat, non tantum hoc quod tibi debet Onesimus, non tantum tuas omnes facultates, sed etiam te ipsum. Per me enim servatus es & ad fidem in Christum adductus. Sed hoc meo in te jure uti nolo, debitorem tibi me pro Onesimo constituo. Vide quam Paulus in re aliena nihil egerit pro imperio! Dubitandum tamen non est, quin Philemon, pro sua pietate, cum Pauli moderatione certaverit obsequio, quod & futurum scite se mox dicit Apostolus ℣. 21.

Vers. 20. *Etiam frater*, ναὶ ἀδελφέ. Particula ναὶ hoc loco voventis & precantis est, ut Apocal. XXII. 20. Fratris appellatio vim habet obligandi Philemonis, ne Paulum hoc suo voto frustrari patiatur.

Ego te fruar, ἐγώ σου ὀναίμην. Quasi dicat, pro Onesimo scribens, fac meo voto me frui.

In Domino. Id est per Dominum, qui nobis mentem & voluntatem recte faciendi inspirat.

Refocilla mea viscera. Id est cor meum. Exprimit hunc fructum quem optat ex Philemone: quasi dicat, tu qui sanctorum aliorum viscera refocillas ℣. 7, refocilla & mea, per susceptionem nimirum Onesimi benignam, quem & ipsum pro visceribus meis duco ℣. 12.

In Domino. Id est per Dominum, ut modo. Habes Dominum recte factorum auctorem & ducem potentissimum. Ita etiam a precibus ad vota sese convertit Apostolus, & quid non movet ut Philemoni tergiversationem omnem adimat. Et ne videretur ob tam solicitam actionem dubitasse de Philemonis animo ac voluntate, addit:

Vers. 21. *Confisus obedientiæ tuæ, scripsi tibi.* Quasi dicat, non scripsi hæc ad te diffidens obedientiæ tuæ, sed potius ei plane confidens, alias enim a scribendo maluissem abstinere.

Sciens quod etiam super id quod dico facturus sis. Merito obedientiæ tuæ confisus scripsi tibi, cum probe sciam, te etiam supra id quod dico, (nempe his in literis) facturum esse. Ita mihi tua probitas & obedientia est perspecta. Hoc ad extremum telo conjecto, haud dubie plane confectum dedit Philemonem Apostolus, scire se dicens, plus eum facturum quam ipse dicat, seu rebus ac factis verba ac dicta sua superaturum. An ergo non faceret Philemon quæ dicta sunt, & tam longe Pauli de se persuasionem destitueret? Hic egregius est modus, quo probis non faciendi quæ postulamus pudor incutitur.

Vers. 22. *Simul autem & para mihi hospitium.* Nempe in domo tua, vel apud alium aliquem, prout ex usu erit.

Spero enim me per preces vestras. Id est propter vestras preces, διὰ cum genitivo pro propter,

Donatum iri vobis. A Deo scilicet, qui pro sua infinita potentia efficere potest ut dimittar ex vinculis & ad vos veniam. An hæc spes fuerit impleta dubium est. Nam qui scribunt Paulum in Hispania docuisse, propositum ejus Rom. XV. 28 pro re gesta videntur arripuisse. Cæterum hinc patet quam multum Apostolus tribuerit piorum precibus. Sic & Petrus, intenta precatione ecclesiæ, fuit liberatus Act. XII. 5, 6, & seqq.

Vers. 23. *Salutant te Epaphras*, de quo Col. I. 7. IV. 12, *captivus mecum in Christo Jesu.* Id est propter

Chriſtum Jeſum, ἐν pro σὺν, Hebraiſmus. Hunc primo loco nominat, propter captivitatis ob Chriſtum decus. Judæorum forte inſtigationibus & Epaphras in vincula fuit conjectus.

Verſ. 24. *Marcus.* Barnabæ conſanguineus, cujus mentio Act. XII. XV. Col. IV. 10.

Ariſtarchus. De hoc vide Actor. XIX. 29. XX. 4. XXVII. 2.

Demas. De hoc Col. IV. 14. 2 Tim. IV. 11.

Lucas. Hujus mentio Coloſſ. IV. 14. 2 Tim. IV. 11.

Cooperarii mei. Omnes Euangeliſtæ qui tum aderant Paulo. Timotheum enim Epiſtolæ una ſecum præſcripſit ỳſ. 7.

Verſ. 25. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro.* Intellige *ſit.* Voto concludit ad omnes ſpectante, quos in Epiſtolæ inſcriptione ſalutaverat. Spiritui nominatim ipſorum gratiæ Chriſti præſentiam apprecatur, quia in ſpiritus conſervatione longe plus ſitum eſt, quam carnis. AMEN.

Finivi per eandem Domini noſtri Jeſu Chriſti gratiam, quæ cum ſpiritu meo fuit, Selichoviæ 3/13 Septembris, Anno 1660.

Authoris in Epiſtolam ad Hebræos Commentarius, priori volumini, operibus Crellii Exegeticis eſt inſertus.

COM-

COMMENTARIUS
IN
priorem Epistolam
APOSTOLI
PETRI.

CAPUT I.

Vers. 1. PEtrus *Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis, Ponti, Galatiæ, Cappodociæ, Asiæ & Bithyniæ.* Petrus Syriace Kipha, Petra, & sic a Christo appellatus est. Græcis eadem significatione dicitur Πέτρος, unde Latinis Petrus voce Πέτρα, quia de viro dicitur, ad viri significationem deflexa. Petra cognominatus est à Christo, quod super ipsum tanquam super petram ecclesiam suam ædificaturus esset Matth. XVI. 18. Ecclesia, quæ credentium in Christum congregationem significat, super Petrum ædificata est, quatenus, Christo in cælum profecto, ædificata est super illius prædicatione & testimonio. Quæ etiamsi super aliorum quoque Apostolorum, imo & Prophetarum Novi Fœderis prædicationem & testimonium ædificata sit Eph. 2. 20, tamen Apostolus hic, peculiariter Petræ seu Petri nomen accepit, quod inter cæteros Apostolos ordine primus, & auctoritate præcipuus, sermone & miraculis maxime insignis, & aliorum Apostolorum coryphæus, futurus esset.

Apostolus Jesu Christi. Non igitur officio & munere super cæteros Apostolos, sed unus ex numero Apostolorum. Ergo nec munus & officium ejus magis ad successores transire potuit, quam munus & officium Apostolicum. Neque sane id fieri potuit. Quisquis enim Petro defuncto successit, ipse super petra ædificatus est. Nam si non est, non tantum petra non est, sed neque ad ecclesiam, quæ super petram est ædificata, pertinet. Ecclesiæ petra fundamentum est, ecclesiæ proinde primus in structura lapis, cui cæteri lapides, id est Christiani superstruantur. Qui igitur Apostolos secuti sunt Christiani, omnes super Apostolos ædificati sunt, & præcipue super Petrum. Nullus igitur eorum petra esse potest.

Electis. Nempe a Deo, ex aliorum hominum numero propter fidem in Jesum Christum. Christianos designat, qui soli sunt electi Dei.

Advenis, παρεπιδήμοις. Exprimit quibus electorum seu Christianorum epistolam hanc inscribat. *Advenis*, inquit, alienam in terram, alienum in solum delatis. Judæos gente significat, extra patriam suam aliis in terris degentes.

Dispersionis Ponti &c. Advenas istos, gente Judæos restringit. *Dispersionis*, id est, qui sunt ex dispersione seu ex dispersis.

Ponti &c. Id est, per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, nempe minorem, Bithyniam. Genitivi sunt locorum seu regionum. Sic *dispersio Græcorum* Joh. VII. 35, dispersionem inter Græcos designat. Erant enim & aliæ regiones per quas Judæi erant dispersi, quibus Epistolam hanc non inscribit; credo, quod aliis in terris & regionibus, alii Apostoli, & ipse Petrus, Israëliticæ genti dispersæ prædicaret. Scribit ad Judæos gente, quod Judæorum non Gentium Apostolus esset Gal. 2. 7, 9, quibus Paulum Apostolum sciebat a Christo deputatum esse. Apparet hinc, Epistolam istam, si ejus inscriptionem spectes, non recte appellari catholicam, quanquam si dogmata ipsa spectes, vere sit catholica.

Vers. 2. *Secundum prænotionem Dei Patris, in sanctificatione Spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Jesu Christi. Gratia vobis & pax multiplicetur secundum prænotionem Dei.* Nempe electis. Nam quæ interjecta sunt, ad limitationem electorum pertinebant. Docet electionem credentium in Jesum Christum, rem non esse novam, si Dei consilium & decretum spectes, proinde nec ab hominibus excogitatam; sed a Deo ante secula præcognitam, & his temporibus ad effectum deductam.

Patris. Nempe Jesu Christi, & omnium in Jesum Christum credentium. Vox *Patris*, voci *Dei*, qua unus ille Deus designatur, apposita, docet, neminem alium Deum illum unum esse, quam Patrem, proinde voce Patris, voce Filii, non significari tales personas quarum sit Pater prima unius Dei per-

ſona, Filius ſecunda; ſed Patris voce ſignificari unum illum Deum, Filii Jeſum Chriſtum, ex Spiritu Sancto & virtute unius illius Dei conceptum, & ex Maria Virgine natum, verum; ſed appellatione Filii Dei κατ' ἐξοχὴν, plane hominem. Neque ſane Filius, credentium in ſe electionem prænoſſe ante ſecula potuit, cum & ipſe a Deo Patre ante ſecula præcognitus fuiſſe dicatur: extremis vero temporibus demum, ſicut & electio credentium in ipſum, maniſeſtatus & in effectu exhibitus ℣. 20.

Secundum prænotionem. Id eſt ex prænotione, proinde ex conſilio ac decreto, multo ante, imo ante ſecula facto, κατὰ pro ἐξ, ut verſiculo ſequenti.

In ſanctificatione ſpiritus, id eſt cum ſanctificatione ſpiritus: *ἐν* pro *cum*. Docet credentes iſtos in Jeſum Chriſtum ita eſſe à Deo electos, ut ſimul ſanctificati ſint à Deo per Spiritum Sanctum. Argumentum infallibile divinæ electionis. Niſi enim ab ipſo Deo fuiſſent electi, quo pacto Spiritum Sanctum à Deo accepiſſent? Sanctificatio ſpiritus dicitur, per genitivum medii vel inſtrumenti, pro ſanctificatione quæ fit per ſpiritum. Reticet Apoſtolus epitheton *ſancti*, quia in ipſa ſanctificatione intelligitur. Neque enim ſanctificatio per alium ſpiritum fieri poteſt, niſi per ſanctum.

In obedientiam &c. Docet in quid ſive ad quid credentes ſint electi, imo & ſanctificati. Ad duo, Primum, ad obedientiam, quam Lex præſtare non poterat Rom. VIII. 3, deinde ad obedientiam, nempe divinis præceptis per Chriſtum datis, obedientiam nimirum multo ſanctiorem ac perfectiorem, quam Lex literali ſenſu tradebat, quæque non in Legis ritibus, ſed in ſpirituali ac rationali cultu tota conſiſtat. *Nos ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ exſpectamus*, inquit alter Apoſtolus Paulus: *Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio quid valet, neque præputium, ſed fides per charitatem efficaciter operans* Gal. V. 5, 6.

Et aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti. Hoc alterum eſt ad quod eligimur & ſanctificamur: obedientiæ conſectarium, id eſt, ad expiationem peccatorum per ſanguinem Jeſu Chriſti obtinendam, quæ expiatione illa Legali multo itidem eſt perfectior. Nam & ſanguis Jeſu Chriſti Filii Dei omnium victimarum ſanguine ſine ulla comparatione præſtantior eſt. Expiatio per Chriſti ſanguinem porrigitur ad omnia anteacta peccata, etiam graviſſima, & tollit pœnas omnes, etiam æternæ mortis, & infert vitam æternam. Alludit Apoſtolus ad ῥαντισμὸν & aſperſionem ſanguinis victimarum Legalium, quæ in expiationibus fiebat Levit. XVI. 14, 15. Significat Judæos in Chriſtum credentes, & Chriſto obedientes, nullis amplius indigere victimis & expiationibus Legalibus. Habere eos Jeſu Chriſti ſanguinem, quo, ſi obediant Chriſti præceptis, perfecte & in perpetuum ab omnibus expientur peccatis. *Si in Luce ambulemus*, inquit Apoſtolus Joannes, *ſicut Deus eſt in luce, communionem habemus invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti Filii Dei purgat nos ab omni peccato* 1 Joan. I. 7. Aſperſio ſanguinis dicitur pro expiatione, per metonymiam cauſæ.

Gratia vobis. Nempe, Dei Patris & Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Et pax. Id eſt beatitas, Hebræa phraſi, gratiæ divinæ effectus.

Multiplicetur, πληθυνθείη. Augeatur, creſcat quammaxime & copioſiſſime.

Verſ. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum multam ſuam miſericordiam regenuit nos in ſpem vivam per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis.* Mentione facta electionis ad obedientiam, laudibus extollit Deum pro hoc tanto beneficio.

Benedictus. Intellige eſt. Εὐλογητὸς, benedictione, id eſt omni laude & gloria & gratiarum actione digniſſimus.

Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Deſcribit Deum illum unum. Qui olim appellabatur Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi, Deus Iſraëlis, nunc appellatur Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ita Deus, ut ſimul ſit Pater, idque omnium excellentiſſima ratione, Jeſu Chriſti. Chriſtus enim omnium excellentiſſima ratione Dei Filius dicitur. Ideo & abſolute ac ſubjective Filius Dei, vel cum articulo excellentiæ indice, ὁ υἱὸς, vel Filius unicus ſeu unigenitus nominatur. (Nam quod in Græco ad vocem μονογενὴς addatur vox υἱὸς, id fit propter commune genus vocis μονογενοῦς,) Id enim habet Chriſtus ille Dei quod ex Spiritu Sancto & virtute Dei in utero virginis matris ſit conceptus, & genitus, quod ſit in ſingulariſſimum & chariſſimum Filium a Deo electus, quod ſit ſingulariſſima ratione ſanctificatus, & in mundum miſſus, quod ſit ex morte ad vitam ſempiternam genitus, quod ſit omnium Dominus & hæres à Deo effectus. Ex quibus tantis divini erga Chriſtum amoris effectis, apparet eum ex omnibus filiis, Deo chariſſimum & unice, id eſt ſumme dilectum eſſe. Quia vero Deus ille unus, hoc titulo Dei & Patris Domini noſtri Jeſu Chriſti deſcribitur, apparet hinc ſolum Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti unum illum Deum eſſe; certe non minus quam cum titulo Dei Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Dei Iſraëlis, deſcribitur, conſequitur, ſolum Deum Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Deum Iſraëlis, unum illum Deum eſſe. Neque etiam minus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ab uno illo Deo, quam Abraham, Iſaac, Jacob, Iſraël, diſtinctus eſſe oſtenditur. Nam & Jeſu, & Chriſti, id eſt uncti, hominis ſunt nomina, & Jeſus Chriſtus, noſter Dominus eſſe dicitur; Deus vero ille unus, iſtius noſtri Domini Deus & Pater appellatur, qui ſcilicet Jeſum Chriſtum effecit Dominum noſtrum & Chriſtum ſuum Act. 2. 36. Qui hic proprietatem vocum, Patris & Filii imaginantur, non cogitant agi de Deo illo uno, & de homine Jeſu Chriſto: proinde per metaphoram à rebus humanis & naturalibus titulum Patris Deo illi uni, & titulum Filii ejus, Jeſu Chriſto tribui, ſicut & pleraque alia: cum de rebus divinis homines loqui non poſſint, niſi vocibus humanis. Proprietas vocum hic inferret, unum ſpecie, plures numero Deos; non ſecus quam pater & filius unus quidem ſunt homo ſpecie, ſed numero ſunt homines duo. Nam perſonas divinas diſtinguere & numerare, non numeratis Diis, omnem rerum rationem evertit, nec ullum habet intellectum. Patrem etiam & Filium, voces tantum diverſas eſſe, non diverſas perſonas & ſuppoſita, nugatorium eſt: Dari item Filium Dei ſingulariſſimum illum,

illum, ante & pręter hominem Jesum Christum, & hominem Jesum Christum naturam tantum humanam esse, quę ipsa per se persona non sit, sed in personam Filii Dei illius singularissimi assumta sit, vel Jesu Christi duas esse personas, vel duas personas in unam coaluisse personam, non tantum manifesta contradictione semet destruit; sed etiam Scripturę contradicit, quę Filium Dei singularissimum illum, ita nobis exhibet, ut is sit, quia Filius hominis est, qui si non esset, nec Filius ille Dei singularissimus esset Joan. v. 27.

Qui secundum multam suam misericordiam &c. Id est, pro sua multa misericordia. Docet Deum non tantum misericordem esse, sed etiam multæ misericordiæ, & nisi tam multæ misericordiæ esset, tanto beneficio nos miseros mortales non affecisset, qui & indignę ejus creaturę sumus, & multis, iisque maximis peccatis, non ulla ejus beneficia, pręsertim tanta & tam ingentia, sed extrema supplicia commeruimus.

Regenuit nos. Dei beneficum hoc narrare incipit. Alia exemplaria legunt *vos*, in secunda persona: sed cur pro aliis Deum benedictione efferret, & non simul pro se, in ejusdem beneficii participatione? Quasi dicat, nos, ex parentibus mortalibus antea genitos, ipse de novo genuit, dum nos alios & novos homines, sibi nimirum sanctitate & justitia similes facit. Significat sese antea moribus fuisse corruptis, & propterea procul absuisse à vita Dei, qua de re & Apostolus Paulus Eph. 2. ℣. 3. Deus igitur pro sua immensa misericordia effecit, ut Judæi novi fierent homines, novæ creaturæ, & sic idonei ad vitam æternam capessendam. Hoc idem Dei beneficium Apostolus Paulus aliis celebrat verbis: *Gratias agentes*, inquit, *Patri qui nos idoneos fecit ad partem sortis sanctorum in luce, qui eripuit nos ex potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilecti sui* Col. 1. 12, 13. Magnum est & magnæ misericordiæ, quod Deus justis dare velit vitam æternam: quanto vero majoris est & plane immensæ, quod ex injustis faciat justos, ut eis vitam æternam largiatur. Nimirum hoc Deum fecisse dicit Petrus, quod Nicodemo dixerat Christus, quamvis Judæo, quamvis Pharisæo, quamvis Doctori Israëlis, quamvis seni, neminem posse videre Dei regnum, nisi de novo nascatur, & ut ipse sua explicat verba, nisi nascatur ex aqua & spiritu, seu simpliciter, ex spiritu Joh. III. 3, 5, 6, 7, 8. Regenuit ergo Deus homines, ut ejus regnum videre, & in illud intrare possent. Per quod vero medium regeneratio ista facta sit, infra explicat Apostolus ℣. 23. Nempe per sermonem Dei quod Christi Euangelium est ℣. 25. Ex quo constat aquam & spiritum, seu simpliciter spiritum, in Christi verbis apud Joannem de Christi sermone seu Euangelio intelligendum esse, simul inclusa Spiritus illius Sancti copia in credentes à Deo per Jesum Christum Servatorem nostrum abundanter effusa, auctore & verborum Christi luculentissimo interprete Apostolo Paulo Tit. III. 5, 6, 7. Dicitur autem Deus nos regenuisse, ob sermonis & spiritus sui in regenerandis nobis efficaciam, quamvis forte non in omnibus consequatur effectus, propria culpa divini sermonis & spiritus efficaciam impedientibus. Neque enim Deus ita in nobis justitiam & sanctitatem operatur, ut virtuti locum relinquere nolit. Recte dictum est ab Augustino: Deus qui te creavit sine te, non te servabit, (proinde nec regenerabit) sine te.

In spem vivam. Ut Dei hoc beneficium tanto magis extollat & deprædicet, ostendit ad quid seu cui bono Deus nos regenuerit: *In spem*, vel ad spem *vivam*. Hoc unum est bonum, idque eximium, ad quod regenerati à Deo sumus: ad spem, nempe hæreditatis, ut sequenti commate exprimitur, hæreditatis nimirum Dei, à quo regeniti sumus. Alludit Apostolus ad parentes qui filios generant in spem hæreditatis. Et nos igitur Deus regenuit ut spem haberemus hæreditatis suæ cælestis; qua spe interea fruimur & animos nostros oblectamus unice, donec ipsa res, ipsa hæreditas adveniat. Ingens profecto in hac mortali vita bonum, cujus mentionem nec Apostolus Paulus omisit, cum de eadem hæreditate & regeneratione loco ad Titum memorato loqueretur. Docemur nemini sperandam esse cælestis regni hæreditatem, nisi regenito, quod & Christus ipse, cum repetita asseveratione & ingeminatione vocis *Amen*, Nicodemo dixit Joh. III. 3, 5. Et Paulus Apostolus loco dicto: *Secundum*, inquit, *misericordiam suam servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti &c.* Nimirum Patri cælesti per regenerationem similes, & sic filios ejus fieri prius nos oportet, si volumus ejus fieri hæredes. *Vivam.* Docet Apostolus ad quam seu qualem spem cælestis hæreditatis nos Deus regenuerit. *Ad spem vivam*, non ad spem aliquam languidam & dubiam, seu ad spei quoddam simulachrum anima & vita cassum, & veræ ac solidæ spei sic similem, sicut mortuum corpus vivo est simile; qualis spes antea multis non defuit: sed ad spem vivam, id est anima sua, (per metaphoram enim loquitur Apostolus) sua vera forma præditam, id est certam, solidam, minimeque dubiam, & ad animos nostros miro gaudio replendos & resovendos efficacissimam.

Per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. Docet per quod medium hanc spem vivam animis nostris inseruerit, eamque effecerit: *per resurrectionem Christi ex mortuis.* Sanguinis & mortis Christi mentione facta, recte & commode resurrectionis ejus ex morte meminit. Nam per sanguinem & mortem Christi habemus expiationem peccatorum, per resurrectionem spem vivam & spei istius effectum, nempe vitam æternam. Significat Apostolus antequam Jesus Christus ex mortuis resurgeret, spem æternæ vitæ non fuisse vivam. Semper enim hominum animis mors obversabatur & corruptio, ex qua nondum quenquam viderant & cognoverant ad vitam immortalem evasisse. Sed postquam Deus Jesum Christum ex mortuo vivum fecit, simul etiam spem nostram fecit vivam, & Christo animam & vitam reddendo, spei quoque nostræ animam & vitam indidit. *Si enim credimus*, inquit Apostolus Paulus, *quod Jesus mortuus est, & resurrexit; sic & Deus eos qui obdormiverunt per Jesum ducet cum ipso* 1 Thess. IV. 14. Nam ex Jesu Christi resurrectione patet Deum & posse nos ex mortuis suscitare,

quia Jesum Christum suscitavit, & velle, quia id per eundem promisit, & omnino suscitaturum esse, quia nos regenuit, suos filios, & Jesu Christi membra, unumque cum Christo corpus, cujus ille caput est, effecit, ipsique Christo potestatem nos resuscitandi & vitam æternam nobis donandi contulit. In resurrectione enim Jesu Christi includi debent omnia resurrectionis ejus consequentia, id est Christi cælestis gloria, regnum, & omnis in cælo & in terra potestas. In hoc enim Christus est mortuus, & resurrexit, & revixit, ut & vivis & mortuis dominaretur Rom. XIV. 9. Hinc Christus principium, primogenitus ex mortuis, primitiæ eorum qui obdormiverunt dicitur, quia in Christo resurrectio ex mortuis ad vitam æternam non consistet, sed porrigetur ad omnes qui Christi sunt. Vide 1 Cor. XV. 20 & seqq. Ubi etiam Apostolus ex resurrectione Christi, nostram resurrectionem infert & firmiter concludit ℣. 12, 13 & seqq. Hic vidimus Deo resurrectionem Jesu Christi deberi. Nam cui debetur finis, eidem debentur & media quæ fini adipiscendo adhibuit. Ideo alibi aperte dicitur Deus Jesum resuscitasse ex mortuis, Deus nimirum & Pater ejus, ut & hic & Gal. 1. 1 habetur, & quia Deus à Jesu Christo distinguitur, eique tanquam diversus opponitur, quis alius intelligi potest quam Pater? Et sane si Jesus Christus ita mortuus esset, ut mortuus non solum viveret, sed etiam se ipsum resuscitandi vim haberet, atque adeo resuscitasset; ubi maneret spes nostra viva? Nos enim cum morimur, bona fide morimur, nullas nosmet ex mortuis resuscitandi vires, ac ne vitam quidem mortui, nisi in Dei Christique gratia & potentia habemus. Itaque cum Christus dicitur ex mortuis resurrexisse, hoc eodem modo intelligendum est, quo & alii omnes mortui resurrecturi dicuntur, nimirum quia divina potentia revocabuntur in vitam. Deo igitur & Patri Domini nostri Jesu Christi, in solidum, sicut spes nostra viva, sic & Jesu Christi ex mortuis resurrectio debetur. Ille solus hoc nomine benedicendus & laudibus ac gloria extollendus est. Verba, *per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*, possunt etiam considerari tanquam medium nostræ regenerationis, non tantum tanquam causa spei vivæ. Etsi enim Deus nos regenuit per sermonem Euangelii, ut infra dicitur ℣. 23, quia tamen hic sermo maximam vim sumit ex resurrectione Christi, merito & hæc pro medio regenerationis nostræ statuitur. Admiranda vero est Dei misericordia, qui Filium suum in mortem dedit, ut in illo nobis exemplum resurrectionis ex mortuis exhiberet. Et quia tanto salutis nostræ amore, Filium suum mori voluit, omnem porro suum amorem in nos effudit, tradens eum in mortem violentam, eamque omnium dirissimam & ignominiosissimam, ne ullum mortis genus fidem ac spem nostram turbaret.

Vers. 4. *In hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarcescibilem, quæ servata est in cælis in nos.* Hoc alterum bonum est ad quod nos Deus regenuit, seu alter regenerationis nostræ scopus & fructus, ipsa nimirum hæreditas regni Dei & Patris nostri. Bonum prorsus immensum & infinitum, & vere multæ, imo immensæ & infinitæ Dei misericordiæ effectum. Quid enim est homo, quid hominis Filius, ut Dei hæres fieri debeat? Et tamen Deus nos ad hanc hæreditatem non minus quàm ad spem illius vivam regenuit, quæ hæreditas regenitos tam certo manet, quam spes illius viva est, & quam certum est Jesum Christum resurrexisse ex mortuis, & rerum omnium à Deo hæredem, nostrumque Dominum & caput & Servatorem constitutum esse.

Incorruptibilem. Ἄφθαρτον, corrumpi nesciam. Quia per hæreditatem intelligit vitam, ideo epithetis utitur vitæ magis convenientibus, quanquam ex comparatione cum coronis, victoribus olim dari solitis, quæ omnes, & corrumpebantur, & contaminabantur, & marcescebant. At hæreditas & vita illa est ἄφθαρτος, id est corruptioni & morti non obnoxia, æterna, immortalis, nullo unquam fine & exitu terminanda.

Et incontaminatam, ἀμίαντον. Quod à coronis illis, ad vitam æternam translatum, significat vitam nulla ægritudine, nulla tristitia, nullo dolore & adversitate, nulla re quæ eam ingratam reddat, pollutam, pura & mera voluptate ac jucunditate refertam.

Immarcescibilem. Ἀμάραντον, non marcescentem, quæque marcescere non potest, secus quam coronæ illæ, quæ citò emarcescebant. Hac metaphora significatur vita, de cujus gratia & suavitate nulla unquam secula quicquam decerpent ac debilitabunt, semper erit virens, semper recens, semper nova, nullum unquam illius tædium, nulla satietas animis subrepet, nunquam senescet. Utrumque istorum æternæ & immortalis vitæ optime convenit. Nam vita præsens, quia multis ægritudinibus & adversis contaminatur, & ipsa ætate marcescit ac senescit, merito etiam morti & corruptioni subjecta est.

Quæ servata est in cælis. Docet ubi hæreditas ista servata, id est asservata & reposita sit. *In cælis*, inquit: nam in terris tali bono ac vitæ tali coronæ nullus est locus, ubi omnia cum Luna & syderum motu mutationi sunt obnoxia, & tandem intereunt. Intelligit autem cælos altissimos & supra omnia sydera positos, seu lucem illam inaccessam, in qua Rex ille Regum & Dominus dominantium, beatus ille, & solus potens, & solus immortalitatem habens habitat 1 Tim. VI. 15, 16. Et illa Col. 1. 12 Apostoli Pauli verba, *idoneos nos fecit ad partem hæreditatis sanctorum, in luce*, de eadem hac luce in qua Deus habitat, accipi possunt. Ibi enim est sors ac hæreditas sanctorum, ubi Deus Pater ipsorum habitat. Et Petrus Apostolus 2 Petr. III. 13: *Cælos*, inquit, *novos & terram novam secundum promissionem ejus exspectamus, in quibus justitia habitat*, proinde & justi habitabunt.

In nos. Id est nobis, εἰς ὑμᾶς pro ὑμῖν per Hebraismum, ut infra ℣. 25. Nam *lamed* articulus dativi casus per propositionem εἰς indicatur. *Nobis.* Id est Christianis à Deo regenitis. Nihil enim pollutum & inquinatum eo ingredietur, nec injustis ibi locus est, ubi justitia habitat, & ubi injustitiæ nullus est locus. Ideo dicto loco subjicit Petrus: *Propter hoc dilecti studete, ut sine macula & reprehensione inveniamini ab ipso in pace* ℣. 14. Et Apostolus Paulus: *An nescitis*, inquit, *quod injusti regni Dei hæredes*

non

non fient? Ne erretis. Neque scortatores, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque conviciatores, neque rapaces regni Dei hæredes fient 1 Cor. VI. 9, 10.

Vers. 5. *Qui in potentia Dei custodimur per fidem, in salutem paratam revelari in tempore ultimo.* Exprimit Dei circa nos actionem, ne quis inter tot hostes & pericula, præsertim mortis & corruptionis, de salute & hæreditatis istius adeptione desperet. Notanda autem est in verbis Petri periodorum ac rerum concatenatio, ita ut quæ res unam finivit, eadem alteram inchoet sententiam. Sic isto fit versiculo, sic sequenti versiculo 6, sic ℣. 8, sic 10. Dicit igitur Apostolus

Nos in potentia Dei custodiri. Id est per potentiam Dei invictam, & cui omnia cedere coguntur, etiam mors ipsa & infernus, ultimus noster hostis. *Custodimur*, φρουρούμενοι, veluti præsidio undique cincti, ne quis vel quidquam saluti nostræ nocere, eamve impedire possit.

Per fidem. Nempe nostram Christianam, quæ est in Deum per Jesum Christum, ut ℣. 21 dicitur. Hæc sola nobis sufficit, dummodo sit viva & per charitatem efficaciter operans, & sic suis abundet fructibus, quamvis Legis opera nullus habeat. Fidem inculcat Apostolus. Quia hęc variis oppugnatur tentationibus, adversus quas etiam mox præmunit, & fidem iis quam maxime commendat. Docet Apostolus quid nostri sit officii, seu quid nostra ex parte requiratur ad salutis adeptionem. Omne hoc fides nostra complectitur, sine qua, sicut servari non possumus; sic, si in ea constanter perseveremus, haud dubie per Dei gratiam & potentiam conservamur. Fides regenerationis nostræ fundamentum est & causa. Nam qui Christo confidit fore ut ab ipso asseratur in vitam ętemam totum se Christo regendum tradit, & sic novus homo fit.

In salutem. Finem custodiæ istius divinæ exprimit, custodimur nimirum ut servemur, id est ut ex morte & inferno, ex omnium hostium nostrorum potestate, ex omnibus adversis, ipsaque adeo mortali & corruptibili natura nostra liberemur, & vitæ æternæ secundum spem nostram hæredes fiamus.

Paratam revelari. Docet nihil ad salutis nostræ effectum & executionem deesse, nisi tempus huic rei à Deo destinatum. Omnia jam parata sunt. Sic & infra IV. 5, de judice vivorum ac mortuorum Christo loquitur. *Revelari*, id est effectu ipso præstari & exhiberi. Jam quidem est salus nostra, si Dei decretum & constitutionem spectes, sed nondum ad effectum perducta est. Effectu sui revelabitur, quæ nunc in Dei consilio ac decreto tecta est. Sic infra de Christo, *præcogniti ante constitutionem mundi, manifestati autem ultimis temporibus propter vos* ℣. 20. Manifestatus dicitur, cum ante secula præcognitus ipso effectu est exhibitus.

In tempore ultimo. Docet quo in tempore revelabitur salus nostra. Intelligit tempus mundi ultimum, cum scilicet mundi finis aderit. Docet Apostolus non ante nos salvatum iri facto ipso, quam in fine mundi. Mundo intereunte, nos salvabimur. Cui consentiens Apostolus Paulus: *Omnes*, inquit, *in Christo vivificabuntur* (qua in re salus nostra consistit) *quisque in suo ordine, primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi in adventu ipsius* 1 Cor. XV. 22, 23. Ideo & coronam justitiæ sibi datum iri dixit in illa die 2 Tim. IV. 8. Mundi enim finis, & Christi adventus, seu dies adventus Christi in unum tempus incident. Hinc & paulò post ℣. 7, pro tempore ultimo ponit Petrus revelationem Jesu Christi, qui veniet & revelabitur, ut mundo finem imponat, sanctis omnibus in mundum illum novum translatis. Dices, ubi ergo interea sunt sancti mortui? In paradiso, in sinu Abrahami, cum Christo sunt. Quo pacto? Inquies. Eo pacto, quo id mortuis & necdum ex morte suscitatis, & effectu ipso servatis, conveniat. Nimirum Deus alios sine aliis servari non vult, ut omnes simul maxima sua cum gloria servet Hebr. XI. 39, 40. Hinc videmus quam vani sint omnes, qui mortuos cælestibus religionibus colunt & invocant.

Vers. 6. *In quo exultatis paulum nunc, si opus est, contristati in variis tentationibus.* Versiculum hunc cum superiori connectens, docet quanto gaudio sint in ultimo isto tempore exultaturi, ut objectioni occurrat, quæ variis ex Christianorum afflictionibus, quas propter fidem patiebantur, moveri poterat.

Exultatis, ἀγαλλιᾶσθε. Id est exultabitis, præsens pro futuro. Tam enim hoc certo futurum est, atque si jam esset. Itaque eos jam in illa ipsa lætitia & exultatione ponit, propter majorem emphasin.

Paulum nunc, si opus est, contristati. Quasi dicat, ne vos quidquam moveant ac turbent, si quæ nunc propter fidem vestram sanctissimam patimini.

Paulum, ὀλίγον. Parva ista sunt & exigua, & exiguum ad tempus duratura.

Nunc. In præsenti hac vita.

Si opus est. Significat Deum non permittere nos propter fidem affligi, nisi opus sit, id est nisi id vel ejus gloria, vel nostra propria & aliorum salus requirat. Ingens profecto in afflictionibus nostris solatium!

Contristati. Exultationi & gaudio futuro opponit tristitiam præsentem, quæ in gaudium & exultationem æternam mox vertet.

In variis tentationibus. Id est per varias tentationes. Causam tristitiæ exprimit: tentationes, id est afflictiones varias propter fidem in Christum, quæ tentationes vocantur, quod per eas à Deo quidem probetur & exploretur & in apertum deducatur fides nostra, à diabolo autem & adversariis sollicitemur ad defectionem à fide. Videmus Christianos etiam tristari, cum causæ tristitiæ adsunt, afflictiones videlicet & calamitates variæ: sed quia spem habent gaudii illius & exultationis in regno Patris sui cælestis, æquo & moderato animo adversa tolerant; præsertim quę sciunt tentandi sui causa sibi inferri, ut fidem suam Deo approbent, & diaboli omniumque adversariorum sollicitationes frustrentur. Varias autem tentationes dicit, ne ulla earum species nos conturbet.

Vers. 7. *Ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod perit, per ignem vero probatur, inveniatur in laudem & honorem & gloriam, in revelatione Jesu Christi;*

Christi. Exponit finem propter quem Deus variis afflictionibus tentari nos permittat, qui nostrum insigne bonum continet.

Ut probatio vestræ fidei. Id est ut probata fides vestra, Hebræa phrasi, per duo substantiva pro substantivo & adjectivo, ut fides vestra bene explorata.

Multo pretiosior auro. Confert fidem nostram cum auro quo nihil inter mortales habetur pretiosius, nec magis æstimatur. Ait, fidem nostram probatam, auro non tantum pretiosiorem, sed multo pretiosiorem esse. *Quod perit*, τοῦ ἀπολλυμένου. Causam exprimit ob quam fides nostra multum sit auro pretiosior. Quia aurum perit, id est amittitur & perditur, & deteritur, vel etiam quia in mundi interitu & ipsum interibit una cum mundo: fides autem probata, & ad extremum constans, bonum est quod non perit, non amittitur unquam, ac ne in mundi quidem totius interitu peribit, imo tum demum vel maxime per suos fructus & effectus effulsura est, ut mox Apostolus docebit. *Per ignem vero probatur.* Hoc addit de auro, ut doceat fidem quoque nostram, quæ auri rationem habet coram Deo, merito per afflictiones, quæ igni respondent, probari. Nam & afflictiones urunt, id est & animo & corpori dolorem adferunt; ideo eas infra πύρωσιν, quę ad πειρασμὸν, id est tentationem nostram fiat, Apostolus appellat cap. 1 v. 12. Et sicut ignis aurum falsum & adulterinum consumit, & sic verum non fuisse aurum ostendit; verum autem, non tantum non consumit; sed etiam purius ac perfectius reddit: sic afflictiones, falsam & adulterinam fidem elidunt; veram autem multo clariorem & illustriorem efficiunt. *Inveniatur.* Significat, fidem quamvis periisse & interiisse videatur, hominibus intereuntibus & pereuntibus; tamen inventum iri suo tempore, & longe ab omni periculo perditionis & amissionis abesse, secus quam fieri solet auro perdito. Fides igitur probata & explorata, vera sunt bona, veræ divitiæ, veræ possessiones, cæteris omnibus bonis & possessionibus pereuntibus & amissis, hęc sola invenietur, à Deo nimirum asservata, imo propter hanc & per hanc nos ipsi qui periisse videbamur, reperiemur & salvi erimus ac superstites. Ita aurum perit, fides reperitur. *In laudem &c.* Id est ad afferendam nobis laudem &c. Docet quę commoda ac bona nobis sit allatura. Nam & aurum idcirco est in pretio, quod multis commodis hominem beet. *Invenietur*, inquit, *in laudem.* Aurum enim laudatur ab hominibus, & auri divites. At fides probata, in summa laude est apud Deum. Docet Apostolus, fidem ipsorum probatam, maximam iis laudem allaturam esse; cum scilicet Deus ipse, & Filius ejus Jesus Christus coram omnibus sanctis, & Angelis, & hominibus, fidem cujusque ipsorum, per varias tentationes exercitam & expertam, ore suo commendabit & celebrabit, & meritum cuique præconium tribuet. Tribuet autem non mortuis, sed vivis & in vitam revocatis, ut suas quisque laudes audiat, iisque semper vivens, in æternum fruatur. *Et honorem.* Cum cuique propter fidem probatam & exploratam, maximum honorem Deus & Christus habebit, maxima quemque dignitate afficiet. Hinc Christus ipse: *Qui mihi servit*, inquit, *hunc honorabit Pater* Joan. xij. 26. Nam & aurum honores ac dignitates hominibus apud homines conciliat.

Et gloriam. Cum Deus & Christus propter eandem fidem cuique tantum splendorem attribuet, ut omnium Regum splendor & gloria præ illo pro nihilo sit. Matth. xiij. 43. Phil. iij. 21. Justi enim refulgebunt tanquam Sol in regno Patris sui, cum Christus transformabit corpora nostra humilia ut fiant conformia corpori suo glorioso. Convenienter auro gloriam quoque commemorat Apostolus. Nam & hominum ac Regum splendor maximus est ex auro, & propter aurum. Ut igitur hæc tanta bona consequamur, Deus fidem nostram probari vult.

In revelatione Jesu Christi. Docet quando fides nostra hæc tanta bona nobis adferet. Tunc scilicet cum Jesus Christus revelabitur, id est cum veniet ex cælo, in Patris sui gloria, & omnium hominum oculis sese conspiciendum dabit, tanquam judex omnium, cuique mercedem tribuens pro meritis. Vide Coloss. iii. 3, 4.

Vers. 8. *Quem cum non videritis, diligitis; in quem nunc non intuentes, credentes autem, exultatis gaudio inenarrabili & glorificato.* Mentione revelationis futuræ Jesu Christi facta, annectit id quod ad illorum laudem & commendationem, simulque & exhortationem pertinebat. Laudibus enim incitantur homines, iisque ad recte facta continuanda magnum additur calcar. Laudat eos quod Jesum Christum diligant, quamvis eum nunquam viderint. Qua in re superabant ipsum Petrum & Apostolos, omnesque alios sanctorum, qui Jesum Christum & ante mortem viderant, & à mortuis resuscitatum, ac in cælos ascendentem. Multum ad amorem facit conspectus; at qui Christum amant, quamvis eum nunquam viderint, tanto majori laude digni sunt, quanto hoc quam illud difficilius est. Amabant autem Christum, quia pro nomine illius dura sustinere non recusabant. *In quem nunc non intuentes*, εἰς ὃν ἄρτι μὴ ὁρῶντες. Quem non videntes vel aspicientes: particula εἰς ex Hebraismo adjecta. *Credentes autem.* Alterum est quod in illis commendat, prioris illius efficiens causa, quod Christum nunc non aspiciant, credant autem in ipsum. Nimirum fides est credere quod non vides, & credere in eum quem non vides. Apostoli quidem etiam ipsi tum non videbant Christum, sed tamen eum viderant, idque à mortuis suscitatum & in cælos ascendentem. Ideo Christus ad Thomam: *Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderint & crediderint.* Beati igitur sunt omnes qui Christum nec viderunt antea, nec nunc vident, oculis corporis; at vident & intuentur oculis mentis, & in eum firma fide credunt, & quem non vident, tanquam videntes, constanter & patienter exspectant, sicut Moses quondam Deum exspectasse, Auctori ad Hebræos dicitur cap. xi. ℣. 27.

Nunc. Significat, nunc quidem ipsos in Christum non intueri, sed fore tempus quo in eum sint intuituri, & illius videndi desiderium abunde expleturi. *Exultatis gaudio inenarrabili & glorificato.* Ut eos non sola laude, sed etiam immenso præmio ad constantiam istius amoris ac fidei excitet, docet quid eos propterea maneat. *Exultatis*, id est exultabitis, tam certo quam si jam nunc exultaretis,

eadem

eadem qua supra enallage præsentis pro futuro *vs.* 6. Nam & mox causam istius exultationis exprimens, præsenti tempore utitur pro futuro.

Reportantes, inquit, *finem fidei vestræ &c.* Utramque simul conjungit, gaudium istud, & reportationem mercedis tanquam effectum & causam.

Gaudio inenarrabili. Docet quanto gaudio sint exultaturi, cum Jesum Christum oculis suis præsentem videbunt, quem nunquam visum, tantopere dilexerunt, & in quem tam firmiter & constanter crediderunt; cum videbunt se fide sua minime frustratos fuisse, & rebus ipsis experientur quam recte fecerint, quamque sibi recte consuluerint. Gaudium hoc est inenarrabile, id est tantum & tale, ut id nullius lingua possit explicari.

Et glorificato, *δεδοξασμένῃ*. Id est tali ac tanto, quale & quantum eorum est qui in maxima sunt gloria, in maximo splendore ac dignitate, & rerum omnium desiderabilium & jucundarum maxima copia & affluentia. Regum puta, & Imperatorum, quorum, ut ille dixit, tacitum pertentant gaudia pectus, nisi quod hoc ipsorum gaudium glorificatum, ne umbra quidem sit illius vere ac solide glorificati gaudii. Regum enim gloria terrena est, nostra cælestis; illa humana, hæc divina; illa temporaria, hæc æterna; illa multis tristibus polluta, hæc syncera & liquida, nullis adversis contaminata. Gaudium glorificatum dicit, tribuens gaudio quod hominum erit, qui propter glorificationem sui gaudebunt, vel gaudium intelligit gloriosum seu cum gloria conjunctum. Opponit Apostolus hoc gaudium tristitiæ, quæ ex variis afflictionibus & ignominiis propter Christi nomen oriatur. Tristitiam igitur ignominiosam solabimur gaudio glorioso. Et sane ingenuos non tam dolores corporis affligunt, quam probra & ignominiæ, ut merito Auctor ad Hebræos peculiariter hoc in Christi cruce ac patientia notaverit cap. XII. 2. Sed sicut Christo crux ignominiosissima & probrosissima, non tantum cælestem voluptatem; sed & immensam gloriam attulit, sic & nobis afferet. Ideo & Apostolus Paulus, saluti, quam per Christum Jesum adepturi sint electi, pro Christi nomine patientes, æternam gloriam adjunxit 2 Tim. 2. 10.

Vers. 9. *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* Causam istius tanti ipsorum gaudii exprimit. Quomodo enim gaudio non exultent credentes, finem fidei suæ reportando? *Finem fidei*, id est id quod se reportaturos esse credunt: *vestræ*, id est Christianæ. Fidei nimirum in Jesum Christum, quæ est in ipsum fiducia, reportandi ab ipso quæ pollicitus est, cum suis effectis & fructibus, id est mandatorum ejus observatione conjuncta. *Salutem animarum.* Exprimit hunc finem, qui est salus animarum, salus omnium maxima & perfectissima, qua, licet corpora intereant, animæ conservantur, ut iterum corporibus à Deo præparatis, id est cælestibus rejungantur. Ad eandem salutem animarum pertinet, ut illi qui vitam vivunt mortalem, corpora superinduant cælestia, & momento immutentur ac fiant immortales, quod credentibus eveniet omnibus, quos viventes Christus adveniens invenerit. Cum hac animarum salute conjuncta est & redemptio ac liberatio corporum, in mortuis quidem a morte, in viventibus autem à mortalitate, & quæ mortalitatem comitantur & consequuntur malis. De qua liberatione vide Rom. viij. 23. Tanti igitur boni reportatio, efficiet ut gaudio isto exultent ineffabili & glorificato omnes pii. Videmus hic salutem animarum in Christi demum adventu nos adepturos esse. De eadem enim hic agit salute, de qua *vs.* 5 egerat. Et animæ quamdiu sine corporibus sunt, aut in corporibus degunt mortalibus, nondum suam salutem adeptæ sunt.

Vers. 10. *De qua salute exquisiverunt & perscrutati sunt Prophetæ, qui de gratia in vos prophetarunt.* Verba hæc cum antecedentibus suo more connectens docet, quanta sit ipsorum beatitas, quod salutis istius tantæ nuntium acceperint; quam Prophetæ quidem annuntiatum iri prædixerint; cæterum ipsi nuntium hunc non audiverint, nec ea quæ futura canebant, sibi ministraverint, sed nobis, quæ nunc annuntiata sint ipsis. *De qua salute.* Id est de cujus salutis nuntio & exhibitione, in generali eam cognoscentes, *exquisiverint & perscrutati sunt Prophetæ*, nempe id quod sequenti versu dicitur. *Qui de gratia in vos prophetarunt.* Causam & occasionem exprimit, quam habuerunt Prophetæ de salute ista perscrutandi & exquirendi. Quia nimirum de gratia in vos prophetabant. Quibus verbis simul docet gratiam per Jesum Christum allatam, Prophetarum oraculis fuisse prædictam, ut Christianos tanto magis in fide confirmet. Quia igitur Prophetę videbant se magnam Dei gratiam, qua Deus populum suum per Messiam complexurus esset, prædicere; hinc causam & occasionem sumebant de gratia & salute ista exquirendi & perscrutandi. *De gratia erga vos*, *περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος.* Id est de gratia qua vos Deus complexus est, & quam vobis exhibuit, Messiam mittendo & exhibendo, & omnibus in ipsum credentibus vitam æternam promittendo, justitiam ex gratia imputando, Legis jugo exsolvendo, omnes ad spem vivam & hæreditatem regni cælestis regenerando, Messiam pro peccatis omnium victimam dando, eumque propter justificationem ac salutem nostram ex mortuis suscitando, & rerum omnium Dominum efficiendo.

Vers. 11. *Scrutantes in quod vel quale tempus manifestabat, qui in ipsis (erat) spiritus Christi, qui ante testabatur de his quæ in Christum ventura erant perpessionibus, & has quæ post ea ventura erant glorias.* Exprimit quid de salute ista exquisiverint & scrutati sint.

Scrutantes. Sagaci nimirum mente omnia inter se conferendo ac reputando.

In quod aut quale tempus &c. Videbant spiritum Christi, qui in ipsis erat, manifestare ejus adventum, ad annuntiandam & afferendam populo ingentem salutem & maxima bona. Scrutabantur ergo, *in quod*, *aut quale tempus* manifestationis istius seu vaticiniorum suorum effectus incideret. Nimirum quia unice cupiebant, ut id viventibus ipsis eveniret, quod & Christus ipse asseruit Matth. xiij. 16, 17. *In quod*, temporis quantitatem inquirebant, *aut quale tempus*, si quantitatem indagare non possent, ut saltem qualitatem aliquam & notam temporis istis indagarent.

Manifestabat. Prædicendo nimirum. Tribuitur autem spiritui actio, quæ proprie erat Dei & Prophetarum, quod per spiritum fieret.

Qui in ipsis, τὸ ἐν αὐτοῖς. Intellige ὂν, qui in ipsis erat. Erat autem Dei dono ac munere

Spiritus Christi. Ut eo afflati prædicerent futura ad Christum pertinentia, quibus suo tempore evenientibus, magnum in prædictionibus Prophetarum fidei esset subsidium. Quem spiritum, quia de Christo agebat, spiritum Christi appellat, per genitivum objecti. Sic dicitur verbum fidei, quod agit de fide, sermo salutis, qui agit de salute, sic dicat aliquis librum Euangelii, qui de Euangelio, librum Apocalypseos, qui de Apocalypsi agit. Sic & alia multa his similia. Vel spiritum Christi dixit, quod spiritus Prophetarum idem esset cum spiritu Christi. Eadem enim nunciabat olim eventura, quæ Christus nuntiabat jam evenire, nisi quod in Christo esset longe quam in Prophetis copiosior: ideo & sensibus longe clarior, imo clarissimus. Sic in re contraria, in Antichristis, magni Antichristi prodromis, spiritus Antichristi fuisse dicitur 1 Joan. IV. 3: quod idem in illis esset spiritus, qui in Antichristo futurus erat, nisi quod in illis tantæ non esset efficaciæ, quam futurus erat in isto. Uterque tamen id agebat, ne Jesus haberetur pro Christo. Ille quidem simpliciter Jesum esse Christum negando, iste vero, Jesum esse ipsum unum illum Deum affirmando, quod quatenus affirmatur, hactenus illud negatur, imo illo posito, hoc revera tollitur. Quid enim attinet ut Christus seu Unctus Dei sit qui ipse Deus est? imo qui fieri hoc potest? Qui hoc Petri loco abutuntur ad probandum, Christum tempore Prophetarum jam reipsa fuisse; non tam refutandi sunt, quam deplorandi; quod in tanta veritatis luce non videant, nec hoc ipso ex loco intelligant, Prophetas de Christo, tanquam multis post sua tempora seculis exorituro, & illis, quibus Apostoli & primi Christianorum vivebant temporibus, demum exorto, vaticinatos esse.

Qui ante testabatur de his quæ ventura erant in Christum perpessionibus &c. Docet quid spiritus Christi, qui in Prophetis erat, jam olim testatus sit de Christo, nempe Christum multa passurum esse, adeoque hæc ipsa quæ passus est, & post perpessiones has, maximam & hanc ipsam quam videmus gloriam esse adepturum. Quod imprimis Apostolo memorandum erat, ne Christi perpessionibus turbarentur in fide sua Christiani, præsertim gente Judæi. Nulla enim re magis ab adversariis oppugnabatur fides in Jesum Christum, quam quod tam dira passus esset: quorum machinis nullum validius munimentum opponi poterat, quam Prophetarum ea de re prædictiones. Quo argumento etiam Apostoli fidem in Christum sæpe tutati sunt, & Christus ipse discipulorum suorum animos languentes mirifice erexit Luc. XXIV. 25, 26, 27. *Qui ante testabatur*, προμαρτυρόμενον, id est ante eventum, idque multis seculis, testabatur, prædicendo nimirum. Testandi voce utitur, ut fidem testimonio Spiritus Sancti habendam esse insinuet. *De his quæ in Christum ventura erant perpessionibus*, τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα. Id est non tantum passurum esse Christum, sed etiam hæc ipsa passurum, quæ passus est. Articulus τὰ, ponitur loco pronominis ταῦτα, ut statim Apostolus loquitur. Sic infra ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων; *in ultimis istis temporibus* ℣. 20. Ideo & Christus ipse, οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστόν; *nonne hæc oportuit pati Christum?* loco dicto apud Lucam. *In Christum.* Intellige venturas. *Et de his quæ postea ventura erant glorias*, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας. Hic quoque articulus pronominis locum obtinet. Nimirum Spiritus Sanctus jam olim testatus est, & has ipsas perpessiones in Christum venturas, quæ ipsi evenerunt, & has ipsas quæ evenerunt glorias. *Postea vel posthac*, μετὰ ταῦτα. Post istas perpessiones, post ludibria, post flagra, post crucem & mortem.

Glorias, δόξας. In plurali, ad exprimendam magnitudinem & multitudinem cælestis gloriæ quam Christus à dextris Dei sedere jussus obtinuit. Sic vox *Elohim* in plurali sæpe de uno dicitur, ad magis exprimendam majestatem. Docemur hoc loco Prophetis, non alias Christi glorias majores revelatas fuisse, quam quæ post perpessiones erant consecuturæ. Cur enim de iis non multo magis testatus fuisset Christi spiritus?

Vers. 12. *Quibus revelatum est, quod non sibi ipsis, nobis autem ministrabant ista, quæ nunc annuntiata sunt vobis, per eos qui Euangelium prædicaverunt vobis in Spiritu Sancto qui missus est de cælo, in quæ cupiunt Angeli inspicere.* Docet quid Prophetis, de tempore adventus Christi tam solicite inquirentibus & scrutantibus, revelatum sit.

Quibus, nempe Prophetis.

Revelatum est. A Deo scilicet per eundem spiritum.

Quod non sibi ipsis. Ut scilicet eorum eventum viderent, iisque fruerentur quæ ventura prædicebant, ut viderent & audirent Messiam Euangelium prædicantem, & consequenter ut in ipsum crederent, ut spectarent ejus perpessiones, & post perpessiones consecutas glorias. Hoc est quod dixit Christus, *cupiverunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, cupiverunt audire quæ vos auditis, & non audiverunt.* *Nobis autem.* Id est nostrum autem in usum, ut scilicet nos eorum eventu frueremur, & ex prædictionibus Prophetarum in fide confirmaremur. *Nobis*, inquam, multis post eos seculis natis, nobis Christianis,

Ministrabant ista. Dum ea prædicerent eventura.

Quæ nunc annuntiata sunt vobis. De Christi perpessionibus & morte & resurrectione, & cælesti gloria, de Dei gratia, de justitiæ imputatione per solam in Christum fidem, de vita æterna, & hæreditate regni cælestis, de regeneratione, & vero ac spirituali Dei cultu &c. Ex Prophetarum enim prædictionibus veritas istorum quæ vobis annuntiata sunt cognosci potest.

Nunc. Istis demum temporibus.

Annuntiata sunt. Tanquam jam eventum sortita.

Vobis. Non illis qui ante vos vixerunt, vos tam beati estis, & vestrum seculum. Locus hic aperte redarguit illorum opinionem, qui affirmant veteres Patres & Prophetas in Christum credidisse. Hoc enim

si verum

si verum est, cur tam solicite exquisiverunt & scrutati sunt de tempore adventus Christi? Et quomodo non sibi ipsis etiam æque ac nobis ministrassent ista quæ de Christo nuntiabantur? Quomodo verum esset eos non audivisse quæ nos audimus? Quæ nostra major esset beatitas quam illorum fuerit? Cur nunc demum annuntiata esse diceret Apostolus, quæ tot ante secula Prophetis adeo erant cognita, ut non minus in Christum crederent, quam Christiani credunt? Verum quidem est Prophetas notitiam habuisse Christi, cum spiritum Christi haberent, de Christo agentem: sed sicut Prophetarum oracula, sic & notitia obscura admodum erat, eorumque oracula per Euangelium demum Christi rerumque eventum lucem acceperunt. Et cum de Christo tanquam de olim exorituro canerent, quomodo credere poterant in eum quem ipsimet olim demum futurum credebant? Credebant, inquies, eum jam fuisse ut Deum. Credebant igitur in Deum, sed non credebant in Christum. At unus idemque est, inquies. Et Deus ille unus, inquam, & homo Christus ejus? Sic plane, inquis, naturæ tantum distinctæ sunt. Tu vero multo magis Angelum dicas esse hominem, vel equum leonem, dummodo rursus naturas dicas esse distinctas. Sane distinctæ sunt, ac disparatæ, & contradictorie inter se oppositæ, ideoque qui unus ille Deus est, homo non est, & qui homo est, unus ille Deus haudquaquam est. Certe non magis, imo multo minus, quam qui Angelus est, homo est, aut qui homo est, Angelus est, aut equus est leo, & leo equus, & quæcunque alia his similia. In Deo etiam illo uno, plures personas distinguere, non minus absurdum & contradictorium est. Quamobrem vero, si Christus ante perpessiones suas, imo ab æterno majores multo glorias habuit, quam quas post perpessiones & propter perpessiones adeptus est, id est si unus ille Deus erat, spiritum Christi id per Prophetas testatum fuisse Apostolus non dixit? Hoccine Apostolus negligeret, quod solum creditu maxime imo unice necessarium erat, si verum erat? Mittamus hæc dissona, & nostram beatitatem, præ omnium qui ante Christum vixerunt, quamvis justorum, quamvis Prophetarum, quamvis Regum, quamvis Patriarcharum beatitate multum æstimemus.

Per eos qui Euangelium vobis prædicarunt, διὰ τῶν εὐαγγελισαμένων ὑμᾶς. Qui vos Euangelio, id est bono nuntio affecerunt. Exprimit per quos nuntiata ipsis essent Christiana dogmata. Non frustra. Neque enim ipsi Christum à mortuis suscitatum & in cælos evectum viderant. Ideo ne ulli dubitationi de veritate istorum dogmatum locus esset, ponit iis ante oculos viros istos, qui ipsis Euangelium prædicarunt, Apostolos præcipue, qui oculati testes erant eorum quæ de Christo nuntiabant, præsertim resurrectionis ejus, quæ totius fidei Christianæ certissimum est fundamentum.

In Spiritu Sancto. Id est per Spiritum Sanctum. Docet Euangelii præcones Spiritu Sancto fuisse repletos, sine quo Euangelium tanta cum efficacia, & linguis variis prædicare, & tot miraculis ac operibus divinis confirmare, totiusque mundi sibi adversantis vim sustinere qui potuissent? Proinde cum per Spiritum Sanctum Euangelium prædicarint, ne minima quidem esse potest in illorum prædicatione falsi suspicio.

Misso de cælo. Docet qua ratione Spiritus Sancti participes facti fuerint, & digitum intendit ad factum illud divinissimum in festo Pentecostes, à tot populis & gentibus, in illa festi celebritate spectatum; quod à Luca in actis Apostolorum describitur cap. 2. Ita non tantum Spiritum Sanctum hauserant, sed etiam tam divino & admirabili modo, ut è cælo magno cum sonitu & flatus vehementis instar, visibili linguarum ignearum specie, in eos descenderit, & linguis variis, quas nunquam dididerant, loqui repente fecerit, scilicet ne quidquam ad veritatis certitudinem & evidentiam deesset, & ut omnes cognoscerent Euangelium ex cælo venisse, quandoquidem Spiritus Sanctus, per quem prædicaretur, de cælo missus esset. Loquitur de Spiritu Sancto tanquam de cælesti Legato per prosopopoeiam. Missus autem est ab ipso Christo, postquam rerum omnium in cęlo & in terra potestatem & ipsum Spiritum Sanctum à Patre accepit Act. 2. 33. Præstitit nimirum Christus quod erat pollicitus Joan. xv. 26, & xvi. 7. Et sic manifesto argumento docuit se rerum omnium in cælo potiri. Unde apparet Spiritum Sanctum divinum afflatum esse, divinam virtutem, propter maximam suam efficaciam appellatum, quamvis de eo sæpe tanquam de persona, eleganti & usitata figura, Scriptura loquatur.

In quæ cupiunt Angeli inspicere. Commendat & extollit Christianæ veritatis dogmata ac mysteria ipsis annuntiata, quod Angeli ipsi cupiant in ea introspicere, id est eorum contemplatione mire sese oblectent, dum considerant in illis admirabilem Dei sapientiam, potentiam, bonitatem, humani generis amorem Eph. III. 10.

Cupiunt. Id est amant, neque enim revelatis Christianæ veritatis mysteriis ab eorum inspectione arcentur, sed eorum inspectione & contemplatione exsatiari nunquam possunt.

Angeli. Etiam præstantissimi, ut ex dicto ad Ephesios loco apparet.

Inspicere. παρακύψαι, per metaphoram ab iis qui sese incurvant ut introspiciant, ad tanto majorem affectum exprimendum. Istius rei typus quidam erant Cherubini operculo arcæ impositi, vultu in arcam obverso, tanquam cupidi spectare Dei mysteria. Ita Christiani rem ipsam habent, cujus arca illa fœderis cum suis exsculptis Cherubinis, tenuis quædam umbra erat.

Vers. 13. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam quæ fertur vobis gratiam, in revelatione Jesu Christi.* Admonitionem dictis subjicit. *Propter quod.* Quasi dicat, quandoquidem iis quæ vobis annuntiata sunt, nihil certius, nihil divinius ac præstantius est, propter hoc

Succincti lumbos mentis vestræ. Metaphora ab iis sumpta, qui vestem fluentem succingunt, ne iis inter eundum & agendum impedimento sit: quasi dicat, absit ut animo sitis dissoluto ac remisso, seu languido in fide & alacritate Christiana, propter aliquas tentationes vestras, absit ut quidquam mentem vestram, (cui, metaphorę inhærens, lumbos tribuit,) in agendis & patiendis iis quę pietatis Christianę sunt, remoretur

& impediat. *Sobrii*, *νήφοντες*. Nihil magis mentem impedit quam ebrietas. Ideo nominatim sobrietatem inculcat.

Perfecte sperate. Nihil vobis ad spei vestræ perfectionem, nihil ad constantiam desit, nulla in spe vestra dubitatio & hæsitatio animo unquam subrepat, unde protinus animum in Christiana pietate & patientia languescere & impediri oporteret, nihil de spe vestra delibent ea quæ propter Christum patimini.

In eam qua fertur vobis gratiam. Objectum spei ipsorum, id est Christianæ exprimit. Spem vestram tanquam super solidissimum fundamentum defigite. Ἐπὶ ponitur pro εἰς. *Eam qua vobis*. Nempe credentibus in Jesum Christum,

Fertur. Id est affertur, simplex pro composito, Hebræo more. Ponitur autem præsens pro futuro, per enallagen. Res ponitur jam in actu, propter rei certitudinem.

Gratiam. Id est salutem animarum & cælestem hæreditatem. Quam gratiam, nempe divinam, vocat, per metonymiam causæ, quod sit divinæ gratiæ, non operum nostrorum effectus, ideoque & extra omnem periculi aleam & incertitudinem positus, dummodo nos per fidem vivam gratiæ divinæ immaneamus.

In revelatione Jesu Christi. Tempus notat quando nobis gratia ista afferetur & dabitur, tum scilicet quando Jesus Christus revelabitur, & ex cælo ad nos servandos & in cælestem istam hæreditatem inducendos veniet. Respicit ad id quod ℣. 5,7 dixit. Sperare dicimur etiam in res quæ personæ non sunt, quatenus eas speramus. Sic credere dicimur in Spiritum Sanctum, in ecclesiam catholicam, quatenus illi credimus, in sanctorum communionem, in peccatorum remissionem, in resurrectionem, in vitam æternam, quatenus doctrinæ de ipsis omnibus credimus. Nimirum voces cuique rei aptandæ sunt, secundum ejus rationem ac naturam.

Vers. 14. *Sicut filii obedientia, ne configuremini prioribus in ignorantia vestra cupiditatibus*. Pergit in iis adhortandis. *Sicut filii obedientia*. Id est obedientes, per duo substantiva, Hebræa phrasi: quasi dicat, estis Dei Filii, à Deo regeniti, ergo sicut filios obedientes decet,

Ne configuremini, *μὴ συσχηματιζόμενοι*. Per participium, pro verbo, ex Hebræorum idiotismo.

Prioribus in ignorantia vestra cupiditatibus. Priores cupiditates, priores mores vocat, per metonymiam causæ, quod ex cupiditatibus nisi refrænentur mali nascantur mores, mala opera. Intelligit comessationes, ebrietates, impuritates &c, de quibus infra cap. IV. 3. Configurari prioribus moribus est priores mores imitari, & ad illorum figuram ac speciem sese componere: vel si quis malit configurari cupiditatibus prioribus quæ erant rerum malarum, est cupiditatibus morem gerere.

In ignorantia vestra. Causam exprimit priorum cupiditatum, simulque morum & actionum, id est cum ignoraretis ea quæ nunc scitis, nulla vobis notitia erat tantæ Dei gratiæ, tantæ ac tam certæ salutis, & tantarum veræ sanctitatis & obedientiæ causarum, quippe quod nondum gratia Dei salutaris orbi affulsisset; quæ omnia nunc per Euangelium Jesu Christi didicistis & probe habetis cognita. Cum igitur ignorantia pristina abierit, etiam pristinæ cupiditates & mali mores procul abeant.

Vers. 15. *Sed secundum eum qui vocavit vos sanctum & ipsi sancti in omni conversatione sitis*. Hortatur ex opposito ad rem priori contrariam. Proponit illis Deum quem imitentur, cui conformentur & configurentur.

Secundum eum. Id est conformiter ei,

Qui vocavit vos. Nempe ad vitam & regnum suum cæleste per Euangelium Jesu Christi.

Sanctum. Exprimit Dei qui ipsos vocavit qualitatem, cujus respectu Deo conformari debeant. Sanctus est Deus & ab omni labe injustitiæ purus, mera bonitas est & mera lux 1 Joh. 1. 5.

Et ipsi sancti in omni conversatione sitis. Ideo enim vos vocavit ad vitę & Regni sui communionem ac societatem, ut sicut ille sanctus est, sic & vos sancti sitis, pro humanę scilicet sanctitatis ratione ac modulo.

In omni conversatione. Id est in omni actione, quæ scilicet sanctitatis alicujus est capax. Excluduntur enim omnes actiones per se profanę ac vitiosę. Nemo potest sancte inebriari, sancte scortari, sancte commessari, & similia. Omnis igitur conversatio & actio intelligitur, quę per se licita est, & quę nisi quis in illa sancte se gerat, sit profana ac illicita. Nam ut in actionibus per se sanctis sancti simus, monere quid attinet? Eo enim ipso ad eas excitamur, dum ut in iis etiam omnibus quæ per se nec sanctę sunt neque profanę, sancti simus monemur.

Vers. 16. *Propterea quod scriptum est, sancti estote, quia ego sanctus sum*. Rationem adfert ob quam & nos sancti debeamus esse, quia Deus sanctus est. Scripturæ seu potius Dei ipsius dictum Scriptura consignatum ea de re citat.

Sancti estote, quia ego sanctus sum. Hoc Dei ipsius dictum est, qui populum suum sanctum ideo vult esse, quanto vero magis filios suos, quia ipse sanctus est. Decet & oportet talem esse populum Dei, qualis est Deus, tales esse Dei filios, qualis est ipsorum Pater. Alioquin nec ille pro Dei populo, nec isti pro filiis agnoscentur. Verba hæc aliquoties repetita leguntur in Levitico, quæ ex Legis disciplina intelligebantur de puritate & sanctitate, quæ potissimum consistebat in ritibus & abstinentia ab esu & contactu rerum impuritatis in Lege damnatarum. Sed ex ratione disciplinę Christi intelliguntur de puritate & sanctitate vera, quæ in omni per se recta & bona actione, & in omni à cujusvis malæ & pravæ actionis abstinentia, posita est. Docemur hoc loco sanctos nos in omni conversatione esse debere, si velimus pro Dei populo, & multo magis pro filiis censeri. Ideoque omnes malas & profanas actiones Christianis esse vitandas. Non sanctos vita functos, ut pro nobis orent, invocare debemus, quod ipsum profanum est, & à vera sanctitate alienum, nec à sanctis factitatum unquam: sed operam omnem daro, ut & nos ipsorum simus similes, iisque vita ac morum sanctitate associemur.

Vers. 17.

Verſ. 17. *Et, ſi Patrem appellatis eum qui ſine perſonarum acceptione judicat ſecundum cujuſque opus, in timore peregrinationis veſtræ tempus converſamini.* Pergit in iis admonendis, argumento inde ſumpto, quod Deum appellent Patrem, ne forte, in contrarium verſi, occaſionem hinc arripiant in vitiis ſibi blandiendi.

Et, ſi Patrem appellatis. Chriſtianum morem tangit Apoſtolus, Deum appellandi Patrem, ob amorem & gratiam vere paternam, ſicut erga Chriſtum caput noſtrum, ſic erga omnes in ipſum credentes. Ideo & Chriſtus diſcipulos ſuos orare docuit, *Pater noſter qui es in cælis*, & ſpiritus quem Chriſtiani hauſerunt, clamare eos docet, Abba, Pater. Particula *ſi*, innuit eos, aut non debere Deum appellare Patrem, aut ſi appellent, ita ſe gerere ſicut filios tam ſancti Patris decet.

Qui abſque perſonarum acceptione. Docet qualis ſit Pater, Deus, ne quis exiſtimet eum vitiis indulgere. Ἀπροσωπολήπτως, nemo prætendat ſe hunc vel illum eſſe, ſe Judæum & Abrahami filium, imo Chriſtianum & Dei filium eſſe: hoc Deus in judicio non accipit, ſi facta verbis non reſpondeant. Nihil accipit eorum quæ ſpeciem tantum aliquam in judicio habent, ad ipſam cauſam non pertinent.

Judicat. Id eſt decreta facit eaque exequitur.

Secundum cujuſque opus. Cujuſque opus in judicio ſuo reſpicit Deus, non ipſam per ſe perſonam. Si opus bonum eſt, is abſolvitur, ſi malum eſt in quocunque, is damnatur.

In timore peregrinationis veſtræ tempus converſamini. Ex eo quod aſſeruit monitum hoc infert.

In timore. Nempe Dei, ne quidquam mali unquam faciatis.

Peregrinationis veſtræ tempus, τὸν τῆς παροικίας ὑμῶν χρόνον. Παροικίαν vocat, quod extra patriam ſuam, alienis in regionibus degerent, & inquilini eſſent *v.* 1.

Converſamini, ἀναστράφητε. Id eſt agite: quaſi dicat, ipſa hæc conditio veſtra, quod extra patriam, alienos inter homines, peregrini & advenæ degatis, per ſe requirit & exigit, ut Deum timeatis, & ab omni malo abſtineatis, ut quam honeſtiſſime vos geratis, & ſicut Dei filii appellari & haberi vultis, ſic reipſa ſitis. Cogitandum ſiquidem eſt vobis, ut ex hoc παροικίας ſtatu, in patriam veſtram, eamque cæleſtem a Deo Patre veſtro deducamini. Alioquin enim miſerrimi mortalium eſſetis, ſi neque nunc terrenæ veſtræ patriæ participes eſſetis, neque futuræ illius atque cæleſtis participes fieretis. Quanquam & illi qui in patria ſua degunt, hactenus tamen peregrini ſunt, quatenus ſingulis momentis morti & variis mutationibus ſubjacent. Vera patria cælum eſt, ubi Pater ille cæleſtis eſt.

Verſ. 18. *Scientes quod non corruptibilibus, argento aut auro redempti eſtis ex vana veſtra converſatione à patribus tradita.* Novam eamque validam addit timendi Dei & vanæ converſationis vitandæ cauſam.

Scientes, id eſt cum ſciatis, *quod non corruptibilibus argento vel auro.* Ut argenti & auti pretium, ſanguini Chriſti contra æſtimatum elevet, corruptibilia vocat, quia argentum & aurum continuo uſu deteritur & tempore deperit. Natura etiam ſua corrumpi poteſt. Quod enim generari potuit, etiam poteſt corrumpi: & tamen ſi quis argentum vel aurum alicujus redemptioni impendat, æterno ſervitio habet illum ſibi obligatum. Quanto magis ſi tem impendat omni argento pretioſiorem!

Redempti eſtis. Id eſt liberati, per ſynecdochen ſpeciei metaphoricam. Neque enim cuiquam quidquam datum eſt ut nos ex vana converſatione dimitteret; ſed tantum ingens impendium factum eſt, ut ex vana converſatione liberaremur. Redempti autem ſeu liberati intelliguntur, à Deo, & Chriſto.

Ex vana veſtra converſatione. Id eſt ex vanis veſtris moribus & actionibus. Vanos mores & actiones dicit, quæ nulli ſunt uſui, nulli bono, id eſt, quæ malæ ſunt & noxiæ, per μείωσιν: quanquam & ritus illi Legales vani erant, quatenus in Chriſto Jeſu nihil valent, à quibus omnibus redempti & liberati dicuntur, quatenus illis efficaciſſima cauſa data erat, ut vanam ſuam converſationem penitus abdicarent. Neque enim Apoſtolus tam reſpicit ad effectum ipſum, quam ad efficaciam. Quid enim alioquin opus eſſet admonitione, effectu jam plane conſecuto?

A patribus tradita. Hoc addit ne quis patrum exempla prætendat, aut antiquis patrum moribus ſeſe defendat & excuſet. Sic patres & majores noſtri fecerunt, hi mores illorum fuere, difficile eſt mutare tot ſeculis inveterata, & quaſi jam innata.

Verſ. 19. *Sed pretioſo ſanguine tanquam Agni inculpati & incontaminati Chriſti.* Docet quid illorum redemptioni ſit impenſum: non argentum, non aurum, ſed pretioſus ſanguis Chriſti: *ſed pretioſo ſanguine.* Chriſti ſanguinem pretioſum dicit, ut argento & auro, ſi cum ſanguine Chriſti comparentur, omne pretium demat, quamvis apud homines pretioſiſſima ſint. Nam ſi cujuſlibet hominis innocentis ſanguis apud Deum pretioſus eſt, certe Chriſti ſanguinem tanto pretioſiorem eſſe oportet, quanto Chriſtus, Dei Filius, omnibus aliis hominibus præſtantior eſt. Non fruſtra autem Apoſtolus argento & auro, Chriſti ſanguinem opponens, quamvis illa corruptibilia eſſe dixiſſet, ſanguinem Chriſti non dixit eſſe incorruptibilem, ſed ſimpliciter tantum pretioſum. Nimirum quia ſanguis Chriſti non minus corruptioni fuit obnoxius quam caro & vita Chriſti, nec minus corruptus fuit quam eadem caro & vita Chriſti: corruptibilibus tamen merito opponitur, quatenus Chriſti ſanguis & caro incorruptibili corpore tranſmutanda erant, adeoque & tranſmutata ſunt; propter quam tranſmutationem etiam Chriſtus corruptionem vidiſſe negatur. Quæ enim in præſtantiorem naturam mutantur, quamvis eſſe deſinant quod erant, corrumpi tamen haudquaquam dicuntur, ſed ea tantum quæ in deteriorem. Quis dixerit ferrum corrumpi ſi fiat argentum, aut æs ſi fiat aurum, aut aquam ſi fiat vinum? Sic carnem & ſanguinem, ſi fiat corpus incorruptibile, & hominem mortalem, ſi fiat immortalis & cæleſtis? Unde apparet quam pretioſus eſſet Chriſti ſanguis, qui tranſmutari in glorioſum & incorruptibile corpus erat à Deo deſtinatus, cum argentum & aurum non minus quam reliqua omnia corruptioni ſint deſtinata.

Tanquam Agni inculpati & incontaminati Christi. Agnum appellat Christum, nempe Dei, ut doceat, Christum, Dei mandato ac voluntate, victimam esse factum, & sanguinem suum fudisse pro mundi peccatis: quo facto quia omnium animos ad se traxit, sibique mancipavit, idcirco sanguine ejus ex vana conversatione omnes redempti dicuntur, idque etiam ut fieret & Deus & Christus, hoc istius tam pretiosi sanguinis fecit impendium. Huc pertinent Apostoli Pauli verba, *Christus*, inquit, *dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos ex præsenti seculo malo, secundum voluntatem Dei & Patris nostri* Gal. I. 4. Agni vero potius quam ullius alterius victimæ nomine Christus appellatur, propter summam suam mansuetudinem & innocentiam, quam & Esaias eadem metaphora in ipso prædixit ac celebravit Esa. LIII. 7. Act. VIII. 32.

Inculpati, ἀμώμου. Alludit ad victimas quæ etiam sine reprehensione & macula debebant esse. Christus vere fuit sine reprehensione. Nihil enim in ipso juste poterat reprehendi.

Et incontaminati. Quia fuit sine omni peccati macula, ut infra dicitur cap. 2. 22. Et talem oportebat esse qui pro peccatis omnium moriturus erat, ne ulla sua haberet, *Christi*, illius Dei Filii. Cum igitur tam inæstimabili pretio redempti sitis ex vana conversatione vestra, videtis quantam & quam ingentem habeatis causam timendi Dei, & omnem vanam conversationem fugiendi. Pessime enim vobis expeteret si tanto pretio redempti, & Deo ac Christo asserti, non penitus illi essetis addicti.

Vers. 20. *Præcogniti quidem ante constitutionem mundi, manifestati autem in ultimis istis temporibus propter vos.* Describit Christi præstantiam, ut quam pretiosus fuerit sanguis ejus appareat.

Præcogniti quidem ante constitutionem mundi. Nempe à Deo. Non dicit Christum ante mundi constitutionem reipsa fuisse, quod hic omnino dicendum erat, si verum erat: sed dicit eum à Deo ante mundi constitutionem fuisse præcognitum, hoc est cognitum antequam esset, idque adeo, ut etiam ante mundi ipsius constitutionem cognitus sit, non tantum antequam nasceretur & in effectu ipso esse & existere inciperet. Proinde fuit in Dei mente & constitutione, & tanquam si jam reipsa esset a Deo cognoscebatur & diligebatur, suo tempore, divina potentia, reipsa futurus, & humano generi exhibendus. Ideo huc referri possint Joannis Apostoli verba, *In principio*, nempe creationis rerum omnium, *erat sermo*, id est is qui Deo pro sermone futurus erat, in revelandis Dei mysteriis de humani generis æterna salute, *& sermo erat apud Deum.* Ostendit quomodo in principio erat; quatenus nimirum erat divina constitutione, quo pacto & vita, id est vitæ æternæ promissio, erat apud Patrem, antequam nobis manifestaretur & facto ipso exhiberetur. Nam quæ nondum exhibentur in effectu, suo tempore exhibenda apud Deum esse dicuntur I Joan. I. 2. *Et Deus erat sermo*, nempe eo modo quo & erat: *omnia per ipsum facta sunt*, quatenus omnia facta sunt propter ipsum. Nam particula *per* omne genus causæ significandi vim habet; *& sermo caro factus est*, quatenus is qui in sola Dei mente ac decreto erat, tandem reipsa factus est homo, naturæ mortalis conditione aliis hominibus similis, ut per mortem destrueret Diabolum, & liberaret eos qui metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti, id est omnes homines mortales Heb. 2. 14, 15. Quantæ igitur præstantiæ necesse est Christum esse, proinde & sanguinem ejus fuisse, qui tot post mundum conditum seculis natus, nihilominus prior fuit in mente divina, quam mundus constitueretur, & cujus causa mundus est constitutus & omnia creata?

Manifestati autem in ultimis istis temporibus. Quasi dicat, etsi nunc primum & ultimis hisce temporibus manifestatus est, tamen ante mundi constitutionem fuit præcognitus; ne quis præstantiæ ac divinitati Christi quidquam derogari putaret, quod nunc primum manifestatus esset; sed hinc potius tanto magis suam felicitatem & Dei erga se gratiam æstimaret, quod hoc tantum bonum adeptus sit, quo omnia retro secula ex Dei decreto & temporum dispensatione caruerunt.

Manifestati. Manifestatum dicit, quod, cum antea esset in sola mente & constitutione Dei, in effectu ipso, seu mavis, in carne, hominibus sit exhibitus. Sic sermonem suum, id est Euangelium, Deus manifestavit in prædicatione, qui ante tempora secularia erat in divina destinatione Tit. I. 2, 3. Sic vita quæ erat apud Patrem, id est in Patris mente & constitutione, manifestata est nobis, quatenus illius aperta promissio nobis est exhibita I Joh. I. 2. Sic supra v. 5, salutem nostram revelatam iri dixit Petrus. Sic gloria nostra revelabitur Rom. VIII. 18. Sic vita nostra manifestabitur, quæ nunc una cum Christo in Deo latet abdita Col. III. 4. Etiam ira Dei, etiam dies judicii, & dies iræ Dei, revelanda dicitur, non quod jam sit reipsa, sed quod sit in Dei decreto & constitutione. Etiam Antichristum revelatum iri dixit Paulus Apostolus, quamvis nondum in effectu esset, tantum quod jam esset suis in causis 2 Thess. 2. Neque aliter manifestatio intelligi potest, cum præcognita manifestari dicuntur.

In ultimis istis temporibus. Ἐπ' ἐσχάτων, & articulus τῶν, voci χρόνων præpositus, significationem habet pronominis τούτων. Intelliguntur autem mundi quæ restant tempora, tam longa non fore quam quæ fuere ante Christum. Et quia tot jam secula effluxerunt post Christi manifestationem, apparet non adeo multa secula adhuc restare ad mundi finem. Unde & Auctor ad Hebræos Christum in seculorum consummatione apparuisse dixit cap. IX. 26. Habuit autem Deus istius sui consilii causas, & imprimis ut ostenderet se in dispensatione suæ gratiæ & beneficiorum liberrime agere, nec hominibus ulla in re obligari, proinde, ut & homines tanto magis gratiam illius ac beneficium tantum exoscularentur, & suam indignitatem agnoscerent.

Propter vos. Id est propter vestram singularem beatitatem, quam antea&cta secula, & tot viri sancti, tot Prophetæ, inter quos & Reges quidam, non habuere. Agnoscite igitur Dei gratiam & vestram felicitatem.

Vers. 21. *Qui per ipsum creditis in Deum, qui suscitavit ipsum ex mortuis, & gloriam ipsi dedit, ut fides vestra & spes esset in Deum.* Describit eos à fide Christiana, quæ est credere in Deum per Christum; significans

significans ad eos tantum salutem per Christum allatam pertinere, qui per ipsum credant in Deum. Antea enim credebant in Deum sine Christo, Christiani facti credebant in Deum per Christum, quæ fides multo vividior erat & efficacior.

Qui per ipsum creditis in Deum. Credere in Deum, est Deo confidere, te ipsius gratia & potentia fore beatum; credere in Deum per Christum, est ita in Deum credere ut simul credas in Christum, tanquam à Deo evectum, in quem proinde fides tota refertur in Deum tanquam Christi auctorem. Fides autem in Christum, & consequenter in Deum, id præcipue continet, ut confidas te à Christo, & sic à Deo per Christum, adepturum esse vitam æternam, in ipsius adventu, & quamvis interea moriaris, te ab ipso resuscitatum iri ex mortuis. Has enim tantas promissiones Dei nomine Christus attulit, & se præstiturum pollicitus est. Quam vero ista fides otiosa non sit, & quam se protinus ad omnem obedientiam Deo & Christo exhibendam tota porrigat & effundat, cuivis per se manifestum est: præsertim cum Christus non tantum vitam æternam sit pollicitus, sed etiam mandata sua nobis dederit, quæ exequeremur, tanti boni adipiscendi fiducia. Etiamsi vero Christus venerit propter omnes homines; fructus tamen adventus ejus non nisi ad credentes in ipsum redit. Si omnes in Chrisium crederent, omnes etiam gratia Dei per Christum allata fruerentur. Nunc ipsorum propria fit culpa, ut non omnes fruantur.

Qui suscitavit ipsum ex mortuis &c. Docet quid Deus fecerit ut in ipsum crederent per Christum. Suscitavit Christum ex mortuis. Hoc unum est: quod opportune iterum commemorat, quia sanguinis & mortis Christi modo meminerat, in qua si mansisset, nullus in ipsum fidei esset locus. Vide hic, alium esse Deum illum unum, alium Christum. Vide item, non Christum à seipso, sed à Deo suscitatum esse ex mortuis.

Et gloriam illi dedit. Id est regnum ac majestatem cælestem, omnem in cælo & in terra potestatem, omne judicium. Hoc alterum est quod Deus fecit, sine quo itidem fides nostra in Christum non habuisset locum. Vide, Christum gloriam & regnum suum cæleste ex Dei dono habere, postquam resuscitatus est ex mortuis.

Ut fides vestra & spes esset in Deum. Finem exprimit propter quem Deus utrumque illorum fecit quibus retro acta secula carebant. Ostendit quam pronum & proclive nunc sit, in Deum credere & sperare, cum antea esset valde arduum & difficile fidem ac spem ultra mortem & vitam præsentem extendere. Ideo nec Dei de tali fide & spe exstitit in Lege apertum præceptum, quia nec tantorum bonorum apertum exstitit promissum; quod cum Christo venit in mundum, illiusque spes ac fides: quia & cum Christo venit tantum spei ac fidei istius subsidium. Quis enim nunc in Deum non credat & speret se quoque ex mortuis ab ipso suscitatum iri ad vitam æternam, postquam Christum ex mortuis suscitavit, & gloriam illi dedit, ipsiusque in manu posuit ea quæ nobis per ipsum pollicitus est? Spes hoc loco, vel idem significat quod fides, vel si utramque vocem diversa posuit significatione, fides est quæ antecedit obedientiam, illiusque est causa; spes quæ sequitur, illiusque est effectus.

In Deum. Docet Apostolus fidem in Christum fidem esse in Deum, non quod Christus sit unus ille Deus, aperte enim illi tanquam diversus opponitur; sed quod omnia quæ Deus in Christo operatus est, ipsamque in Christum fidem, tendat ac referatur ad fidem in Deum: ne quis putet se per cultum Christi abduci à cultu Dei. Cæterum nihil Deus fecit, quo evidentius & clarius suam divinam potentiam ac providentiam doceret, ac proinde fidem & spem hominum in se sanciret, quam quod Jesum tanta bona Dei nomine nuntiantem, ex mortuis resuscitarit, & resurrectionis istius, tot divinissimis argumentis, & universali omnibus Gentibus predicatione, fidem fecerit, ut merito Apostolus supra *vs.* 3, in benedictionem Dei, propter hoc factum, sese effuderit. Ex mundi creatione ac opificio, liquida quidem argumenta divinæ potentiæ ac majestatis peti possunt; sed perversa hominum ingenia semper habent quod regerant, & ratione adversus auctorem suum nefariè abutuntur. At Christi resurrectio tam clarum est illius documentum, ut Deum esse, & esse remuneratorem eorum qui ipsum quærant nemo negare possit, nisi simul Jesum a mortuis resuscitatum esse neget, quod hominis præfracti, & nihil nisi quod ipse oculis suis videat, credentis sit.

Vers. 22. *Animas vestras purificantes in obedientia veritatis per spiritum in fraternam charitatem, non simulatam, ex puro corde alii alios diligite intense.* Pergit in illis adhortandis. *Animas vestras purificantes*, ἡγνικότες, in præterito, id est animis vestris purgatis. Animarum sordes vitia sunt. Recte hanc monitionem fidei subjicit. Huc enim fides in Deum per Christum tendit, hic illius effectus est, ut animas purgemus a vitiis. Purgationem animarum opponit corporum purgationibus & ablutionibus in Lege usitatis, quæ typum & umbram continebant veræ Christianorum purgationis, quæ animarum est, non corporum ab externis sordibus.

In obedientia veritatis. Id est per obedientiam veritatis. Ostendit qua in re animarum ista purgatio consistat. Nempe in obedientia veritatis, id est quæ veritati præstatur. Veritas significat Euangelium Christi ejusque precepta, & opponitur Legis ritibus ac ceremoniis, tanquam veritas imagini, & corpus umbris. Vel obedientia veritatis per duo substantiva ponitur pro obedientia vera. Sic justitiam ac sanctitatem veritatis dixit Apostolus pro justitia & sanctitate vera, hac eadem de re loquens Eph. IV. 24. Ea enim demum obedientia est vera, id est perfecta & solida, quæ fit per spiritum, non pet ritus & ceremonias. Ideoque Apostolus addit:

Per spiritum. Id est quæ spiritu peragitur, non carne. Quo sensu & Paulus, *nos spiritu, ex fide, spem justitiæ exspectamus*, spiritum opponens circumcisioni & Legis ritibus Gal. V. 5, & iisdem Galatis scribens, *Incepistis*, inquit, *spiritu, nunc carne perficitis*, id est circumcisione & ritibus Legis quæ per carnem fiunt, non per spiritum. Intelligitur autem voce spiritus non solus animus noster, sed simul & spiritus divinus; qui cum fide in Christum conjun-

ctus

ctus est, & partim ex illa manat, & partim propter illam cælitus à Deo & Christo datur. Nam, qui Christi spiritum non habet, Christi non est Rom. VIII. 9.

In fraternam charitatem, non simulatam. Docet quæ sit purgationis à vitiis & obedientiæ veritatis per spiritum perfectio & consummatio, & quo tendat omnis reliqua obedientia vitiorumque abdicatio: *in fraternam charitatem.* Charitas enim præceptorum Christi summa est & compendium. *Finis præcepti,* inquit Paulus, *est charitas ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata* 1 Tim. I. 5. *In Christo Jesu nil valet, nisi fides per charitatem operans* Gal. V. 6. Fraterna charitas versatur circa fratres in Christo, qui Christianis absolute vocantur fratres. Hi primum & maxime sunt amandi: post hos etiam alii homines omnes, etiam inimici & hostes, quantum per rei naturam licet. *Non simulatam,* ἀνυπόκριτον, ne hypocritas agamus in charitate, id est ne charitatem vultu, verbis, gestibus præferamus, rebus & factis longe ab ea absimus. Vide 1 Joan. III. 18.

Ex puro corde. Docet quomodo alii alios diligere debeamus. Purum cor significat cor ab omni hypocrisi & simulatione, itemque ab omni libidine & impuro amore mundum, cor sincerum & castum.

Alii alios. Id est, fratres seu Christiani invicem.

Diligite intense, ἐκτενῶς. Intentis viribus, non remissis ac languidis. Idem præceptum inculcat cap. IV. 8. Merito alii alios jubemur totis viribus diligere, & charitatem quam maxime intendere, quia alii in aliis Christum ipsum & Deum diligimus, & Legem ejus implemus. Qui nos idcirco Legis ritibus & ceremoniis exsolvit, & nil nisi mutuam præcepit dilectionem, ut huc omnes vires nostras conferamus.

Vers. 23. *Regeniti non ex semine corruptibili sed incorruptibili, per sermonem viventis Dei & manentem in seculum.* Causam addit sui moniti Apostolus: quasi dicat, merito hæc à vobis tanquam ab hominibus regenitis requiro.

Regeniti. Id est alii & novi homines facti, in quibus homo vetus plane extinctus est.

Non ex semine corruptibili. Quasi dicat, ex quo primum generati estis, cum ex parentibus vestris generaremini?

Sed incorruptibili. Intellige semine, iterum ac de novo geniti. Ostendit maximum discrimen inter primam generationem nostri, & hanc secundam ac novam, seu inter generationem & regenerationem: quasi dicat, prima vestri generatio ex semine corruptibili facta est.

Per sermonem viventis Dei & manentem in seculum. Declarat quodnam sit hoc semen incorruptibile. Sermo, inquit, viventis Dei, & manens in seculum. Deum dicit viventem, quod semper vivat, & vitæ suæ nec principium nec finem habeat ullum, cæterisque omnibus vitæ sit auctor & fons unicus; qui quia talis est, propterea & sermo ejus, quo aliquid alicui pollicetur ac promittit, in seculum manet, id est effectu suo nunquam frustratur, non mutatur, non intercidit, stabilis ac firmus est, nulla vi externa, nullo temporis lapsu impediri potest, quin effectum suum habeat. Hæc enim est sermonis æternitas nulli mutationi, nulli mendacio ac vanitati subjacere. Nam verba Græca, μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα, ad vocem λόγου, non ad vocem θεοῦ referri, argumento est, quod hæc verba ad seminis incorruptibilis explicationem manifeste pertineant, & quod sequenti Scripturæ testimonio Apostolus aperte confirmet, sermonem Dei manere in seculum. Debuit hoc igitur affirmasse quod confirmat. Ut omittam, Dei æternitatem aliis verbis describi solere. Si quis vocem ζῶντος, itidem ad vocem λόγου referendam putet, propter sequentem particulam, & quæ adjectivum cum adjectivo eodem casu conjungat, significabitur hoc epitheto sermonis istius divini, ex quo regeniti sumus, maxima efficacia, per metaphoram, quod viva efficaciam operandi habeant non mortua. Propter eandem efficaciam & auctor ad Hebræos similiter sermonem Dei vivum esse dixit Hebr. IV. 12. Quem Dei sermonem semen appellat, seu semini comparat Apostolus, quod ex illo seu per illum tanquam semen quoddam generentur novi homines. Nam qui Dei sermoni de vita æterna & regno cælesti credit, novus homo fit, Deo justitia, sanctitate, puritate, charitate, perfectione similis. Quia vero Dei sermo manet in seculum, idcirco semen incorruptibile merito appellatur, & semini corruptibili recte opponitur.

Vers. 24. *Propterea quod omnis caro tanquam gramen, & omnis gloria hominis tanquam flos graminis. Exaruit gramen & flos ejus decidit.* Causam, mutuatis ab Esaia verbis, exponit, propter quam Deus nos regenuit: quasi dicat, *propterea* regeniti estis *quod omnis caro tanquam gramen*, intellige est, omnis caro gramini similis est. *Caro* per synecdochen ponitur pro iis quorum corpus est caro. Qua vero in re similitudo ista consistat, mox dicetur.

Omnis gloria. Id est divitiæ, dignitates, splendores, ornamenta varia.

Hominis. Hominem ponit pro carne, quia de hominibus res est, & homini gloria, de qua sermo est, competit, non aliis animantibus.

Tanquam flos graminis. Similia sunt flori, id est floribus. Singulare pro plurali, vel genus pro speciebus & individuis:

Graminis. Flores enim graminis sunt ornatus quidam, & splendor ac decor propter diversos colores & formas.

Exaruit gramen & flos ejus decidit. Similitudinem explicat, quod scilicet omnis caro, id est homo, brevi moriatur, & gloria ejus intercidat. *Exaruit*, id est exarescit, *decidit*, id est cadit, per Hebraismum præteriti pro præsenti. Quanquam & in præterito loqui potuit, ut veluti ob oculos poneret jam factum quod brevi fiet.

Vers. 25. *Verbum autem Domini manet in seculum. Hoc autem est verbum quod annuntiatum est vobis.* Quasi dicat, hæc quidem omnis carnis, omnis hominis natura & conditio est.

At verbum Domini manet in seculum. Æternum est, nunquam corrumpitur. Significat Scriptura, si quis fieri velit incorruptibilis & in æternum manere, necessarium esse ut verbo Dei credat, & secundum illud sese gerat; quod ex illo, tanquam ex di-

ex divino semine nasci est. Ut ergo & nos incorruptibiles & æterni fieremus, idcirco nos Deus ex carne & sanguine corruptibili genitos, per verbum suum incorruptibile regenuit. Sicut enim quod ex corruptibili nascitur semine, corruptibile ut sit oportet; quod nascitur ex carne caro est, dixit Christus; sic quod nascitur ex semine incorruptibili, necesse est ut & ipsum incorruptibile fit. *Verbum*, ῥῆμα, ponitur pro λόγος, sermone, per synecdochen. *Domini*, id est Dei illius viventis, ex usu Veteris Testamenti. Nam sub novo peculiariter Jesus Christus Dominus appellatur, & hoc titulo ab uno illo Deo distinguitur.

Hoc vero est verbum quod annunciatum est vobis. Docet non alio ex verbo Domini ipsos incorruptibiles & æternos homines natos esse & nasci potuisse, nisi ex isto quod ipsis per Euangelium allatum est. Hoc enim Dei verbum est, quod promissionem continet æternæ vitæ, credentibus & secundum illud sese gerentibus: proinde qui ex illo nati sunt, id est illi credunt, & secundum illud sese gerunt, necessario fiunt incorruptibiles & æternæ participes vitæ. Nam si non fierent, verbum Dei corrumpi & mutari, suoque effectu frustrari foret necesse; quod tam fieri nequit, quam Deum ipsum viventem & æternum corrumpi. Quam igitur certum est verbum Dei ipsumque Deum æternum esse, tam certum est, ex verbo Dei, quod Euangelium est Jesu Christi, natos & regenitos in æternum esse victuros.

Hoc vero est verbum. Hoc ex quo homines nascantur incorruptibiles & in æternum manentes.

Quod annunciatum est, τὸ εὐαγγελισθέν. Quod per Euangelium allatum & prædicatum est. Ideo & Euangelium dictum, quod bonum nuntium de vita æterna contineret.

Vobis, εἰς ὑμᾶς. Per Hebraismum Particula εἰς respondet *lamed*, notæ dativi casus, ut ℣. 4.

CAPUT II.

Vers. 1. DEponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes obtrectationes. Pergit in iis admonendis, & ex ipsorum regeneratione infert porro: quasi dicat, quandoquidem regeniti estis ex semine incorruptibili,

Ideo deponentes omnem malitiam &c. Deponentes, ἀποθέμενοι, participium activum præteriti temporis, ut & supra 1. 22 ἡγνικότες, qualia participia Latini reddunt per passiva, deposita omni malitia. Manet Apostolus in regenerationis metaphora. Sicut enim recens geniti carent omni malitia & vitiis, quæ hic enumerat, sic & regeniti iis carere debent, idque in perpetuum; quo jam multum distant à recens genitis, qui innocentes & vitiorum expertes nascuntur, cum ætate prolabuntur in vitia: at regeniti in dies deveniunt meliores ac sanctiores: quasi dicat, etiamsi ante regenerationem vitiis istis dediti effetis, tamen nunc per regenerationem iis depositis &c: si enim ullum vitiorum in vobis esset, neutiquam essetis regeniti. Vitium omne veteris est hominis, non novi, non regenerati, non ex Deo & semine ejus divino geniti.

Omnem malitiam. Vitium quod aperte nocet & malefacit alteri. Recens nati innoxii sunt, nemini nocent, nemini malefaciunt: hi quia non possunt, regeniti autem quia nolunt, & omnem malitiam aversantur, & hactenus etiam malefacere non possunt. Ideo & Apostolus Joannes, ex Deo natos non posse peccare dicit 1 Joan. 111. 9. Vult autem à nobis abesse omnem malitiam, id est, omnem malitiæ speciem, omnia malefacta qualiacunque.

Et omnem dolum. Nam & recens nati sunt absque omni dolo, nihil cuiquam mali occulte machinantur, non agunt fraudulenter, nemini tendunt insidias, neminem circumveniunt. Sic & regeniti omni dolo debent esse vacui.

Et simulationes, ὑποκρίσεις. Recens nati hypocrisin & simulationem & adulationem omnem ignorant. Tales & regenitos esse oportet. Hypocrises ponit in plurali numero, ut omnem hypocriseos speciem deponant ac vitent, hypocrisin in amicitia, in dilectione, in verbis, in factis, in fide, in religione ac pietate.

Et invidias. Itidem in pluralivo, ut omnem invidiæ speciem abjiciamus, nulla in re, nec ullo modo cuiquam quicquam invideamus. Nam & recens nati invidiæ malum ignorant.

Et omnes obtrectationes, καταλαλιάς. Omnis sermo intelligitur qui fit contra bonam famam & existimationem alterius viri boni, quod vitium recte invidiis attexuit. Invidorum enim est aliis obtrectare & detrahere quantum possunt. Et hujus vitii vacuitate regeniti similes esse debent recens natis.

Vers. 2. *Sicut modo geniti infantes rationale syncerum lac desiderate, ut in ipso crescatis. Sicut modo geniti infantes*, id est modo genitis infantibus similes, tam in vacuitate vitiorum, quæ dixit, quam in eo quod sequitur.

Rationale syncerum lac desiderate. Explicat porro similitudinem cum infantibus modo genitis, quorum est lac desiderare. Idipsum & regenitis faciendum est, quamvis ætate jam adultis. Ideo lac illorum describens vocat illud *rationale*, λογικόν, id est adultis & rationis usu præditis competens. Lac enim sermo Dei est, seu Jesu Christi Euangelium, quo nihil rationi convenientius, nihil magis rationem nutriens, nihilque quod magis rationi & intellectui satisfaciat. Docemur hoc loco, pro Dei verbo, & divino ac cælesti Christianorum lacte habenda non esse dogmata quæ cum ratione pugnant, eamque contradictionibus implicant, quæ omnia intelligendi ac ratiocinandi principia evertunt; itemque illa quæ ritus varios tradunt, & cum spirituali cultu commiscent, imo spiritualem cultum per ritus intelligunt. Dogmata & leges de ritibus pueriles ætati conveniebant, non virili, non regenitis per sermonem Euan-

gelii, qui sensibus & intelligentia non pueri sunt, sed perfecti & viri.

Sincerum, *ἄδολον*. Cui nulla fraus, nullum mendacium subest, sed puram putamque ac perfectam continet veritatem.

Desiderate. Ut faciunt recens nati, qui nulla re placari & pacari possunt, nisi uberibus admoti, ut lac sugant. Tale desiderium in regenitis est & esse debet sermonis Euangelii.

Ut in ipso crescatis. Infantes lac sugunt, ut in ipso, id est per ipsum & illius usu crescant. Idem & regenitis faciendum est, lac verbi Dei appetendum & sugendum ut per illud crescant, & augmenta sumant in rebus scilicet ad spiritum, ad novum & regenitum hominem spectantibus, id est ut crescant in notitia rerum divinarum, in cognitione Filii Dei, ut virtutum omnium majora indies sumant incrementa, & in viros profectos ad mensuram staturæ plenitudinis Christi evadant Eph. IV. 13. Neque enim regeniti alio cibo indigent, quam hoc lacte.

Vers. 3. *Siquidem gustastis quod benignus Dominus.* Exprimit quid in iis desiderium & appetitum lactis istius movere debeat.

Siquidem gustastis. Infantes gustata lactis dulcedine, illud expetunt, nec illo satiari possunt. Etiam Christiani gustarunt.

Quod benignus sit Dominus. Gustastis, animo scilicet & mente, id est intellexistis, per metaphoram, *quod benignus χρηστὸς*, proinde suavis, dulcis, & in promissionibus, & in præceptis, & in actionibus nihil illo benignius, nihil melius, nihil suavius ac dulcius. *Dominus*, *ὁ κύριος*, cum articulo, id est Jesus Christus, quem Deus omnium fecit Dominum.

Vers. 4. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, apud Deum autem electum pretiosum. Ad quem accedentes.* Nimirum per sanctas congregationes, ad Christum enim accedunt, qui in nomen ejus congregantur, sicut ipse dixit, ubi sunt duo vel tres congregati in nomen meum, ibi sum in medio ipsorum, & quidquid petierint fiet eis à Patre meo Matth. XVIII. 19, 20.

Lapidem vivum. Recedit à priore metaphora & similitudine ad aliam, ut novum subjungat monitum ad Sacrosanctas congregationes spectans. *Lapidem.* Lapidi Christum confert, quia de ædificio locuturus est.

Vivum. Qui ita lapis est, ita lapidi similis, ut vita non sit lapis. Lapis est quod sit ædificii fundamentum, sed vivit quia spiritualis ædificii fundamentum est, quod regnat & dominatur in omnia, quippe a Deo hunc ipsum in finem suscitatus ex mortuis.

Ab hominibus quidem reprobatum. Occurrit objectioni, ne quem in accessu ad Christum impediat ac moretur hoc, quod sit ab hominibus reprobatus. *Ab hominibus*, in commune scilicet loquendo, quia a maxima & præcipua hominum parte, tam Judæorum quam Gentium, cujus respectu reliqui vix numerum aliquem faciunt. Elegit enim Deus eos qui non sunt 1 Cor. I. 28.

Reprobatum. Id est rejectum, quia non habitus pro Christo illo Dei, sed pro seductore, ideo & crucifixus est, & nunc in suis discipulis crucifigitur.

Apud Deum autem electum. Deum opponit hominibus, significans nihil esse curanda hominum judicia & facta, qui semper solent Deo adversari. Dei spectandum est judicium & factum, & cum Deo sentiendum potius quam cum hominibus. *Apud Deum*, id est Dei judicio, *electum*, id est eximium. Electus opponitur reprobato. Homines lapidem hunc reprobarunt, sed Deus illum elegit præ omnibus. Hinc Christus vocatur Dei electus. At si Dei electus, certe non unus ille Deus. Electus enim poterat non eligi, & cum eligitur a Deo, ex gratia eligitur.

Pretiosum. Quem Deus habet in summo pretio, qui quam sit eximius & pretiosus apud Deum inde constat, quod eum hæredem & Dominum omnium fecerit.

Vers. 5. *Et ipsi sicut lapides vivi ædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Jesum Christum.* Docet quid accedentes ad Christum facere debeant. *Et ipsi sicut lapides vivi.* Appellavit Christum lapidem vivum, appellat & ipsos Christianos lapides vivos, proprie dictis lapidibus oppositos.

Ædificamini. Lapides vivi ipsi se ædificare debent super lapide Christo, id est in fide in Christum confirmatiores, in obedientia & spe perfectiores fieri, & per mutuam charitatem & sanctam communionem inter se invicem super Christo conjungi & coagmentari. Notandum est, Christianos in fide & charitate ac pietate Christiana non sic se habere ut lapides proprie dicti, qui nihil ipsi agunt, quippe vita & anima cassi. At Christiani lapides sunt vivi. Ideoque & monentur ab Apostolo, ut seipsos ædificent. Nemo quidem venire potest ad Christum nisi trahatur a Patre; sed tamen venit quamvis trahatur, id est nisi vellet ire, tractio divina nullum in ipso haberet effectum. Nam & qui non venit ad Christum, ideo non venit quod tractioni divinæ contumaciam suam opponat: quam si tam non posset non opponere quam lapis gravitatem suam non potest non opponere trahenti, profecto non magis id illi vitio verti posset, quam lapidi, nec ideo magis in pœnam incurreret, quam lapis. Qui pœnæ sunt capaces, simul etiam sunt capaces culpæ. Culpa igitur proinde voluntate ipsorum fit, quod tractio divina nihil in ipsis proficiat. Qui putant homines in salutis negotio mere lapides & saxa esse, non meminerunt lapides & saxa nec pœnis nec præmiis affici, homines affici. Qui sicut sensu & intellectu pœnarum ac præmiorum sunt præditi, sic etiam facultate vitandi pœnas & commerendi præmia præditos illos esse necesse est.

Domus spiritualis. Docet quid ædificari debeant. Domus spiritualis opponitur domui proprie dictæ, quæ ex lapidibus proprie dictis construitur. At domus spiritualis construitur ex lapidibus vivis, id est ex credentibus in Jesum Christum. Intelligit ecclesiam credentium, quam tacite opponit domui, & templo Hierosolymitano,

quanto spiritus præstat carni, quanto lapides vivi præstant inanimis, proinde docet non amplius illis requirendum esse templum illud, cum ipsi ex seipsis possint ac debeant ædificare templum longe præstantius & Deo dignius ac gratius. De sua ecclesia Christus ipse tanquam de ædificio locutus est super petram ædificata. Huc pertinent & Pauli Apostoli verba 1 Cor. III. 9, 16. Eph. 2. 20, 21, 22. 1 Tim. III. 15. Deus sub Novo Fœdere non curat lapides & ligna, nec parietes aut tecta ex illis constructa, non curat aurum & argentum & gemmas & alias materias pretiosas, quibus structuræ templorum exornentur, solam spiritualem domum, ecclesiam scilicet & congregationem credentium amat, & per spiritum suum incolit. Hæc illius est templum; ubicunque hæc est, ibi ædes ac templum Dei est. Videmus Christianis præcipi, idque illorum officii esse, ut domum ex seipsis ædificent, id est ut ecclesiam constituant, & in Christi nomen subinde congregentur, uniti inter sese sacrorum communione & mutua charitate, ut unum fiant corpus, quod iisdem Christi legibus & eodem Christi spiritu regatur, & in quo alii aliorum sint membra, & sic inter sese cohæreant ac coagmententur, sicut lapides in unius ædificii structura. Hoc Christianis etiam maximis in persecutionibus & periculis observandum est, non exclusa tamen, qualem res ac tempora requirunt, prudentia. Nam sicut milites, quamvis dispergantur, iterum sese colligunt si hosti velint resistere: sic Christianis semper est faciendum. Nisi enim ad unum ecclesiæ corpus & communionem inter sese sanctam subinde redeant, actum est de ipsis, & de veritatis ac pietatis Christianæ, & consequenter de gloriæ divinæ conservatione & promotione: vicerunt adversarii veritatis. Recte dictum est ab Apostolo, ecclesiam esse columnam ac firmamentum veritatis 1 Tim. III. 15. Nam si ecclesia concidat, etiam veritatem divinam, quatenus est in ore & publica professione hominum, concidere sit necesse.

Sacerdotium sanctum. Domui & templo adjungit Sacerdotes, docet Christianorum ecclesiam non tantum esse domum Dei spiritualem, sed simul etiam esse Sacerdotium sanctum. Nam ubi domus Dei est, ibi & Sacerdotes esse oportet qui Deo ministrent. Domus ex lapidibus inanimis constructa, diversa est à Sacerdotibus, sed domus spiritualis ex lapidibus vivis ædificata, ipsa & Sacerdotium constituit. *Sacerdotium*, id est corpus & collegium Sacerdotum, vel Sacerdotes, abstractum pro concreto, ut fraternitas pro fratribus cap. 2. 17. Sed domus convenientius dicitur Sacerdotium quam Sacerdotes. Intelligit autem Christianos, quorum quisque Dei Sacerdos est, quia jus habet accedendi ad Deum, eique spirituales hostias offerendi. Non est longe quærendus Christiano homini Sacerdos, ut nec semper templum Dei, ipse simul & Dei templum est, & Dei Sacerdos.

Sanctum. Id est Deo segregatum, sanctitatis qualitate præditum. Nam & antiqui Fœderis Sacerdotes sancti erant: sed Novi Fœderis Sacerdotes tanto sanctiores sunt, quanto spiritualis Dei cultus sanctior est carnali. Sacerdotum enim istorum qui Christiani sunt sanctitas non consistit in ritibus, in vestitu, in puritate quam aqua præstat corporalis, sed in fide Christiana, in charitate, in justitia & innocentia vitæ, in spe & gaudio Spiritus Sancti. Hæc vera sanctitas est, hac insignes esse debent Sacerdotes isti, id est omnes Christiani.

Ad offerendum spirituales hostias. Finem ostendit & domus spiritualis & Sacerdotii istius sancti. Domus enim Dei hunc in finem construitur, & Sacerdotum collegium constituitur, ut Deo victimæ & hostiæ offerantur. Domus est in qua offeruntur, Sacerdotes sunt à quibus offeruntur. Docemur ecclesiam esse augustissimum locum offerendi victimas Deo. Nam etiamsi quisque Christianorum Dei templum sit 1 Cor. VI. 19; ecclesia tamen & sanctorum congregatio multo dignius & augustius Dei templum est. Nec mirum. Ex multis enim templis & sacrariis unum fit templum. Docemur item hostias esse Deo offerendas ab integro simul Sacerdotio, id est à Christianis in unam ecclesiam congregatis. Gratiores enim sunt victimæ Deo, quæ ab universa simul offeruntur ecclesia, quam quæ a Christianorum singulis. Spirituales victimæ opponuntur carnalibus. Nam in spirituali domo a spirituali Sacerdotio spirituales etiam hostiæ debent offerri, id est laudes & celebrationes divini nominis Hebr. XIII. 15.

Acceptas Deo. Commendat spirituales hostias, & significat istas Deo vere acceptas esse, non illas carnales, quæ ad tempus tantum a Deo institutæ erant, donec populus ad verum & spiritualem Dei cultum maturesceret. Simul etiam significat cui sint offerendæ, eidem nimirum cui sunt acceptæ, id est Deo, qui solus victimis spiritualibus colendus est.

Per Jesum Christum. Hoc Christianorum est proprium, Deum illum unum colere per Jesum Christum. Hoc Christianorum non est, Jesum Chrisum pro uno illo Deo colere. Hic error est Christianorum, non Christiana veritas. Deo per Jesum Christum laudes & celebrationes offeruntur, cum in iis dicendis semper Jesu Christi fit mentio, tanquam Dei Filii & Christi ex mortuis a Deo suscitati & super omnia evecti. Nulla enim ex re majorem Deus gloriam habet, quam ex istius tanti operis ab hominibus agnitione: proinde cum & ipsi Jesu Christo, ut tali laudes dicuntur, ipsi Deo dicuntur, quippe quæ omnes in Jesu Christo non consistant, sed per illum & ex illo in Deum ipsius auctorem & Patrem redundent.

Vers. 6. *Propter quod & continetur in Scriptura: Ecce pono in Sione lapidem imum angularem, electum, pretiosum: & qui credet in ipso, non pudefiet.* Scripturæ auctoritate admonitionem superiorem confirmat. *Propter quod*, nempe ut accedamus ad Christum tanquam lapidem vivum & super ipsum ædificemur. *Et*: quasi dicat, non tantum ego hoc moneo, & res ipsa loquitur, sed & Scriptura continetur περιέχει, pro περιέχεται: *in Scriptura*, nempe Esaiæ XXVIII. 16.

Ecce pono in Sion &c. Verba Dei recitat in Scriptura prodita, quibus Christus lapis appellatur, ἀκρογωνιαῖος, id est in angulo fundamenti positus. Quo vero alio fine, nisi ut super ipsum ædificetur, qui servari velit? Ecce rem veluti oculis subjicit Deus. *Pono*, id est ponam, convenienter lapidi hoc dicitur, quamvis constitutio Regis Messiæ designetur.

In Sione. Nempe cælesti. Alludit enim ad Sionem montem, in quo David, Christi typus, & Christi secundum carnem pater, regiam suam collocaverat.

Lapidem. Super quem tanquam firmum & immotum fundamentum quisque ædificetur.

Imum angularem. Imum quia ipsum fundamentum, *angularem*, quia duos sustinet parietes, id est Judæorum & Gentium ecclesiam.

Electum. Quem ipse eligam ex omnibus hominibus. Solent enim & lapides eligi ad fundamentum, præsertim ad fundamenti angulos, idque domus alicujus eximiæ.

Pretiosum. Qui non tantum firmus sit, sed etiam pretiosus. Nimirum ad tam pretiosæ domus fundamentum etiam pretiosus lapis, isque in angulo eminens, adhiberi debet. Nam alioqui in fundamentis sola spectatur firmitas. Sed hic lapis Rex Messias est, Dei Filius, ideo vere pretiosus, quo nemo apud Deum pretiosior est. Solent enim pretia lapidum ex qualitatibus & virtutibus æstimari: at cui cum Rege Messia divinissimarum qualitatum ac virtutum potest esse comparatio?

Et qui credit super ipso. Exprimit quo pacto super hoc lapide ædificari debent, nimirum per fidem in ipsum, tanquam in cælestem & divinum Regem à Deo constitutum, cui omnia sint subjecta. *Super ipso*, ἐπ' αὐτῷ, id est qui super ipso tanquam super immoto lapide ac fundamento fiduciam suam collocat.

Non pudefiet. Docet fidei istius eventum, non frustrabitur fidei suæ effectu, obtinebit id quod se adepturum in hoc Rege confidit. Non magis falletur in sua fiducia, quam lapidi immoto innititur. Effectum posuit pro causa; vel potius causam inclusit in effectu. Nam qui fide sua frustrantur, pudefieri solent decepti, videntes se inaniter & stulte confidisse, omnemque suum laborem effusum esse. Pudet enim homines stultitiæ.

Vers. 7. *Vobis igitur pretium credentibus: non credentibus autem, lapidem quem reprobaverunt ædificantes, iste factus est in caput anguli, & lapis offendiculi, & petra scandali.* Mentione facta credentis in Christum, infert hinc ipsorum qui credebant de Christo judicium.

Vobis igitur pretium, ἡ τιμή. Id est pretiosus, intellige, est Jesus Christus. Substantivum ponitur pro adjectivo, ad majorem emphasin: quasi dicat, ipsum pretium quod nullo alio pretio æstimari possit. Respicit ad epitheton *pretiosi* in verbis Dei: quasi dicat, vestrum de Christo judicium congruit cum Dei judicio, proinde conformiter vos divinæ voluntati in Scriptura expressæ geritis.

Credentibus. Nisi enim Jesum Christum in maximo haberetis pretio, non crederetis in ipsum.

Non credentibus autem. Exprimit è contra non credentium judicium, idque etiam in Scriptura prædictum ostendit, ne credentes in suo de Jesu Christo judicio & fide in ipsum turbentur, ἀπειθοῦσιν, qui Euangelio credere & obedire nolunt.

Lapidem quem reprobaverunt &c. Non credentibus autem contrario judicio Jesus Christus est lapis reprobatus. Sed maluit ipsa Scripturæ verba ponere ex Psal. CXVIII. ℣. 22, quæ id ipsum facturos Judæorum principes, & consequenter populum in commune, qui principes suos sequi solent, prædicunt. *Lapidem quem*, pro lapis quem, ut in illo, urbem quam statuo, vestra est.

Reprobaverunt ædificantes. Id est Sacerdotes, Doctores, Principes Judæorum, quorum officium erat domum Dei ædificare, id est gloriam Dei & salutem populi procurare, isti reprobarunt, rejecerunt, & non inutilem tantum, sed etiam perniciosum duxerunt.

Iste factus est in caput anguli. Nempe à Deo, qui lapidem hunc in ædificatione suæ domus fecit caput anguli, id est fundamentum anguli, duorum concurrentium parietum, secundum id quod verbis superioribus ipse se facturum prædixit. Adeo contrarium fuit Dei & hominum ædificantium judicium ac factum. *Iste*, iste ipse & non alius, sicut idem hic Petrus alibi dicit: Certo igitur cognoscat omnis domus Israël, quod Dominum & Christum ipsum Deus fecit hunc Jesum quem vos crucifixistis Actor. 2. 36. *Factus est.* Loquitur Psaltes de re olim futura, tanquam de jam facta.

In caput anguli. Id est factus est caput anguli, ex Hebræorum idiotismo, ut in illo, *duo fient in carnem unam*, id est caro una: *Ero vobis in Deum*, id est Deus: *Tres sunt in unum*, id est unum, & similia multa. Prædicitur Deum effecturum ut Christus à principibus Judæorum rejectus & in crucem actus, à Deo suscitetur ex mortuis, & Rex constituatur divinus, cui universa domus Dei, id est ecclesia, tam ex Judæis quam ex gentibus collecta innitatur. Non est igitur ut credentes quidquam adversariorum judicio moveantur, quamvis sint principes & sapientissimi Judæorum, quamvis eorum auctoritatem omnes in commune sequantur. Damnent illi Christum ut libet, Deus illum ex mortuis suscitatum Dominum & Christum fecit, & qui credit in ipsum, non confundetur.

Et lapis offendiculi & petra scandali. Intellige, est non credentibus. Lapis offendiculi, est lapis ad quem offendunt multi, id est, ex quo causam & occasionem capiunt non credendi, & sic malo semetipsos afficiendi, pro eo quod super ipsum fiduciam statuere & collocare deberent. Sumebant autem causam & occasionem ex Christi secundum carnem humilitate, & ex imprimis morte illius, eaque tam ignominiosa, & ex Apostolorum simili conditione, quodque sermonem adferrent & Christus & Apostoli, opinionibus & moribus ipsorum contrarium.

Et petra scandali. Quæ debebat esse petra fidei & salutis. Aliis verbis idem significatur. Petra ad quam scandalizantur, id est sese allidunt, & perniciem sibi accersunt. Lapidi huic & petræ nihil nocent, nullum detrimentum ad illam offendentes & in eam incur-

rentes

rentes adferunt. Est enim dura & immota. Omne malum ex hac offensione & allisione ipsorum est.

Vers. 8. *Qui offendunt ad sermonem, non credentes, in quod & positi sunt.* Explicat quo pacto Jesus Christus ipsis lapis offendiculi & petra scandali sit;

Qui offendunt ad sermonem. Sermonem intelligit Euangelii, absolutam sermonis vocem ex materia subjecta intelligendam relinquens, quod sæpe fit. Sic & Joannes principii absolutam vocem itidem ex materia subjecta, ex Euangelio nimitum intelligendam relinquit. Sensus est, quibus sermo Euangelii non placet, cui cum credere deberent, causam & occasionem ex illo sumunt non credendi, & sic noxam sibi adferendi. Absurdum illis videtur Christum illum Dei crucifixum esse, & vicissim qui crucifixus sit, factum esse Christum illum Dei, omnem in cælo & in terra potestatem habentem, divinis religionibus afficiendum, qua de re Paulus 1 Cor. 1. 23.

Non credentes, ἀπειθοῦντες. Explicat quo pacto offenderent ad sermonem, quatenus scilicet eum sibi persuaderi non patiebantur, quamvis tot divinissimis modis confirmaretur, & illo ipso per se nihil divinius & humano generi desiderabilius esset. Sola obstabat malitia, quod viderent sibi pœnitentiam agendam, suas opiniones abjiciendas, suos mores mutandos, & si quæ inde oriri possent mala & incommoda, patienter toleranda esse.

In quod & positi sunt. Ne quis miretur eos tam obstinatos esse, & eorum facto turbetur. Docet non sine judicio ac pœna divina hoc ab ipsis fieri. *In quod.* Nimirum ut non obediant, non credant, persuaderi sibi non sinant.

Positi sunt. A Deo nimirum, non secus ac Pharao positus erat à Deo, ut non obediret, nec sibi persuaderi pateretur ut populum dimitteret. Positi ergo sunt per indurationem divinam, sicut & Pharaoni evenerat, qui induratus à Deo fuit. Eos enim Deus agendi cum Pharaone modos adhibebat, ex quibus ille occasionem subinde sumeret non obediendi Deo, & animum suum adversus Dei mandatum obstinandi, ut subinde etiam aliam post aliam acciperet plagam. Neque enim unam fuerat commeritus, aut una satis erat ad scelera illius punienda. Multis erat afficiendus, & tandem etiam conficiendus, quo & Dei gloria tanto illustrior redderetur, & ipse pro meritis plecteretur. Simili ratione & cum Judæis malis & contumacibus agebat Deus, ut semper occasionem, quamvis injustam, haberent repugnandi Euangelio, quo & ipsorum improbitas ac contumacia tanto magis in apertum exiret, & Deus etiam in illorum pœna tanto magis potentiam & gloriam suam patefaceret. Qua de re vide Rom. IX. 17, & seqq. Non igitur positi erant per decretum aliquod Dei ab æterno de singulis nominatim factum, ut quidam affirmant, contumaciæ & impietatis hominum auctorem facientes Deum. Nec veritus est illorum unus (Beza) hæc Apostoli verba convertere: *Ad quod etiam conditi fuerunt.*

Vers. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in acquisitionem, ut virtutes annuntietis ejus qui ex tenebris vos vocavit in mirabilem suam lucem.* Opponit ipsorum quod crederent in Christum valde beatam conditionem, non credentium adeo infelici conditioni.

Vos autem. Quasi dicat, illi quidem à Deo indurati sunt & in hoc ipsum positi, ut Euangelio ejus suo cum exitio adversentur. *Vos autem*, intellige qui creditis,

Genus electum. Intellige estis, electum nimirum à Deo & apud Deum. Olim Israëlitæ genus erant electum ex aliorum omnium hominum genere, nunc vos, credentes in Jesum Christum, non tantum ex aliorum omnium hominum, sed etiam ex ipso Israëlitarum genere, genus estis electum, electum nimirum ad æternam salutem. Illi sunt reprobati & rejecti à Deo, vos autem estis electi. Electi propter fidem in Jesum Christum.

Regale sacerdotium. Id est collegium, Sacerdotum, regali simul dignitate præditum, vel Reges & Sacerdotes Apoc. 1. 6, & v. 15. Adjectivum & substantivum pro duobus substantivis, & abstractum pro concreto, vide ℣. 5. Utraque hæc dignitas regalis & sacerdotalis recte copulatur & conjungitur. Decet enim ut qui hominum sunt summi, Dei sint sacerdotes & peculiares ministri. Reges sunt Christiani, quatenus & ipsi hominum sunt summi, rerum omnium domini. Omnia enim ipsorum sunt, sive mors, sive vita, sive mundus &c 1 Cor. III. 22. Omnia ipsis ministrant & illorum usibus ac saluti inserviunt. Reges sunt mortis mancipia, non minus quam cæteri homines, at Christiani mortis sunt domini. Reges suis affectibus fœde serviunt, at Christiani, quod vere regnum est, affectibus suis imperant, & ab omnibus vitiis liberi sunt. Sacerdotes sunt Christiani, quatenus Dei sunt ministri, quibus solis fas est ad Deum accedere, & victimas laudis offerre, & suffitum orationum tam pro se quam pro aliis hominibus omnibus facere. Significat Apostolus Christianos tam cæteris hominibus omnibus dignitate apud Deum præstare, quam Reges & Sacerdotes aliis hominibus dignitate præcellant. Imitatur Apostolus verba Dei apud Mosen de Israëlitis Exod. XIX. 5, 6. Nisi quod Israëlitæ appellentur regnum sacerdotale, quod non omnes futuri essent Sacerdotes, ut nec omnes Reges, sed quod futuri essent regnum sacerdotio exornatum, id est qui inter se habituri essent Reges & Sacerdotes: Apostolus autem sacerdotium dicit regale, quod omnes Christiani Sacerdotes sint regali dignitate præditi, proinde & Reges, liceatque etiam dicere Reges sacerdotali præditi dignitate. Sacerdotium enim Sacerdotes, seu collegium Sacerdotum significat, at regnum non significat.

Gens sancta. Olim universa gens Israëlitarum erat sancta, nunc sola gens Christianorum sancta est, id est, ad Dei usus ac ministeria cultumque segregata. Omnes aliæ gentes profanæ sunt & pollutæ, soli Christiani sancti sunt.

Populus in acquisitionem. Id est populus acquisitus, per duo substantiva pro substantivo cum adjectivo, & per Hebraismum in adjectione particulæ *in*. Acquisitus nimirum à Deo magna opera, & cura, & magno impendio. Impendit enim Deus Filium suum ut sibi Christianum populum acquireret. Qua

de re cap. I. ℣. 19, & III. 18 agit Apostolus. Quia vero Christiani sunt populus acquisitus, idque tanto impendio, necesse est ut sit Deo charissimus & pretiosissimus. Quæ enim magno nobis constant, ea nobis etiam valde sunt grata & magno in pretio. Voces autem istæ, *genus*, *gens*, *populus*, spiritualem habent sensum, de Christianis usurpatæ, quorum secundum carnem genus varium est, & gens ac populus variis ex gentibus ac populis collectus. Genus est quod ex uno Patre ortum est; Christiani etiam qua Christiani unum habent Deum, ideo & qua tales, genus sunt electum. Gens est quæ unam habet regionem & linguam unam; Christianorum etiam regio una est, nempe cælestis, & lingua una, quatenus omnium una fides, una confessio. Populus qui unam habet urbem, unam civitatem; & Christianis una urbs est, una civitas, ecclesia nimirum & Hierusalem illa superna & cælestis. Quod ad significationem carnalem attinet, in Christianis nec generis, nec gentis, nec populi unitas attenditur. Omnes enim, cujuscunque generis, gentis, populi & conditionis, sive sint mares sive fœminæ, unum imo unus sunt in Christo Jesu Gal. III. 28.

Ut virtutes &c. Ostendit finem istorum omnium quæ de illis asseruit. *Virtutes.* Id est sapientiam, bonitatem, misericordiam, potentiam, & omnia virtutum istarum effecta.

Annuncietis. Id est, publica confessione & voce quam maxime celebretis. Virtutum vocem, per metaphoram, de Deo usurpat, præsertim quod beneficia ejus in homines collata ex libera illius voluntate proficiscantur.

Qui ex tenebris vos vocavit &c. Describit Deum potius quam nominat, ut causam virtutes ejus celebrandi exprimat: ingens nimirum Dei erga nos beneficium. *Ex tenebris*, id est, ex ignorantia arcanorum Dei de hominum æterna salute, quæ tenebræ vocantur, per metaphoram, quod hominibus impedimento sit in iis agendis quæ ad salutis adeptionem pertineant, seu in tenenda salutis æternæ via.

Vos. Quamvis alioquin Legis notitiam habeatis, quippe Judæos.

Vocavit. Per Euangelium nimirum,

In admirabilem suam lucem. In admirabilem sui & arcanorum suorum notitiam; quæ lux vocatur, similiter per metaphoram, quod homines in via salutis æternæ ingredienda & tenenda dirigat. Quam lucem Dei vocat, quod ex Deo sit, & circa Deum ac mysteria Dei versetur. Admirabilem autem dicit, quod sit & magna ac illustris, & admirabilia Dei consilia ac facta nobis ostendat & exhibeat. Cum igitur tantopere simus à Deo illuminati, & ex tenebris ad lucem tam admirabilem vocati, nostrum est Dei virtutes omnibus modis deprædicare. Neque nullis aliis æque ac nobis notæ esse possunt, tanto vero magis quod hoc fine genus electum & cætera quæ dixit simus. Quod si vero de Judæis qui Legis lucem habebant vere dixit Apostolus quod ex tenebris vocati essent in Dei lucem admirabilem; quanto magis hoc dici debet de gentibus profanis, & quanto magis obligantur gentes ad tantarum Dei virtutum deprædicationem? Non est igitur Christianis tacenda divina veritas, sed modis omnibus illius cognitio divulganda ac promovenda, ut per illius cognitionem & alii homines quam plurimi, & si fieri posset, omnes Dei virtutes istas cognoscant, illasque celebrent & annuncient.

Vers. 10. *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Pergit in felicitate eorum describenda verbis Dei ex Osea cap. 2. 23 sumptis, ut ea in ipsis impleta esse significet.

Qui aliquando non populus. Intellige Dei, ut mox additur, eratis, cum nimirum essetis in tenebris ante cognitionem Christi, &, ut infra dicit, cum voluntatem gentium perficeretis, non voluntatem Dei cap. IV. 3.

Nunc autem populus Dei. Per fidem vocamur in Christum & regenerationem ac renovationem Spiritus Sancti. Populus enim Dei est, qui facit voluntatem Dei.

Qui non consecuti misericordiam. Intellige eratis, Dei nimirum, id est qui fuistis expertes misericordiæ Dei propter peccata vestra, quibus eratis dediti, misericordiæ præsertim ad vitæ æternæ adeptionem.

Nunc autem misericordiam consecuti. Intellige estis, nimirum propter conversionem vestram ad Deum per fidem in Jesum Christum. Opponit statum eorum præsentem præterito, illum tristem ac miserandum, hunc felicem ac beatum ostendit. Videmus quo in statu sint Judæi non credentes in Christum. Nec populus Dei sunt verus, nec misericordiæ Dei, qua salutem æternam confert, participes.

Vers. 11. *Dilecti, rogo tanquam advenas & peregrinos ut abstineatis à carnalibus cupiditatibus quæ militant adversus animam.* Redit ad eos admonendos, postquam iis tam beatum ipsorum statum exposuit, ne scilicet illo excidant.

Dilecti. Quippe fratres in Christo, & communia membra in corpore Christi.

Rogo, vel adhortor, παρακαλῶ. Utrumque enim verbum Græcum significat.

Tanquam advenas & peregrinos. Conditionem eorum secundum carnem tangit, ut ex hoc ipso argumentum admonitionis suæ capiat. Peregrinos enim & advenas, qui procul sunt à domo, procul à suo populo, in aliena terra, veluti exules & extorres, ipsa fortuna ad modestiam inclinat.

Ut abstineatis à carnalibus cupiditatibus. Id est à cupiditatibus rerum carni gratarum, sed turpium & à Deo vetitarum. Ita non tantum à rebus turpibus & vetitis abstinendum esse docet, sed etiam ab ipsis rerum ipsarum cupiditatibus; sunt enim omnes per se turpes, & sanctis indignæ ac noxiæ. Addit enim, causam moniti sui exprimens,

Quæ militant adversus animam. Quasi dicat, militant quidem pro carne, sed contra animam. Militant ut carni satisfiat, sed ut anima pereat. Nam cupiditatum carnalium executio carni quidem adfert voluptatem, sed animæ infert interitum. Cupiditas enim concipiens parit peccatum, peccatum perpetratum edit mortem Jacob. I. 15. Rom. VI. 21. 22, 23, 28. Militant autem, dum hominem vincere volunt,

volunt, & ſibi ſubjicere; quibus virtutem ſpiritus Chriſti opponere oportet, eaque fugare & expellare, imo exſcindere. Qui enim Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum cupiditatibus & affectibus Gal. v. 24. Animæ interitus hominis interitum adfert, & corporis opponitur interitui, qui anima ſuperſtite facile refarciri poteſt, & reſarcietur beata reſurrectione ad vitam immortalem. Unde Chriſtus Luc. XII. 4, 5 jubet non metuere homines qui corpus occidunt; ſed animas occidere non poſſunt, quod ſolus poteſt Deus, qui animas impiorum conjiciet in gehennam ignis, quod ut fiat, cupiditates carnales totis viribus agunt.

Verſ. 12. *Converſationem veſtram in Gentibus habentes bonam, ut in quo loquuntur contra vos tanquam maleficos, & bonis operibus conſpectis glorificent Deum in die viſitationis.* Pergit in iis admonendis. *Converſationem veſtram* &c. Id eſt bene vos in rebus gerite, omnes actiones veſtræ bonæ ſint & laudabiles, nihil ſit in illis quod reprehendi ac damnari a quoquam poſſit, juſte, ſobrie, caſte, quiete, modeſte agite & vivite.

In Gentibus. Id eſt inter Gentes (*in* pro inter) inter quas vivitis & habitatis, quæ veſtræ religionis diligentes ſunt ſpectatores, & plerique de illa male ſentiunt & loquuntur.

Ut in quo &c. Docet quo fine ipſorum converſatio debeat eſſe bona & laudabilis, idque inter adverſarios & inſenſos veritati Chriſtianæ. *Ut in quo*, id eſt qua in re.

Loquuntur. Nempe homines veritati & pietati Chriſtianæ infenſi.

Contra vos. Id eſt contra veſtram bonam famam, & vitam, tanquam maleficos, impuros, inceſtos, qui libidinem exerceatis promiſcuam, ſacra exercentes polluta, homines vos eſſe turbulentos, ſeditioſos, Regibus & poteſtatibus adverſantes, omnia confundere cupientes. Quibus calumniis onerabantur Chriſtiani. Illis quidem ex cauſa & occaſione cœnæ Dominicæ, quod una cœnarent ad teſtandum amorem mutuum, ideoque cœnas iſtas vocarent ἀγάπας, in quibus etiam corpori & ſanguini Chriſti per ſacri panis fractionem & calicis uſum communicare ſoliti erant; iſtis vero quod Jeſum dicerent eſſe Regem ac Dominum omnium à Deo conſtitutum, eumque tanquam talem venerarentur & colerent Act. XVII. 6, 7. Vult igitur Apoſtolus ut Chriſtiani ſancta & innoxia converſatione ac moribus, calumniis iſtis plane contrariis, adverſarios convincant ac refutent.

Ex bonis operibus. Intellige veſtris, id eſt ex cauſa & occaſione bonorum veſtrorum operum.

Conſpectis, ἐποπτεύσαντες. Id eſt, poſtqoam illa conſpexerint, & ſic ſe factis & operibus veſtris refutatos viderint.

Glorificent Deum. Id eſt non tantum revocent quæ contra vos tanquam maleficos locuti ſunt, ſed etiam divinam veritatem & gratiam quæ eſt in Chriſto Jeſu agnoſcant, eaque agnita Deum laudibus & gloria extollant.

In die viſitationis. Id eſt in tempore quo Deus illos viſitaverit; vel per aliqua ſingularia beneficia, vel etiam per evidentes pœnas, aut alias aliquas ſingulares & extraordinarias cauſas eos ad ſe convertere volens. Quo tempore maximo erunt ad illorum converſionem veſtra bona opera illis perſpecta adjumento. Dies ponitur pro tempore, per ſynecdochen.

Verſ. 13. *Subjecti eſtote igitur omni humanæ creaturæ propter Dominum, ſive Regi tanquam ſupereminenti.* Ex generali præcepto & admonitione ſpeciale infert præceptum & monitum: quaſi dicat, quandoquidem vobis objiciunt quod ſitis homines turbulenti, ſeditioſi, Regibus & poteſtatibus adverſi.

Subjecti eſtote igitur omni humanæ creaturæ. Veſtra abſtinentia a carnalibus cupiditatibus, oſtendet vos homines eſſe ſanctos, non impuros & inceſtos, veſtra ſubjectio oſtendet, vos homines eſſe pacatos & modeſtos, nihil adverſus humanas poteſtates molientes. *Subjecti eſtote*, nempe omnibus in rebus quæ contra Deum non ſint, cui prima & maxima debetur ab omni homine ſubjectio.

Omni humanæ creaturæ. Id eſt omni poteſtati, nulla excepta, ut mox in ſpecie docet. Quæ humana creatura dicitur, quod ab hominibus creetur, id eſt ordinetur & conſtituatur, qua ſignificatione vocem κτίσεως & κτίζειν Græci ſæpe accipiunt. Sic per Chriſtum omnia dicuntur creata, id eſt ordinata ac renovata Col. 1. 17.

Propter Dominum. Id eſt Chriſtum, qui hoc jubet & præcipit, & à vobis diſcipulis ſuis fieri omnino vult: quaſi dicat, tantum abeſt, ut propter Chriſtum refractarii ſitis poteſtatibus humanis, ut iis vel maxime propter Chriſtum ſubjecti debeatis eſſe. Multum enim pertinet ad gloriam illius & promotionem veritatis quam attulit, ut diſcipuli ſui homines ſint pacati, quieti, poteſtatibus ſubjecti, omni genere virtutis exornati. Non impediunt Chriſti dominatum humanæ poteſtates, nec Chriſtus humanis poteſtatibus impedimentum adfert, cum Deus ipſe poteſtatum inter homines auctor ſit, eaſque velit eſſe. Chriſtus eſt Rex & Dominus, ſed cæleſtis, non terrenus, nec ab hominibus creatus, ſed ab ipſo Deo. Habeant terrenæ poteſtates ſuum dominatum in terris, cujus adminiſtrati rationem ſuo tempore reddent ei qui dominatur in cælis. Chriſtiani quicquid a poteſtatibus jubentur facere, quod contra Chriſtum non ſit, prompto animo faciunt: ſi quid jubeantur facere Chriſti præceptis contrarium, id quidem non faciunt, ſed eo nomine male habiti, patienter cuncta tolerant, ſcientes & ſibi propter Chriſtum afflictis maxima præmia, & ſe affligentibus graviſſima apud Chriſtum parata eſſe ſupplicia.

Sive Regi &c. Diſtinguit humanas creaturas, ut doceat omnibus ſubjectionem deberi. Vocem Regis accipit pro ſuprema poteſtate, & Romanum Imperatorem includit, cui provinciæ tum parebant, qui etiam a Græcis Rex appellabatur.

Tanquam ſupereminenti, ὑπερέχοντι. Cauſam exprimit ſubjectionis, quia ſuper omnes homines regni & imperii ſui evectus eſt, & ſuprema poteſtate dominatur.

Verſ. 14. *Sive ducibus tanquam per ipſum miſſis, in ultionem quidem maleficorum, laudem autem benè agentium.* Intelligit omnes intermedias poteſtates, quales erant in Romano Imperio provinciarum Rectores ac Præſides.

Tanquam

Tanquam per ipsum missis. Causam suggerit cur istis subjici deberent. Quia etiamsi summa potestas non sint, tamen a summa potestate missi sunt, & locum illius ac vicem tenent.

In ultionem quidem. Alia subjectionis causa ex fine potestatum, qui bonus est & Christianis optabilis, ut scilicet malos quidem & maleficos deterreant, bonos autem ac bene agentes debita laude afficiant. Hic finis potestatum est, quem si non observent & contrarium agunt, abutuntur sua potestate, & ex legitimis potestatibus tyranni fiunt.

Vers. 15. *Quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obturetis insipientium hominum ignorantiam.* Aliam ostendit causam subjectionis. *Quia sic est voluntas Dei*, id est, quia sic vult Deus. *Ut benefacientes*, id est potestati vos subjicientes. Bonum enim est potestatibus quæ boni publici causa institutæ sunt, & Deum ipsum habent auctorem, sese subjicere.

Obturetis, φιμοῦν. Id est, os obturetis & obstruatis, nempe calumniatoribus, qui vos pro maleficis, & inter alia pro rebellibus & magistratuum adversariis infamant. Istorum os non melius obstruere potestis, quam si calumniis illorum contraria faciatis: quod vos facere vult Deus, cujus voluntati parere oportet.

Insipientium hominum ignorantiam. Pro calumniatoribus posuit hęc verba Apostolus, ut ostenderet causam & fontem istarum calumniarum. Proxima causa est ignorantia istorum hominum. Quia enim Christianam veritatem & pietatem ignorant, idcirco talia de Christianis spargunt. Ignorantiæ autem istius causa rursus est ipsorum stultitia ac vecordia. Sic enim amentes & stulti non essent, si non cœco odio in Christianum nomen agerentur, quam facile quid Christiana dogmata contineant scire possent! an futilibus conjecturis talia, tam absurda, tam ab omni ratione aliena de Christianis affirmandi niterentur? Frustrantur igitur illi sua ignorantia & amentia, nos operam demus, ut omnis vita nostra calumniis illorum contraria loquatur, donec tandem rebus ipsis convicti, meliora de nobis sentire & loqui discant.

Vers. 16. *Sicut liberi, & non sicut velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.* Docet aliud esse libertatem, aliud habere pro velamento malitiæ, ne quis ideo quod liber sit, potestati subjectus esse detrectet.

Sicut liberi. Intellige agite, vos gerite. Alloquitur enim Judæos, qui omnes conditione erant liberi & ingenui, & hanc suam libertatem non solebant oblivisci. Ideo & subjectio illorum extraneæ potestati semper erat suspecta. Quam suam libertatem Judæi, qui Christum cognoverant, & Christiani facti erant, tanto magis auctam esse videbant. Monet igitur Apostolus, ut tanquam liberi & ingenui sese gererent, quos vel maxime omnis decet honestas.

Et non sicut velamen habentes &c. Id est & non agite sicut illi, qui libertatem habent velamen, id est pro velamine malitiæ, dum scilicet libertate ad malefacta abutuntur, & malitiam suam libertate velant. Aliud enim est malum ac improbum, aliud liberum esse. Qui male agit libertate indignus est, nec amplius est liber, sed servus & serviliter habendus. Malitia est, eaque non postrema, magistratui nolle subesse. Hæc malitia libertate velari non debet; neque enim libertati quicquam repugnat vel derogat magistratui subjici, imo libertatis multum interest. Absque magistratu si esset, vapularent boni, qui soli liberi sunt, & dominarentur mali ac improbi, qui soli servi sunt.

Sed sicut servi Dei. Intellige sic agite, sic vos gerite. A servis enim Dei procul abesse debet omnis malitia. Nemo liberior quam servus Dei, & nemo melior. Tales enim decet esse Dei servos, qualis est Deus, qui ipsa bonitas & justitia est, & in quo malitia non est ulla, quamvis omnium sit liberrimus, imo solus vere liber. Dei igitur servi magistratui debent esse subjecti, quia id Deus vult ac jubet, qui sicut omnis boni ordinis & honestatis, & tranquillitatis ac pacis auctor est, sic & magistratus, sine quo nullus ordo, nulla honestas, nulla pax inter homines esset.

Vers. 17. *Omnes honoretis, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorate.* Non contentus monuisse ut potestatibus subjecti sint Christiani, præcipit ut omnes homines honorent, quamvis pares, quamvis inferiores, sufficit quod homines honesti sint. Hoc vero Christianum est omnium hominum animos honore demereri, quo eos tanto magis ad Christianam veritatem allicias. Honor primum in animo consistit, ut quemlibet hominem in æstimatione habeamus. Nam si Deus hominem adeo non despicit ullum, ut omnem servari velit, quanto magis id nobis faciendum est, qui æque ur alii homines sumus, nec naturæ dignitate ab aliis hominibus quicquam differimus. Deinde honor consistit in externis, internæ æstimationis signis, quæ etsi varia sint, tamen pleraque nullo impendio, nullo labore constant, & hominibus nihilominus grata sunt, eosque obligandi vim non exiguam habent, & ideo etiam si non præstentur, homines valde offendunt, ut qui in illis difficilem se præbeat, fatuus ac superbus sit, nedum ut Christiano convenienter sese gerat. Judæorum erat omnes alios homines præ se contemnere, & vix homines esse ducere: at Christianum est omnes homines honore afficere, & hoc ut facerent Judæi Christiani facti, ex Christi instituebantur disciplina.

Fraternitatem diligite. Id est fratres in Christo, quibus non tantum honor ut hominibus, sed etiam dilectio peculiaris ut fratribus, iisque tam sanctis debetur. Dilectio operosior est quam honor, & vires suas in varia beneficia & officia explicat, de qua cap. 1. 22, & iterum IV. 8.

Deum timete. Ab hominibus progreditur ad Deum, quem ut timeant præcipit, quippe absolutam in nos potestatem habentem, tanquam in suas creaturas, proinde suos servos ac mancipia. Servorum enim est timere Dominum. Non excludit hic timor amorem, imo includit. Deus enim simul & Pater est noster, qui nos & regenuit, & paterna sua gratia complexus est, inque filios ac hæredes suos adoptavit. Vult Apostolus ne quidquam

unquam

unquam contra Dei voluntatem facere audeamus, ſcientes id haud impune nos laturos, qua de re egit cap. 1. 17.

Regem honorate. Deo Regem adjungit ac ſubjicit, Dei quippe inter homines vicarium, cujus etiamſi non ſumus, proinde Regem ſicut ſubjectione, de qua jam egit ꝟſ. 13, ſic & aliis modis omnibus qui ſubjectos decent, honorare debemus. Inter quos eſt ſemper honorifice meminiſſe, & à maledictis contra eum abſtinere, qua de re & Legis exſtat præceptum Exod. XXII. 28. Act. XXIII. 5. Regibus enim ſicut longæ ſunt manus, ſic & audiunt ex longinquo: & ſi Reges non audiant, audit Deus, qui cum Reges ſuæ poteſtatis ac majeſtatis velit eſſe in terris vicarios, honoris illorum vindex eſt, ſine quo poteſtas & majeſtas quam habet à Deo, conſiſtere non poſſet.

Verſ. 18. *Domeſtici ſubjiciamini in omni timore heris, non tantum bonis & æquis, ſed etiam pravis.* A ſubjectis venit ad domeſticos ac ſervos, qui tum ut plurimum empti erant pecunia, ideoque dominorum proprii.

Subjiciamini, ὑποτασσόμενοι. Per participium. Subjectio hæc omnem includit obedientiam, in iis nimirum omnibus quæ contra Deum non ſunt, qui major omnibus dominis Dominus eſt.

In omni timore. Id eſt cum omni timore: *in* pro *cum*. Servorum enim proptium eſt omni ex parte dominos timere, cum nullum jus, nullam libertatem habeant. Proinde nec murmurare contra dominorum mandatum, illudque omni cura & diligentia exequi debent.

Heris, τοῖς δεσπόταις. Quaſi dicat, quorum proprii juris ac mancipia eſtis.

Non tantum bonis & æquis, ſed & pravis. Σκολιοῖς, ne quis ſervorum excipiat, bonis quidem & æquis dominis ſubjectionem deberi, ſed pravis & iniquis non item, qui ſervos inſontes & immeritos, præſertim ob fidem in Chriſtum ſuſceptam male tractant. Præcipit igitur Apoſtolus, ut etiam iſtis omni cum metu ſeſe ſubjiciant, non quidem Chriſti fidem deſerendo, quod abſit, ſed eam omni cæteroquin obſequio exornando, & propter illam æquo animo cuncta perferendo. Domini boni & æqui ſunt, qui cum ſervis ex æquo & bono agunt, præſertim conſcientias illorum plane liberas eſſe ſinunt. Pravi ſunt, qui iniqui ſunt, & illi maxime qui ſe magis quam Deum timeri, id eſt conſcientiis dominari volunt. Diſcant non domini tantum, ſed & poteſtates civiles conſcientiis non dominari. Nam ſi heri qui alioquin abſolutum jus habent in ſervos, conſcientiis illorum dominari non debent, quanto minus id facere convenit poteſtates qui liberis alioquin hominibus imperant.

Verſ. 19. *Hoc enim gratia, ſi propter conſcientiam Dei ſuffert quis triſtitias patiens injuſte.* Cauſam adfert iſtius præcepti. *Hoc enim gratia*, intellige eſt. *Hoc*, nempe quod ſtatim dicit.

Gratia. Nimirum Dei. Intelligit autem cauſam gratiæ, per metonymiam effecti, & ſimul in gratia includit gratiæ effectum, id eſt præmium ac mercedem ſingularem.

Si propter &c. Exponit quid ſit hoc quod peculiaris divinæ gratiæ & mercedis cauſa eſt, nimirum ſi propter conſcientiam Deo obſtrictam, quod ſcilicet aut faciat quæ à Deo præcepta eſſe, aut non faciat quæ à Deo vetita eſſe ſciat. Conſcientia enim refertur & reſpicit in Deum & Deum auctorem habet. Nam qui Dei metu & religione omni ſoluti ſunt, etiam conſcientia carent. Unde patet ea quæ alicui propter conſcientiam inferuntur mala, ad Deum ipſum conſcientiæ & auctorem & ſcopum referri; præſertim ſi quis non falſi alicujus, ſed veri Dei conſcientia teneatur obſtrictus, idque in iis quæ ſecundum Dei ſunt voluntatem. Excipiuntur enim illa omnia quæ vim adferunt, ſive conſcientiis, ſive corporibus innocentium, & humanam ſocietatem ac tranquillitatem, aut jus cujuſque lædunt, in quibus conſcientiam obtendere perverſum eſt.

Suffert quis triſtitias. Id eſt, ſi quis malit triſtitiam ſufferre quam conſcientiam Deo obſtrictam lædere & contriſtare, quique conſcientiæ lætitiam potiorem ducat omnibus ſecundum carnem gaudiis.

Patiens injuſte. Exprimit triſtitiarum iſtarum cauſam, quæ eſt pati, verba ſcilicet, & alia quæ corpori dolorem, animo triſtitiam afferunt.

Injuſte. Quia qui propter conſcientiam Deo obſtrictam, nec ullius jus invadentem, idque etiam divinæ voluntati plane conformem patitur, injuſte patitur. Qui igitur talis eſt, magnam apud Deum init gratiam, qui ei cæleſtibus & æternis gaudiis has triſtitias & perpeſſiones compenſabit, quas ipſius cauſa & conſcientia ſuffert, quamvis eum nunquam viderit.

Verſ. 20. *Qualis enim laus ſi peccantes & colaphis cæſi ſuſtinetis? Sed ſi benefacientes & patientes ſuſtinetis, hoc gratia apud Deum.* Occurrit iis qui maxime queri ſolent quod injuſte patiantur. Docet id Chriſtianis querendum neutiquam eſſe, præſertim ſi non tantum injuſte, ſed etiam propter Dei conſcientiam patiantur, quod ſcilicet malint homines quam Deum offendere.

Qualis enim laus &c. Quaſi dicat, nam ponamus aliquem veſtrum peccare, & vapulare ac pati, qualem obſecro inde laudem habebit? *Qualis laus.* Intellige eſt? Quaſi dicat, nulla, nec apud Deum, nec apud homines. Quiſque dicet jure ac merito vobis hoc evenire. Ponitur autem laus pro cauſa vel materia laudis, per metonymiam effecti.

Si peccantes & colaphis cæſi. κολαφιζόμενοι, participium præſentis temporis: quaſi dicat, & colaphos ſeu alapas accipientes, ideo nimirum quod peccaveritis, colaphis cædi fueritis commeriti. Unam pœnæ ſpeciem, maxime erga ſervos familiarem, & in promptu, aliarumque pœnarum prodromum, ponit pro quibuſvis aliis, per ſynecdochen.

Suſtinetis. Id eſt æquo animo fertis.

Sed ſi benefacientes. Proinde Deo obſequentes, qui nihil niſi bona imperat.

Et patientes. Nempe ab adverſatiis Chriſtianæ veritatis ac pietatis, colaphos videlicet, verbera, & alia ſævitiæ ipſorum effecta: propter hoc quod Deo obſequamini.

Suſtinetis. Id eſt ut diximus, æquo & conſtanti animo toleratis,

Hoc gratia apud Deum. Quaſi dicat, hoc vobis non tantũ laudẽ apud homines probos ac pios, ſed & gratiã

apud Deum, adferet, eamque singularem. Non sterilem inde laudem referetis, sed maxima à Deo mercede cumulatam; tum quod Dei causa patiamini, ea qua par est animi æquitate modestia & constantia. Gratia iterum ponitur pro causa gratiæ divinæ, ejusque singularis, in qua simul includitur & singularis illius effectus, id est ingens illa merces patientibus propter justitiam à Deo in cælis reposita, quæ tanto major est ac uberior, quanto majora sunt quæ justi & pii patiuntur Matth. v. 10. Luc. vi. 23.

Vers. 21. *In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut insequamini vestigia ejus.* Novam rationem adfert, ob quam bene agentes æquo animo ferre debeant, si male tractentur ab adversariis Christianæ pietatis.

In hoc enim. Nempe ut bene agentes & patientes sustineatis.

Vocati estis. Intellige à Deo per Euangelium. Hæc est vestra vocatio bene agere ac sancte vivere, & tamen multa mala ob id ipsum perpeti. Per multas enim afflictiones oportet vos ingredi in regnum Dei Act. xiv. 22. Æquo igitur & constanti animo hæc sustinenda sunt. De causis istius consilii divini egimus cap. 1. 6, 7.

Quia & Christus. Exemplo Christi demonstrat rem ita se habere. *Et Christus*, non vos tantum, sed & Christus ipse, Dei Filius & Dominus vester passus est, antequam in gloriam suam intraret. Non debet autem servorum ac discipulorum conditione potior esse, quam Domini & magistri illorum.

Passus est pro vobis. Causam indicat ob quam Christus passus est, vestro nimirum maximo bono, & pro peccatis vestris, quod mox ℣. 24, 25 explicat.

Vobis relinquens &c. Quasi dicat, non ita passus est, ut in ipso solo perpessiones consisterent, sed ut vobis exemplum earum relinqueret, quod imitaremini.

Ut insequamini vestigia ejus. Ille prævivit & vobis vestigia sua reliquit, vos eum insequi debetis iisdem vestigiis, ut ad eandem cum ipso gloriam perveniatis. Non tam arduum ac difficile est ducem ac præeuntem sequi, si & exitum in ipso jam videas beatissimum. Vix ulla afflictionum via est, quam Christus vestigiis suis non signaverit: vix ulla calamitas, quam ipse non sit expertus. Ut tanto magis Dei erga homines amorem admirari subeat, qui omnia adversa quæ nobis in salutis via evenire possint, Christum Filium suum experiri voluerit, ne ullius patientiæ exemplar nobis in Christo deesset.

Vers. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Explicat Christi qui tam dira passus est summam innocentiam, ut doceat & nobis innocentibus (quorum tamen innocentia comparanda non est cum innocentia Christi) perpessiones non esse detrectandas.

Qui peccatum non fecit. Expers fuit omnis peccati. Peccati enim absoluta voce quodvis peccatum intelligit. Quis vero nostrum tam sanctus, tam innocens est?

Neque inventus est dolus in ore ejus. Docet Christum ne verbo quidem unquam peccasse, tantum abest ut peccaverit opere. Nam ne verbo quidem unquam peccare, multo magis arduum ac difficile est, quam opere ullo non peccare. Nec enim ulla re facilius & crebrius peccant, quam lingua & ore. Nominatim autem negat dolum in ore ejus repertum esse, quod alioqui Christus tanquam falsus Propheta, falsus Christus, tanquam impostor & seductor, & mendax, & blasphemus occisus esset. Absolvit eum ab istis criminibus Apostolus, & nos omnes absolvet Christus, quamvis variorum criminum prætextu innocentia nostra ab adversariis affligatur. Non nos mendaces sumus aut hæretici, sed illi ipsi qui nobis mendacia & hæreses objiciunt. Ita Christus vere supra hominem fuit, non quod unus ille Deus esset, sed quod humanæ sanctitatis & innocentię modum excederet. Quam rem in Christo non divina natura, qua Deus ille unus esset, sed divini spiritus, quo Christus unctus fuit, singularissima vis & efficacia pręstare potuit ac præstitit. Non dicit Apostolus, quod Christo dolus non esset objectus, & summa diligentia quæsitus in ipso ab adversariis, sed quod non esset inventus in ore ejus. Objectus quidem, diligenter quæsitus, sed non inventus.

Vers. 23. *Qui cum conviciis afficeretur, non vicissim conviciabatur, patiens non minabatur, tradebat autem ei qui judicat juste.* Describit Christi summam innocentiam, describit etiam summam in perpessionibus modestiam & æquanimitatem.

Qui cum conviciis afficeretur &c. Consuetudinem Christi perpetuam notat, quod quamvis continuis lacesseretur conviciis ac maledictis, nunquam tamen convitium ac maledictum ullum regereret.

Patiens. Id est cum pateretur, non jam verba, sed verbera & ludibria & crucem.

Non minabatur. Id est non tantum non resistebat adversariis, ut vim vi repelleret, & mala pro malis reponeret, quod illi erat in promptu, sed ne minas quidem ullas intentabat, fore nimirum ut à Deo plecterentur. Quod signum esset animi vindictę cupidi. Solent enim quibus facultas non est injurias ulcisci, nihilo minus ultionis cupiditatem minando testari. Christus quia ab omni vindictæ cupiditate procul aberat, idcirco & à minis abstinuit, tantumque abest ut puniri ac plecti adversarios suos à Deo cupiverit, ut etiam cum pessime ab illis tractaretur & in crucem actus esset, Deum Patrem suum pro eis deprecatus sit. Noverat enim, tam infame crucis supplicium cælestem & æternam gloriam sibi allaturum esse. Est vero persæpe tanta hominum impatientia & animi impotentia, ut non tantum Dei pœnas denuncient iis à quibus affliguntur, non secus ac si in Dei fuerint consilio, sed etiam ipsi sese injurias suas ulturos esse minitentur, quamvis minas suas videant esse vanas & irritas. Ita vel in solis minacibus verbis solatium calamitatis suæ quærunt, animo magis quam corpore miseri. Christus autem quamvis & Deum & seipsum ulturum esse injurias suas minari posset, nihilominus ab omnibus minis abstinuit, ut nobis ad similem modestiam illustrissimo exemplo præiret. Observandum autem est Apostolum hic agere de servis, ad quos etiam referri debent servorum similes subjecti, potenti aliquo dominatu oppressi, quibus nec jus nec vires sunt ad resistendum in vitam, in corpora, in fortunas suas grassanti-

grassantibus. Nam quod Christus, qui nec servus erat, nec viribus destituebatur ad resistendum hostibus, talia passus sit, hoc specialem habet in Christo causam. Quia nimirum Deus Christum servo conformem & hominibus aliis consimilem esse voluit Phil. 2. 7, 8.

Tradebat autem ei qui judicat juste. Docet quid Christus suis in perpessionibus fecerit, ne quis objiciat ferendum nullo modo esse, ut innocentia, imo pietas & sanctitas, pro crimine ac scelere opprimatur & mulctetur. Christum igitur imirandum esse significat. *Qui tradebat*, intellige, suam innocentiam & causam,

Ei qui judicat juste. Id est Deo. Non curabat eos qui injuste judicabant, qui ipsum injusto judicio ac decreto opprimebant, sciebat esse Deum qui juste judicat, qui suam innocentiam & causam vindicaturus, & maxima sibi præmia inique oppresso daturus esset. Sic & Paulus Apostolus coronam justitiæ exspectat à Domino, justo Judice, tacite eum opponens injustis illis judicibus, quorum injustissimo decreto vita pro Christi Evangelio privandus erat 2 Tim. IV. 8. Non est igitur ut innocentiæ & causæ suæ Christianorum ullus timeat. Est qui juste judicat, cui se causamque suam tradat & committat, ipse interea innocentiam & causam suam quam maxima in patiendo modestia & æquanimitate Christi exemplo commendet.

Vers. 24. *Qui peccata nostra ipse sursum tulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, cujus livore ipsius sanati estis.* Dixerat Christum pro nobis passum esse, id est nostro maximo bono, nunc rem hanc uberius explicat, ne quis putet Christum solius exempli causa passum esse.

Qui peccata nostra &c. Id est, qui pro peccatis nostris ipse victima factus est. *Peccata nostra*, id est pœnas peccatorum nostrorum.

Ipse. Id est qui ipse, per pleonasmum quendam, non ut sub Lege fiebat, ubi non ipse Sacerdos erat victima, hic Christus simul & Sacerdos est & victima.

Sursum tulit, ἀνήνεγκε. Nempe ut mox addit.

Super lignum, id est crucis, *in corpore suo.* Non in alieno corpore sursum tolli super lignum fecit, sed ipse in suo corpore proprio super lignum crucis tulit, id est pro peccatis nostris se crucifigi passus est, ut per crucifixionem ejus omnes peccatorum nostrorum pœnæ crucifigerentur, id est nos ab omnibus peccatorum malis liberaremur. Hoc ipsum aliis verbis dixit Paulus, *Christus ut nos ex maledictione redimeret, factus est pro nobis maledictio. Scriptum enim est, maledictus qui pendet super lignum* Gal. iij. 13. Ideo & Petrus lignum dicere maluit, quam crucem, ut se ad dictum istud Scripturæ, quippe vaticinium de Christi morte continens, respicere ostenderet. Non dicit Apostolus Christum pœnas peccatis nostris debitas proprie loquendo tulisse: falsum enim hoc est: sed Christum per suas perpessiones omnes peccatorum nostrorum pœnas penitus abstulisse, non secus ac hircus ille ignorantias & infirmitates populi secum asportabat in desertum, aut quo pacto victimæ delictorum pœnas sua cœde ac morte tollebant. Ex Dei videlicet gratia & constitutione. Neque enim Christus perpessionibus suis iram Dei in nos conceptam exsatiavit, aut debita nostra proprie loquendo exsolvit: sed tanta sua & tam grata Deo obedientia & sibi cælestem gloriam, & suis omnibus peccatorum remissionem regni cælestis hæreditate conjunctam Dei beneficio comparavit.

Ut peccatis mortui &c. Docet Christum non ideo factum esse victimam pro peccatis nostris, ut nobis inposterum impune peccare liceat; sed ut nos videntes quam sancto & quam pretioso, nempe ipsius Filii Dei sanguine expiati simus, summum putemus nefas ad peccata redire, & hoc pacto sacratissimum Christi sanguinem profanare. Mortuus nimirum est sanctissimus Dei Filius pro peccatis nostris, ut peccatis moreremur, & justitiæ viveremus, & sic morti & vitæ ejus post mortem conformes fieremus. Vide Rom VI. 5, 6 & sequentibus. Peccato mortuum esse, est ad peccati jussum sese non magis movere, quam sese movet mortuus. Justitiæ vero vivere, est jussa ejus prompte ac perpetuo exequi. Docemur hoc loco Christi mortem non nisi hac conditione nobis prodesse ad salutem, ut peccato mortui justitiæ vivamus. Quo respiciens auctor ad Hebræos: *Voluntarie*, inquit, *peccantibus nobis post agnitionem veritatis nulla amplius pro peccatis relinquitur victima*, causasque rei hujus subjicit cap. VI. 4 & seqq. & X. 26 & seqq. Unde patet Christum morte sua non debita nostra exsolvisse, sed nobis eorum remissionem comparasse. Alioquin enim, ut ab eorum solutione liberi essemus, nulla nobis conditio præsertim non peccandi amplius imponi potuisset. Huic enim cum remissione pulchre convenit, cum solutione non convenit ullo modo. Sunt autem voluntaria peccata, consuetudines peccandi omnes, & actus enormes, in quibus humanæ imbecillitatis aut ignorantiæ nulla datur excusatio, in Christianis præsertim spiritu Dei præditis. Hæc peccata post agnitionem veritatis commissa, non aliter Christi sanguine expiantur, quam si prius penitus excutiantur & abdicentur, non per seram, nec veram pœnitentiam (quomodo enim aliquem vere pœnitere possit eorum, quæ sibi ad salutis æternæ adeptionem nihil obesse persuasum habeat?) Sed per veram vitæ emendationem. Nimirum non nos à peccatis, sed peccata à nobis relinqui oportet.

Cujus livore &c. Dixit Apostolus Christum peccata nostra sursum tulisse in corpore suo super lignum, id est pro peccatis nostris passum esse, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, nunc effectum istius rei in ipsis exprimit, & sic alterum mortis & perpessionum Christi maximum fructum. *Cujus livore*, id est vinculis, verberibus, plagis, cruciatu, morte, per metonymiam effecti. *Ipsius*, per pleonasmum, ut & versu superiore.

Sanati estis. Id est ab animi morbis & vulneribus quæ peccata sunt, liberati. Quos animi morbos & vulnera Christus perpessionibus suis & morte persanavit, dum hac sua tanta erga nos charitate & tam sacrata victima effecit, ut peccata penitus abjicerent, & sese totos ipsius consecrarent voluntati.

Vers. 25. *Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* Demonstrat eos livore Christi sanatos esse.

Eratis enim. Nempe antequam ad Christum converteremini.

Sicut oves errantes. Id est ovibus errantibus similes. Recte peccatis dediti ovibus errantibus assimilantur. Quid enim sunt oves errantes, nisi oves perditæ & præda luporum? Tales sunt & peccatores, homines perditi, præda diaboli, vel potius æterni exitii. Peccata errores sunt, qui ducunt in exitium. Ovis errans cœco ducitur impetu, sic peccatores stultis aguntur affectibus & cupiditatibus.

Sed conversi estis nunc ad Pastorem &c. Id est ad Christum, postquam didicistis eum pro vobis animam suam posuisse, pro peccatis vestris victimam factum esse, vobis sanguine suo peccatorum remissionem & jus vitæ æternæ comparavisse. Quomodo enim non curreretis ad talem pastorem & Episcopum, qui pro vobis mortuus est, ut vos ad se congregaret? Quid putatis quanto amoris affectu pastorem & Episcopum vestrum agat? Agit enim, cum in hoc suscitatus sit ex mortuis, & Dominus omnium effectus.

Conversi estis. Nempe ab erroribus, à peccatis: nunc statum eorum præsentem opponit præterito.

Ad pastorem. Accommodate ad oves, quæ pastore eoque bono indigent. Christus est vere bonus pastor, qui animam suam posuit pro ovibus, ut eas ab interitu vindicaret, & ab erroribus ad se congregaret. Declarat autem hac appellatione Apostolus non tantum Christi de ovibus earumque salute maximam curam, sed etiam nostrum officium. Ovium enim est pastoris vocem audire, eum sequi, & in omnibus illi obsequi.

Et Episcopum. Alia appellatione magis propria rem eandem designat. Episcopus Græcis ab inspectione dicitur, quod qui aliorum curam gerunt, eos subinde soleant inspicere, ut videant quid cum illis agatur, illorumque usibus & commodis prospiciant. Obtinuit autem usus ut peculiariter Episcopi dicantur quorum officium est animarum curam gerere, iisque nomen hoc proprium est factum. Ideo & Apostolus Christum Episcopum appellans addit,

Animarum vestrarum. Non quod Christus non etiam corporum nostrorum curam gerat; sed quod præcipua ipsi sit cura animarum nostrarum. Corpora enim nostra sæpe & affligi & dissolvi ac corrumpi necesse est: at animas ab omni noxa custodit & conservat Christus, quibus conservatis, corporum jactura facile reparabitur, & incommoda abunde repensabuntur eadem Christi potentia ac providentia. Ad animarum curam etiam hoc pertinet, ne quicquam nobis desit eorum, quæ ut nos officio Christianæ pietatis defungamur faciunt. Significat Apostolus eos non amplius errare, non amplius vitiis deditos esse ad talem Pastorem & Episcopum conversos: quam conversionem quia ipsemet suis perpessionibus, sua morte effecit, idcirco verum est eos livore ipsius esse sanatos. Itaque cum talem ac tantum pastorem & Episcopum habeamus, nihil nobis ab omnibus inimicis metuamus, & securi de salute nostra simus, in id tantum incumbentes ut pastori huic & Episcopo animarum nostrarum, in omnibus obsequamur.

CAPUT III.

Vers. 1. *Similiter uxores subjiciamini propriis viris, ut & si qui non obediunt sermoni, per uxorum conversationem lucrifiant.* Postquam domesticos & servos ad subjectionem hortatus est, venit ad uxores, easque etiam ad subjectionem hortatur.

Similiter. Intellige, officium vestrum facite,

Uxores. Nempe Christianæ, quamvis etiam infidelibus viris conjunctæ. Alloquitur enim Apostolus nominatim ejusmodi uxores, ut ex subjecta ratione apparet. Nam ut Christianæ uxores Christianis & fidelibus viris subjiciantur, res per se loquitur.

Subjiciamini propriis viris. Officium uxorum exponit, ut nimirum virorum suorum voluntati sese subjiciant in omnibus quæ divinæ voluntati non adversentur. *Proprius viris.* Quibus scilicet matrimonii vinculo obstrictæ estis. Significat Apostolus mulieri non licere alium habere virum quam proprium, id est legitimo conjugio sibi conjunctum.

Ut & si qui &c. Causam finalem exponit quæ uxores Christianas ad hoc officium incitet: *ut &*, nempe, *sine sermone lucrifiant.* Sic enim verba ordinanda sunt. *Si qui*, nempe viri Christianas uxores habentes,

Non obedunt sermoni. Id est non credunt Euangelio. Ne Christiana quæpiam uxor excipiat suum maritum infidelem esse, nec credere velle Euangelio, proinde se non teneri ad subjectionem tali viro. Vox sermonis absolute prolata, ex re subjecta intelligenda relinquitur.

Per uxorum conversationem. Id est mores & actiones omnes.

Sine sermone. Id est citra sermonem, nempe uxorum & aliorum hominum, quo ad credendum Euangelio privatim suadeantur.

Lucrifiant. Nimirum Deo & Christo & ecclesiæ, ad fidem vocantur adducti.

Vers. 2. *Conspicientes in timore castam conversationem vestram.* Explicat qua ratione hoc quod dicit fieri possit. *Conspicientes*, nempe viri, *inquit*, postquam conspexerint.

In timore. Id est cum timore, nempe erga viros. Timor enim subjectionis & obedientiæ custos est. Ideo & supra servos hortabatur, ut cum omni metu heris suis subjecti essent. Nisi quod servos omnis metus deceat propter servilem conditionem, uxores liberalior, quod & mariti in uxorem dominatus sit restrictior, conveniens nimirum & respondens maritorum dominatui debet esse metus uxorum.

Castam conversationem vestram. Id est castos mores vestros. Nihil enim magis uxorem decet quam castitas, quæ conjugii est anima, qua manente vivit conjugale vinculum, exspirante exspirat. His uxorum Christianarum moribus conspectis, viri, quamvis

quamvis forte ipsi per se sermoni Evangelico non credant, nec uxorum & aliorum de Christo sermones apud illos quidquam proficiant, ipsis factis ac moribus credere cogentur, fidem Christianam rem sanctam esse, quandoquidem tam sanctos mores in hominibus producat, & in uxoribus ipsorum produxerit. Ita uxores quod sermo non potuit, moribus suis citra sermonem efficient.

Vers. 3. *Quarum non sit externus implicationis capillorum & circumpositionis aureorum, aut amictus vestimentorum mundus.* Docet etiam qualis Christianarum uxorum debeat esse mundus seu ornatus, nempe talis, qui castas mulieres deceat, de castitate enim earum loquebatur.

Quarum sit. Nempe uxorum Christianarum.

Non externus, ἔξωθεν. Qui extra, qui exterius apparet, & oculis corporis conspicitur. Docet primum qualis earum mundus esse non debeat, nempe non externus ille, quo corporis species inutiliter ornatur

Implicationis capillorum &c. Explicat externum hunc mundum per genitivos speciei seu differentiæ. Solent mulieres varia capillorum, quos pro naturali decore habent, implicatione, & circa illos cura, sese exornare. Christianas mulieres simplex naturæ decor, sine affectatione exornet.

Et circumpositionis aureorum. Sive nummorum, sive rerum aliarum ex auro factarum, quales inter alia sunt torques aurei, sive res istæ aureæ capillis circumponantur, sive corpori. Ad ista aurea pertinent & gemmæ ac margaritæ, lapides pretiosi, & quæ ex illis ad ornatum solent effici. Quæ omnia cum ad luxum & superbiam pertineant, merito iis interdicuntur, quibus omnis modestia præcepta est.

Aut amictus vestimentorum mundus. Aut mundus qui in amictu vestimentorum consistit. Vox *mundus* ad hunc & superiores genitivos refertur. Non debent sese exornare implicatione capillorum, & circumpositione aureorum, & vestimentorum amictu, proinde non debent istis omnibus uti solius ornatus causa. Hoc enim ad luxum & superbiam pertinet. Ideo Christianæ mulieres, tanto vero magis viri Christiani, in corpore exornando maxima uti debent moderatione.

Vers. 4. *Sed absconditus cordis homo in incorruptibili mansueti & quieti spiritus, quod est coram Deo pretiosum.* Docuit Christianarum mulierum non debere esse externum corporis ornatum in affectatione, luxu & superbia positum, nunc ex adverso docet, qualis earum debeat esse mundus & ornatus.

Sed absconditus cordis homo. Absconditum cordis hominem opponit externo & conspicuo corporis homini.

Absconditus. Qui oculis corporis non cernitur, sed per effecta tantum sese prodit.

Cordis homo. Id est homo qui est cor, per genitivum speciei vel differentiæ. Animum intelligit, qui homo quidam internus est, & opponitur corpori, qui homo quidam externus est, qua distinctione & Apostolus Paulus utitur 2 Cor. IV. 16.

In incorruptibili. Id est per incorruptibile: *in* pro per. Solent homines ad corporis ornatum maxime adhibere res corruptioni non facile obnoxias, quale imprimis est aurum, seu res ex auro factæ, propter auri incorruptionem, pulchritudinem, & pretium apud homines maximum. Huic incorruptibili opponit Apostolus aliud incorruptibile multo verius quam aurum, & multo pretiosius, per quod ornare debeant internum cordis hominem: proinde quod non ex materia sensibili ac palpabili seu corporea constet, sed spiritualis res sit, re corporea tanto præstantior, quanto spiritus præstat corpori. Τῷ ἀφθάρτῳ accipitur hoc loco substantive pro re corruptioni non obnoxia: quæ vero sit res ista, per sequentes genitivos explicatur.

Mansueti & quieti spiritus. Quasi dicat, incorruptibile quod est mansuetus & quietus spiritus, per genitivum speciei vel differentiæ, sicut paulo ante homo cordis. Quem mansuetum & quietum spiritum merito dicit rem nulli corruptioni obnoxiam propter effectum, quod homini incorruptionem, id est æternam & immortalem vitam adferat. Pendet autem oratio Apostoli, ideo intelligi debet, ornandus est, vel ornatus sit. Mansuetus & quietus spiritus hoc loco significat eam animi qualitatem & constitutionem, quæ hominem mansuetum & quietum reddat. Ponitur enim tanquam animi seu spiritus nostri naturalis ornamentum. Porro qualitati tribuitur quod proprium est hominis qualitate ista præditi. Hoc vult Apostolus, ut mulieres Christianæ sint mansuetæ, id est non iracundæ, ut iram frænent, cui per muliebrem impotentiam solent esse obnoxiæ, ut sint quietæ, id est ne turbas ullas in domo ac familia excitent, & fluctus, ut ajunt, in simpulo, placide, pacate, & quiete domum ac familiam regant. Ira enim fluctus & turbas & clamores excitat, mansuetudo autem est quieta & tranquilla.

Quod. Nempe incorruptibile istud,

Est coram Deo pretiosum. Commendat hunc ornatum: quasi dicat, aurum quidem coram hominibus est pretiosum, sed spiritus mansuetus & quietus coram Deo pretiosus est, πολυτελὲς, multi & immensi pretii, siquidem immortali vita & regni cælestis hæreditate à Deo æstimatur ac rependitur. Quid igitur est aurum si cum spiritu mansueto & quieto comparetur? Non auro, sed virtutibus, & auri contemptu, vel si quis illud habeat, benefica ac liberali prodigentia æterna vita comparatur. Aurum multis exitium attulit, & sæpe adfert, & si quis illius indebito capiatur amore, illudque ad ornatum potius quam ad legitimos usus adhibeat, aut illi avare incubet, aut illud inique colligat, regni cælestis hæreditate privat. Aurum denique apud homines maximo est in pretio, apud Deum nullo.

Vers. 5. *Sic enim quondam etiam sanctæ mulieres, quæ sperabant in Deum, ornabant seipsas, subjectæ propriis viris.* Causam adfert propter quam sese hoc modo fœminæ Christianæ debeant ornare, ab exemplo petitam.

Sic enim, nempe sic ut dixi, *quondam.* Antiquis illis temporibus, quorum mentionem Scriptura Sacra prodidit.

Etiam. Ne exempla requiratis. *Sanctæ mulieres.* Nam sperare in Deum & ipsum per se sanctum est, & omnis sanctitatis causa. Qui enim in Deum sperat, purificat ac sanctificat seipsum, sicut Deus purus & sanctus

fanctus est, cum facile intelligat impuris cum puro, pollutis ac profanis cum sancto nullum esse consortium 1 Joh. III.3.

Ornabant seipsas. A quibus vos Christianas matronas vinci turpe admodum foret, cum vestra spes in Deum multo majoribus documentis & multo perfectiori cognitiuni Dei innitatur, quam illarum. Vos enim speratis in Deum, ideo quod Christum suscitaverit ex mortuis, & gloriam illi dederit cap. 1.21. At hoc tantę spei fulcro destituebantur. Vobis vita æterna aperte est promissa, ejusque promissio tantis argumentis confirmata, illis non item.

Subjectæ, ὑποτασσόμεναι. Subjicientes sese

Propriis viris. Uxor enim quę sese viro subjicit, id est illi omnibus in rebus morigera est, ornatum hunc ab Apostolo descriptum in se habet. Nam unde ista subjectio, nisi ex spiritu mansueto & tranquillo? Iracundæ, turbulentæ mulieres subjicere fere viris nesciunt.. Alioquin enim mansuete & placide agerent, cum hoc vel maxime ab uxoribus viri requirant, & in illis probent. Nominatim autem in sanctis illis mulieribus subjectionem notat, quod hoc primum & præcipuum, & unde reliqua pendent omnia, sit uxorum officium, ut viris subjectæ sint, qua de re ℣. 1 locutus est.

Vers. 6. *Sicut Sara obedivit Abrahamo, dominum eum appellans, cujus factæ estis filiæ, benefacientes, & non timentes ullam consternationem.* Saram ex multis nominat, quod Abrahami uxor esset, & mater Israeliticæ Gentis.

Sicut Sara. Cujus rei exemplum habetis Saram.

Obedivit Abrahamo. Explicat quid sit uxorem esse subjectam viro: Est viro in omnibus dicto audientem esse, voluntati ejus nulla in re adversari, proinde nec obloqui viro, sed quietam jussa viri capessere & prompte exequi, quod Saram in omnibus etiam arduis in rebus fecisse, patet ex iis quæ de ipsa legimus in Sacra historia.

Dominum eum appellans. Argumentum subjectionis adfert expresse traditum in Scriptura Genes. XVIII. 12. Nisi enim subjecta fuisset Abrahamo, quo pacto eum dominum, nempe suum appellasset? Hinc enim apparet quod illum pro domino suo habuerit, & quia illum pro domino suo habuit & agnovit, idcirco etiam illi subjecta fuit, & tanquam subjecta domini titulo honoravit. Docet Apostolus, ut Christianæ uxores in subjectionis argumentum viros suos honorifice, & sicut subjectas decet compellent.

Cujus factæ estis filiæ. Quasi dicat, ex Sara natam esse secundum carnem, non facit veram Saræ filiam; sed quæ Saram imitatur ac refert moribus, ea demum facta est vera Saræ filia.

Benefacientes. Ponit omnes Christianas mulieres benefacere, quia hoc illarum est officii, hæc vocatio, hæc professio, hæc vis Christianæ fidei & spiritus Christi, sine quo Christianus est nemo. Docet similitudinem cum Sara quę Christianas mulieres veras faciebat Saræ filias, in bene agendo, id est in bonis moribus & factis consistere. Quorum præcipua & maxima pars in subjectione & obedientia erga viros est posita.

Et non timentes ullam consternationem, πτόησιν. Id est rem quæ imminens consternationem, pavorem, trepidationem ac terrorem adfert, qualia sunt verbera, plagæ & alia mala, quæ quis horreat & aversetur, per metonymiam affecti pro causa. Sic & infra timorem ponit pro rebus quæ timorem ac metum afferunt ℣. 14. Effectum & consequens exprimit bene agendi. Nam qui bene agit, nullam pœnam metuit, supra ℣. 2. Timorem præcepit uxoribus, hic adimit. Nempe quia ibi timorem intellexit, qui mala facere prohibet, hic timorem intelligit qui ex malefactis oritur: ille liberalis est, hic servilis, ille bonorum est, hic malorum. Nam si Christianis matronis adversa immineant à maritis infidelibus propter Christum & justitiam, hæc nullum iis terrorem adferre debent, quippe quæ maxima in bona & præmia cælestia sint versura. Qua de re ℣. 14.

Vers. 7. *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, tanquam infirmiori vasi muliebri, tribuentes honorem, tanquam & cohæredes gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces vestræ.* Viris etiam id quod illorum officii est præscribit. *Viri similiter*, intellige, officium suum faciant.

Cohabitantes. Id est cohabitate, nempe uxoribus, participium pro imperativo.

Secundum scientiam. Id est, ut nimirum vir sciat quomodo uxor tractanda sit, ne occasionem det ullam querelæ & discordiæ. Neque enim uxor mancipium est viri ut cogatur ferre & iniquos morosos viri erga se mores.

Tanquam infirmiori &c. Jubet porro ut uxori debitum honorem vir tribuat, caussamque istius rei exprimit, *tanquam infirmiori vasi muliebri*, id est sicut convenit, seu, quippe infirmiori, si scilicet cum viro comparetur. Infirmior autem dicitur, non tantum quod viribus sit debilior; (id enim non semper verum est) sed quod naturæ conditione minus sit præstans, seu sequioris sexus. Sic & Paulus membra infirmiora vocat minus præstantia 2 Cor. XII. 22, 24.

Vasi muliebri. Id est vasi quod est mulier, per substantivum & adjectivum. Mulierem vas vocat, per metaphoram, propter usum vitæ. Mulier enim viro necessaria est. Ideo & à Deo condita est.

Tribuentes honorem. Ne scilicet, quia sequioris sint sexus contemni se putent, & animum despondeant, proinde viris minus sint affectæ ac benevolæ. Exemplum capiendum est à corpore. Nam quibus membris eum honorem natura non dedit, ut appareant intecta, iis honorem apponimus tegumento: sic & in muliere, quæ corpus est viri, defectus ille præstantiæ naturalis, honore cumulandus & contegendus est à sapiente viro. Hoc enim plurimum ad benevolentiam & concordiam facit, quod & in corporis membris observat Apostolus dicto ad Corinthios loco ℣. 25. Honor autem iste qui uxori tribuendus est à viro in eo consistit, ut vir uxorem tanquam corpus suum ac vitæ sociam, cui cum viro omnia sint communia,

communia, æstimet, proinde eandem de illa quam de se curam gerat, signis etiam externis, quod eam maximo in pretio habeat contestetur. Hinc de Salomone canit Psaltes, quod reginam sponsam & uxorem suam a dextris suis constituerit Psal. XLV. Non est metuendum viro, ne honorem quem uxori tribuit, sibi demat. Omnis enim in ipsum refluit tanquam in uxoris caput & dominum.

Tanquam & cohæredes &c. Aliam adfert causam, quæ priori non exiguum pondus adjicit. *Tanquam*, sicut convenit ac par est, vel quippe, eodem sensu ut paulo ante, *& cohæredes:* quasi dicat, tanquam non tantum viri, qui unum cum uxoribus corpus estis, sed & cohæredes, quibus communis est cum uxoribus hæreditas.

Gratiæ. Intellige divinæ. Exprimit cujus rei sint cum uxoribus hæredes, nimirum gratiæ divinæ.

Vitæ. Exponit quid per gratiam intelligat, nimirum vitam, gratiam quæ est vita, per genitivum differentiæ vel speciei. Absoluto nomine vitæ designat æternam vitam, quæ vere vita est. Vitam æternam gratiam appellat, per metonymiam causæ. Vita enim æterna non ullis operibus ac meritis nostris debetur, sed soli divinæ gratiæ propter fidem in Jesum Christum, quę etsi fructibus abundat, & abundare debet; longe tamen à perfecta justitia seu vacuitate omnis peccati abest, ab ipsa vero vitę æternę præstantia infinito distat intervallo. Cum igitur, inquit Apostolus, vos & uxores Deus pari jure ad tantam suam gratiam & vitę æternę hæreditatem admiserit, res ipsa à vobis exigit, ut convenientem uxoribus tribuatis honorem, quas Deus una vobiscum tanta gratia & hæreditate honoravit.

Ne interrumpantur preces vestra. Novam adhuc causam adjicit sui moniti. *Ne interrumpantur*, id est ne cessent propter iras & rixas, *preces vestræ*, id est vestrum conjugum. Intelligit autem preces tam quę conjunctim à conjugibus fiunt ac fieri debent viro præeunte, quam quæ sejunctim ac seorsim. Precibus enim cum ira & rixa non convenit, & quamvis fiant, Deo acceptę & efficaces non sunt, proinde nullę sunt. Hinc Apostolus: *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco, attollentes sanctas manus sine ira & rixa* 1 Tim. 2. 8. Nam etsi de publicis in ecclesia loquitur precibus, ideoque viris eas facere præcipit, tamen etiam privatarum & singularium precum tam in viris quam in mulieribus hactenus eadem est ratio, ut in iis purę manus attollantur sine ira & rixa, præsertim inter ipsos conjuges, quorum sancta & inviolabilis esse debet amicitia. Studere igitur debent conjuges perpetuę & non interruptę concordiæ, ne preces eorum simul interrumpi sit necesse. His enim interruptis ac cessantibus, cessaret simul & precum effectus, id est divinus favor ac beneficia.

Vers. 8. *Finis autem, omnes unanimes, similiter affecti, fratrum amantes, misericordes, comes.* A particularibus officiis venit ad communia omnium. *Finis autem*, intellige, ne diutius circa particularia præcepta morer, quę continentur in universalibus. Idem quod, *denique autem omnes*, nempe vos Christiani: quasi dicat, non conjuges tantum, matrimonii vinculo conjuncti.

Unanimes, ὁμόφρονες. Intellige estote, id est non sua tantum quisque vestrum curet, sed & communia, commune bonum omnes curate. In communi bono etiam privatum cujusque vestrum bonum est. Sicut unius corporis membra cujusque membri bonum communiter & conjunctim curant, & quodque membrum seorsim, non suum tantum privatum bonum curat, sed & commune omnium. Sic enim membra omnia inter se conjuncta sunt, ut bonum unius sit bonum omnium, & malum unius, omnium sit malum. Eadem ac multo etiam major Christianorum inter sese conjunctio est, qui unum in Christo corpus sunt. Omnes simul cujusque bonum procurant, omnes simul cujusque malum arcent. Nec ullus pro bono suo ducit quod alteri sit malum: aut pro suo malo, quod alteri conducat. Commune bonum omnium, etiam cujusque privatim bonum est. Non sese ab invicem separant Christiani, ut quisque tantum sua spectet, & bona ac mala aliorum ad se non revocet, nec pertinere existimet. Hoc ipsum docet Paulus Apostolus, & exhibet in corpore, *ut non sit*, inquit, *scissio in corpore, sed idem pro se invicem curent membra* 1 Cor. XII. 25.

Similiter affecti, συμπαθεῖς. Ut scilicet alii aliorum malis ac bonis afficiamur, tanquam nostris propriis, qualis sympathia etiam membrorum unius corporis cernitur, eamque similiter post superiora verba expressit Apostolus Paulus ℣. 26: *sive enim.*, inquit, *patitur unum membrum, simul patiuntur reliqua membra, sive gloria afficitur unum membrum, simul gaudent omnia membra. Fratrum amantes*, φιλάδελφοι. Originem ostendit superiorum officiorum, fratrum amorem. Christiani inter se fratres sunt, qui communem habent Patrem Deum, quatenus Christiani sunt. Hactenus enim omnes ex Deo geniti, seu regeniti sunt. Amare igitur inter se debent, idque multo magis quam fratres germani secundum carnem. Fœdum ac turpe est, si fratres secundum carnem inter se non ament, quanto fœdius ac turpius, si fratres secundum spiritum, qui Christiani sunt, mutuo inter se amore & gratia non flagrent.

Misericordes, εὔσπλαγχνοι. Ut aliorum calamitate intime ac prompte commoveamur ad ferendum illis pro viribus opem.

Comes, φιλόφρονες. Ut ea cogitemus, iis studeamus, quæ omnibus sint grata & amabilia, neminem offendamus, omnium gratiam & amorem demereamur. Huc pertinet locus Phil. IV. 8.

Vers. 9. *Non reddentes malum pro malo, aut convitium pro convitio, è contrario autem, benedicentes, scientes quod ad hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.* Quasi dicat, adeo sitis φιλόφρονες, ut ne quidem malum reddatis pro malo, tantum abest ut quenquam malo aliquo & injuria provocetis. Loquitur Apostolus de malo, quod privato ausu refertur pro illato malo, non de pœna publica, quę pro maleficio irrogatur à magistratu publico. Irrogatur enim ab eo qui potestatem & jus puniendi habet, irrogatur ad correctionem, vel coërcitionem malorum, ad defensionem bonorum, & conservationem pacis ac tranquillitatis publicę.

Non reddentes. Id est non reddite, participium pro verbo præsentis temporis.

Malum

metaphoram tribuuntur. Significat justis ad Deum semper accessum patere, ut ei sua vota ac desideria, suas necessitates exponant, Deumque petitiones ipsorum benigne accipere, & quæ petunt illis tribuere, proinde & vitam beatam ac dies bonos, id est æternam salutem. Videt Deus justorum injurias, videt patientiam, audit ipsorum quærimonias, non quod pœnam & ultionem injuriarum suarum à Deo expetant (id enim ipsis bonitas & justitia non permittit) sed quod liberari se ab injuriis postulent.

Vultus vero Domini &c. Docet disparem esse conditione malorum, proinde malitiam omnem esse vitandam, si quis æternæ vitæ velit fieri hæres. *Vultus Domini*, intellige iratus, similiter per metaphoram ab hominibus.

Super facientes mala. Intellige, est in illos & adversum illos conversus: quasi dicat, videt Deus & malorum facta, iisque irascitur, proinde pœnam & exitium non effugient facientes mala. Mala sunt quæcunque à Deo sunt vetita. Ideo enim vetita sunt, quia mala sunt. Faciunt autem mala non tantum qui inferunt mala, sed etiam qui referunt, id est qui malum pro malo reddunt. Ita dum ipsi suas ulciscuntur injurias, Dei adversum se iram & ultionem provocant, & vitæ cælestis hæreditate excidunt.

Vers. 13. *Et quis malo afficiet vos si boni imitatores sitis.* Ne forte Christianis durum videatur quod sibi non liceat malum pro malo referre, docet id illis minime durum videri debere, cum in sua manu habeant, ne malo afficiantur à quoquam.

Et quis malo afficiet vos? Id est nemo.

Si boni imitatores sitis. Id est si nusquam à bono deflectatis. Quis malo afficiet perpetuum sectatorem boni, quique nihil unquam mali faciat, sed semper faciat quod bonum est? Est igitur in potestate vestra, ne malo a quoquam afficiamini. An vero vobis id videbitur durum, ut bonum semper consectemini? Atque hæc vestra vocatio, hæc professio est. Hoc si semper observarent Christiani, multa mala vitarent, in quæ sæpe culpa sua incidunt. Solent quidem adversarii in illis affligendis & persequendis occasione religionis ipsorum in vulgus exosæ uti, sed tamen revera non tam Christiani propter suam religionem, quam potius religio sanctissima propter sui professores patitur.

Vers. 14. *Sed si & patiamini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum non timeatis, neque turbemini.* Corrigit se quodammodo Apostolus, cum etiam boni sectatores proptet id ipsum quod tales sint, pati possint a malis. Perpetuum enim est malorum contra bonos odium, & cum mali multitudine ac potentia longe prævaleant, facile fit ut persequantur & affligant bonos: quasi dicat, propter malum affligi non potestis, si boni sectatores sitis, nisi forte propter bonum & justitiam.

Sed si etiam patiamini. Nullo vestro merito.

Propter justitiam. Id est propter id quod credatis in Jesum Christum; quod nomen ejus profiteamini, quod sancte vivatis & inter profanos homines, tanquam exprobrantes illis malos mores ac opera conspiciamini, quod idola non colatis, & superstitiones vanas ac impias vitetis, vel quod homines sitis pacati, injuriarum patientes, & ab omni ultione & contentione alieni, qua humanitate vestra improbi abutantur ad inferenda vobis mala & injurias. Vox enim justitiæ hoc loco late accipitur, & omnem bonitatem includit.

Beati. Intellige estis: quasi dicat, non est ut putetis vos eo nomine miseros & infelices esse, beati estis. Ingens enim ac duplicatum præmium vos à Deo exspectat, quod non tantum bonum perpetuo sectemini, sed etiam propter id ipsum malorum insectationes perpetiamini. Itaque tales perpessiones neutiquam inter mala sed inter bona reputate.

Timorem autem eorum &c. Mentione facta perpessionum propter justitiam, addit illis animum adversus persecutores, ne dicant, mala tamen esse, quæ homines isti inferant & inferre possint, seque minentur illaturos. *Timorem*, id est vim, potentiam; proinde omnia ista, quæ illorum vi ac potentia vobis inferri possint adversa, mulctas puta, carceres, exilia, proscriptiones, bonorum publicationes, mortes, per metonymiam effecti pro causa.

Eorum. Id est, adversariorum & persecutorum Christianæ fidei, quicunque tandem sint, etiamsi non inferiores tantum sint potestates, sed etiam summæ, ipsi Reges & Imperatores. Homines sunt, ultra humanas vires nihil facere possunt.

Ne timeatis. Turpi nimirum & vitioso metu, qui vos ad aliquid Christiana pietate indignum agat.

Neque turbemini. Hoc addit ut se excessum aliquem metus intelligere significet, qui mentem & bene agendi consilium ac propositum perturbet.

Vers. 15. *Dominum autem Deum sanctificate in cordibus vestris, parati autem semper ad responsionem omni petenti à vobis rationem de ea quæ in vobis spe, cum mansuetudine & timore.* Docet quem potius timere debeant. *Dominum autem.* Quem Dominum? Nam & Rex & Imperator Dominus est. *Deum* illum qui Deus κατ' ἐξοχὴν vel cum articulo emphatico, ut hoc loco, dicitur, quod sit rerum omnium creator. Hic vere Dominus est, Rex Regum & Dominus dominantium, solus potens, & solus immortalitatem habens, & lucem inhabitans inaccessam 1. Tim. VI. 15, 16.

Sanctificate. Id est sanctum sacrumque ducite, proinde in summo honore ac reverentia habete, ut malitis omnes homines offendere quam ipsum, nihil voluntati ejus contrarium facere, adeo ut etiam mori malitis, & quodvis potius pati, quam divinam ejus majestatem vel minima in re lædere. Solet & Regum ac Imperatorum majestas sacra & inviolabilis appellari, sed Dei majestas vere sacrosancta & inviolabilis est, nec facto tantum, sed ne mente quidem ac cogitatione temeranda. Propterea addit,

In cordibus vestris. Id est, in animis & conscientiis vestris: nihil facite contra animi conscientiam, & quem oculis corporis non videtis, nec videre potestis, animo ac mente intueamini; quippe quod Deus etiam animos & conscientias inspiciat, & cognoscat. Id nulli ho-

mines, nulli Reges & Imperatores facere possunt. Unde etiam apparet Deum multo magis timendum esse, quam ullos homines, si Deo contraria jubeant. Deus enim homines semper impedire potest, ne malefaciant justis, & ne plus faciant quam ipse permittat, & si permittat etiam occidi justos, non habent homines quod ultra mortem faciant. At Deo non tantum in corpora ac præsentem vitam, sed etiam in animas post corporis mortem potestas est, ut eas quam corpora multo graviori morte afficiat Matth. x. 28, & ut illis qui propter justitiam malis ipsaque morte sunt affecti, vitam immortalem, cælestibus bonis ac præmiis cumulatam donet.

Parati autem semper, intellige sitis *ad responsionem*, *ἀπολογίαν*. Talem responsionem quæ defensionem contineat vestræ fidei in Christum, ne scilicet videamini absque ratione agere, & superstitione aliqua prava & immodica vel contumacia duci.

Omni petenti vos rationem de ea qua in vobis (intellige est) *spe*. Id est omni qui à vobis perit, seu postulat, ut sibi exponatis quæ sit spes vestra, proinde & religio, quibus rationibus ac fundamentis innitatur, in quem dirigatur & quo tendat, & qua via quibusve mediis finem ac scopum suum petat? Quid vobis velitis? Præceptum hoc generale cum observatione circumstantiarum intelligendum est. Solet enim Scriptura Sacra pietatis præcepta generalibus verbis & sine ulla exceptione tradere, quod & in omnibus legibus observatur; quarum tamen executio ex rerum circumstantiis & singulari materia pendet, quæ non semper recipiendæ universali legis formæ apta nata est. Omni igitur petenti rationem spei nostræ, respondendum est ita, ut observetur & locus & tempus, & is qui rationem hanc petit, & aliæ convenientes huic rei circumstantiæ.

Cum mansuetudine. Ne videamini homines esse immodesti, irritabiles, iracundi, qui non ratione sed affectu ducamini. Veritatis professores nihil magis decet quam lenitas & mansuetudo. Nam recte dicitur, ad furias properat qui ratione caret. Mansuetudine ac modestia alliciendi sunt homines ad veritatis agnitionem, non iracundia repellendi.

Et timore. Nimirum erga eos quibus debetur timor, qui timendi sunt propter potestatem quam habent. Metum ac timorem requirit Apostolus, ne Christiani videantur esse homines audaces, feroces, præfracti, præcipites, potestatum contemptores, ne furere videantur cœco impetu ruentes, in mortes, in carceres, in exilia, & ut metus iste indicio sit Christianos, non nisi maximis rationibus & causis evictos, religionem suam amplexos esse & profiteri ac colere. Ira debent esse vacui, sed non metu. Metu nimirum qui arceat à malefactis, non qui arceat à benefactis, aut qui malefactorum effectus sit, & ex mala oriatur conscientia. Ideo subjicit Apostolus;

Vers. 16. *Conscientiam habentes bonam, ut in quo traducunt vos, tanquam maleficos, pudefiant qui infestant vestram bonam in Christo conversationem.* Præcepit ut veritati divinæ ac fidei bonæ etiam bonam adjungant conscientiam 1 Tim. 1. 19.

Conscientiam habentes bonam. Id est nulla in re vobis male conscii estote, non facinoris alicujus, non conspirationis contra magistratum, non seditionis aut turbulenti consilii.

Hic murus aheneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Effectum ponit, sed ita ut causam simul intelligat ac includat, per metonymiam synecdochicam. Præcipit enim ut omni culpa vacui simus, nihil mali faciamus. Nam qui nihil mali facit, nullius etiam mali sibi potest esse conscius, cui & Apostolus plurimum fidebat Act. xxiii. 1, & xxiv. 16. Et thorax ille justitiæ, quo pectora Christianorum debent esse munita, hoc ipsum est Eph. vi. 14.

Ut in quo traducunt vos tanquam maleficos. Finem & effectum exprimit bonæ Christianorum conscientiæ ad Dei gloriam & adversariorum pudefactionem spectantem. Qui tanquam maleficus traducitur, in eo traducitur quod malefaciat, quod leges publicas violet, pacem & tranquillitatem publicam turbet, Magistratum contemnat, rebellionem agitet, & hæc omnia objiciebantur Christianis.

Pudefiant. Nimirum in istis suis traductionibus, per vestra bona facta refutati, & mendacii ac calumniæ convicti.

Qui incessunt. Nempe traductionibus.

Vestram bonam conversationem. Id est vestros bonos mores & semper bonas actiones. Conversatio enim omnem & assiduam vivendi rationem designat.

In Christo. Id est per Christum, & ejus disciplinam ac institutionem, omnis boni perfectissimam magistram.

Vers. 17. *Melius enim benefacientes (si vult voluntas Dei) pati, quam malefacientes.* Rationem addit dictorum per occupationem: quasi dicat, nam si quis objiciat, nihil profuturam adversariis nostram innocentiam, quæcunque sit nostra bona conversatio, nobis tamen esse patiendum. Hoc qui objiciat, pro responso habeat, si patiendum omnino sit, melius esse benefacientes pati, quam maleficientes. *Melius*, non tantum quia minus malum rationem habet boni, sed etiam qui benefacientes patiuntur præmium à Deo habent maximum; qui vero malefacientes patiuntur, ea quæ patiuntur, pro mercede habent suorum maleficiorum.

Benefacientes. Proinde vel ob benefacta ipsa pati, vel saltem nullo merito, nulla culpa, ob meram calumniam.

Pati. Omnia scilicet, quæ ab hominibus inferri possint dura, acerba ac tristitia, & ipsam mortem, ut ex sequente Christi exemplo patet.

Si vult voluntas Dei. Significat benefacientes à Deo defendi solere, ne patiantur ab hominibus, & si patiantur, id non fieri sine peculiari Dei voluntate, ut & suam gloriam & bonorum felicitatem hac ratione promoveat. Proinde his ipsis verbis, novum suggerit argumentum Apostolus, ut æquo & prompto animo subeant omnia adversa innocentes & bene agentes Christiani, cum sciant hæc non sola malorum voluntate, non illorum potentia evenire, sed Deum esse qui ista permittat, simul suæ gloriæ (quæ nobis vita & rebus nostris omnibus charior esse

esse debet) simul maximi nostri boni causa. Voluntati Dei tribuit Apostolus velle, per metaphoram.

Quam malefacientes. Id est quam ob malefacta, seu quod quis malefecerit?

Vers. 18. *Quia & Christus semel pro peccatis passus est, justus pro injustis, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* Demonstrat exemplo Christo, Dei voluntate & consilio fieri, meliusque esse cum benefacientes parimur, *quia*, inquit, *& Christus* &c: & Christus ipse, non nos tantum. Si hoc Christi ipsi evenit Dei voluntate & consilio, quid mirum est si nobis eveniat, & quod Christo evenit malum esse non potest.

Semel. Ne tantopere mortem horreamus, qua semel una cum Christo defuncti æternum sumus victuri.

Pro peccatis passus est. Non tantum Christum passum esse docet, sed simul causam ob quam passus est infert, ut hoc non temere, non sola hominum voluntate, non ipsorum ulla potentia evenisse, sed divino consilio factum esse doceat. Nimirum *passus est pro peccatis*, non suis, sed nostris, ut scilicet victima pro iis fieret, eaque suo sanguine purgaret & lueret, id est reatum eorum omnem auferret.

Justus pro injustis. Quasi dicat, & sic passus est justus, qui nihil unquam injusti fecit; ne nos, quia insontes simus, pati detrectemus. Quæ enim est nostra justitia cum Christi justitia comparata?

Pro injustis. Id est, pro nobis omnibus qui injusti eramus ac peccatis dediti, & quorum justitia ne nunc quidem sine labe est. Passus autem est pro injustis mortem crucis, ne injusti parerentur mortem æternam, & suorum peccatorum pœnas darent. Victima enim pariter ne reus puniatur. Et Christus factus est pro nobis maledictio, ut nos redimeret ex maledictione Gal. III. 13. Factus est peccatum, ut nos fieremus Dei justitia per ipsum 2 Cor. V. 21.

Ut nos adduceret Deo. Docet quid in nobis hoc suo facto, hac sua tanta erga nos charitate ac beneficio voluerit & intenderit efficere. Hoc nimirum, ut nos Deo adduceret. Eramus à Deo aversi per varia vitia & peccata. Christus igitur peccata nostra sanguine suo eluit, ut nos tanto suo beneficio æternum sibi manciparet, & sic Deo, qui beneficii hujus primus auctor est, & qui cum Christus unum est, adduceret, id est ad Deum converteret, Deo reconciliaret, Dei cultores ardentes & servos in omnibus obsequentes efficeret.

Mortificatus quidem carne. Addit hæc verba, ne quis miretur Christum tam fuisse infirmum, ut morte afficeretur. *Mortificatus quidem est*, inquit, *carne*, id est per carnem: quasi dicat, carnem habuit, homo mortalis fuit, cæterorum omnium hominum hac in parte similis, caro illius effecit ut morte affectus sit, & solius carnis respectu morte affectus est.

Vivificatus autem spiritu. Id est per spiritum: quasi dicat, proinde nihil refert quod carne sit mortificatus, cum ex morte vivificatus sit spiritu, nempe divino, Spiritu Sancto, qui mortuos vivificandi vim habet. Intelligit autem illum ipsum Spiritum Sanctum quo Christus ante mortem præditus erat, & quo, cum viveret, mortuos ipse vivificabat: hoc Christo mortuo, Deus Christum ipsum vivum fecit. Commode vivificationis Christi ex morte meminit Apostolus. Hæc enim etiam ipsum Christi mortem vivificavit, & illi vim maximam indidit nos ad Deum adducendi. Ex Christi enim vivificatione cognoscimus illum Christum Dei esse, & Christum Dei pro nobis mortuum esse, quod nobis ingentem Dei erga nos charitatem ob oculos ponit, & de peccatorum nostrorum remissione cum vitæ æternæ dono conjuncta, plane certos facit, & Christo post mortem redivivo, ac in nos dominanti, penitus mancipat & obnoxios facit. Etsi vero Christus suo illo Spiritu Sancto quo præditus erat vivificatus est, non tamen seipsum vivificavit mortuus. Mortui enim sunt mortui: sed vivens Deus Christum per Spiritum illum Sanctum ex mortuo viventem fecit. Documento nobis haud dubio, fore ut etiam nos, quamvis carne mortificemur, nihilominus spiritu Dei sancto vivificemur. Nihil igitur refert quod moriamur, quod vita nostra exstinguatur, superest Dei Spiritus sanctissimus, qui sicut Christum ex mortuo vivum fecit, sic & nos ex mortuis faciet vivos, dummodo & nos spiritu Christi præditi simus, & secundum illum vivamus Rom. VIII. 11. Videmus Spiritum Sanctum non Deum ipsum esse, qui Christum vivum effecit ex mortuo, sed Dei virtutem & efficaciam, quia Christus à Deo vivificatus est 2 Cor. XIII. 4.

Vers. 19. *In quo & in carcere spiritibus profectus prædicavit.* Docet Christum adeo vivificatum esse spiritu, ut etiam per eundem spiritum profectus prædicarit.

In quo. Nempe spiritu, id est per quem spiritum, *in* pro *per*, consueta phrasi.

Et profectus prædicavit. Quasi dicat, non tantum vivificatus est, sed etiam profectus prædicavit. Nam vocula καὶ etiam huc referri debet. Christus per Spiritum Sanctum profectus est, quatenus illum à Patre acceptum, ipse in cælis manens, sui loco misit, qui Christi vicem præstaret. Unus enim idemque Spiritus Sanctus est, tam is qui in Christo manet, quam qui communicatur credentibus, quatenus ex uno eodemque fonte promanat. Prædicavit autem per eundem spiritum, quatenus Apostolos suos illo instruxit, qui illo afflati & instructi Euangelium prædicarunt. Hanc eandem rem exprimens Apostolus Paulus, *Et veniens*, inquit de Christo ex mortuis suscitato, *annuntiavit pacem vobis qui longe, & iis qui prope*, id est & vobis Gentibus & Judæis Eph. 2. 17.

In carcere spiritibus. Docet quibus prædicaverit. *Spiritibus* dicit, accommodate ad spiritum. Per spiritum enim spiritibus prædicatur, id est animis hominum, quorum carcer spiritualis est carcer. Neque enim alio in carcere spiritus esse possunt, quam in spirituali: qui carcer quid aliud est, quam peccatum, & quæ peccatum consequitur damnatio? Nam & peccatum animi carcer est, non corporis, & damnationis carcere, etiam exstinctis corporibus, spiritus attinetur. Quo peccati & damnationis carcere sic conclusi erant, ut ab eo nulla alia ratione quam divina ac cælesti, idque Christo ex mortuis suscitato, ad pœnitentiam & remissionem peccatorum vocatione liberari possint.

De hoc peccati carcere loquitur & Apoſtolus Paulus Rom. xi. 32. Prædicavit igitur Chriſtus redivivus per Spiritum Sanctum profectus perditis & damnatis peccatoribus, quos infra iv. 6, eandem ob cauſam, eodemque ſenſu mortuos appellat, quatenus ſcilicet morti jam damnati erant, & tam inhabiles ac inepti ad vitam ſanctam, quam mortui ad vitam naturalem. Intelligit autem Apoſtolus prædicationem univerſalem, qua non his aut illis, in hac vel illa Gente, ſed omnibus in univerſum omnium Gentium peccatoribus pœnitentia & liberatio à divinis pœnis prædicata eſt.

Verſ. 20. *Inobedientibus quondam quando ſemel exſpectavit Dei longanimitas in diebus Noë, cum appararetur arca: in quam pauca hoc eſt octo animæ conſervata ſunt per aquam.* Ἀπειθήσασί ποτε, *inobedientibus quondam.* Nempe Deo, id eſt qui non patiebantur ſibi perſuaderi, ut Deo horrendum exitum comminanti crederent & pœnitentiam agerent. Hioc apparet per ſpiritus in carcere non alios intelligi quam homines peccatis deditos, & exitio damnatos. Iſtis enim & non aliis pœna denuntiatur & pœnitentia prædicatur.

Quando ſemel &c. Docet quando peccatores per univerſalem ſimiliter pœnitentiæ prædicationem à Deo invitati, inobedientes & contumaces ſeſe præbuerint. Tum nimirum, *quando ſemel exſpectavit Dei longanimitas* &c. *Quando ſemel.* Sic loqui ſolemus cum aliquid aliquando eveniſſe narramus.

Exſpectavit Dei longanimitas. Id eſt, Deus exſpectavit propter ſuam longanimitatem. Dei longanimitati tribuitur, quod Deo proprie competit propter longanimitatem. Longanimus dicitur Deus, quod diu differat pœnam & exitium peccatorum, non feſtinet ad illos perdendos, det illis longum ſæpe ſpacium ad pœnitendum, cum ſciat neminem ex hoc mundi carcere ſive vivum ſive mortuum effugiturum ſibi eſſe Ezech. xviii, ipſeque dicat nolle ſe mortem peccatoris, ſed velle ut convertatur & vivat. *Exſpectavit.* Nimirum pœnitentiam & à peccatis converſionem.

In diebus Noë. Exprimit quando hæc Dei exſpectatio facta ſit, nempe tum cum viveret Noë.

Cum appararetur arca. Illos dies Noë deſignat quibus arca apparabatur. In illis enim demum Noë pœnitentiam omnibus prædicabat, & niſi pœnitentiam agerent & à peccatis ſeſe averterent ad Deum & juſtitiam, diluvium univerſale cunctis imminere denuntiabat. In cujus rei ſignum ac documentum arcam ingentis, nec unquam viſi operis, mediterraneis in locis, & procul à mari conſtruebat. Quod tempus ſane non exiguum fuit, ut merito dixerit Apoſtolus Dei longanimitatem tum exſpectaſſe.

In quam pauca &c. Docet quo effectu & Deus exſpectarit & Noë prædicarit. Fere nullo, ut verum eſſe oſtenderet, quod dixit peccatores tum inobedientes Deo fuiſſe. *In quam,* id eſt in qua, εἰς ἣν, pro ἐν ᾗ, *pauca* ex infinita hominum multitudine.

Hoc eſt octo. Inferit ipſe quam paucæ fuerint, octo tantum, videlicet ipſe Noë, & uxor, & tres filii cum uxoribus. *Animæ,* id eſt homines, per ſynecdochen partis,

Conſervata ſunt. Ne ſcilicet diluvio perirent.

Per aquam, Quæ cæteras omnes animas perdidit, non hominum tantum, ſed & aliorum in terra viventium, iſtas in arca clauſas conſervavit. Sunt qui hoc Apoſtoli loco abutantur, idque dupliciter. Alii exiſtimant ab Apoſtolo dici, Chriſtum, eum in morte verſaretur, animabus illis prædicaſſe in inferno, qui tempore diluvii perierant. Alii exiſtimant, Chriſtum dici, antequam natus eſt, in diebus Noë prædicaſſe. Ita poſteriores iſti prædicaſſe Chriſtum dicunt, antequam eſſet, priores autem illi, poſtquam eſſe deſiiſſet. Utrique refutantur, quod Chriſtus prædicaſſe dicatur, poſtquam mortificatus eſt carne, & vivificatus ſpiritu, & quod nimis apertum ſit, illuſtrem illam Euangelii prædicationem per Spiritum Sanctum in Apoſtolos effuſam hic intelligi cap. 1. 12. An enim Apoſtolus hanc negligeret, & aliam quæ in inferno aut in diebus Noë facta ſit à Chriſto memoraret? Quo vero fine? quo noſtro uſu ac fructu? Adde quod prius probandum eſſet iſtis interpretibus prioribus quidem, mortuum poſſe prædicare, & mortuos prædicationem poſſe audire, & animas iſtorum qui diluvio perierant, non periiſſe, contra apertum ipſius Apoſtoli teſtimonium, qui octo tantum animas conſervatas aperte dicit. Et quid illis prædicaret? An ut pœnitentiam agerent? Atqui, opinor, non in eo ſtatu erant, ut adhuc peccarent, aut peccatorum ſuorum maximo dolore non tangerentur? An ut ex carcere illo exirent? Omneſne, qui in diebus Noë, cum arca ædificaretur, inobedientes fuerant? An aliqui tantum? Et cur iſtis tantum prædicaret, & non aliis, etiam qui & ante illud tempus, quo arca ædificabatur, & poſt diluvium non obediverant? Poſterioribus autem interpretibus probandum prius incumberet, Chriſtum reipſa fuiſſe antequam naſceretur, antequam reipſa eſſet. Neque enim Apoſtolus dicit, Chriſtum iſtis ipſis individuis prædicaſſe, quę in diebus Noë non obediverant: ſed dicit, eos quibus Chriſtus prædicavit, inobedientes aliquando, ſcilicet in diebus Noë fuiſſe, quod iidem eſſent genere, itidem ſpiritus in carcere, itidem peccatores damnati, non autem iidem numero. Deus nimirum, cum aliquando, nempe in diebus Noë, ſpiritus in carcere ipſi obedire noluerint, & propterea diluvii clade extincti fuerint, iterum illis per Chriſtum ex mortuis ſuſcitatum, multo majore cum efficacia, & multo etiam uberiore cum effectu prædicari curavit. Si quis verbi cauſa diceret nunc ſervire Papæ Romanos, qui aliquando regibus ſervire noluerint, aut Judæos nunc inter varias Gentes miſerabili ſervitute oppreſſos eſſe, qui ante ſub præſtantiſſimis regibus floruerint, & ſimilia multa, an eoſdem numero & non eoſdem genere, ſive Romanos ſive Judæos, ſive quoſcunque alios in ſimili locutione denotaret? Ipſa vox *quondam* & *dies Noë* & *ædificatio arcæ* antiqua notat tempora, cum Chriſti prædicatio recens eſſet. In diebus Noë cum ædificaretur arca, non alium pœnitentiæ & juſtitiæ præconem, Scriptura & hic ipſe Apoſtolus celebrat quam ipſum Noë 2 Petr. 2. 5. Et ſi Meſſias multis poſt tempora Noë ſeculis naſciturus, temporibus Noë prædicaſſet, an iſtius tam publicæ rei hiſtoriam Moſes tradere neglexiſſet, Noachum potius prædicaſſe prodidiſſet quam olim naſciturum Meſſiam?

Messiam? Sed mittamus erroneas interpretationes, vel natas ex erroribus, vel errorum procreatrices, male cohærentes, & puerilis sensus ac judicii, cum vera & solida ac perspicua sit ante oculos.

Vers. 21. *Cui & nos respondens exemplar nunc servat baptismus, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu.* Docet aquam, per aquam octo illæ animæ conservatæ sunt in arca, typum fuisse baptismi, qui nos nunc servet.

Cui. Scilicet aquæ. Nectit enim Apostolus suo more periodos inter se per nomina in fine unius, & per nomina relativa in principio alterius posita.

Respondens exemplar. Ἀντίτυπον, in neutro genere, id est, exemplar è regione respondens.

Et nos nunc. Sic enim ordinanda sunt verba: quasi dicat, sicut illos olim, sic & nos nunc, nisi quod illi octo tantum fuerint, nos autem qui Christo prædicanti obedivimus, multi sumus, ut appareat Christi prædicationem multo fuisse efficaciorem quam Noë.

Servat. Illos quidem aqua servavit, ne diluvio perirent & ut vitam mortalem viverent, nos vero aquæ illius antitypus servat, ne ignis æterni exitio pereamus, & vitam adipiscamur immortalem. Servare dicitur, quod causa salutis est.

Baptismus. Nempe in Jesu nomen. Baptismum vocat aquæ illius servatricis antitypum, non solum ob vim servandi similem, qui enim crediderit & baptizatus fuerit servabitur Marc. XVI. 16; sed quod etiam per aquam fiat, seu mersatione in aqua constet.

Non carnis depositio sordium. Scilicet addit hæc Apostolus, ne quis existimet ipsam per se baptismi ceremoniam seu externam carnis, quæ aqua materiali fit in baptismo, ablutionem servare, quid enim facilius foret, quam hac ratione salutem æternam adipisci?

O nimium faciles, dixit ille, qui tristia crimina cædis,
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Non hoc nos servat, quod totum corpus in baptismo mersatione abluatur, non etiamsi sordium carnis omnium accuratissima fieret depositio. Carnis sordes opponit animi sordibus, scilicet peccatis.

Sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. Docet quid in baptismo sit quod nos servet, seu nobis causa sit salutis.

Interrogatio in Deum. Scilicet Dei, per Hebraismum, quo *lamed* præponitur nominibus, & à Græcis interpretibus exprimitur præpositione εἰς, sicut in illo: duo erunt in carnem unam, ero vobis in Deum, tes sunt in unum &c. Interrogatio Dei parrhesiam illam erga Deum significat. De qua 1 Joan. III. 21, & v. 14, per synecdochen speciei vel partis. Interrogare enim aliquem libere, parrhesias erga illum species vel pars est. Parrhesia autem arga Deum includit fiduciam erga Deum, tanquam filii dilecti erga patrem, qua quis ad Deum libere semper accedere audet, & de gratia illius paterna, proinde etiam de salute sua æterna plane certus est. Utitur autem Apostolus interrogationis voce, quia alludit ad interrogationem in baptismo fieri solitam, qua baptizandi interrogabantur, an peccatis omnibus tenunciarent in perpetuum &c: quod cum se facturos affirmassent, baptismum inibant, istius in rei tesseram & signum. Quia vero simul ablutionem baptismi in signum ac tesseram accipiebant remissionis peccatorum omnium à Deo, hinc vicissim excitabatur in baptizatorum animis interrogatio, qua Deum libere de sua interrogabant salute, & sic inter Deum & ipsos stipulatio quædam mutua fiebat. Unde & Deus pro pignore & arrhabone salutis Spiritum Sanctum dare solebat baptizatis.

Conscientiæ bonæ. Causam exprimit istius parrhesię & fiduciæ in Deum, per genitivum causæ. Conscientia bona est bene sibi conscire, nullius sibi mali conscium esse. Hæc in baptizatis erat. Nam præteritorum omnium criminum reatu per baptismum erant soluti, eodem & baptismi sacramento semet ad omnem in posterum justitiam ac vitæ puritatem obstrinxerant. Proinde nisi perfidi ac perjuri essent, ab omni crimine, quod conscientiam pollueret, puri erant. Hactenus igitur baptismus nos servat, quatenus non carnis depositionem sordium aliquam continet, sed quatenus id continet cujus externa carnis ablutio signum & sacramentum est, nempe bonæ conscientię interrogationem in Deum. Tribuitur autem bonæ conscientiæ interrogatio, quę proprie competit homini propter bonam conscientiam. Ex his autem Apostoli verbis manifestum est, baptismum totius corporis ablutione, non partis tantum alicujus adspersione, aut levi aliqua perfusione constare, & ab illis tantum rite suscipi, qui conscientię bonę interrogationem in Deum habere possunt, non ab infantibus, qui secum quid rerum geratur, plane non intelligunt.

Per resurrectionem Jesu. Docet unde & per quid potissimum fiat, ut bona conscientia Deum interrogare de salute audeat. Resurrectio Jesu id facit, non tantum quatenus Jesum fuisse à Deo missum, & vera locutum esse docet, non tantum quatenus maximum mortis scrupulum animis nostris penitus eximit, sed & quatenus res ipsa manifeste ostendit, Jesum in id resurrexisse, ut Christus ille Dei scilicet rerum omnium Dominus esset, sicut ab Apostolo statim additur. Hinc autem quantam oriri necesse sit fiduciam & parrhesiam erga Deum in animis hominum omnium, in Christi nomen baptizatorum, dummodo animam baptismi, quam Apostolus dixit, habeant, cuivis per se manifestum est. Idipsum hic dicit Apostolus, quod cap. I, 3, dixit, nos videlicet à Deo regenitos esse in spem vivam per resurrectionem Jesu. Ita enim spes viva cum hac in Deum bonæ conscientiæ interrogatione reipsa idem est.

Vers. 22. *Qui est in dextra Dei, profectus in cælum, subjectis ipsi Angelis & potestatibus & virtutibus.* Describit Christi regnum ac majestatem, ad quam à Deo suscitatus est, & resurrexit ex mortuis.

Qui est in Dei dextra. Scilicet ad dextram Dei, per Hebraismum. Nullus hoc loco apud Deum honoratior esse potest. Similitudo enim sumitur ab hominibus, neminem Deus altiori & honoratiori loco potest extollere, quam si eum ad dextram suam collocet. Christum igitur tanto Deus affecit honore, ut majore non potuerit, simulque significatur

Christum Deo proximum esse, & consequenter omnia apud Deum posse. Unde quantum fiduciæ nobis erga Deum accedat, quis non videt?

Profectus in cælum. Docet quo pacto Christus ex morte suscitatus ad dextram Dei evaserit, profectus, inquit, in cælum, eadem scilicet virtute ac spiritu, quo ex mortuo vivus est effectus. Intelligitur autem cælum illud altissimum, seu lux inaccessa quam Deus inhabitat 1 Tim. VI. 16. Quæ Christi in cælum profectio documentum est & exemplum nostræ in cælum profectionis. Ubi enim est caput, illic & corpus & corporis membra erunt, idemque ille Dei spiritus idipsum in nobis præstabit, quod in Christo præstitit.

Subjectis ipsi &c. Docet Christum sic à dextris Dei collocatum esse, ut simul Angeli & potestates & virtutes illi sint subjectæ, proinde omnia quæ sunt in cælo & in terra. Nam qui subjectos sibi habet cælestes omnes spiritus, etiam subjectos sibi habet omnes homines, & qui dominatur in cælis, idem dominatur & in terris, & qui dominatur in omnes Angelos, etiam dominatur in omnia. Subjecti autem sunt Christo Angeli & potestates & virtutes à Deo. Deus enim est, qui sicut Christum ad dextram suam sedere fecit, sic ejusdem pedibus universa subjecit 1 Cor. XV. 25, 27, 28. Videmus, Christum ab Apostolo non Deum aliquem, qui ab æterno fuerit, multo minus unum illum Deum dici, aut ei ab æterno per generationem aliquam æternam omnia subjecta esse affirmari, sed hominem asseri, qui mortuus sit, & ex mortuis resurrexerit, quique in cælum profectus ad dextram Dei consedit, subjectis ipsi Angelis omnibus. Sicut igitur ad dextram Dei non fuit antequam in cælum profectus esset, sic tunc demum cum a dextris Dei collocaretur, omnium Angelorum subjectionem simul accepit. Et sane Deus ille unus à dextris suis sedere dici qui posset? Secundum humanam naturam inquies. At ne hoc quidem. Humanam enim naturam in divinæ unionem personæ ajunt esse assumptam. At in divina persona nulli à dextris Dei sessioni locus est, cum divina persona Deus ipse sit.

Angelis. Scilicet spiritibus cælestibus mente præditis, qui Angeli dicuntur, quod à Deo soleant mitti, & mandata ejus exequi.

Et potestatibus. Nempe Angelicis, ne quis existimet Angelorum potestates Christo non esse subjectas. Etiam istæ subjectæ sunt. Intelliguntur autem Angeli, qui potestatem habent aliis Angelis imperandi. Abstractum pro concreto, quæ phrasis & in hominibus locum habet.

Et virtutibus. Eadem phrasi intelliguntur Angeli, quorum eximia sit præ cæteris virtus & potestas. Omnes Angeli, quamvis potestate ac imperio, quamvis virtute ac robore præ cæteris eximii, Christo subjecti sunt. Quis igitur bonam habens conscientiam, fiduciam erga Deum non sumat, cum videat Jesum caput nostrum, & Angelorum omnium caput esse, & consequenter omnia, ipsamque salutem nostram & temporariam & æternam in manu sua habere?

CAPUT IV.

Vers. 1. *Christo igitur passo pro nobis carne & vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, cessavit a peccato.* Redit ad Christi mortem quam pro nobis perpessus est, & ex illa sumit argumentum officii nostri.

Christo igitur &c. Quasi dicat, quandoquidem igitur, ut ad Christi mortem revertar, Christus passus est.

Pro nobis passo. Scilicet crucis supplicium ac mortem. *Pro nobis*, tanquam victima scilicet pro peccatoribus, ut sanguine suo crimina nostra elueret, & multis aliis maximisque bonis per suas perpessiones & mortem nos bearet.

Carne. Id est per carnem, vel propter carnem, qua præditus & nostrûm mortalitate similis fuit, & quod ad carnem seu secundum carnem non secundum spiritum, qui una cum spiritu Dei, quo Christus præditus fuit, intactus & incorruptus mansit. Significat & nos cum morimur carne seu secundum carnem mori, spiritus nostros divino spiritu affectos nequaquam lædi.

Et vos eadem cogitatione armamini. Ex Christi morte infert monitum, & præcipit, ut quod Christus pro nobis carne præstitit, hoc nos animo & cogitatione pro Christo faciamus: quasi dicat, & vos cogitate, vos mortuos esse carne, & hac cogitatione animique inductione tanquam armatura vos munite, adversus omne peccatum scilicet. Merito monitum ac præceptum istud ex Christi pro nobis morte infert Apostolus. Hoc enim Christus sua pro nobis morte, suis perpessionibus est meritus, hoc suo à nobis exigit jure, hæc nostra omnium, qui in ipsum credimus & baptizati sumus, professio est. Qua de re vide Rom. VI. 3 & seqq. & 2 Cor. V. 15. Gal 2. 20, & V. 24.

Quia qui passus est in carne &c. Causam affert cur se carne mortuos cogitare ac ducere debeant, quia qui passus est carne, cessavit à peccato. *Passus est*, scilicet mortuus est, *in carne*, secundum carnē seu per carnem.

Cessavit a peccato. Nullum amplius ipsi cum peccato negotium est. Mortui non peccant: quasi dicat, proinde & vos à peccato cessabitis, cum vos in carne mortuos ducetis. Peccatum in genere dicit, ut omnia peccata significet.

Vers. 2. *Ut non amplius hominum cupiditatibus, sed voluntati Dei reliquum in carne vivatis tempus.* Finem istius quam dixit rei exprimit, ut non amplius hominum cupiditatibus, scilicet sicut homines cupiunt, homines nimirum huic seculo dediti, gentes profanæ ꝟ. 3. *Sed voluntati Dei*, id est sicut Deus vult. Deum opponit hominibus, & voluntatem Dei cupiditatibus hominum. *Reliquum in carne vivatis tempus*, scilicet reliquo, quo carnem deposueritis tempore. Aliud enim est carnem deponere, seu proprie loquendo carne mori, aliud mortuum se carne ducere. Hoc enim posterius est in carne vivere sed non secundum carnem 2 Cor. IV. 3, carne videlicet mortuum esse peccato, sed non justitiæ, hominum cupiditatibus, sed non divinæ voluntati. Eodem plane argumento utitur & Apostolus Paulus Rom. VI. 6, 7 & seqq.

Vers. 3. *Sufficit enim nobis præteritum tempus vitæ, quod*

quod voluntatem Gentium operati sumus, ambulantes in lasciviis, cupiditatibus, vinolentiis, commessationibus, potationibus, & nefandis idololatriis. Causam reddit dicti. *Sufficit enim nobis*, ἀρκετὸς ἡμῖν. Per nomen verbale sufficit scilicet, sufficere omnino debet, factum ponit pro officio.

Nobis. Scilicet Christianis, qui in Christum credimus, & ex tenebris in admirabilem Dei lucem pervenimus.

Præteritum vitæ tempus. Cum scilicet adhuc in tenebris versaremur.

Quod voluntatem Gentium operati sumus. Exprimit qua in re sufficere nobis præteritum tempus debeat, ne scilicet ex residuo vitæ termino, quidquam voluntati gentium ejusque operationi tribuamus. Ingens profecto Dei gratia est, quod anteactæ vitæ crimina nobis condonare velit, ut reliquum vitæ nostræ tempus Deo maneat illibatum! Describit autem præterita Judæorum peccata, sic ut eorum summam ostendat indignitatem, quod nimirum Dei populus cum essent, divina lege à cæteris omnibus gentibus discretus, non Dei sed gentium profanarum voluntatem sint operati.

Voluntatem Gentium. Scilicet quod contra Deum faciunt & fieri volunt Gentes, Dei & legis ejus ignaræ.

Ambulantes. Exprimit qua in re ista voluntatis Gentium operatio fuerit. *Ambulantes*, πεπορευμένους, in præterito scilicet, cum ambularemus

In lasciviis. Tanquam in via vel semita: quasi dicat, lasciviæ nostra erant via ac semita quam perpetuo trivimus. Intelligit omnia peccata, impura divina Lege vetita.

Cupiditatibus. Scilicet cupiditatum variarum turpibus effectis, per metonymiam causę.

Vinolentiis, οἰνοφλυγίαις. Notatur usus vini ad ebrietatem atque temulentiam.

Commessationibus. Seu instaurationibus epularum post epulas. Notatur omnis luxuria in esu.

Potationibus. Notatur omnis luxuria in potu.

Et nefandis idololatriis. Quod scilicet adesse solerent epulis ac conviviis, quæ post victimas idolis immolatas in honorem idolorum fiebant. Idololatrias appellat nefandas, quod Judæis veri Dei populo præcipuum nefas esset idola colere. Est autem idolum non solum omne simulacrum quod religione aliqua colitur, sed etiam usu nominis huc traducto id omne quod præter Deum & Christum religione colitur, quatenus colitur. Pereant Dii qui non fecerunt cælum & terram Jerem. x. 11. Is igitur solus religione colendus est, qui fecit cælum & terram. Quid ergo inquies, an perire debet Christus & sancti Angeli? Minime vero, quia cum ille solus excipitur, qui cælum & terram fecit, simul etiam excepti intelliguntur, qui cum illo unum sunt, quatenus unum sunt. Christus ita unum est, ut in illo & per illum Deus religione coli velit, Angeli quatenus non tantum ab ipso facti sunt, sed etiam et sese subjiciunt ac ministrant. Sed si quis Angelos religione colat aut alios Dei sanctos, cultum inducat impium, & ex sanctis sive Angelis sive hominibus idola faciat.

Vers. 4. *In quo mirantur non concurrentibus vobis ad eandem luxuriæ profusionem, blasphemantes.* Commemorat quam hoc novum & peregrinum videatur Gentibus, quod ipsi Christiani facti, conviviis istis idololatricis, aliisque commessationibus & compotationibus abstineant.

In quo. Quod scilicet, ut statim additur, non concurrant ad eandem luxuriæ profusionem.

Mirantur, ξενίζονται. Tanquam peregrini percelluntur, nempe Gentes. Nova ac peregrina res illis videtur. Eodem verbo utitur & infra ℣. 12.

Non concurrentibus vobis. Id est, quod vos Christiani non una concurratis cum ipsis &c. Solent homines concurrere ad convivia & lautas epulas, ad compotationes, idque etiam a nobis factitatum fuit. Nunc quia rem in contrarium versam vident, attoniti tanquam super re peregrina & insolita stupent.

Ad eandem, nempe cum ipsis luxuriæ profusionem, ἀσωτίας ἀνάχυσιν. Excessum intelligit in usu ciborum & potus, cujus causa est ἀσωτία, luxuria vel intemperantia, per genitivum causæ: stupent scilicet attoniti, quod una cum illis non commessemini, non potetis, non helluemini.

Blasphemantes. Primum factum vestrum mirati vertuntur ad iras & blasphemias, dum absentia & abstinentia vestra facta sua damnari vident. Conviciis non tantum vos proscindunt, sed etiam Christum ipsum ejusque sanctissimam religionem, quæ vobis mutationis istius causa est.

Vers. 5. *Qui reddent rationem ei qui paratus est judicare vivos & mortuos.* Docet eos blasphemias istas, & quod perseverent suis in moribus antiquis, impune non laturos.

Qui. Nempe profani isti & blasphemi.

Reddent rationem. Non ibit hoc illis impune, cogentur factorum suorum reddere rationem, quam quia reddere non poterunt, pro meritis plectentur.

Ei qui paratus est judicare &c. Ostendit cui sint rationem reddituri, Christum designans, qui constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum Act. x. 42. Isti ipsi rationem reddent, quem blasphemiis incessunt, cum in illum credere deberent.

Ei qui paratus est. Τῷ ἑτοίμως ἔχοντι, nihil ipsi deest ad judicem peragendum, nisi temporis terminus à Deo definitus.

Judicare. Proinde pro meritis tractare, & vel pœnis vel præmiis afficere.

Vivos. Nempe quos ad judicium veniens vivos offenderit.

Et mortuos. Qui ante adventum ejus ad judicium vita functi sunt, quos omnes potentia sua divina ex mortuis vivos faciet, ut ei rationem reddere, & ab ipso judicari possint, proinde sicut præmiis sic pœnis cum sensu affici. Et justi quidem decreto judicis Christi abibunt in vitam æternam, injusti vero in pœnam æternam Matth. xxv. 46. Non addit Apostolus omnes, sed intelligit. Vide Joan v. 28, 29. 2 Cor. v. 10.

Vers. 6. *In hoc enim & mortuis Euangelium prædicatum est, ut judicentur quidem secundum homines carne, vivant autem secundum Deum spiritu.* Causam adfert per prolepsin, cur omnes profani, blaspemi, idololatræ &c, rationem sint reddituri judici Christo, ne quis illorum ignorantiam prætendat.

In

In hoc enim & mortuis Euangelium prædicatum est. Ἐυηγγελίσθη: quasi dicat, nam non possunt factis suis ullam excusationem ignorantiam obtendere, cum & mortuis perinde & illis ipsis Euangelium sit prædicatum.

Ut judicentur &c. Mortuos hic intelligit non proprie sed per metaphoram dictos, id docet, quod Euangelium ipsis sit prædicatum, & quidem hoc fine: *Ut judicentur secundum homines carne*, nondum igitur carnem deposuerant.

Vivant autem secundum Deum spiritu. Vivebant igitur in carne, sed in carne viventes spiritu non carne, id est secundum spiritum non secundum carnem vivere debebant. Intelliguntur igitur hic homines peccatis & transgressionibus, ut Paulus Apostolus loquitur, mortui Ephes. 2. 1, 5, id est homines propter peccata & transgressiones jam morti damnati, & non minus ad vitam spiritualem, quam mortui ad vitam naturalem inhabiles & inepti, quales præcipue erant Gentes profanæ. Etiam istis Euangelium allatum, & de peccatorum remissione & vita æterna, deque Christi morte & resurrectione ex mortuis, & regno & judicio, etiam isti ad pœnitentiam divinissima prædicatione sunt vocati; dedit & istis amplissimam facultatem Deus ex peccatis & morte exeundi. Sola malitia & perversitas & contumacia illis obstitit, quo minus ex mortuis fierent vivi. Huc pertinet dictum illud Scripturæ: excitare qui dormis, & surge ex mortuis, & illucescet tibi Christus Ephes. v. 14. Quos capite superiore spiritus in carcere appellavit ℣. 19, hic appellat mortuos, quem locum vide.

Ut judicentur &c. Docet quo fine sit illis Euangelium allatum, eodem nimirum quo & aliis omnibus, quamvis non adeo damnatis & perditis peccatoribus. *Ut judicentur quidem.* Id est damnentur, blasphemiis, conviciis proscindantur, vexenter, occidantur, propter Christi nomen scilicet & justitiam. Causam ponit pro effectu.

Secundum homines. Nempe infideles, secundum eorum opinionem, sententiam, placitum, voluntatem, sic & infra ℣. 14.

Carne. Id est per carnem, seu quod ad carnem. Nihil enim adversarii possunt, nisi in carnem piorum Deo permittente. Non igitur ipsi blasphemiis Christum & Christianos incessere debebant, sed potius & ipsi Christo & Christianis accedere, & eo nomine profanorum judiciis ac blasphemiis sese exponere.

Vivant autem. Vitam opponit judicio, quod judicium hominum afferat Christianis damnationes & mortes.

Secundum Deum. Id est divinam voluntatem per Christum revelatam.

Spiritu. Id est per spiritum, seu quod ad spiritum, tam naturalem seu animum rationalem, quam spiritum à Christo haustum & acceptum. Christiani carne vivere non debent, sed carne judicari, damnari, affligi, pati. Spiritu debent vivere, & actiones carnis mortificare Rom. viij. 12, 13, 14. Caro Christianis est causa perpessionum & mortis, spiritus illis est causa vivendi, & carne tanquam instrumento utendi secundum Deum.

Vers. 7. *Omnium autem finis propinquavit. Sobrii estote igitur & vigilate in orationes.* Occurrit objectioni, ne quis dicat, valde remotum adhuc esse judicium illud futurum. *Omnium autem finis*, inquit, *propinquavit*: quasi dicat, proinde nemo cogitet, finem omnium rerum adhuc procul abesse.

Omnium. Intellige rerum quæ in hoc mundo continentur, ipsiusque mundi. *Finis*, id est interitus.

Propinquavit. Quatenus jam extrema mundi tempora venerunt cap. 1. 20, & secula jam in consummatione sunt Hebr. ix. 26. Christusque jam venit, & judicandi omnem potestatem à Deo accepit, seu ut paulo ante dixit Apostolus, vivos ac mortuos judicare, & sic mundo finem imponere paratus est, & in promptu habet ℣. 5. Si quis dicat, rerum omnium finem non ita prope esse, ut se vivo adveniat, quid hoc illum juverit, cum & mortui judicandi sint? Sive igitur viventibus nobis, sive mortuis veniat, rerum omnium finis in propinquo est. Viventibus enim exiguum tempus vitæ restat, mortuis nullus temporis illius sensus inest. Me mortuo, dicebat ille, terra misceatur igni, existimans ad mortuos nihil pertinere eorum quæ fiant. Hoc Christiani non dicunt, qui vivorum & mortuorum judicium omnibus momentis exspectant.

Sobrii estote igitur. Ex iis quæ dixit adhortationem infert ad virtutes prioribus vitiis contrarias. *Sobrii estote*, mentem semper sobriam gerite: *igitur*, quandoquidem tantis istius rei causas videtis præsentissimum finem mundo semper imminentem. Huc pertinent Christi verba post commemoratum similiter mundi finem addita: *Cavete igitur ne corda vestra graventur unquam crapula & ebrietate* Luc. xxi. 34.

Et vigilate in orationes. Vigilantiæ cum sobrietate bene convenit, cum contra ebriis edormienda sit crapula. Vigilare autem debent Christiani non ad curas hujus vitæ, quas Christus dicto loco recte cum crapula & ebrietate conjunxit, sunt enim sicca quædam seu animi non corporis ebrietas, eaq; longe diuturnior.

Sed *ad orationes & preces.* Ut ibidem etiam à Christo additur, qui simul docet quid orandum sit, ut digni habeamini, inquit, ad effugienda ista omnia quæ futura sunt, & standum coram Filio hominis.

Vers. 8. *Ante omnia autem alii in alios charitatem intensam habentes: quia charitas operiet multitudinem peccatorum.* Docet quid imprimis Christiani debeant habere. *Ante omnia*, intellige pietatis officia.

Autem. Ne quis putet sobrietatem & vigilantiam ad preces, ipsasque preces satis esse.

Alii in alios, εἰς ἑαυτοὺς. Id est Christiani erga Christianos.

Charitatem. Potior igitur est charitas omnibus aliis Christianæ pietatis officiis & primas tenet, quod & Paulus docet 1 Cor. xiii. 13. *Intensam*, ἐκτενῆ. Non sufficit qualiscunque charitas, non tepida, non remissa, sed fervens & intensa, quæ fratri nihil deneget eorum quibus ille indigeat, & tu sufficias.

Quia charitas &c. Causam reddit cur tantopere charitati debeant esse dediti. Quia charitas Christianorum mutua Patri ipsorum adeo grata & accepta est, ut *multitudinem peccatorum*, quæ alioquin in ipsis reperiri eosque damnationi subjicere possit. *Contectura sit.* Cujus rei ratio est, quod Christiani nulla re similiores fiant Deo quam charitate. Deus enim

charitas

charitas est, & qui diligit fratrem, ex Deo natus est. Ideo ex charitate oritur illa παῤῥησία & fiducia erga Deum, ut in die judicii simus extra omnem metum 1Joan. IV. 16, 17. Jacob. 2. 13. Verba hæc apud Salomonem alio leguntur sensu Proverb. x. 12, nempe charitatem facere, ut multa peccata tegamus eorum quos diligimus. Sed ea Apostolus non minus vere & recte ad Deum deflexit. Qui quia nos propter charitatem, qua alii alios in Christo complectimur, valde charos habet, hinc fit ut propter illam charitatem, peccatorum nostrorum multitudinem tegat. Non est igitur ut quisquam Christianorum propter peccatorum suorum multitudinem animum despondeat, & de salute desperet, dummodo sicut fide, sic & charitate sit præditus. Non enim justificamur ex Legis operibus, sed ex gratia Dei, qui fidem & charitatem nobis ad justitiam imputat. Tanto vero magis, quod ea sit vis & ratio charitatis, ut non tantum multitudinem peccatorum coram Deo tegat, sed eandem etiam in nobis tollat. Nam qui diligit alterum, Legem implevit. ImpletioLegis est charitas Rom.xiij. 8, 9, 10. Tegere peccata dicitur charitas, per metaphoram, quod in causa sit ne Deus illa videat, id est videre & in ea animadvertere velit.

Vers. 9. *Hospitales alii in alios sine murmurationibus.* Pars seu effectus charitatis est hospitalitas, quâ præbetur hospitium peregrinis & advenis, pedes lavantur, & alia officia omnia quæ alicui in domo exhiberi queant, præstantur.

Hospitales, intellige estote, *alii in alios.* Id est Christiani erga Christianos peregre advenientes.

Sine murmurationibus. Quæ ingratam faceret hospitalitatem, & Deo & hospitibus. Uxorum præcipue tangit vitium, & familię ad hospitalitatis virtutem non bene institutæ. Vide Rom. XII. 13. Hebr. xiij. 2.

Vers. 10. *Unusquisque sicut accepit donum alii in alios id ministrantes tanquam boni dispensatores variæ gratiæ Dei.* Omnia charitatis effecta & officia simul complectitur, nimirum ut quisque in commune conferat quod accepit, & alteri pro viribus inserviat.

Unusquisque vestrum. Scilicet Christianorum.

Sicut. Et quantitatis & qualitatis ratione.

Donum. Id est bonum aliquod communicabile. Significat omnia quibus instructi sumus, & animi & corporis bona, Dei dona esse, nihilque nos habere quod non accepimus 1 Cor. IV. 7.

Alii in alios. Εἰς ἑαυτοὺς, ut supra ℣. 8, vos Christiani inter vos ipsos.

Id ministrantes. Id est communicantes: quasi dicat, sicut à Deo accepistis, sic & vos alii aliis communicate. Nemo enim nostrûm pro se solo instructus est divino aliquo munere, sed ut aliorum, præsertim in Christo fratrum, usibus per illud inserviat.

Tanquam boni &c. Id est, sicut decet bonos & fideles dispensatores, qui ea quæ sibi ad dispensandum sunt data, pro se retinere, eorumque communicatione alios fraudare neutiquam debent. Particula *sicut* hoc loco vim habet causæ.

Variæ gratiæ Dei. Id est variorum donorum, per metonymiam causæ. Iterum docet omnia quæ habemus divinæ gratiæ & munificentiæ deberi, ut & nos munifici simus in alios. Significat etiam nos variorum bonorum quæ habemus, non possessores ac dominos esse, sed œconomos ac dispensatores, qui si bene & fideliter dispensaverimus, non nostra sed Dei bona, verum illud, & quod nostrum proprium bonum futurum est, vitam æternam à Deo accipiemus Luc. XVI. 10, 11, 12.

Vers. 11. *Si quis loquatur tanquam eloquia Dei: si quis ministrat, tanquam ex viribus quas suppeditat Deus, ut in omnibus glorificetur Deus per Jesum: cui est gloria & robur in secula seculorum. Amen.* Docet in specie, quomodo se gerere debeant, qui loquuntur, & qui ministrat in ecclesia. *Si quis loquitur*, intellige in ecclesia, qui hoc donum accepit ut in ecclesia loquatur; Dei nimirum sermonem, neque enim aliud in ecclesia loqui fas est.

Tanquam eloquia Dei. Intellige loquatur, id est, sicut eloquia Dei profari & tractare decet, sancte, fideliter, graviter, gnaviter, nihil divinorum eloquiorum veritati sive de suo sive de alieno addat, nihil demat, nihil in illa mutet, summa cum religione agat. Recte eloquiorum Dei locutionem ac dispensationem retulit Apostolus, eamque primo loco posuit. Neque enim aliud majus est bonum ad dispensandum hominibus à Deo commissum, nec in quo dispensando sanctius ac fidelius agendum sit. Vide 1 Cor. IV. 1.

Si quis ministrat. Docuit quomodo se gerere debeant qui sermonis ministerium obeunt, docet etiam quomodo gerere se debeant qui mensis ministrant, quique peculiariter Diaconi sunt appellati. Vide Actor. VI. 2 & seqq.

Tanquam ex viribus, ἐξ ἰσχύος. Id est pro viribus & facultatibus, pro pecunia publica, nihil ex publica pecunia in privatos convertant usus, & in illa colligenda ac tractanda omnem diligentiam & industriam adhibeant.

Quas suppeditat Deus. Nempe per piorum liberalitatem & Diaconorum studium ac curam.

Ut in omnibus. Docet quem finem habere sibi debeant propositum. *Ut in omnibus*, id est ex omnibus, seu per omnes, intellige actiones ac facta vestra,

Glorificetur. Id est gloriam & laudem consequatur, ab hominibus scilicet præclaras actiones & facta vestra conspicientibus.

Deus. Absolute sic dictus, seu cum articulo emphatico, id est unus ille Domini nostri Jesu Pater, quippe omnium bonorum primus auctor & causa.

Per Jesum. Id est, ita ut semel glorificetur & Jesus, tanquam is per quem Deus vos variis donis cumulat & hæc omnia in vobis operatur bona. Sicut enim omnia ex Deo per Jesum, sic & nos vicissim per ipsum in Deum 1 Cor. VIII. 6. Videmus alium esse Deum illum unum, alium esse Jesum.

Cui est. Ipse Apostolus in δοξολογίαν erumpit. *Cui*, id est Deo & Christo. Deo tanquam primæ causæ, Jesu tanquam secundæ & intermediæ.

Est gloria. Id est sit gloria, per enallagen modi. Cui gloria & laus tribuatur ab omnibus.

Et robur. Intellige similiter sit vel tribuatur. Κράτος, robur cum imperio conjunctum. Quod Deo tribuitur ab hominibus, quatenus id in Deo & Christo esse ab hominibus agnoscitur & prædicatur.

In secula seculorum. Id est, quamdiu secula

 erunt,

erunt, non ad tempus aliquod, ut mortalibus evenire solet.

Amen. Consueta particula: quasi dicat, quod verum ratumque sit.

Vers. 12. *Dilecti ne percellamini tanquam re peregrina ea qua in vobis est ustione, quæ ad tentationem vobis fit, tanquam re peregrina vobis accidente.* Injecit aliquando mentionem afflictionum quas propter Christum perpetiebantur, nunc argumentum hoc ex professo tractat, eosque ad constantiam exhortatur.

Dilecti. Præmittit titulum, quo ipsis amorem suum declarat, ut & illi vicissim admonitionem hanc amabili effectu suscipiant.

Ne percellamini tanquam re peregrina, μὴ ξενίζεσθε. Solent enim homines rebus novis ac peregrinis percelli. Idem verbum eadem significatione usurpavit & supra, ut vidimus ℣ 4.

Ea qua in vobis est ustione. Id est afflictionibus & perpessionibus, quæ vobis propter Christum eveniunt. *In vobis*, id est inter vos. Quas ustionem πύρωσιν appellat, per metaphoram, quod & dolorem corporibus adferant, & probandi ac purgandi vim habeant. Probant enim fidem nostram, & purgant vitia. Sicut πυρῶσαι aurum. Quanquam & proprie loquendo ustulari & flammari solerent Christiani, quod & hodie fit sub hæreseos crimine ab illis, qui nisi ipsi hæretici essent, iique sævissimi, nunquam in alios conscientiæ causa sævirent.

Quæ ad tentationem vobis fit. Docet quo fine hæc ustio ipsis eveniat, ut ex hoc ipso fine animum adversus illam sumant, & intelligant Dei consilio ac permissu eam fieri. Πύρωσις hæc evenit ad πειρασμὸν id est tentationem. Nam & Deus per ignem afflictionum nos tentat, ut fidem & constantiam nostram exploret, & in apertum producat, & diabolus, ut nos à Christo abducat. Et Deo igitur fidem approbemus, & diabolo resistamus, eumque vincamus. Habemus nimirum in afflictionibus amplissimum campum ac materiam exercendæ ac experiendæ virtutis.

Tanquam re peregrina vobis accedente. Quasi dicat, ne habete ustionem istam pro re nova & peregrina. Nam ad hoc vocati estis, ut pro Christo patiamini, hoc & Christus & Apostoli vobis prædixere. Non potest nec debet vestra conditio melior esse quam Christi ipsius, quam nostra, qui Apostoli ejus sumus, quam aliorum in Christum credentium omnium. Videtis per ipsam rei naturam aliter non posse fieri, in tanto erga Christi nomen & veritatem odio, & tanta adversariorum multitudine ac potentia, vestrorum vero paucitate & imbecillitate. Tentationes vincendæ essent, quamvis ad eas cælestibus præmiis propositis vocati non essetis, quod fecerunt multi sancti viri, & ante Legem & sub Lege, quorum in Deum fiducia nullis quamvis maximis & gravissimis succubuit tentationibus. Deus enim nunquam deserit eos qui ipsi confidunt, etiamsi fidem eorum per varias calamitates prius exploret, & tentari permittat, ut tanto gloriosior & illustrior evadat, & tanto majoribus cumuletur bonis. Quanto vero magis quibusvis in afflictionibus constanter perseverandum est, si hac conditione ad æterna vocemur præmia.

Vers. 13. *Sed sicut communicatis Christi perpessionibus, gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* Docet contrarium ipsis faciendum, quam ut afflictionibus turbentur & percellantur. *Sed sicut communicatis Christi perpessionibus.* Christi perpessiones sunt, quæ propter Christum vel eandem professionem ob quam Christus passus est, eveniunt, quibus communicare est in illis partem & societatem cum Christo & aliis Christianis habere.

Gaudete. Id est sic gaudete, per ellypsin particulę similitudinis Hebræis consuetam. Particula enim pręcedens *sicut* requirit respondentem sibi particulam *sic*, quæ similitudinis particulæ hoc loco significationem habent causæ & effecti: quasi dicat, sed quandoquidem causam habetis singularis gaudii, ideo gaudete. Docet Apostolus magnam ac singularem esse gaudii causam, si quis perpessionibus Christi communicet. Ideo non percelli iis debemus, sed ex iis causam & materiam gaudii eximii capere, & Christi verbis credere, quibus beatos fert omnes propter Filium hominis contumeliis aliisque malis affectos, proinde præceptum ejus exequi, quo in afflictionum die gaudere & exilere discipulis suis mandavit. *Ecce enim*, inquit, causam ejus mandati subjiciens, *merces vestra multa est in cælis* Luc. VI. 22, 23.

Ut & in revelatione &c. Causam affert Apostolus ex fine petitam, ob quam gaudere debeamus ex perpessionum Christi communione. *Ut*, inquit, *& in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* Nam qui gaudet se affligi cum Christo, is haud dubie magnam habet & constantem in Christum fidem. Unde enim hoc gaudium mediis in malis ipsaque in morte propter Christum, nisi ex summa & invicta in Christum fide? At vero qui tantam in Christum fidem habet, insuperque propter ipsum patitur, quo pacto non etiam in revelatione gloriæ ipsius gavisurus est exultans?

Ut &c. Quasi dicat, sicut in perpessionum die gavisi estis, sic & in revelatione Christi gloriæ *gaudeatis in revelatione gloriæ ejus*, id est in revelatione ejus gloriosa, per duo substantiva pro substantivo cum adjectivo, vel adjunctum posuit pro subjecto, glotiam Christi pro ipso Christo cum gloria Patris sui venturo & apparituro. Sic 2 Pet. 1. 17, magnifica gloria ponitur pro ipso Deo. Non semper Chtistus abditus erit in cælis, veniet dies, quo sese conspiciendum dabit omnibus summa cum gloria ac majestate divina.

Gaudeatis exultantes. Non tantum propter fidei constanter persuasæ conscientiam & perpessionum communionem, sed multo magis propter cælestia illa, quibus tum afficiemini, pręmia. Nam sicut nunc communicatis Christi perpessionibus, sic tum communicabitis ejus gloriæ 2 Timoth. 2. 2, 12. Ideo non simpliciter dixit *ut gaudeatis*, sed ut gaudeatis *exultantes.* Magnitudinem gaudii exprimens, ex obtentis cælestibus nimirum præmiis. Gaudium illud designat, quod supra inenarrabile & glorificatum appellavit, cum reportabimus finem fidei nostrę salutem animarum cap. 1. 8, 9. Docemur hoc loco officii nostri esse, non tantum afflictiones propter Christum constanter perpeti, sed etiam ad majorem & uberiorem fidei nostræ testationem ac declarationem ob eas lætari.

Vers. 14. *Si probris afficimini in nomine Christi, beati; quia gloria & Dei spiritus super vos requiescit,*

quiescit, secundum quidem ipsos blasphematur, secundum autem vos glorificatur. Rem eandem aliter exprimit. Neque enim satis dicitur, quod nunquam satis discitur. *Si probris afficimini.* Omnis generis probra & contumelias intelligit, etiam probrosam & infamem mortem.

In nomine Christi. Id est propter nomen Christi, scilicet propterea quod vos Christianos feratis. *In* pro propter. Sic infra ℣.16. Phil. 2. 10, in nomine Jesu, id est propter nomen Jesu.

Beati. Intellige estis. Nimirum propter æternam & cælestem gloriam, quæ vos pro istiusmodi probris una cum vita æterna manet 2 Tim. 2. 10.

Quia gloriæ & Dei spiritus. Ex Spiritu Sancto argumentum capit futuræ ipsorum beatitatis & gloriæ, quem idcirco & gloriæ spiritum appellat, id est spiritum gloriosum, per duo substantiva, pro substantivo & adjectivo. Qui vere gloriosus est, quia inter omnia divina dona, quæ in hac mortali vita cuiquam à Deo possint obtingere, nullum est majore gloria, id est laude ac celebratione dignius, nisi quis malit spiritum gloriæ dici, quod sit futuræ illius gloriæ arrhabo. *Et Dei spiritus.* Alio modo Spiritum Sanctum designat. Dei spiritum vocat, quod ex Deo tanquam ex sole radius profluat. An vero, qui divini spiritus fit particeps, non etiam cælestis gloriæ fiet particeps, quibuscunque tandem probris & ignominiis Christi causa ab hominibus afficiatur?

Super vos requiescit. Quasi dicat, spiritus iste non tenetur adversariorum probris & contumeliis, non vos propterea deserit, aut indignos vos sua præsentia ducit, sed

Super vos. Id est in vobis Christianis videlicet *requiescit*, tanquam in sua gratissima sibi sede ac domicilio. *Supra* pro in, & quod sedi particula *super* perinde conveniat.

Secundum ipsos quidem. Id est ipsorum quidem, nempe adversariorum qui vos probris afficiunt, opinione & stulto judicio.

Blasphematur. Id est convitiis & verbis contumeliosis proscinditur, spiritus dæmoniacus, vel furor & his similia appellatur.

Secundum vos autem. Id est vestra vero sententia, qui recte ac vere de rebus judicatis, à Deo illuminati & edocti.

Glorificatur. Id est miris laudibus effertur ac celebratur. Sic & sermonem Domini glorificarunt gentes Act. XIII. 48. Hoc ideo monet Apostolus, ne quisquam blasphemiis adversariorum contra Spiritum Sanctum directis moveatur. Dabunt illi tanti criminis meritas pœnas, quod habet nullam remissionem, neque in hoc præsenti seculo, neque in futuro Math. XII. 32. Qui hinc colligunt Spiritum Sanctum ipsum Deum esse, non meminerunt, quod modo dictum est ab Apostolo, Spiritum Sanctum Dei spiritum esse, & non ipsum Deum esse. Proinde glorificatio ista, convenienter spiritui Dei intelligenda est, nec pro blasphemia Spiritus Sancti ducendum, si quis eum spiritum dicat Dei, non ipsum Deum. Hoc enim qui blasphemum dicit, universam Scripturam Sacram & Spiritum Sanctum in illa loquentem, & hunc ipsum Apostolum blasphemiæ damnat, proinde ipse blasphemus est.

Vers. 15. *Non enim aliquis vestrum patiatur tanquam homicida, aut fur, aut maleficus, aut tanquam alienarum rerum inspector.* Rationem affert cur addiderit verba illa *in nomine Christi*, superiore commmate. *Non enim aliquis vestrum*, inquit, *patiatur &c. Vestrum*, id est Christianorum. *Patiatur*, probrosas nimirum & infames pœnas ac mortes. Respicit enim ad superius ὀνειδίζεσθε, idque etiam ex iis, quorum exempla subjicicit, apparet.

Tanquam homicida. Id est propterea quod sis homicida. Particula ὡς, tanquam, hoc loco non similitudinis significandæ vim habet, sed causæ efficientis. Nam quod ad ipsam similitudinem attinet, Christiani persæpe tanquam malefici patiuntur, nec pœna differunt à maleficis, sed tantum causa. Est vero mens Apostoli, ne Christianorum ullus sit homicida, non tantum ne patiatur propterea quod sit homicida. Pejus enim est homicidium perpetrare, quam propter perpetratum pati. Effectum Apostolus à Christiano quovis ita removet, ut simul removeat & causam.

Aut fur. Id est propterea quod sit fur, rei alienæ contrectator inscio & invito domino.

Aut maleficus. Id est, aut propterea quod sit maleficus sive facinorosus. Ne plures maleficiorum species enumeraret, ponit genus, in quo includit omnes maleficii species.

Aut tanquam alienarum rerum inspector, ἀλλοτριοεπίσκοπος. Id est, aut propterea quod sit alienarum rerum inspector: quasi dicat, aut quamvis non sit maleficus nec facinorosus, sufficit ad vituperium & culpam, si sit ἀλλοτριοεπίσκοπος, alienarum rerum inspector, & hoc nomine patiatur. Intelligit hominem rerum alienarum & ad se non pertinentium curiosum, ardelionem, πολυπράγμονα, qui sua non agat, sed se rebus ingerat alienis, vel dictis, vel consiliis, vel factis, præsertim contra publicas personas & potestates, cum hoc minime sit sui muneris & officii.

Vers. 16. *Si vero tanquam Christianus, non pudefiat, glorificet autem Deum in parte ista. Si vero tanquam Christianus.* Intellige patitur, vel patiatur aliquis vestrum, id est propterea quod sit Christianus, quod in Christum credat, ejus nomen profiteatur & invocet, secundum ejus doctrinam sanctissimam vivat. Notetur Christiani appellatio ab ipso Apostolo usurpata. Nimirum in religionis doctrina non à Petro, non à Paulo, non ab ullo alio homine magistro appellari debemus, præterquam à solo Christo, ad quem omnes alii magistri doctrinam suam referre debent, cujus & ipsi sunt discipuli. Oblitus erat, credo, Petrus esse se caput ecclesiæ visibile, Christi vicarium in terris, qui cæterorum quoq; Apostolorum & universalis ecclesiæ dominus & magister esset! Cur enim non etiam liceret discipulis Petri nomine censeri? Et quare Christus in Spiritus Sancti potius, qui divinus afflatus erat, Apostolis omnibus communis, quam in Petri & eorum qui Petro succederent, nomen discipulos baptizare juberet?

Non pudefiat. Quamvis scilicet probrosa & infami & alioquin pudenda afficiatur pœna vel morte. Nullus est in hoc pudor si quis vacet crimine, imo si id patiatur, quod recte agat, & quod Christianus sit, probrum hoc & ignominiam maxime sibi ducat

gloriæ. Innuit Apostolus ignominiam & dedecus gravissimum esse in pœna, si quis eam sit commeritus, sed simul gloriosissimum, si quis eam propter Christum subeat.

Glorificet autem Deum. Id est Deum gloria & laudibus afficiat.

In parte hac. Id est propter hanc partem vel portionem, quæ sibi singulari Dei gratia obtigerit, ut tanquam Christianus ignominiose tractetur. *In* ponitur pro *propter*, ex Hebraismo. Sic & supra ℣. 14, & alibi. Pertinet huc Apostolorum factum & exemplum, qui jussu Synedrii verberati gaudebant, quod pro nomine Christi digni habiti essent ignominia affici Actor. v. 40, 41. Cur vero Deus propter hanc partem glorificandus sit, nisi quod hoc dedecus & ignominia æternum decus & gloriam afferat?

Vers. 17. *Quia tempus ut incipiat judicium à domo Dei si vero primum a nobis, quis finis inobedientium Dei Euangelio?* Ne quis miretur à Deo permitti ut Christiani affligantur, idque propter hoc ipsum quod Christiani sint, subjicit his verbis novam istius rei causam.

Quia tempus, inquit, *ut incipiat &c.* Id est, ut Deus ad judicium vocet domum suam primum, & eos qui merentur, ac prout merentur castiget, cum ipsorum tum aliorum bono. Docet Dei judicio ac pœna non raro evenire, ut Christiani propter Christum ab adversariis affligantur, hac enim de re loquebatur. Nam sæpe Christiani ejusmodi vexationes merentur, iisque indigent, ut meliores fiant, quæ tamen sunt ita comparatæ, ut quia ipsis ab hominibus propter Christum & justitiam inferuntur, maxima præmia secum ferant. Ita Deus dum suos propter Christum affligi permittit, & castigat propter delicta, & simul ad æterna ducit præmia. *Quia tempus*, intellige est. Haud dubie, ne si Deus adhuc differret judicium, Christiani deteriores fierent impunitate & nimia indulgentia.

Ut incipiat judicium, nempe Dei, *à domo Dei.* Id est à Dei liberis, per metonymiam continentis pro contento metaphoricam. Domus enim Dei pro liberis dicitur, similitudine ab hominibus sumpta. Solet & ecclesia domus Dei appellari, sed per metaphoram ab æde vel templo, quæ metaphora hic locum non habet, quamvis ecclesia intelligatur, Quia ædes vel templum judicari non solet, liberi, qui in domo sunt, solent. Intelliguntur Christiani, qui Dei sunt liberi, à Deo progeniti, Dei in terris πατριὰ, id est familia Eph. iij. 16, quę una cum cælesti eodem ex Patre nominatur. Videmus hinc quanta sit Christianorum præ cæteris hominibus omnibus dignitas. Merito autem à Dei domo incipiendum esse judicium dicit. Primum, quia Dei domus, id est Dei liberi, propinquiores sunt Deo, multoque majores causas habent sancte vivendi quam cæteri homines, propriores igitur sunt & Dei judicio. Secundo, quia Deus majorem curam habet liberorum suorum, ut eos ad omnem sanctitatem erudiat, quam hominum aliorum. Tertio, quia cum liberos castigat, terrorem mittit ad alios homines, quo permoti pœnitentiam agant, & exitium evitent. Quarto, quia Deus domum suam castigare solet, ut vidimus, per eos qui extra Dei domum sunt, id est per veritatis Christianæ adversarios. Debent igitur primum affligi Christiani, ut veritati constantia sua testimonium dent, & si fieri possit, hac ratione contumaces adversariorum animos expugnent, vel si nihil proficiant, adversarii tamen mensuram improbitatis suæ impleant, & ad exitium plane maturi fiant, dum non tantum Euangelio non obediunt, sed etiam illius professores persequuntur & oppugnant, ac ne patientia quidem illorum ad pœnitentiam adduci possint. Hinc fere factum est, ut sanctorum persecutiones consecutæ sint gravissimæ pœnæ persecutoribus à Deo immissæ. Nihil enim amplius ad cumulum impietatis ac malitiæ restat impiis, inter quos quam diu sunt pii, pœnas divinas ab illis arcent, sed piis ex medio eorum per varias persecutiones sublatis, tum demum absq; ullo obstaculo irrumpunt, & longe lateque grassantur in impios divina judicia.

Si vero primum a nobis. Ex Christianorum pœnis cogitandum relinquit, qui maneat exitus ipsorum adversarios: quasi dicat, si Deus nobis, domui suæ, liberis suis non parcit, sed à nobis judicium suum incipit, nos graviter, cum meremur & opus est, castigat & punit.

Quis finis inobedientium Dei Euangelio? Quasi dicat, à nobis quidem, qui Euangelio obedimus, id est credimus, Deus facit judicandi initium, sed in iis qui Euangelio non obediunt, id est non credunt, judicium suum finiet & consummabit. Nos ex calice judiciorum Dei libamus, sed non credentes Euangelio, ipsas feces, & quod in imo fundo est, exhaurient. Addit hoc Apostolus, ne Christiani putent inobedientes Euangelio extra Dei judicium fore, proinde suam sortem & conditionem deteriorem esse, quod propter Euangelium affligantur. Tangit Apostolus Judaicæ gentis excidium, quod post piorum persecutiones secuturum erat Matth. xxiv. 9, 10 & seqq.

Quis finis! Id est quam gravis, quam horrendus!

Inobedientium. τῶν ἀπειθούντων, credere nolentium.

Euangelio. Nam alioquin etiam credentes Euangelio, qui non ita ut par est Euangelio obediunt factis & moribus, à Deo judicantur, ut vidimus. Sed istorum judicium est in salutem, illorum autem in exitiū. Solet autem Deus peracto domus suæ judicio & ad impios translato singularem suorum curam habere, ac providere ne cum cæteris pereant. Sic Noë conservatus est in diluvio. Sic Lothus in Sodomorum excidio: sic Christiani in Judæorum excidio. Idipsum pollicetur Christus Angelo Philadelphensium ecclesię Apoc. III. 10. Et huc pertinet aurum illud ipsius Apostoli Petri dictum: *novit Dominus pios ex tentatione liberare, injustos autem in diem judicii puniendo servare* 2 Epist. 2. 9. Quod maxime apparebit in extremo mundi judicio.

Vers. 18. *Et si justus vix servatur, impius & peccator ubi comparebit?* Pergit, & ex justorum calamitatibus arguit impiorum & peccatorum miserandam sortem. *Et si justus*: quasi dicat, non tantum Euangelio credens, sed & secundum illius præscriptum vivens, qui Deo in omnibus obtemperat, hominibus quod ipsorum juris est tribuit, beneficus & modestus, injuriarum patiens, sanctus.

Vix servatur. Id est, servatur quidem, & ad vitam æternam haud dubie ex malis omnibus eripitur; sed vix: quatenus multa mala prius ex Dei consilio justissimo

stissimo & sapientissimo sustinere, & maximis laboribus conflictari cogitur, antequam ad salutem ęternam perveniat. Quod & sanctissimis & justissimis hominibus, ipsique Dei Filio vere justo evenit.

Impius. Qui nullo Dei timore, nulla religione tangitur.

Et peccator. Id est peccatis deditus. Notetur oppositio inter justum & peccatorem. Non quia justus omnis peccati est expers, sed quia expers est peccati, quod humanæ non habet excusationem imperfectionis & imbecillitatis.

Ubi comparebit? Id est nusquam. Videt quanta cum difficultate justus eluctetur ad salutem, quantis malis prius exerceatur, hinc facile conjicit impius & peccator nullam sibi superesse spem salutis & evitandi supplicii. Nusquam igitur comparet, ut solent, qui seipsos jam ob scelerum conscientiam prædamnarunt: procul fugiunt, & sese abdunt, quantum possunt, ne ab ullo conspici & prodi queant. Similitudo enim sumitur a rebus humanis, & impii ac peccatoris certum denotatur exitium. Nam alioquin quod ad Dei judicium attinet, nemo sese coram ipso abdere & occultare poterit. Prodeundum est unicuique etiam ex ipsa morte & inferno, & coram tribunali Christi consistendum Rom. XIV. 10. 2 Cor. V. 10. Simili sententia dixit Christus, cum duceretur ad crucis supplicium, *si hæc fiunt in viridi, quid fiet in arido?*

Vers. 19. *Itaque qui patiuntur secundum voluntatem Dei, tanquam fideli creatori commendent animas suas in beneficentia.* Ex superioribus monitum infert ad eos, qui tanquam Christiani patiuntur.

Itaque, ὥστε καί. Nisi quis putet particulam καί peculiarem vim habere: quasi dicat, quandoquidem Dei judicio & consilio fit ut Christiani pro Christo patiantur, itaque etiam qui patiuntur &c.

Qui patiuntur. Mortes nimirum & capitis supplicia.

Secundum voluntatem Dei. Id est qui non ideo patiuntur, quod malefici sint & ab hominibus puniri sint commeriti, sed ut divinæ voluntati sese obtemperent, cui si obsecundare nollent, & Christianam pietatem deserere vellent, facile perpessionibus istis exolvi possent.

Tanquam fideli creatori. Causam infert sequentium. Particula enim *tanquam* hic causæ secundæ vim habet non similitudinis, cujus rei & supra exempla habuimus ✝. 16, & alibi. Deum designat, quem creatorem appellat, ut potentiam illius exprimat. Nam qui potuit hominem & omnia creare, poterit etiam morientium animas conservare, & consequenter mortuos in vitam revocare, & pro vita mortali immortalem iis conferre. Fidelem dicit, ut doceat eum fidei suæ commissum, & suum promissum diligenter servaturum esse. Non fallet fidem servantibus sibi fidem, eamque morte etiam sua obsignantibus.

Commendent, intellige Deo, *animas suas*. Nempe morituri, ad imitationem ipsius Christi & protomartyris Stephani. Suscipiet Deus hoc illorum depositum, neque spem ipsorum id eo reddendo frustrabitur: quasi dicat, animas pro Deo ponunt, igitur etiam animas Deo commendant.

In beneficentia, ἐν ἀγαθοποιΐᾳ. Id est cum benefaciant, non male, quod mori potius malint, quam à Christiana pietate deficere: vel *in beneficentia*, pro cum beneficentia, *in* pro cum, id est benefaciendo, malum pro malo non reddendo, non convitiando, non maledicendo & imprecando, sed benedicendo, æquo animo patiendo, adeoque etiam pro persecutoribus & interfectoribus orando, Christi ipsius & Stephani exemplo. Respicit enim Apostolus ad superiora quæ cap. 2, & III de Christianorum summa patientia & æquanimitate in afflictionibus.

CAPUT V.

Vers. 1. **S***Eniores, qui in vobis admoneo, consenior & testis Christi perpessionum & revelandæ gloriæ particeps.* Ad Seniores in ecclesiis ipsorum orationem convertit. *Seniores*, πρεσβυτέρους, id est Episcopos. Permutantur enim ista nomina inter se Tit. I. 5, 6, 7. 1 Tim. III. 2. Act. XX. 17, 28, & hoc ipso loco ✝. 2. Seniores seu presbyteri dicti, quod plerunque ætate jam maturi ad hoc munus legerentur, unde & Senatus affini nomine appellatus est.

Qui in vobis. Intellige sunt, id est qui apud vos sunt: eadem locutio habetur & ✝. 2.

Admoneo, vel rogo, παρακαλῶ, *consenior*. ὁ συμπρεσβύτερος, cum articulo emphatico, qui conseniorem singularem Apostolum designat. Quod etsi verum est, quia tamen sese in collegio Seniorum ponit, eo ipso docet se neutiquam Seniorum & Episcoporum dominum fuisse, multo vero minus cæterorum Apostolorum. Titulum autem hunc sibi tribuit, ut significet, sibi, qui etiam Senior sit, isque Apostolus, Seniores alios admonendi jus esse.

Et testis Christi perpessionum. Id est, qui cum spectator fuerim Christum illum Dei passum & mortuum, proinde & ex mortuis suscitatum esse, ad hoc testandum à Deo & ipso Christo missus sum. Nimirum Apostolum sese esse significat, & quo pacto sit singularis consenior exponit.

Et revelandæ gloriæ particeps. Nunc quidem jure, postea re & facto, id est, qui etiam ad communionem gloriæ quæ revelabitur pertineo. Designat gloriam illam piorum, quæ in adventu Christi revelabitur Rom. VIII. 18: quasi dicat, particeps sum perpessionum Christi, particeps etiam ero ejus quæ revelabitur gloriæ. Recte gloriam perpessionibus opponit, ut illius haud dubia spe patientes consoletur & erigat. Nam & Christus per suas perpessiones ad gloriam suam pervenit Luc. XXIV. 26.

Vers. 2. *Pascite eum qui in vobis gregem Dei, inspicientes non coacte, sed spontanee, neque turpis lucri studio, sed prompto animo.* Officium illorum describit. *Pascite eum qui in vobis*, intellige est. *In vobis*, id est apud vos, vestris in oris.

Gregem Dei. Pascendi metaphora omnem gregis conservandi & augendi curam designat, imprimis vero ut verbi divini pastu grex abundet. Pascere enim pastum præcipue notat. Grex Dei, respon-

dente pastoribus metaphora, ecclesiam seu, Christianos, qui Dei & Christi sunt oves.

Inspicientes, ἐπισκοποῦντες. Declarat quid sit pascere, id est diligentem curam gerentes ovium. Hinc & Episcopi dicti. Nam quorum curam diligentem habemus, ea sæpe inspicimus.

Non coacte. Id est non adhibendo vim carnalem cogendi. Neque enim Episcopi domini sunt ovium.

Sed spontanee seu *voluntarie*. Id est, sed sic ut sua sponte & voluntate omnes officium faciant, ducite gregem, non cogite. Voluntarium ac spontaneum populum Deus sub Novo Testamento requirit Psalm. cx. 3: qui ipse ultro ac sua sponte Christiani hominis officium implere non vult, vi externa & carnali adigendus non est. Christianis satis est, ut ab illo abstineant, tanquam ab ove scabiosa, ne gregem inficiat.

Neque turpis lucri studio. Id est, μὴ αἰσχροκερδῶς. Id est non ideo pascite ecclesiam, ut ex hac pastura lucrum capiatis & quæratis, quod ex officio pastoris & Episcopi quærere turpe est. Alia lucra, aliæ opes ac divitiæ pastoribus divini gregis propositæ debent esse, quam viles istæ & terrenæ. Non spectate lauta stipendia, non emungite auditores auro, argento, vestibus, quod se fecisse negat Apostolus Act. xx. 33. Tandem avaritiam in Doctoribus tangit idem Apostolus Paulus 1 Tim. vi. 5, & hic ipse Petrus 2 Petr. 2. 3, 14, 15, & Judæ ℣. 11, 16. *Sed prompto animo*. Προθύμως, animo propenso & salutis ecclesiæ unice studioso, nec tantum omnis lucri oblito, sed etiam, si sit opus, de propriis facultatibus, vel manuum suarum laboribus inserviat, cujus rei specimen & exemplum illustre præbuit Apostolus Paulus.

Vers. 3. *Neque tanquam dominantes cleris, sed exemplaria estote gregis*. Id est neque ita pascite, quasi dominaremini in cleros. Non tantum dominatum in cleros vetat, sed etiam dominatus similitudinem ac speciem, quod fieret, si ipsi non facerent quæ ecclesiæ præcipiunt. Sic enim domini solent, servis imperant, & ab illis opus exigunt, ipsi interea quiescunt.

Cleris, τῶν κλήρων. Id est sortibus. Christianos designat, quos Deus veluti sorte ex aliorum hominum numero duxit, qui perinde sunt peculiaris Dei populus. In eos igitur vel similitudinem aliquam ac speciem dominatus exercere, summum foret nefas. Hoc enim perinde esset, atque si servus in domini sui propriam sortem dominatum invaderet, eamque sibi vindicaret. Videmus Cleri appellationem omnibus Christianis esse communem, quam sibi tanquam propriam arrogarunt iidem illi, qui & dominatum in ecclesiam.

Sed exemplaria estote gregis. Γινόμενοι, per participium pro verbo præsentis temporis, ex Hebræorum idiotismo. Ipsi exemplo ecclesiæ præite rebus in omnibus, & quæ alios docetis, ipsi priores facite. Efficaciora enim sunt facta & exempla quam verba. Et namque docere debetis, quæ vos æque obligant quam ecclesiam. Iisdem cum ecclesia subestis legibus. Et vos oves estis, quamvis pastores sitis. Hinc pastores & oves genere inter se conveniunt. Tacite monet Apostolus, ne doctrinas & præcepta homi-

num proponant in ecclesiis, sed ea tantum quæ ab ipso Deo per Christum sunt ad credendum & faciendum omnibus proposita, quorum proinde executionem vel rigidius exiget Deus & Christus à Doctoribus quam ab auditoribus. Nimirum Christiani doctores Scribis & Pharisæis haudquaquam debent esse similes, de quibus Christus ipse, dicunt, inquit, & non faciunt. Ligant enim onera gravia & difficilia portatu (traditiones nimirum hominum) & imponunt humeris hominum, digito autem suo nolunt ea movere Matth. xxiii. 4.

Vers. 4. *Et cum apparuerit ille pastor princeps, reportabitis illam immarcessibilem gloriæ coronam*. Docet quid præmii sint reportaturi pastores, si eo, quo decuit modo, exerceant officium. *Et cum apparuerit*, nempe in suo adventu ad judicium omnium vivorum & mortuorum cap. iv. 5.

Ille pastor princeps. Titulo hoc decoravit Christum, ut ecclesiæ pastores Christo peculiari ratione pastorum munere & nomine associatos esse ostenderet, & sic alacriores ad illud obeundum redderet. Pastorem enim etiam Christus egit & agit ecclesiæ cap. 2. ℣. 25. Sed Christus est Ἀρχιποίμην, id est, non tantum primus & præcipuus in ordine pastor, sed etiam Dominus pastorum omnium, ac pastor pastorum. Vide titulum hunc ab ipso Petro tribui soli Christo. Petrus igitur nihil minus cogitavit & fecit, quam ut se principem scilicet pastorem pastorum ferret. Satis habuit se unum ex seniorum collegio, eumque Apostolico munere insignem esse, & ad cælestis gloriæ societatem una cum cæteris omnibus pertinere. Quanto vero minus credibile est, ut Petro defuncto Linus aliquis, vel Cletus, qui ei in Romanæ ecclesiæ Episcopatu successisse dicitur, Joannis Apostoli, quem Petro supervixisse satis constare videtur, principem vel pastorem ageret.

Reportabitis illam immarcessibilem gloriæ coronam. Id est coronam quæ gloriæ est, per genitivum differentiæ vel speciei. Sumit autem similitudinem à coronis quæ victoribus dari solebant. Ideo & immarcessibilem dicit, ut eam coronis illis ex lauri vel oleæ foliis confectis opponeret, quæ sicut ipsæ mox emarcescebant, sic gloriæ & honoris brevi perituri insignia erant. At gloria illa cælestis æterna est, qua pastor ille princeps, cum venerit, pastores ovium suarum, munere suo rite fungentes coronabit. Hanc coronam unice spectare debent omnes pastores, ad hanc totis viribus contendere. Etsi vero quilibet Christianorum etiam, qui vicerit, coronam gloriæ sit accepturus, peculiaris tamen gloriæ corona manet eos, qui non tantum ipsi Christiane & sancte vixerunt, sed alios etiam ad sanctitatem erudierunt, id est, non tantum oves, sed etiam ovium pastores extiterunt Dan. xii. 3. Habent igitur quo solentur se ecclesiarum seniores, & cum præ cæteris impetantur probris ac contumeliis, ad hanc gloriæ coronam animum & cogitationem semper referant.

Vers. 5. *Similiter juniores subjiciamini senioribus. Omnes autem alii aliis subjecti humilitate exornamini: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Junioribus etiam, quod ipsorum est officii, præscribit. *Similiter*, intellige, officium vestrum facite.

Juniores.

Juniores. Id est auditores, quos opposito senioribus nomine juniores appellat, non tam ætatis quam ordinis respectu.

Subjiciamini senioribus. Officium exprimit juniorum, ut sese senioribus subjiciant, id est, eorum doctrinæ, monitis ac præceptis libenter obtemperent, cum sciant seniores ea tantum docere, monere ac præcipere, quæ à Deo & Christo acceperunt, nec suo sed Dei & Christi nomine junioribus præesse, idque sic ut ipsimet etiam faciant, quæ aliis facienda proponunt.

Omnes autem alii aliis subjecti. Ὑποτασσόμενοι, per participium passivum præsentis temporis, quo Latini carent, id est vosmet subjicientes: quasi dicat, cum autem præcipio ut juniores subjiciantur senioribus, ita hoc intelligi volo, ut nihilominus omnes alii aliis subjiciamini. *Omnes*, etiam seniores, *alii aliis* & junioribus recta monentibus. Sic Petrus ipse subjicit sese Paulo, cum ab ipso publice, idque merito, reprehenderetur Gal. 2. 14. Senioribus quidem peculiariter à junioribus debetur subjectio ex peculiari officio, sed ita tamen, ut cuilibet in ecclesia jus fasque sit quemlibet meliora admonere, & ut quisque teneatur meliora monentibus sese subjicere, illisque parere. Hinc videmus summam libertatis Christianæ æqualitatem in ecclesia esse, neque ul'a ecclesiastica munera, ullum libertati præjudicium ac detrimentum afferre. Videmus in eccle'ia nullum esse ἀνυπεύθυνον Papam, solam veritatem & justitiam regnum in ecclesia obtinere.

Humilitate exornamini. Recte post subjectionis præceptum humilitatis admonet, quia ad subjectionem unice necessaria est. An enim se quisque etiam senior juniori subjiciat, nisi humilitate præditus sit? Humilitas, ταπεινοφροσύνη animi demissionem significat, qua quis alta & sublimia non spectat, honores non ambit, nec ut aliis præferatur quærit, vanam laudem & gloriam non affectat, modeste agit, omnibus honore decedit, non ipse se effert, nec se contemni ac dispici indigne fert. Ingens virtus, & vere magni & excelsi animi.

Exornamini. Ἐγκομβώσασθε, à nomine κόμβωμα, quod ornamentum vestitus significat. Solent superbi vestimentis sese exornare. Apostolus pro exteriore vestitus ornamento internum Christianis præcipit, ut scilicet animum humilitatis vestitu exornent. Ornantur Episcopi gravi ac muneri suo convenienti vestitu, quique ipsis reverentiam quandam concilet, sed nisi simul & animi humilitatem induerint, externo corporis vestitu ad superbiam & contemptum aliorum abutentur. Juniores quoque splendor & luxus vestium delectat, manifesto argumento, animos illorum humilitate haudquaquam vestitos & exornatos esse.

Quia Deus est. Rationem præcepti addit à maximo detrimento contrarii vitii, & à maximo fructu humilitatis. Superbi sunt qui ipsimet sese supra alios extollunt. Sic enim & Christus ipse dictum hoc explicat, qui sese extollit, inquit, humiliabitur, qui vero se humiliat, extolletur Luc. XIV. II. Hinc in vestitu luxuriosi merito pro superbis habentur. Quorsum enim hic luxus, nisi sese cæteris eminentiores & conspectiores faciant, aut saltem aliis nihilo videantur inferiores? Superbi quia sunt vani, ipsi sua vanitate attolluntur. Non cogitant se miseros mortales esse, non vident quantum sibi desit ad id ut præstent cæteris, & quam hoc ipsum stultum sit & inane semetipsum aliis anteferre? Hoc & illi faciunt, qui rectiora monentibus sese non subjiciunt. Istis igitur Deus ipse resistit. Resistunt quidem illis & homines, oderunt superbos, nec facile patiuntur ut sese cæteris anteferant. Sed Deum imprimis adversarium habent, qui, si homines nequeant, ipse superbos haud dubie deprimit, & ex sublimi in præceps agit.

Humilibus autem. Id est iis qui se ipsos humiliant, nemini anteponunt, omnibus postponunt.

Dat gratiam. Id est varia confert dona ac munera, ut eos subinde magis magisque evehat & extollat. *Gratiam*, per metonymiam causæ ponit pro gratiæ divinæ effectis.

Vers. 6. *Humiliamini igitur sub potentem manum Dei, ut vos exaltet in tempore*. Repetit & infert ex superioribus præceptum humilitatis. *Igitur*: quasi dicat, quandoquidem Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam.

Ideo humiliamini. Id est vosmetipsos quammaxime demittite, infra omnes ponite & minimos ducite, quemvis hominem vobis honore præferte, proinde cuilibet vera monenti vosmet subjicite, nihil vobis veri honoris decedet, si quemvis honore præveneritis, & rectiora monenti vosmet subjeceritis.

Sub potentem manum Dei. Significat Dei manum esse potentem & invictam in deprimendis & contendendis superbis, frustraque superbos cum Deo in certamen descendere. Quanto enim illi magis sese attollere volent, tanto magis a Deo deprimentur. Monet igitur ne se adversum Dei manum erigant & attol'ant, sed sub illam sese humilient quammaxime, & in terram usque abjiciant. Causam tacite insinuat, ob quam nosmet humiliare debeamus, significans Dei manum potentes semet attollentes haud dubie depressuram. Deo tribuit manum, per metaphoram ab hominibus præsertim, Regibus & Monarchis, quorum manus dicitur esse potens, sed Dei manus vere potens & robusta est, cui nulla vis nullum robur potest resistere.

Ut vos exaltet. Id est ut vobis det gratiam. Deus enim homines exaltat, cum eos multiplicibus gratiæ suæ donis & muneribus cumulat, maxime vero, cum eos regni sui hæredes facit. Significat eandem Dei manum sicut in deprimendis superbis potentem & invictam esse, sic non minus in extollendis humilibus. Ita docet, eos, si semetipsos humilient, non tantum à Dei potenti manu depressum non iri, sed etiam exaltatum iri.

In tempore. Docet Deo sua esse tempora, quibus quanque rem facit, quibus & superbos humiliat, & humiles exaltat. Nostrum esse tempus hoc patienter exspectare, & neque superborum prosperitate neque humilium afflictione quicquam moveri. Veniet tempus, & brevi aderit, cum superbi à Deo deprimentur & humiles extollentur. Occurrit Apostolus objectioni, ne quis dicat, humiles nihilominus apud homines despectui esse. Non semper sic erit,

erit, respondet Apostolus, tempus exaltationi eorum à Deo destinatum exspectandum est.

Vers. 7. *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quia illi cura est de vobis.* Docet quid interea faciendum sit humilibus & afflictis. *Omnem solicitudinem vestram*, id est in necessitatibus constituti, in quibus nullum consilium nec remedium invenitis, exolvite vos omni solicitudine ac cura, Deo rem committite, ipsi interea Deo confisi læto animo agite. Nam qui hoc facit, in Deum veluti curam & solicitudinem omnem conjicit.

Conjicientes. Ἐπιῤῥίψαντες, participium præteriti temporis activum, id est projecta in ipsum, nempe Deum, omni cura, quod fit precibus & certa in Deum fiducia, qui modum inveniet nos servandi, & ex omnibus difficultatibus expediendi, etiam ex ipsa morte ad vitam reducendi.

Quia illi cura est de vobis. Causam istius moniti & præcepti affert, quia Deus de vobis curam habet. Non negligit vos Deus resque vestras. Ideo non est ut unquam anxii, trepidi, & soliciti sitis. Magnum vestri curatorem habetis Deum, qui vestri curam gerit, non tantum tanquam creator suarum creaturarum, sed etiam tanquam Pater optimus suorum filiorum. Vestri, inquit Christus, etiam pili capitis numerati sunt: quasi dicat, passerculorum quidem (à quibus isthic exemplum sumit) capita numeravit Deus; at vestrorum non capita tantum, sed pilos etiam in cujusque capite numeratos habet. Si igitur liberi parentum suorum fiducia, læti & soluti curis agunt, quanto magis nos idem facere decet, tantum parentem sortitos, in cujus manu sunt omnia, & qui ipsa bonitas & charitas est?

De vobis. Nimirum in Jesum credentibus, & per fidem hanc filiis suis à se genitis ac regenitis.

Vers. 8. *Sobrii estote & vigilate: quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens ambulans, quærens quem devoret.* Ad sobrietatem & vigilantiam eos adhortatur, ne scilicet ita in Deum omnem curam conjiciant, ut ipsi interea crapulæ & somno indulgeant.

Sobrii estote. Nunquam cibo & potu onerati.

Vigilate. Nec somni nimii, sed semper ad salutem vestram attenti & precibus intenti. Sobrietas multum ad vigilantiam facit, utraque ad conservationem salutis.

Quia adversarius. Causam affert utriusque virtutis: qui adversarium habet sibi perpetuo insidiantem & imminentem, sobrius & vigilans esse debet. Alioqui nullo negocio præda fiet inimici. At nulli graviorem & tetriorem adversarium habent quam Christiani. *Adversarius vester*, vestrorum præcipue Christianorum.

Diabolus. Nominat hunc adversarium, spiritum illum & Angelum immundum cum suis Angelis, qui saluti Christianorum totis viribus adversatur, ægerrime ferens Christianos ad cælestem beatitudinem vocatos esse, & contendere, ex qua ille ob peccatum pulsus est.

Tanquam leo rugiens ambulat. Exprimit quo pacto adversetur Christianis, sumpta similitudine a rugiente leone, qui rugire solet, cum fame & esurie premitur, & tum maxime fame stimulante sævus est, eadem fames ipsi & esuries causa est ambulandi, quærit enim ambulando prædam quam devoret, & rabidam famem exsatiet. Nihil leone inter feras horribilius est, sed Diabolus omnibus leonibus multo horribilior & horridior, nec minus nostræ saluti inhiat quam leo esuriens prædæ.

Ambulat. Per metaphoram convenienter leoni. Nam Diabolus spiritus est, momento adest, ubicunque vult, ambulatione non indiget. Neque enim corporea gravatur mole.

Quærens quem, nempe ex Christianis, *devoret.* Et hoc convenienter leoni prædam devoranti. Diabolus autem devorat, cum aliquem vita & imprimis æterna privat. Quærit nimirum quem terrore calamitatum & mortis à fide in Christum & Christiana pietate abducat, & sic vita æterna privet, vel si hoc efficere non possit, vitam hanc præsentem illi saltem eripiat. Est igitur in tanto periculo maxima causa perpetuæ sobrietatis & vigilantiæ, ad procurandam sanctis cogitationibus & actionibus & orationibus salutem.

Vers. 9. *Cui resistite firmi fide, scientes eadem perpessionum in mundo vestræ fraternitati perfici.* Monet ut huic adversario resistamus. *Cui resistite:* quasi dicat, non est quod vos terreat, vincetis illum & fugabitis. Resistite tantum illi, nimirum non patiendo vos à fide in Christum & ulla Christianæ pietatis parte abduci.

Firmi fide. Docet quanam re firmari debeamus ad resistendum huic adversario: *fide* nimirum seu per fidem, fidem intelligit in Deum per Jesum, qua certi simus, fore ut nos Deus per Jesum etiam ex ipsa morte eripiat ac servet in vitam æternam. Si Deo & Christo constanter adhæserimus, maluerimusque etiam occidi potius, quam Christianæ pietatis officium ulla in parte deserere. Qui hanc fidem habet (habet autem, & habere debet omnis qui Jesum credit esse mortuum & ex mortuis suscitatum & Dominum ac Regem cælestem effectum cap. 1. 21, & 111. 21, 22,) huic tanta firmitas ac robur inest, ut Diabolo resistere eumque vincere possit. Vel si quis malit verbis *firmi fide*, στερεοὶ τῇ πίστει modum exprimi ab Apostolo, quo resistere debeamus Diabolo, nimirum ut firmi & inconcussi simus fide, id est in fide semel in Deum propter Christum suscepta. Id enim agit Diabolus, ut fidem nostram quatiat & concutiat, quam si quati & concuti non patimur, Diabolo resistimus, non minus quam rupes mediis in fluctibus, qui saxo illisi franguntur, ipsi non frangunt rupem. Prior ille sensus medium resistendi tradit, hic posterior modum, cui nomen στερεοὶ magis favere videtur, quod res non tam viribus quam soliditate & stabilitate firmas designat, & apte verbo ἀντίστητε resistite respondet.

Scientes. Εἰδότες, participium præteriti temporis, id est cognito, seu quandoquidem cognovistis.

Eadem perpessionum. Id est easdem genere perpessiones, & propter eandem causam, nempe propter Christianam fidem ac pietatem.

In mundo. Id est, in aliis omnibus mundi locis seu inter alias omnes Gentes.

Vestra fraternitati perfici. Id est à vestra fraternitate. Fraternitatem posuit pro fratribus, abstractum

pro

pro concreto. Sic cap. 2. 17. Intelligit autem fratres in Chriſto, quamvis non omnes ex Judæis, ſed complures ex Gentibus profanis collectos, quod eaſdem genere perpeſſiones perficiebant, quatenus in illis conſtantes erant, & ad extremum finem perdurabant, eaſque perducebant. Exemplo univerſæ fraternitatis in variis mundi locis ipſis optime noto, hortatur eos ad ſimilem conſtantiam in perpeſſionibus pro Chriſto: quaſi dicat, non ſoli eſtis qui pro Chriſto patimini. Univerſa veſtra fraternitas im mundo eadem patitur, idque conſtanter. Nolite cæteris omnibus cedere conſtantia. Fratres eſtis pluſquam germani, eoſdem etiam animos gerite, eadem agite virtute. An cum univerſi fratres in mundo ſub Chriſti cruce laborant, vos ſoli velitis eſſe exempti? & cum ad ſocietatem Chriſti gloriæ adſpiretis, ſocietatem crucis Chriſti defugiatis?

Verſ. 10. *Deus autem omnis gratiæ qui vocavit nos ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu parum paſſos, ipſe perficiet vos, confirmet ac roboret, fundet.* Finit admonitionem hanc ſimulque & Epiſtolam voto: quippe qui ſciret Dei auxilio in omnibus, præſertim in conſtanti perpeſſione, propter Chriſtum maxime opus eſſe.

Deus autem omnis gratiæ. Quaſi dicat, ego quidem vos exhortor & admoneo, nec vobis, ut arbitror, voluntas & conatus deeſt. *Deus autem omnis gratiæ*, id eſt qui omnem gratiam, favorem, amorem, bonitatem, clementiam, miſericordiam in ſe habet, proinde haud dubie votis & orationibus noſtris annuet.

Qui vocavit nos ad æternam ſuam gloriam. Ex effectu oſtendit, ipſum eſſe Deum omnis gratiæ. Vere enim omnis gratiæ Deus eſt, qui mortales homines, eoſque peccatores vocat ad æternam ſuam gloriam, id eſt ad regnum ſuum & regni ſui beatitatem ſempiternam. *Gloria*, id eſt ſplendor, magnificentia, per metonymiam adjuncti. Vel per ſynecdochen partis, ponitur pro beatitate cæleſti & divina.

In Chriſto Jeſu. Id eſt per Chriſtum Jeſum, qui vocationem hanc & ipſe per ſeperegit, & in cælos evectus per ſuos peragebat Apoſtolos & miniſtros.

Parum paſſos. Vult quidem ut prius patiamur, antequam ad gloriam ſuam perveniamus, habet iſtius ſui conſilii ſapientiſſimas cauſas, ſed quantillum hoc eſt quod patimur & pati poſſumus ab hominibus, cum Dei gloria ſempiterna comparatum. Nimirum ut alter Apoſtolus loquitur, *momentanea levitas afflictionis noſtræ excellenter excellens æternum pondus gloriæ conficit nobis* 2 Cor. IV. 17. An igitur ut æternam gloriam & regnum cæleſte conſequamur, ut æternis & veris potiamur voluptatibus, levem & momentaneam afflictionem perpeti recuſabimus. Hoc ne Epicurus quidem ipſe recuſaverit.

Ipſe. Pro eadem illa ſua munifica gratia & bonitate.

Perficiat vos. Nempe reſpectu fidei & pietatis Chriſtianæ, quam ſicut in vobis inchoavit & operatur, ſic eandem & perficiat ac conſummet.

Confirmet. Id eſt animos vobis addat.

Roboret. Addat & robur ac vires.

Fundet. Immotos vos faciat, per metaphoram a fundamentis quæ debent eſſe immota, immotos nimirum in fide & pietate Chriſtiana malorumque tolerantia.

Verſ. 11. *Ipſi gloria & robur in ſecula ſeculorum. Amen.* Voto δοξολογίαν adjungit eandem quam ſupra cap. IV. 11, quam ibi vide.

Verſ. 12. *Per Sylvanum vobis fidelem fratrem, ut puto, perpauca ſcripſi, admonens & obteſtans hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtetiſtis.* Significat per quem Epiſtolam hanc ſcripſerit. Per Sylvanum, eundem, credo, cujus & Paulus in utraque ad Theſſalonicenſes Epiſtola nomen una cum ſuo præſcribit, & in Epiſtola poſteriore ad Corinthios cap. 1. ỹſ. 19 mentionem facit. Sunt qui putent hunc eſſe Silam, cujus ſit mentio in Actis cap. XV. 22, 27, 32, 40. XVI. 19, 25, 29 &c, contracto Sylvani nomine, ut ſit in multis aliis.

Vobis. Pronomen hoc non refertur ad proxime ſequentia nomina, ſed ad remotius verbum *ſcripſi*.

Fidelem fratrem. Nempe tam meus quam veſtrûm in Chriſto. *Fidelem*, id eſt non falſum, ſed fidei ſimul erga nos tanquam fratres, ſimul erga Chriſtum tanquam Dominum ſervantem, proinde nec Epiſtolam hanc ſuppreſſurum, nec in ea vobis reddenda negligentem futurum, nec quicquam immutaturum eſſe.

Ut puto. Hoc addit, quia de animo ac fidelitate pronunciat, quæ quia homini ipſa per ſe non patet, idcirco per externa ſigna & effecta putatione colligitur. Apparet tamen hinc Sylvanum non tam familiarem fuiſſe Petro quam Paulo. Alioquin enim videtur Petrus abſolute de fidelitate ejus toties experta & cognita pronunciaturus fuiſſe.

Perpauca. Id eſt paucis, intellige verbis, per ellypſin.

Scripſi. Nempe hanc Epiſtolam, quæ ſatis brevis, & in qua non multis quidem ſcripſit Apoſtolus, ſed multa.

Admonens & obteſtans. Summatim exprimit quid hac ſcriptione agat.

Hanc eſſe veram gratiam Dei. Id eſt, hunc eſſe nuncium & doctrinam de vera Dei gratia, per metonymiam ſubjecti pro adjuncto, & ſimul cauſæ pro effecto, quatenus gratia Dei ponitur pro effectis gratiæ divinæ, quod ſcilicet Chriſtum Filium ſuum miſerit, quod eum dederit in mortem pro peccatis noſtris, quod eum ſuſcitaverit ex mortuis, & Dominum ac Chriſtum fecerit propter juſtificationem noſtri, quod omnibus in ipſum credentibus juſtitia imputetur, & vita æterna detur, ob hanc fidem per charitatem efficacem ſine Legis operibus. Quæ omnia *veram Dei gratiam* vocat, id eſt vera Dei gratiæ effecta, tacite Euangelium opponens legi, quæ gratiæ iſtius umbra quædam & imago fuit Hebr. X. 1. Chriſtus cum Joanne Baptiſta comparatus dicitur lux vera Joh. 1. 9. Nimirum ut Joannes Apoſtolus loquitur, Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum facta eſt Joh. 1. 7. Eadem phraſi & metonymia Paulus Euangelium Chriſti dicit eſſe potentiam Dei, id eſt nuncium de potente Dei facto & opere, quod Jeſum ſuſcitaverit ex mortuis, & Dominum ac Chriſtum effecerit Rom. 1. 16.

In qua ſtetiſtis. Pro in qua ſtatis, præteritum pro præſenti

præſenti, Hebræa phraſi, id eſt cui creditis. Conſtanter adhærere Euangelio Jeſu Chriſti, admonitioni & obteſtationi meæ conformiter, neque vos unquam pœniteat Legem permutaſſe Euangelio. Nam pro umbra & imagine gratiæ divinæ amplexi eſtis veram ac Solidam Dei gratiam.

Verſ. 13. *Salutat vos quæ in Babylone ſimul electa, & Marcus filius meus.* Salutem ipſis adſcribit, & ab eccleſia cui tum præerat, & nominatim à Marco filio ſuo. *Salutat vos*, id eſt ſalutem vobis precatur.

Quæ in Babylone ſimul electa, *συνεκλεκτή*. Nempe vobiſcum ad ſalutem propter fidem in Jeſum à Deo electa. Intellige eccleſia, *quæ in Babylone*, ſcilicet eſt, magno electis iſtis, ad quos ſcribebat, ſolatio, quod etiam in Babylone eſſet eccleſia Chriſtiana. Sunt qui Romam deſignari putant, ſed nulla cauſa eſt ut pro Roma Babylonem dicere putetur Apoſtolus, præſertim cum aperte nomen ſuum Epiſtolæ præſcribat.

Et Marcus filius meus. Videtur intelligere filium ſuum proprie dictum, niſi jam illis conſtiterit in hac appellatione ad ſolum ſpiritum reſpici.

Verſ. 14. *Salutate alii alios in oſculo charitatis. Pax vobis omnibus qui in Chriſto Jeſu. Amen.* Tandem & ipſe unumquemque nomine ſuo ſalutari poſtulat. *Salutate alii alios.* Intellige meo nomine. Ipſoſmet ad ſalutandi officium adhibet, ne ſe quiſquam inſalutatum queratur.

In oſculo. Id eſt per oſculum ſeu oſculo adhibito, ut tum moris erat.

Charitatis. Id eſt, ex charitate profecto & charitatis indice, per genitivum cauſæ & ſigni.

Pax vobis omnibus. Intellige ſit. Ipſe Apoſtolus omnibus in commune pacem precatur, id eſt veram felicitatem, more Hebræo.

Qui in Chriſto Jeſu. Intellige eſtis. Deſcribit & deſignat iſtos omnes quibus pacem optat. *Vobis*, inquit, *omnibus qui in Chriſto Jeſu*, per fidem inſerti eſtis.

Amen. Firmat & finit votum ſuum conſueta voce, qua in fine votorum addita, verum, id eſt firmum ac ratum eſſe cupimus quod vovemus.

Laus Deo Opt. Maximo.

COM-

COMMENTARIUS
IN
poſteriorem Epiſtolam
APOSTOLI
PETRI.

CAPUT I.

Verſ. 1. *Simon Petrus ſervus & Apoſtolus Jeſu Chriſti, iis qui æque pretioſam nobis ſortiti ſunt fidem in juſtitia Dei noſtri & Servatoris Jeſu.* Præſcribit Epiſtolæ nomen ſuum.

Simeon, nomen proprium. *Petrus*, nomen a Chriſto inditum, quod multo magis quam Simeonis illi factum eſt proprium, qua de re vide 1 Petr. 1. 1.

Servus. Quatenus Chriſtianus, Chriſtiani enim omnes ſervi ſunt Jeſu.

Et Apoſtolus. Muneris ſui reſpectu, vide 1 Petr. 1. 1.

Jeſu. Nempe & ſervus & Apoſtolus.

Iis qui æque pretioſam nobis ſortiti ſunt fidem. Deſcribit eos quibus Epiſtolam hanc inſcribit, omnibus nimirum Chriſtianis. Ideo hæc Epiſtola vere Catholica dicitur.

Æque pretioſam fidem. Quia eandem in Jeſum fidem, quæ pretioſa dicitur, quia juſtitiæ imputatione & regni cæleſtis hæreditati immenſis bonis à Deo æſtimatur.

Nobis. Ἡμῖν pro σὺν ἡμῖν, id eſt nobiſcum, per ellypſin, Apoſtolos intellige, & alios qui primi in Jeſum crediderant.

Sortiti ſunt. Id eſt adepti ſunt, per metaphoram ab iis quibus ſortitione obvenit aliqua hæreditas.

In juſtitia Dei noſtri. Id eſt, per juſtitiam Dei noſtri, bonitatem intelligit, clementiam, miſericordiam, conſueta Scripturæ phraſi.

Dei noſtri. Quia & creatoris noſtri.

Et Servatoris Jeſu Chriſti. Quia nos morte ſua ſervavit, factus pro nobis & peccatis noſtris victima, & ex mortuis ſuſcitatus poteſtatem accepit nos ſervandi, & in vitam æternam aſſerendi. Dei igitur & noſtri & Servatoris Jeſu bonitate, clementia, miſericordia factum eſt, ut vos totque alii eandem nobiſcum ſortirentur fidem, qui effecit ut omnibus Euangelium prædicaretur cum efficaciſſimis credendi cauſſis. Fides enim eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei Rom. x. 17. Sunt qui putent Jeſum hic & Deum noſtrum & Servatorem dici, ideo quod novus articulus non præfigatur vocibus *Servatoris Jeſu.* Rem magnam concludunt ex levi conjectura: quaſi vero hoc neceſſarium ſit, ubi aperta eſt rerum diſtinctio, & quaſi compluribus exemplis argumentum hoc redargui non poſſit, etiam ex ſequente commate, ut mox videbimus. Et cum ubique vox Dei abſolute poſita nunquam Jeſum ſed Patrem Jeſu deſignet, quid cauſæ eſt ut non etiam hic eandem ſignificationem retinere cenſenda ſit? Neque uſquam Jeſus Deus noſter & Servator conjunctim appellatus legitur.

Verſ. 2. *Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei & Jeſu Domini noſtri.* Salutationem ac votum præmittit iiſdem, quibus in priore Epiſtola verbis conceptum cap. 1. 2, niſi quod hic addat, *in cognitione Dei* &c. Quibus verbis medium exprimit per quod hominibus gratia & pax à Deo & Jeſu Domino noſtro multiplicatur: id vero cognitio Dei & Jeſu Domini noſtri: quod medium quia iſti adepti erant ℣ſ. 1, idcirco iis etiam per hoc medium gratiæ & pacis precatur multiplicationem.

In cognitione. Id eſt per cognitionem, *in* pro per. Cognitio Dei conſiſtit in cognitione, Deum eſſe qui omnia crearit, & omnium abſolutus Dominus ſit, æternus, ſapiens, potens, bonus, beatus, remunerator omnium qui ipſum quærunt, & impietatis & malitiæ ſeverus vindex: ſeu ut brevius loquar, in cognitione eorum omnium quæ à nobis credi & fieri vult. Ex qua cognitione oritur obedientia erga Deum, ex obedientia gratiæ & pacis divinæ multiplicatio.

Et Jeſu. Deo adjungit Jeſum. Quia is perfectam

Dei cognitionem docuit, quippe à Deo hunc in finem ad homines missus. Imitatur ipsius Jesu verba Petrus, à Joanne cap. XVII. 3 prodita. Cognoscitur autem Jesus, cum doctrina ejus cognoscitur.

Domini nostri. Hunc titulum apponit, ut tanto magis causam exprimat cur Jesus cognosci debeat, quia scilicet noster Dominus est à Deo factus, idemque hic titulus valet, quod titulus Christi, qui unctum significat, nimirum Dei, hoc est Regem ac Dominum populi Divini à Deo factum Act. 2. 36. Hic videmus Jesum à Deo distingui, quamvis nomini Jesu peculiaris non præfigatur articulus.

Vers. 3. *Sicut omnia nobis divina potentia ipsius quæ ad vitam & pietatem donavit per cognitionem ejus qui vocavit nos per gloriam & virtutem.* Ostendit se merito illis gratiæ & pacis multiplicationem per cognitionem Dei & Jesu Domini nostri precari. *Sicut* ὡς hoc loco significationem habet causæ, cujus exempla sunt obvia, idemque hic valet particulæ.

Quandoquidem. Quasi dicat, quandoquidem omnia nobis Deus per cognitionem sui donavit, quæ nos vere pios & Deo acceptos possint efficere. Vel si propriæ significationi voculæ, *sicut* insistendum est, sensus erit, sic vobis gratia & pax multiplicetur, sicut omnia vobis Deus donavit per sui cognitionem ad vitam piam spectantia.

Omnia nobis. Nempe Christianis, proinde & vobis qui Christiani estis. Mutat personam secundam in primam.

Divina potentia ipsius. Id est, Deus per suam divinam potentiam. Adjuncto tribuit quod proprie subjecto competit.

Quæ ad vitam & pietatem. Intellige pertinent, ellypsi Græcis usitata, quæ ad vitam piam pertinent, ὦ ἰδίᾳ δόξῃ, donavit, id est, ex mera gratia sua scire & habere fecit. Δεδωρημένης, nempe τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ, per participium verbi medii, quod hoc loco significationem habet activi.

Per cognitionem ejus. Medium exprimit per quod Deus omnia nobis donavit quæ ad vitam piam pertinent.

Id vero est cognitio ejus, *qui vocavit nos.* Id est per cognitionem sui. Deum enim Apostolus hac descriptione designat, antecedens ponit pro relativo, more Hebræo. *Vocavit nos*, nempe peccatores miseros ad pœnitentiam ac vitam piam: vocavit autem vocatione divinissima & efficacissima.

Per gloriam ac virtutem. Id est per gloriosissimam virtutem, nempe iterum ὦ ἰδίᾳ δόξῃ. Ipsius virtus gloriosissima eum impulit ut nos vocaret. Intelligit autem Dei justitiam, quam dixit ℣. 1 Dei bonitatem, clementiam, misericordiam, omni laude; gloria, deprædicatione dignissimam. Sic & priore Epistola Deo virtutes tribuit, nosque populum acquisitum dicit, ut virtutes deprædicemus ejus, qui nos ex tenebris vocavit in admirabilem suam lucem, Dei virtutibus nostri vocationem similiter tribuens 1 Petr. 2. 9.

Vers. 4. *Per quæ maxima nobis & preciosa promissa donavit, ut per hæc fiatis divinæ participes naturæ, aufugientes ab illa, quæ in mundo in cupiditate, corruptione.* Docet quid imprimis Deus nostri causa fecerit, ut nos ad vitam piam adduceret.

Per quæ. Nempe per gloriam & virtutem, nexu periodorum Petro familiari, per pronomina relativa. In plurativo loquitur de re una, quia eam duobus nominibus substantivis expressit.

Maxima nobis & preciosa promissa donavit. Gloriosa virtus ejus effecit, ut nobis maxima & preciosa donaret promissa, id est ut nobis miseris mortalibus, nec ullo nostro merito, imo exitium commeritis æternam promitteret vitam, & regni sui cælestis hæreditatem, qua nihil majus, nihil preciosius est.

Donavit. Nempe is qui vocavit nos, hoc est Deus. Δεδώρηται, præteritum perfectum medium significationis hoc loco activæ. Idem est sensus, quamvis in passiva sumatur significatione, *donata sunt*, nempe ab eo qui nos vocavit.

Ut per hæc fiatis. Docet quo fine ista promissa nobis donaverit Deus. *Ut per hæc*, nempe promissa, id est illorum vi & efficacia,

Fiatis divinæ participes naturæ. Vel immortales natura sicut Deus, vel sancti & justi sicut Deus. Nam & sanctitas ac justitia ad Dei naturam pertinet. Proinde qui sancti & justi fiunt, hactenus & divinæ naturæ communicant, Deo quam hominibus similiores. In priore effectu producendo vis & efficacia promissorum divinorum in Deum agit, qui se promissis suis ad dandam nobis immortalitatem obstrinxit, in posteriori agit in nos, quod eorum amore ac desiderio inflammati rapimur ad omnem sanctitatem ac justitiam.

Aufugientes ab ea &c. Docet quid nobis faciendum sit divinorum promissorum vi & efficacia, ut divinæ fiamus participes naturæ. *Aufugientes* ἀποφυγόντες, participium præteriti temporis, postquam aufugerimus. Vitia enim effugere oportet, ut divinæ communicemus naturæ.

Ab ea quæ in mundo. Intellige est, homines intelligit, præcipuam mundi partem, per synecdochen totius pro parte: *in mundo*, id est in hominibus. Omnes enim homines corruptis agunt moribus, iis tantum exceptis qui divinæ vocationi parent.

In cupiditate. Id est per cupiditatem. Causam infert tantæ corruptionis hominum, cupiditatem rerum delectabilium & utilium absque respectu recti & honesti, quo sine nil vere delectabile ac jucundum, nil vere utile & salutare est.

Corruptione. Id est moribus & actionibus corruptis, in quibus est nullus virtutis respectus. Merito aufugiendi verbo utitur Apostolus. Nam in omnium universali corruptione, nisi animo & contentione quam citissime & longissime fugias, eodem corruptionis diluvio haurieris. Eodem verbo eadem de re utitur & infra cap. 2. 20. Deus virtuti cælestia constituit præmia, ut ad ea cupiditatem hominum converteret, & a cupiditate subdolæ voluptatis & utilitatis quam vitia pollicentur averteret. Ipsa enim virtus nativa sua pulchritudine & decore, nisi cælestibus insuper commendetur bonis ac præmiis, vitiorum promptam ac præsentem jucunditatem & utilitatem, sua vero præsentia incommoda & adversa exsuperare sæpe non potest. Sed si ad virtutis decus accedant æterna præmia, ad vitii turpitudinem æterna damna ac mala, tum demum virtus vitiorum nullo negocio victrix de iis triumphat.

Vers.

Verſ. 5. *Et in ipſum hoc autem ſtudium omne conferentes ſuppeditate in fide veſtra virtutem, in virtute autem cognitionem.* Monet, ne cum Deus omnia ſua ex parte fecerit, ad nos à vitiis avocandos, & ad vitam piam adducendos, divinæque ſuæ naturæ participes reddendos, nobis ipſis ſtudio & diligentia deſimus.

Et in ipſum hoc autem. Particula *&*, quia ſequitur particula δὲ, *autem*, ex Hebraiſmo hic redundat. Sic Joan. VI. 51. 1 Joan. 1. 3, & alibi. *In ipſum hoc*, nempe ut relicta mundi corruptela divinæ fiatis participes naturæ. Græcus textus habet καὶ αὐτὸ τοῦτο, ſed particula εἰς, *in* petenda eſt ex ſequenti participio παρεισενέγκαντες, vel per ellypſin intelligenda *autem*, ne quis exiſtimet ſine ſtudio noſtro & maxima cura rem hanc confici poſſe.

Studium omne. Quicquid in vobis ſtudii, diligentiæ, virium & contentionis eſt. Non qualecunque ſtudium & curam, ſed omnem. Cavete ne quid in ſtudio veſtro deſit.

Conferentes. Παρεισενέγκαντες, participium præteriti temporis, id eſt omni ſtudio collato. Monitum hoc Apoſtoli tollit iſtorum dogma, qui nullum hominibus arbitrium, nullam actionem in ſalutis negocio relinquunt, id eſt omnem virtutem tollunt, omne vitium excuſant. Quaſi arbitrium ſeu libertas bene agendi & male non agendi, non æque Dei donum ſit, præſertim Deo voluntatem maximis promiſſis provocante, & minis à male agendo revocante & deterrente. Cur enim nos hortaretur Apoſtolus, ut omne ſtudium conferremus ad conſervationem juſtitiæ & fugam vitiorum, ſi hoc noſtræ libertatis ac poteſtatis non eſſet, poſtquam ad Dei & Chriſti cognitionem pervenimus.

Suppeditate in fide veſtra. Docet quid omni ſtudio ad id quod dixit collato facere, ſeu quæ alia ſuper alia cumulare & ſuppeditare debeamus, ut divinæ cognitionis fructum & tantarum promiſſionum effectum adipiſcamur. *Suppeditate*, ἐπιχορηγήσατε, per metaphoram à rebus corporeis ad animi opes & divitias, id eſt aggerite, cumulate, non aliis ſed vobis ipſis, ut ex ℣. 8, 9, intelligitur. Cur vero nos id facere jubeat Apoſtolus, ſi nulla nobis hoc faciendi ſit copia?

In fide veſtra. Nempe Chriſtiana, qua creditis in Chriſtum & per Chriſtum in Deum, fore nimirum ut vitam æternam ab ipſo adipiſcamini, ſi corruptis & impuris mundi moribus vitatis, virtutis acerrimi ſectatores fueritis. *In fide veſtra*, id eſt, habentes jam Chriſtianam fidem (quæ Chriſtianæ religionis principium & fundamentum eſt) & per illam

Virtutem. Id eſt juſtitiam, bonitatem, eodem quo vocem hanc de Deo accepit ſenſu, niſi quod de hominibus agens communi ac populari ſignificatione vocem iſtam hoc loco uſurpet, quâ virtute præditi dicuntur, qui ea quæ manifeſte ſunt juſta & bona & recta & honeſta ſectantur, & hic contraria vitant, necdum ad exactiorem & perfectiorem recti & honeſti notitiam progreſſi. Merito autem fidei addit virtutem. Niſi enim poſt fidem ſuppeditetur virtus, quid proderit ipſa fides ſterilis & virtute deſtituta?

In virtute autem. Id eſt, habentes jam virtutem, (prout ſcilicet quiſque rationem illius jam perſpectam habet) & per illam

Cognitionem. Nimirum pleniorem virtutis: quæ ſui amatores & cultores ſubinde ad majora & perfectiora incendit: nec ubi rebus in agendis inter licitum & illicitum ambigui hæſitetis aut ejus quod bonum, quod malum, quid indifferens, uſque ignari ſitis. Defectu enim cognitionis & ſcientiæ juſtis etiam alioquin & bonis non uno modo delinquere pravum fuerit. Nimirum per uberiorem recti & juſti notitiam adſpirare & contendere vult Chriſtianos ad perfectiores virtutes. In cognitione etiam includitur in divinorum myſteriorum notitia major ſubinde profectus.

Verſ. 6. *In cognitione autem continentiam, in continentia autem tolerantiam, in tolerantia autem pietatem. In cognitione autem.* Id eſt, habentes jam cognitionem & per illam.

Continentiam. Ut ſcilicet vos contineatis ab iis omnibus quæ vel per ſe illicita ſunt, vel aliis illicita habentur, nec ſine ſcandalo fieri poſſunt, vel de quibus adhuc ullam ipſimet dubitationem habeatis. Quicquid enim ex fide non eſt, peccatum eſt Rom. XIV. 23. De hac continentia vide 1 Corinth. IX. 24, 25, quæ virtus jam ſupra vulgarem & communem virtutis rationem ſeſe attollit, quod & ſequentibus videre eſt.

In continentia autem. Id eſt, habentes autem jam continentiam.

Tolerantiam. Qua recte agentes omnia, quæ vobis incidant adverſa, nihil mutato fiduciæ in Deum & bene agendi tenore, ideoque modeſte ſuſtineatis. Continentia nimirum & tolerantia duo illa complectitur, ἀπέχου καὶ ἀνέχου, abſtine & ſuſtine, in quibus omnem ſapientiæ rationem Philoſophi ſitam eſſe docuerunt. Merito autem Apoſtolus à continentia progreditur ad tolerantiam ſeu patientiam, quia aliquando facilius eſt temperare à jucundis, quam adverſa & acerba conſtanter & modeſte pati, & iſtius poſterioris rudimentum quoddam eſt in priore.

In tolerantia autem. Id eſt habentes jam tolerantiam, & per illam,

Pietatem. Strictiore ſcilicet ſignificatione. Nam alioqui pietas omnes virtutes continet. Sed hoc loco aſſiduos ſignificat ad Deum acceſſus, aſſiduas preces, gratiarum actiones pro omnibus etiam triſtibus & adverſis, divini Numinis laudes, mentem & cogitationem in Deo & ſermone ejus, in iis quæ nobis promiſit, & quæ à nobis fieri vult perpetuo defixam. Breviter pietas hoc loco eam ſolam pietatis Chriſtianæ partem complectitur, quod proxime & immediate circa Deum ipſum verſatur: ſicut continentia & tolerantia circa nos ipſos, ſequentes autem duæ virtutes circa alios homines. Recte Apoſtolus à patientia ad pietatem progreditur. Calamitatum enim patientia nos ad Deum ducit, eique conjungit, & ut in illo ſolo ſolatium, levamen, auxiliationem, liberationem, ſalutem quæramus, facit. Patientia nimirum mater & magiſtra eſt pietatis.

Verſ. 7. *In pietate autem fratrum amorem, in amore fratrum autem charitatem. In pietate autem.* Id eſt habentes autem pietatem, & per illam

Amorem fratrum, τὴν φιλαδελφίαν. Recte. Nam pietas

tas erga Deum protinus ad amandos fratres, id eſt Dei filios ducit. Intelliguntur autem fratres in Chriſto ſeu ſecundum ſpiritum, qui una nobiſcum eodem ex Patre Deo nati ſunt. Qui cupit amari & juvari à Deo, quod quiſquam piorum quærit, viciſſim amare & juvare debet Dei filios ac fratres ſuos. In filiis enim amatur pater.

In amore fratrum autem. Id eſt habentes amorem fratrum, & per illam

Charitatem. Quia Apoſtolus charitatem abſolute ponit, nec addit quorum hominum, neceſſe eſt ut intelligat charitatem omnium hominum. Merito. Nam ex amore fratrum ac Dei filiorum diſcimus amare omnes alios homines, quippe materiam ex qua Dei filii & noſtri in Chriſto fratres fiunt, & citra hoc etiam omnes ad imaginem Dei creati ſunt. Sicut autem omnes homines etiam nobis inimici amore proſequendi, ſic conveniente ac debito cuique officio juvandi ſunt. Neque enim tantam dilectionem aliis debemus hominibus, quantam fratribus, neque tantam inimicis quantam iis qui nobis bene affecti ſunt, aut ſaltem male affecti non ſunt. In hac virtute cumulum virtutum abſolvit Apoſtolus. Charitas enim virtutum omnium complementum eſt, neque habet Chriſtiana fides quod ultra ſuppeditet. Videmus autem virtutes Chriſtianas ſic inter ſe aptas & connexas eſſe, ut una ſuppeditata, facile ſuppeditetur & altera, & qui unam habeat, huic & reliquas omnes habere in proclivi ſit.

Verſ. 8. *Hæc enim ſi vobis adſint & abundent, non otioſos nec infructuoſos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitionem.* Rationem adfert ob quam à nobis iſta omnia quæ dixit ſuppeditari velit. *Hæc enim ſi vobis adſint*, ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα, tanquam ſcilicet veſtræ opes & facultates, veſtræ poſſeſſionis & bona.

Et abundent, καὶ πλεονάζοντα. Non ſatis eſt hæc omnia habere, ſed oportet unumquodque iſtorum in nobis abundet, & fides & virtus &c.

Non otioſos &c. Commodum exprimit ex rerum iſtarum poſſeſſione & abundantia manans. *Non otioſos nec infructuoſos conſtituunt*, intellige vos, in Domini noſtri Jeſu cognitione, εἰς ἐπίγνωσιν pro ἐν ἐπιγνώσει, id eſt in cognitione: quaſi dicat, iſtarum rerum poſſeſſio & abundantia facit, ut cognitionem Domini noſtri Jeſu habentes non ſitis otioſi & infructuoſi. Significat Chriſtianos qui Jeſu cognitionem habent, neutiquam debere in hac cognitione otioſos & infructuoſos eſſe. Cum hanc cognitionem eo fine acceperint, ut gnavi & induſtrii & diligentes ſint in opere Domini, utque fructus ferant ea libertate, quæ tanta Dei & Chriſti cognitione ſit digna. Refer huc locum Matth. xxv. 26, 30.

Verſ. 9. *Cui non adſunt iſta, cæcus eſt, non procul cernens, oblitus purgationis veterum ſuorum peccatorum.* Oſtendit neminem debere eſſe otioſum & infructuoſum in Domini noſtri Jeſu cognitione & notitia. Argumentum ſumit ab incommodo maximo, ne quis exiſtimet, non multum ſalutis intereſſe, etiamſi quis Chriſtianorum & notitiam Jeſu habentium iſtis careat, & otioſus ac infructuoſus ſit.

Cui. Nempe Chriſtiano, & cognitionem Jeſu habenti.

Non adſunt iſta, cæcus eſt. Nempe mentis oculis, non videt Deum & Chriſtum, id eſt non cognoſcit, quamvis ſe videntem & cognoſcentem putet. Quod Angelo illi Laodicenſis eccleſiæ uſu venerat Apoc. III, 17. Nam qui effectu cognitionis divinæ deſtituitur, id eſt peccata non vitat, virtutes non conſectatur, perinde eſt atque ſi ipſa cognitione divina deſtitueretur, idque etiam talibus Scriptura objicit. Vide inter alia Joan. VIII. 55. 1 Joan. 2. 3, 4.

Cæcus eſt. Qui exitium æternum & vitam æternam non videt, cæcus eſt, qui peccata in exitium, virtutes in vitam æternam ducere itidem non videt, aut ſi videt, & tamen vitâ æternâ relictâ in exitium ruit, furore agitatur, qui omni cæcitate deterior eſt.

Non procul cernens, μυωπάζων. Quaſi dicat, videt quidem præſentem vitiorum voluptatem & virtutum moleſtiam, ſed quid & illam voluptatem & hanc moleſtiam conſequatur, quia paulo longius diſtat, plane non videt. Si enim videret, illam quidem vitaret, hanc vero amplecteretur.

Oblitus purgationis veterum ſuorum peccatorum. Quaſi dicat, neque futura proſpicit, neque præterita meminit. *Oblitus*, λήθην λαβών, ſic ait ac ſi oblitus eſſet.

Purgationis veterum ſuorum peccatorum. Id eſt quod à veteribus ſuis peccatis, quæ ſcilicet commiſit, ante auditum & ſuſceptum Euangelium purgatus ſit, per fidem & baptiſmum in Chriſtum. Si enim purgationis iſtius meminiſſet, an igitur ad cœnum peccatorum rediret, porcis & ſuibus ſimiles, quæ lotæ revertuntur ad volutabrum luti. Vide cap. 2. 22. Quid enim juvat à peccatis purgatum eſſe, ſi quis iterum iis ſeſe contaminet? Hic Apoſtoli locus manifeſte docet, fidem ſi non adſint iſta quæ enumeravit, nemini ad ſalutem prodeſſe, quod ſane neque negat neque negare poteſt quiſquam qui intelligat quid ſit fides, ſeu fidei naturam ac rationem perſpectam habeat. Ideo ut fidei ſine iſtarum cumulo virtutum tribueretur à quibuſdam ſalutis adeptio, neceſſe erat ipſam fidei naturam ac rationem ab iiſdem penitus immutari, eamque pro fiducia in Deum & Chriſtum adipiſcendi ab ipſo poſt obedientiam præſtitam præmii, in meritorum Chriſti applicatione & appropriatione, neſcio qua, collocari. Non quidem requirit fides Legis opera, quippe quæ etiam impium juſtificat, ſed requirit ut impius & peccator per eam juſtificatus, ſi vita ſuppeditet, totum ſeſe fidei permittat, etſi non ad exactam Legis normam, tamen ad normam liberalis & filialis obedientiæ vitam & mores ſuos componat.

Verſ. 10. *Propter quam magis fratres ſtudete firmam veſtram vocationem & electionem facere. Hæc enim facientes, non impingetis unquam.* Ex ante dictis adhortationem infert. *Propter quod*, nempe quia ſine iſtis, quæ dixi, ſalutem adipiſci non datur.

Magis. Hæc particula refertur ad remotius nomen *firmam*, non ad proxime ſequens verbum, *ſtudete*. Neque enim illis objicere videtur aliquam in ſtudio negligentiam.

Fratres. Conſueto inter Chriſtianos titulo, hujus appellationis uſurpatione, ipſe Petrus redarguit eos, qui ipſum Dominum & Papam, id eſt patrem Chriſtianorum

norum faciunt, & nescio quos illius successores in eadem dignitate collocant. *Studete*, operam omnem date. Neque enim absque vestro studio, conatu & opera res confieri poterit. *Firmam*, huc refer adverbium *magis*, ut diximus.

Vestram vocationem & electionem facere. Quasi dicat, firma quidem jam est vestra vocatio & electio, quod ad Deum & consilium ejus attinet, at vos date operam, ut eam vestra quoque ex parte, proinde magis & plane firmam faciatis, implendo vocationis & electionis vestræ conditionem, id est virtutes virtutibus, ut dixi, cumulando, ac unam ex alia ac post aliam suppeditando. Videmus non vocatos tantum, sed electos etiam posse vocatione & electione sua excidere, si officium non faciant, proinde non Dei sed sua culpa: Deus semper idem est, sibi semper constat, neque eum unquam suorum donorum pœnitet: sed si quis eorum fructu non potiatur, neminem incuset præter semetipsum. Intelligitur autem vocatio & electio ad salutem & vitam æternam. Respectu vocationis Christiani dicuntur vocati, respectu electionis dicuntur electi.

Vestram vocationem & electionem. Id est vestri, passive. Nam active Dei est vocatio & electio, non nostra.

Hæc enim. Probat illos per ea quæ dixit, firmam & immmotam facturos suam vocationem & electionem. *Hæc enim facientes*, nempe quæ dixit ℣. 5, 6, 7, 8, 9.

Non impingetis unquam. Nimirum ad obstaculum aliquod in salutis æternæ via, non corruetis, non excidetis salute. Vestra vocatio & electio firma & stabilis erit, nec suo frustrabitur unquam effectu.

Vers. 11. *Sic enim copiose suppeditabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Servatoris Jesu Christi.* Confirmat quæ dixit. *Sic*, id est hoc & non alio modo, seu ista facientibus ac suppeditantibus, non otiosis & infructuosis. *Copiose*, πλουσίως.

Suppeditabitur vobis. Intellige introitus vicissim à Deo, id est, divitem se, liberalem ac munificum vicissim præbebit Deus in suppeditando vobis introitu.

In æternum regnum &c. Merito dicit πλουσίως, largiter, copiose. Ingens enim & immensa in eo largitas est, pro istorum suppeditatione, quas dixit, virtutum, suppeditare introitum in æternum regnum. Nam quæ unius ad alterum potest esse comparatio? Ad has immensas divitias ac largitatem Dei pertinet, quod & omnia obstacula in regni istius æterni introitu tollat, ne usquam impingamus. Tot enim præterita crimina nobis condonat, & in hac ipsa, quæ fit à nobis, suppeditatione virtutum paterna nobiscum benignitate agit. Docemur hoc loco, immensas quidem Dei divitias ac munificentiam esse in suppeditando nobis in regnum suum introitu; sed has tamen divitias non ullis aliis contingere, quam virtutes illas antea memoratas abunde suppeditantibus. In verbo *suppeditabitur*, manifeste respicit Apostolus ad idem verbum ℣. 5.

In æternum regnum Domini nostri & Servatoris Jesu. Regnum Jesu Christi dicitur beatus ille status, quo Jesus nunc fruitur, & qui ipsi ante secula fuit à Deo destinatus: quem regnum appellat Apostolus, metaphora à rebus humanis, inter quas regnandi status beatissimus habetur. Æternum vocat, ut illud regnis mundi, quæ temporaria sunt, opponat. *Jesu Christi regnum* dicere maluit quam Dei, ut nobis jus & accessum ad hoc regnum esse tanto magis ostenderet, qui in Jesum Christum credimus, & cum illo tanquam membra cum capite conjuncti sumus. Quem idcirco etiam non tantum Dominum nostrum, sed & Servatorem appellat, innuens eum potestatem ac dominatum in nos & in omnia habere, ut nos servet, & in regnum suum deducat, quippe qui etiam ut nos servaret, victima pro peccatis nostris fieri voluit.

Vers. 12. *Propter quod non negligam vos semper commonere de istis, quamvis scientes & confirmatos in præsenti veritate. Propter quod.* Nempe propter hoc, quod vobis ipsi, quæ dixi, facientibus & suppeditantibus copiose vicissim suppeditabitur introitus in æternum regnum Domini nostri & Servatoris Jesu.

Non negligam vos semper commonere de istis. Nempe de æterno regno Jesu, & quod in illud ingressuri sint omnes ea, quæ dixi, facientes, perinde de iis summo studio faciendis & consectandis, cum sine iis vita post fidem suppetente regnum istud consequi non detur.

Quamvis scientes & confirmatos in præsenti veritate. Quasi dicat, nihil refert quod præsentem veritatem cognitam habeatis & in illa confirmati sitis. Etiam tales ab Apostolo præsertim admoneri juvat. Currenti equo calcar, quod ajunt. Non patiar, & scientiam hanc in vobis deleri & confirmationem labefactari, & vos in consectatione virtutum ac operum bonorum, quod facile fit, torpescere. Intelligit autem doctrinam Christianam, quam veritatem appellat, quod nihil in illa falsi sit, omnia vera ac solida.

Præsentem. Quod tum adesset Christianis, quia aderant & Apostoli, quorum post excessum periculum erat ne & ipsa abscederet, quod & factum est, & ab Apostolis sequenti capite pronunciatum. Idem prædixit & Apostolus Paulus 2 Thess. 2, & gratias agi Deo quod Thessalonicenses legerit a principio ante corruptionem veritatis ℣. 13. Nec ulla pars Christianæ veritatis magis est impugnata quam doctrina de necessitate bonorum operum & sanctæ vitæ ad adeptionem æternæ. Huc omnia tendunt dogmata, quæ præter Apostolorum doctrinam in ecclesiam Christi sunt invecta.

Vers. 13. *Justum autem duco, in quantum sum in hoc tabernaculo excitare vos in admonitionem.* Aliam causam adfert. *Justum autem duco*: quasi dicat, justum autem præterea duco.

In quantum. Scilicet tempus, id est quamdiu

Sum in hoc tabernaculo. Id est in hoc corpore mortali. Notetur corpus hoc mortale non tam partem nostri constituere, quam animo nostro qui interior homo dicitur, pro tabernaculo esse: quo dissoluto, ædificium à Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis 2 Corinth. v. 1.

Excitare vos in admonitionem. Id est per admonitionem. Excitare scilicet ad constantiam in veritate, in fide, & ad sectationem virtutum Christianarum. Merito justum hoc sibi duxit Apostolus. Hoc enim illius

illius officium erat, in hoc datus à Deo erat, in hoc vivebat.

Verſ. 14. *Sciens quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, quemadmodum & Dominus noſter Jeſus Chriſtus manifeſtavit mihi.* Addit momentum cauſæ prædictæ. *Sciens quod*, id eſt, ſciens quod brevi ſim pro Chriſto moriturus. Ideoque tanto minus mihi ab opere ceſſandum eſt, quanto minus illi peragendo reſtat temporis. Mortem ſuam vocat depoſitionem tabernaculi ſui. Opponit enim habitationi in tabernaculo, id eſt vitæ præſenti depoſitionem tabernaculi, quam velocem ac celerem dicit, per metaphoram, quod brevi affutura eſſet. *Sicut & Dominus noſter Jeſus Chriſtus manifeſtavit mihi.* Quaſi dicat, non tantum id ego ſcio per Spiritum Sanctum, ſed & Dominus noſter Jeſus ipſe *manifeſtavit mihi*, nempe ſermone illo, quem Joannes deſcripſit cap. XXI. 18. Apparet enim Apoſtolum, cum hæc ſcriberet, jam ſenem fuiſſe, proinde propere moriturum pro Chriſto, ne mors naturalis, quæ ipſa per ſe ſenibus propinqua eſt, mortem pro Chriſto violentam præverteret. Particula *ſicut* hoc loco vim cauſæ habet. Vide quanta animi ſecuritate de ſua morte loquatur Apoſtolus? Nimirum quia & de veritate Chriſtianæ doctrinæ ac fidei ſecurus erat. Eadem ſecuritate & ſomnum carpebat inter duos milites carceri incluſus, & catenis revinctus illa nocte quam inſequenti die duci debebat Act. XII. 6.

Verſ. 15. *Studebo autem ut & ſemper habeatis poſt meum exitum, ut iſtorum memoria fiat.* Dicit ſe operam daturum, ut etiam poſt exitum ſuum habeant doctrinæ iſtius ſuæ monumenta.

Studebo autem. Quaſi dicat, ne quis exiſtimet me non curare, ut poſt mortem meam quoque vobis prodeſſe poſſim.

Ut & ſemper. Non nunc tantum eum vivo.

Habeatis poſt meum exitum. Nempe ex tabernaculo hoc, ſeu poſt mortem meam, quamvis è vita exceſſero.

Ut iſtorum memoria fiat, τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι. Iſtorum nempe quæ dixit. Sanctis ſcilicet in Chriſto moribus cæleſtia in Chriſto repoſita eſſe præmia, quæque aliter adipiſci non detur. Daturus nimirum erat operam Apoſtolus, ut literarum ſuarum aliqua monumenta extarent, quod & factum eſt, & ut fideles homines ſupereſſent, qui doctrinam ab ipſo traditam recolerent & aliis in memoriam revocarent, quod & Paulus Apoſtolus fecit, & Timotheo ut idem faceret præcepit 2 Tim. 2. 2.

Verſ. 16. *Non enim arte compoſitas fabulas ſecuti notificavimus vobis Domini noſtri Jeſu potentiam & adventum, ſed ſpectatores facti illius majeſtatis.* Cauſam iſtius juſtiſſimæ quam dixit curæ & ſolicitudinis æque juſtam reddit. *Non enim arte &c*, id eſt, non fabulas artificioſas ſecuti ſumus in tradenda vobis de Jeſu Chriſto doctrina. Veriſſima ſunt quæ vos docuimus omnia, & humano generi unice ſalutaria. Proinde eorum memoriæ omni ſtudio & conatu conſulendum eſt, (quantum quidem ab hominibus provideri poteſt) ne labem ullam accipiat.

Secuti, ἐξακολουθήσαντες. Sive de induſtria, ſive decepti & deluſi. Illud enim quo fine & fructu? Verberumne & carcerum & ignominiarum & crudeliſſimarum mortium & æterni exitii cauſa? Fidemne in Deum & omnis generis ſanctitatem & Dei gloriam promotum iremus perſide, mendaciter & contra Deum? Non hoc etiam. Neque enim pueri ſumus, ſed viri maturis præditi ſenſibus. Et manifeſtæ veritati non facile creditur, ſi quid periculi afferat illius profeſſio. Quanto minus mendacio cunctis exoſo, & omnes calamitates allaturo, quacunque tandem arte confictum ſit & compoſitum?

Notificavimus vobis Domini noſtri Jeſu potentiam & adventum. Id eſt, adventum in mundum cum maxima & diviniſſima potentia conjunctum, ut omni ex parte appareret, illum à Deo miſſum veniſſe, &, ſicut dicitur, Chriſtum illum Dei ac Dominum noſtrum eſſe.

Potentiam & adventum, dicit, [illegible]. Ut ſupra ℣. 3.

Sed ſpectatores facti illius majeſtatis. Quaſi dicat, non auribus ſecuti ſumus artificioſarum fabularum narrationes, ſed ipſis oculis noſtris ſpectavimus Domini noſtri Jeſu majeſtatem, id eſt, magnitudinem diviniſſimam & cæleſtiſſimam gloriam, qui eum Dominum noſtrum & Chriſtum illum Dei eſſe oſtendebat. Oculis noſtris credidimus, non auribus, rebus ipſis, non nudis verbis, tot viri, tot teſtes minime ſuſpecti.

Verſ. 17. *Acceperat enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce allata ei tali, à magnifica gloria. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Explicat majeſtatem iſtam, & per illius explicationem rationem dicti ſui reddit. *Acceperat enim a Deo*, nempe abſolute & per ἀντονομασίαν ſic dicto, id eſt uno illo.

Patre. Docet quis ſit unus ille Deus. Non alius quam Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Honorem. Qui ſcilicet Chriſto illi Dei conveniebat.

Et gloriam. Docet quid honoris nomine ſignificet, nempe diviniſſimum illum ſplendorem, quo in ſacro illo monte transfiguratus radiabat. Hæc enim transfiguratio tam divina, tam cæleſtis, cui ſimilis nulli unquam Prophetæ, nec Moſi ipſi contigerat, Chriſtum eum eſſe manifeſte arguebat. Moſis enim facies etſi ſplenderet, tamen longe aberat à ſplendore ſolis, nec ſplendor ille ad veſtimenta quoque ejus pervenerat, ut appareret, Moſen umbram tantum & miniſtrum fuiſſe, Jeſum autem unicum illum Filium & Chriſtum Dei eſſe. Unde & Joannes hanc ipſam gloriam unigeniti Dei Filio convenientem dixit Joan. 1. 14.

Voce allata ei tali &c. Ne ulla dubitatio reſtaret Jeſum eſſe Dei Filium illum & Chriſtum, vox ei ſimul in iſta transfiguratione allata fuit, idipſum continens. Vocem ponit pro ſermone & oratione, per ſynecdochen partis.

Ei. Id eſt ad eum pertinentem, ad honorem & gloriam ejus ſpectantem.

Tali. Qualis ſcilicet mox exprimitur.

A magnifica gloria. Id eſt à Deo, per metonymiam adjuncti pro ſubjecto. Vere enim magnifica eſt Dei gloria, ſplendor & majeſtas. Reſpicit Apoſtolus ad terrenorum Regum magnificentiam & gloriam,

riam, quæ cum divina nullam habet comparationem. Vide 1 Timoth. vi. 15, 16. Sic Regiam majeſtatem dicimus, pro ipſo Rege.

Hic eſt Filius. Exprimit vocem iſtam, qua Deus ipſe Jeſu teſtimonium perhibuit. *Hic*, nempe Jeſus, cujus facies reſplenduerat ſicut Sol, & veſtimenta ſicut lux.

Eſt filius meus dilectus. Id eſt Meſſias ſeu Chriſtus ille meus. Hic enim abſolute vel cum articulo emphatico Filius Dei dilectus dicitur, quod ſit à Deo ſingulari ratione genitus, quod ſit Deo chariſſimus, quod omnium Deo ſimillimus ac præſtantiſſimus, quod rerum omnium hæres.

In quo mihi complacui. Ἐν ᾧ ἐγὼ εὐδόκησα, pro ἐν ᾧ, ut habent Matthæus & Marcus. Explicatur vox dilecti: quaſi dicat, quem præ omnibus aliis diligendum mihi ſumpſi. Ideo Lucas hæc verba non addit, quod priorum tantum ſint declaratio Luc. ix. 35. Notandum eſt hoc Dei ipſius de Jeſu teſtimonium. Non dicit, quem ego ex ſubſtantia mea ab æterno genui, & ſemper genero, unum eundemque numero Deum, quod nemo eſt, qui aliter quam tanquam rem manifeſta contradictione implicitam intelligat. Sed omnem Jeſu filiationem & divinitatem ad ſuam erga ipſum ſingulariſſimam dilectionem ex libera profectam voluntate refert. Εὐδοκία enim ſeu beneplacitum eſt liberæ voluntatis actus. Unde Angeli in hominibus etiam εὐδοκίαν, id eſt beneplacitum Dei concinunt, quamquam gradu ab εὐδοκίᾳ Dei in Chriſto longiſſime differentem Luc. 2. 14.

Verſ. 18. Confirmat vocem hanc editam fuiſſe, *& hancce vocem.* Intellige, ne quis de rei narratione dubitet.

Nos audivimus. Quaſi dicat, quæ oculis ſubjecta erant, vidimus & ſpectavimus hiſce oculis noſtris, quæ auribus, ea hiſce auribus noſtris audivimus, non ab aliis viſa & audita narravimus. Loquitur autem in pluratívo, quod præter ſe duo alii eſſent iſtius rei minime ſuſpecti teſtes Jacobus & Joannes Matth. xvii. 1. Tres enim illos aſſumpſerat Chriſtus propter plenum teſtium numerum. Nam vulgari tum inter plures hanc rem nolebat.

Ex cælo allatam. Notat locum unde vox iſta allata ſit, nempe ex cælo, ut eam non ab alio quam ab ipſo Deo proficiſci appareret.

Quando cum ipſo eramus in monte ſancto. Notat quando & ubi vocem hanc audiverint, ne quid ad narrationis fidem deſit. Montem in quo hæc facta ſunt, (nam in monte eoque excelſo facta eſſe narrant Euangeliſtæ) ſanctum vocat, quod tanto Dei opere ſanctificatus & conſecratus eſſet. Hinc igitur patere vult Apoſtolus, Jeſum vere Dei Filium & Chriſtum, vere Dominum & Servatorem noſtrum eſſe, proinde veram eſſe univerſam ejus doctrinam, vere præmia cæleſtia & regni æterni hæreditatem manere omnes in Chriſtum credentes, & ſpe cæleſtium bonorum omni ſtudio ſanctis incumbentes operibus. Non memorat Apoſtolus miracula Chriſti, non reſurrectionem, & in cælos aſcenſionem, quia hoc evicto, Jeſum vere Chriſtum illum Dei fuiſſe, eundem & miracula maxima feciſſe, & mortuum ex morte ſuſcitatum eſſe, & in cælos ad regnum & gloriam ſibi ante ſæcula deſtinatam aſcendiſſe ſua ſponte conſequitur.

Verſ. 19. Quia Judæi ſermonibus Prophetarum plurimum tribuebant, docet Apoſtolus etiam Propheticos ſermones pro Jeſu militare, eumque Chriſtum illum Dei eſſe oſtendere, quatenus ſcilicet ea quæ in Jeſu evenerunt, à Prophetis prædicta & celebrata ſunt. *Et*: quaſi dicat, ad hæc quæ dixi.

Habemus. Nos ſcilicet Apoſtoli, & alii omnes Chriſtiani.

Firmiorem Propheticum ſermonem. Pro noſtra videlicet parte & doctrina, Prophetæ nobis ſuo ſermone ſuis oraculis concinunt, qui de Chriſto vaticinati ſunt. Propheticum ſermonem firmiorem dicit, per mimeſin, ex ſententia videlicet Judæorum. Nam vel voce illa divinitus de Jeſu edita, vel Apoſtolorum teſtimonio, vel iis quę in Jeſu conſpecta fuere, diviniſſima, nihil poteſt eſſe firmius ac validius ad perſuadendum, & arguendum Jeſum eſſe Chriſtum illum Dei, Dominum & Servatorem noſtrum. Intelligit autem Propheta ſermonem qui de Chriſto agit, & Chriſto eventura multis ante ſeculis prænuntiat, & Prophetas intelligit veteres, quorum vaticinia Scripturæ Sacræ monumentis ſunt conſignata.

Cui bene facitis attendentes. Laudat id quod Judæi iſti in Chriſtum credentes ſermoni Prophetico Literis Sacris prodito, attenderent, id eſt, in illius lectione & auditione verſarentur, & res Jeſu ab Apoſtolis prædicatas cum illo conferrent ac componerent, quod & Berœenſes Judæos feciſſe, & eo nomine laudari legimus Actor. xvii. 11.

Sicut lucernæ lucenti in obſcuro loco. Commendat ſermonem Propheticum, & tacite cauſam reddit ob quam bene faciant quod ei attendant, quia ſcilicet lucerna eſt, lucens in obſcuro loco. Particula *ſicut* vim cauſæ habet hoc loco. Lucerna autem dicitur, per metaphoram, quod ſimilis ſit lucernæ in obſcuro lucenti loco, id eſt cujus uſus eſt obſcuro & tenebricoſo lucere in loco, id eſt, mentibus nocte & tenebris ignorantię divinę voluntatis oblitis: in iſto humanarum mentium ſtatu ſermo Propheticus lucernę uſum præbet, id eſt, mentibus humanis lucem aliquam adfert, nec eas plane in tenebris eſſe patitur. Per ſermonem Propheticum multa vident, multa cognoſcunt ad ſalutem pertinentia, etſi non omnia, nec tam clare, ſicut exorto Euangelii die.

Donec dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordibus veſtris. Manet in metaphora. Senſus eſt, donec pleniore & perfectiore luce, id eſt, cognitione rerum divinarum mentes veſtræ fuerint colluſtratæ, dies enim & lucifer perfectior ac plenior eſt lux quam lucerna. Tacite illos monet, ut multo magis Apoſtolorum ſermoni & doctrinæ attendant, quæ veram & perfectam lucem continet, & ipſi Prophetico ſermoni lucem adſert.

Verſ. 20. *Hoc primum ſcientes.* Utili valde monito illos inſtruit in Prophetarum ſcriptis verſantes. *Hoc primum*, id eſt ante omnia, *ſcientes*, id eſt ſcitote.

Quod omnis Prophetia Scripturæ. Id eſt Scriptura Prophetica, per duo ſubſtantiva pro ſubſtantivo cum adjectivo, Hebræa phraſi. Intelligit autem Scripturam Propheticam de Meſſia.

Propriæ expoſitionis non eſt, ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται, Marcus,

Marcus de Chriſto per parabolas ad populum loquente, *privatim autem*, inquit, *diſcipulis ſuis* (ἐπέλυε) *exponebat omnia* cap. IV. 34. Hoc vult Apoſtolus, explicationem & expoſitionem, plenam ſcilicet & perfectam, Scripturę Propheticæ non pendere ex proprio cujuſquam hominis ingenio. Proiode monet ut veram & perfectam expoſitionem Propheticorum ſermonum ab Apoſtolis & Novi Teſtamenti Prophetis petant, non ſuo privato in iis intelligendis indulgeant ingenio. Ita enim facile à veritate & fide in Chriſtum deviare poſſint. Quod de Prophetica Scriptura dicit Apoſtolus, trahi non debet ad omnem Scripturam Sacram, in qua non vaticinia aliqua traduntur, ſed vel res præteritæ, vel præſentes & ad officium noſtrum pertinentes proponuntur, eo fine ut ab omnibus intelligantur. In tali Scriptura intelligenda nullis aliis Prophetis eſt opus. Nam vel ipſa per ſe unicuique clarum & apertum, niſi quis cum ratione inſanire velit, ſenſum tradit: vel ſi quid habet obſcuritatis, ex aliis per ſe claris Scripturæ dictis intelligi poteſt ac debet.

Verſ. 21. Rationem aſſerti adfert. *Non enim voluntate hominis allata eſt quondam Prophetia.* Loquitur de veteribus Prophetis, quos negat in Prophetia de Chriſto prodenda uſos eſſe ſua voluntate aut ſuæ poteſtatis fuiſſe.

Sed à Spiritu Sancto acti loquebantur. Mens illorum tum quieſcebat, mentis vicem Spiritus Sanctus occupabat 1 Cor. XIV. 14, 15, 16. Quid igitur mirum eſt quod quę non humana mente & voluntate, ſed ſola divini ſpiritus concitatione ſunt prodita, ab humana etiam mente ſine Spiritus Sancti illuminatione plene & perfecte nequeant intelligi & explicari.

Illi ſancti Dei homines. Id eſt, veteres illi Prophetę qui de Meſſia ſunt vaticinati: quos ſanctos appellat, quia Spiritu Sancto præditi erant illoque agebantur. Dei autem homines dicit, quia Dei uſibus toti inſerviebant. Prophetæ Novi Teſtamenti, etſi Spiritu Sancto loquerentur, tamen loquebantur & mente 1 Cor. XIV. 5, 15, 22, 24, 29, 31, quippe qui Chriſto jam exorto arcana Dei explicarent ut ab omnibus intelligi poſſint, & quæ extant in Novo Teſtamento ſcriptæ futurorum prædictiones, claris verbis conceptæ ſunt. Sola Apocalypſis per viſiones & ſimulacra rerum prodita eſt, non tam ut Chriſtiani diſtincte cognoſcerent quid futurum eſſet, id enim nec eccleſiæ nec divinis conſiliis expediebat, quam potius ut ex eventu, præſignificatum id eſſe quod evenit, intelligerent.

CAPUT II.

Verſ. 1. FActa mentione ſanctorum illorum Prophetarum meminit etiam falſorum Prophetarum, in populo illo Dei, ex quibus occaſione ſumpta prædicit falſos doctores futuros eſſe etiam inter ipſos. *Fuerunt autem & falſi Prophetæ.* Quaſi dicat, non tantum veri illi & ſancti: falſi Prophetæ ſunt, qui ſe à Deo miſſos & ſpiritu Divino afflatos mentiuntur, & ſub hoc mendacio alia mendacia proponunt, & propinant Dei populo.

In populo. Nimirum divino, in quo veri & ſancti fuerunt Prophetæ. Generalis vox populi ex ſubjecta materia reſtringitur.

Sicut & in vobis erunt &c. Prædicit falſorum doctorum adventum, non tantum quod ſpiritum haberet Propheticum, ſed etiam quod videret mores quorundam eccleſiæ Doctorum valde corruptos. Ex morum ſiquidem, in iis qui docent, corruptela, etiam ſanæ doctrinæ corruptio proficiſcitur. De corruptis autem moribus agit in ſequentibus.

Et in vobis. Id eſt inter vos ad quos ſcribo Chriſtianos erunt. Nam tum adhuc Apoſtolorum, & inprimis ipſius Petri auctoritate coërcebantur, ne cum ejuſmodi doctrinis erumperent. Sed eos jam inter ipſos fuiſſe ex iis quæ infra ſcribit Apoſtolus, apparet: & Judas jam ſubingreſſos eſſe ſcribit, verbis propemodum ex hoc Epiſtolæ Petri capite deſcriptis.

Falſi doctores. Generaliore utitur appellatione, quam falſorum Prophetarum, quod non omnes eſſent qui miſſionem aut ſpiritum divinum prætexerint, ſed aliis argumentis falſa dogmata Chriſtianis perſuadere conarentur, etiam ipſorum Apoſtolorum traditiones aut verba oſtendentes.

Qui introducent &c. Deſcribit iſtos falſos doctores. *Subintroducent*, παρεισάξουσιν, ſenſim & ſubdole & quaſi aliud agentes ne obſervari poſſint. Et Judas de iiſdem, παρεισέδυσαν, *ſubingreſſi ſunt*, inquit, verſ. 4.

Hæreſes. Id eſt dogmata quæ Deum auctorem non habent, nec per Chriſtum & Apoſtolos ſunt tradita, ſed hominum ſponte & arbitratu electa. Hæreſis enim ab electione dicitur.

Perditionis. Per genitivum effecti, id eſt quæ ea docentibus & iis aſſentientibus perditionem adſerunt, quatenus ſcilicet vel id quod creditu, vel id quod factu neceſſarium ad ſalutem eſt, moliuntur & tollunt; aut credendum, vel faciendum docent, quod ſive creditu ſive factu impium eſt, & divinæ voluntati adverſum. Ad evitandas igitur hæreſes unicum remedium eſt ea tantum dogmata amplecti, quę claris & apertis Scripturæ teſtimoniis confirmari poſſunt, rejicere illis non conſentanea, & obſcuriora Scripturæ loca ex dilucidis interpretari, non his ex illis tenebras offundere. Qui dicunt in Scripturis non omnia contineri ad ſalutem neceſſaria, hæreſibus & falſis dogmatis latebras quærunt. Quo enim alio fine Deus ſacrarum literarum monumenta exſtare voluit, niſi ut ex illis doctrinam ſalutis peteremus, & judicium ferremus de iis quæ ab illa diſſonant. Et cum ſola fides per charitatem efficax in Chriſto valeat, quid obſecro ad fidem & charitatem defuerit illi, qui ſecundum claram Scripturam, & credat, & charitatem exerceat? Nam ſi quis & alias virtutes requiri dicat, qua quæſo virtute deſtituatur is qui virtutum præcepta in ſacris literis deſripta moribus & factis exhauriat?

Et qui emit ipſos Dominum negantes. Mores illorum tangit. Nam & Chriſtus ipſe falſos Prophetas & Doctores ex moribus cognoſcere docuit Matth. VII, quales enim ſunt mores, talis & doctrina illorum eſt, & contra. Nam homines iſti falſis dogmatis & hæreſibus,

hæresibus, non vitam æternam quærunt, sed opes, voluptates, honores; at qui tales sunt, quorumque Deus venter est, non nisi vitiosi & malis moribus dediti esse possunt, quamvis externa specie pietatem simulent. Sed quod simulatur stabile ac diuturnum esse non potest. Loquitur autem in præsenti, quia jam moribus agerent corruptis, ut ex iis quæ infra scribuntur apparet.

Qui emit ipsos Herum, *δεσπότην*. Deum intelligit, qui solus Despotes in sacris literis appellatur. Ideo & in Epistola Judæ Jesus Christus distincte ab illo memoratur ℣. 4. Neque enim quia istic Domino nostro Jesu Christo peculiaris non præfigitur articulus in Græco, idcirco is qui solus Herus Deus dicitur, à Domino nostro Jesu Christo non distinguitur. Articulum enim hunc Græci sæpe negligunt, præsertim in aperto rerum ipsarum discrimine. Et quid attineret Dominum nostrum appellare eum qui jam solus Despotes Deus appellatus sit? Cur vero non intelligatur Domini nostri Jesu Christi Pater, qui & absolute Deus, & non tantum excellentiæ causa dicitur solus Herus, sed etiam solus Deus. Herum appellat Deum Apostolus emptioni convenienter.

Qui emit ipsos. Nempe sanguine Filii sui Jesu Christi: sanguinis enim istius pretio, pro ipsis & peccatis illorum effuso, Deus illos sibi mancipaverat, & suos proprios fecerat. Significat Apostolus falsos istos doctores ex ipsis Christianis exorituros esse. Nam & falsi Prophetæ olim ex Dei oriebantur populo. Neque etiam alii aditum tam facilem haberent ad ecclesiam aliosque Christianos. Hoc & Paulus Apostolus futurum prædicit Actor. xx. 30, & alter Apostolus Joannes jam factum esse dicit 1 Joan. 2. 19.

Abnegantes. Non ore, sed opere, non verbis, sed factis ac moribus. Mores & facta illorum plane dissona erunt a factis & moribus servorum Dei. Sic vivent, sic agent atque si servi Dei non essent. Operibus suis Dei se servos, & à Deo emtos esse negabunt. Simili ratione loquitur Apostolus de Judæis Euangelio adversantibus: idque ideo quod essent abominabiles, & inobedientes, & ad omne opus bonum reprobi Tit. 1. 16. Qui Dei servus ac mancipium est, divinis præceptis obedientem sese præbet, qui Dei præcepta contemnit & negligit, & se Dei servum & Deum Herum suum esse negat, sicut fugitiva & nequam facere solent mancipia. Judas in Epistola habet, *quod Dei nostri gratiam commutaverint in lasciviam*. Deus noster ex Legis rigore ac servitute nos liberavit, & sub paterna gratia habet. Hoc illi videntes, cum longe sanctiores esse deberent, quam sub Legis disciplina, quippe filii non servi, verterunt Dei gratiam in lasciviam, libertatem in licentiam ac petulantiam, Dei gratia paterna & libertate Christiana abusi sunt ad lasciviam, ad stupra, ad scortationes, ad illegitimos concubitus, & vagam libidinem. Nicolaitarum mores designari videntur, ex quibus tandem & doctrina illorum est orta, licere nimirum Christianis scortari & idololatricis interesse conviviis, de quibus Apoc. 2. 14, 15. His doctoribus falsis accensendi sunt omnes illi qui Christianis secundum carnem viventibus, regnum Dei pollicentur, dummodo morituri peccata confiteantur, pœnitentiam eorum agant (quod ne facere quidem vere possunt si ea saluti nihil obesse credant) oblatam, quam vocant, sumant, meritum & justitiam Christi sibi applicent, & similia. Quid enim refert sive vitia neges esse vitia, sive vitiosis regnum Dei sine vitiorum abdicatione aperias. De quibus Apostolus ipse infra ℣. 19 & sequentibus. Porro Judas, ut diximus, Deo adjungit Dominum nostrum Jesum Christum. Nam qui Deum abnegat, simul abnegat Jesum Christum. Is enim cum Deo unum est, & noster Dominus est nobis a Deo datus, & sicut Deo, sic & sibi ipsi nos emit suo sanguine.

Inducentes sibi ipsis celerem perditionem. Exitum istorum hominum docet qui mancipiis tanto pretio emtis, & tantum Herum abnegantibus dignus est. *Inducentes sibi ipsis*, nempe per sua hæretica dogmata, & flagitiosa facta.

Celerem perditionem. Perdet illos Deus, & quidem celeriter, postquam quæ pridem faciunt, etiam licita esse alios docuerint. Notandum est improbos sibi ipsis auctores esse perditionis. Non Deo adscribenda est hominum perditio, sicut nec improbitas, sed illis ipsis. Ipsi sibi perditionem inducunt & accelerant factis perditis. Nam etsi Judas homines istos olim antescriptos dicat in hoc judicium, nempe ut talia patrarent vers. 4, tamen & hac ipsum proprio illorum factum est merito. Neque aliter scripta fuerunt, quam quod Deus permissurus esset ut semper in deteriora ruerent.

Vers. 2. Prædicit quod multos habituri sint asseclas.

Et multi, ex Christianis nimirum, *sequentur*. Multis enim arrident blandientia carni dogmata.

Eorum perditiones. Id est dogmata & exempla, quæ perditiones vocat, per metonymiam effecti, quod perditionem afferant.

Per quos. Nempe falsos istos doctores eorumque discipulos & sectatores, id est illorum occasione & causa.

Via veritatis. Id est, via quæ est veritas, per genitivum differentiæ. Intelligit autem Christianam doctrinam, quæ absolute & κατ' ἐξοχὴν veritas dicitur. Quam viam appellat, per metaphoram, quod suos sectatores tanquam via ducat in cælum & vitam æternam.

Blasphematur. Conviciis proscinditur ab infidelibus, quasi Christiana religio talium dogmatum & flagitiorum sit officina.

Vers. 3. Tangit falsorum doctorum avaritiam. *Et in avaritia*. Id est per avaritiam. Prædicit eos fore avaros, id est lucri avidos.

Fictis sermonibus. Id est, sermonibus ad seducendum compositis.

Vos mercabuntur. Id est vos sibi comparabunt, suos sectatores facient, ut ex vobis lucra & opes colligant pro tam egregia doctrina. Metaphora sumta à mercibus, quæ à negotiatoribus emuntur lucri causa. Id ipsum fit & hodie, unde enim spiritualium negotiatorum tantæ divitiæ, tantæ voluptates,

luptates, tanti honores & dignitates, niſi ex dogmatis quę æternam ſalutem affirmant iis qui vitia non deſerunt, ſed deſeruntur à vitiis ? Ex ſimilibus autem moribus & laſcivia & avaritia, facilis eſt de doctrina æſtimatio.

Quibus judicium jam olim non otiatur. Iterum de eorum haud dubia & celeri pœna agit.

Quibus. Ut ſcilicet eos invadat judicium, id eſt pœna, per metonymiam cauſæ.

Jam olim. Apparet eos jam olim agitaſſe de hæreſibus ejuſmodi inducendis conſilia, & Deum etiam jam olim de iis puniendis & perdendis decretum feciſſe. Ideo & Judas ait, ut vidimus, eos olim ad hoc judicium ante ſcriptos eſſe ℣. 4.

Non otiatur. Per metaphoram, vel proſopopoëiam, quaſi eos nihil curaret, nihil de iis cogitaret, ut otiantes ſolent. Habet illos maximæ ſibi curæ, ne ulla ſit in ſe mora.

Et perditio ipſorum non nictat. Simili metaphora vel proſopopoëia rem eandem inculcat: *perditionem* dicit quod *judicium* dixerat, *ipſorum* dicit, quod dixerat *quibus*, *non nictat*, quod dixerat *non otiatur* ſenſu eodem, oculos in illos habet intentos, ut protinus adſit ubi tempus à Deo conſtitutum adveneri. Non tantum non dormit, ſed ne nictat quidem, & oculis connivet. Vigilat indefeſſa.

Verſ. 4. Exemplis probat divinam ultionem iſtis hominibus defuturam non eſſe. *Si enim Deus* &c. Argumentum a majori ad minus.

Angelis qui peccarunt Deus non pepercit. Quanto minus parcet hominibus peccatoribus ? Angeli enim multo præſtantioris naturæ ſunt quam homines, & naturæ immortalis divinitate Deo ſimiles.

Angelis. Intelligit Diabolum & Angelos ejus, qui quia ab initio eodem in beatitatis ſtatu fuerunt cum cæteris Angelis qui non peccarunt, ideo communi Angelorum nomine interdum appellantur. Vox Angelorum Græca, nuncios ſeu miſſos natura ſua ſignificat, ſed ſpiritibus illis immortalibus facta eſt propria, quod à Deo mitti ſoleant.

Qui peccarunt. Ad diſtinctionem ab illis qui non peccarunt, & ſancti ac boni permanſerunt. Ideo & ſancti ſolent appellari. Peccatum eorum deſcribit Judas, *Angelos*, inquit, *qui non ſervarunt ſuum principatum*, id eſt, qui ſuo quem à Deo habebant principatu non erant contenti, altiorem ſpectabant, *ſed reliquerunt proprium domicilium*, id eſt, ſeceſſionem fecerunt ſuo proprio & domicilio & principatu relicto, ut ad celſiora ac ſublimiora pervenirent: quod enim prius dictum eſt per negationem, nunc dicitur per affirmationem contrarii. Ut merito communis Theologorum omnium ſit ſententia Diabolum cum Angelis ſuis ſuperbia, id eſt altiorum affectatione peccaſſe.

Non pepercit. Intellige, quamvis propter naturæ illorum præſtantiam multo majores parcendi cauſas haberet.

Sed catenis caliginis. Id eſt catenis quæ ſunt caligo, per genitivum differentiæ, ſpiritus enim non aliis niſi ſpiritualibus catenis conſtringi poſſunt.

In tartarum detrudens, ταρταρώσας. Participium activum præteritum. Significat, quod eos Deus in tartarum detruſerit, ut doceat quo pacto eos catenis caliginis tradiderit aſſervatos. Tartarus enim veluti carcer profundiſſimus, proinde tenebris obſitus per metaphoram à rebus corporeis dicitur. Senſus eſt quod Deus Diabolum, & Angelos ejus ex ſublimi præcipites dederit in hæc inferiora, quæ etſi Apoſtolus Paulus appellet noſtri reſpectu ſupercæleſtia Eph. VI. 12, tamen tantum diſtant à priori Angelorum iſtorum domicilio, ut illius reſpectu merito in tartara dejecti dicantur.

Tradidit. Nempe potentia ſua.

In judicium aſſervatos: In judicium. Nempe illud ultimum, ſeu ut Judas ait, in judicium magni diei quo pœnam ſuam recipient, ignem illum æternum.

Aſſervatos, τετηρημένους. Nempe catenis caliginis & tartaro. Similitudine ſumpta a facinoroſis, qui ante judicium & damnationem catenis vincti in profundo carcere aſſervantur: quaſi dicat, quia principatum ſuum ſervare noluerunt, ſed proprium deſeruerunt domicilium, ideo nunc in tartaro ſervantur ne inde exire poſſint. Nam & Judas eodem ſervandi verbo utitur in eorum & peccato & carcere deſcribendo ℣ſ. 6. Merito enim in vili carcere ſervantur, qui volentes principatum ſuum non ſervarunt. Eſt autem oratio Apoſtoli ἀνανταπόδοτον. Nam particula *ſi*, ab initio commatis poſita, requirit apodoſin, nempe, ut jam diximus, multo minus hominibus tam nequiter agentibus parcet, quidquid aliis præcellere videantur. Ipſorum tamen dignitas cum Angelorum dignitate conferri non poteſt.

Verſ. 5. Alio exemplo rem eandem evincit. *Et antiquo mundo.* Id eſt hominibus univerſis, per metonymiam continentis pro contento, quos antiquum mundum vocat reſpectu novi mundi, id eſt, humani generis poſt internecionem univerſalem reparati.

Non pepercit. Quamvis toti mundo, & hominum generi univerſo, ne quis multitudine ſe defenſum iri putet.

Sed octavum Noë cuſtodivit. Ne ſcilicet, una cum cæteris omnibus interiret, cuſtodivit autem divina ſua providentia. Nam & ut arcam ſibi pararet tempeſtive monuit, & modum illius conſtruendæ docuit, & ipſe in arca occluſit, & ne arca tantis in fluctibus interiret effecit.

Octavum, ὄγδοον, *Noë.* Id eſt, Noë cum uxore, tribus filiis & tribus nuribus, ut ipſe octavus eſſet.

Juſtitiæ præconem. Cauſam exprimit ſervati Noë, quod non tantum ipſe juſtus eſſet, ſed etiam aliis juſtitiam prædicaret, id eſt, alios juſtitiam publice doceret & ad eam adhortaretur, exitium omnibus imminere denuntians. Niſi ab injuſtitia & impietate ad Deum & juſtitiam converterentur. Ita Deus unum Noë juſtum pluris fecit, quam univerſum mundum injuſtitiæ & impietati deditum. Opponit enim Apoſtolus unum Noë, toti mundo, & factum Dei circa Noë, facto Dei circa mundum, huic non pepercit, ſed illum cuſtodivit.

Diluvium

Diluvium mundo impiorum inducens. Ἐπάξας, participium præteritum activum. Latini dicerent diluvio inducto, exprimit quo pacto Deus non pepercerit antiquo mundo, quod scilicet ei diluvium induxerit quo omnes aquis hausti & suffocati sunt.

Mundo impiorum. Id est mundo ex solis impiis constanti, per genitivum materiæ. Causam exprimit pœnæ divinæ, quod omnes homines essent impii, nulla erga Deum pietate, nulla religione, nullo metu agerent. Justum igitur erat, non tantum ut interirent, sed etiam ut eo modo interirent, qui Deum esse & impietatis vindicem esse doceret, quique non aliunde quam à divina potentia proficisci posset.

Vers. 6. Tertio exemplo idem arguit. *Et civitates Sodomorum & Gomorræ.* Præcipuas nominat, quamvis plures essent.

In cinerem redigens. Τεφρώσας, Latini dicerent, *in cinerem redactis*, per participium passivum. Igne enim cælesti deflagrarunt.

Subversione damnavit. Id est punivit, penitus eas cum omnibus incolis in pœnam impietatis eorum subvertit, & ex natura rerum sustulit. Quid profuit illis quamvis integræ civitates essent? Nihil est quod impiis patrocinari queat, si impii esse non desinant.

Exemplum iis qui impie acturi essent ponens. Τεθεικώς, Latini, *exemplo posito*, per participium passivum. Docet quo fine Deus civitates istas igne cælesti subverterit. Nempe ut eas exemplum poneret iis qui impie acturi essent. Ut hinc intelligerent impii, esse Deum in cælis, ultorem impietatis, & quid se maneat si in impietate perrexerint, proinde ut ab impietate recedant. Deum sancte colant, & in omnibus actionibus suis illius timore gubernentur.

Vers. 7. Docet quam Deus in hac quoque civitatum istarum clade justi hominis, quamvis unius, non fuerit immemor, ut ostendat, non aliam rationem esse Dei pœnas evadendi nisi justitiam. *Et justum Lot*, quamvis unum cum sua domo. Nec injustis multitudo prodest, nec paucitas justis obest.

Justum. Proinde pium & Dei timentem. Nam Dei timor justitiæ fons est.

Qui fatigabatur &c. Argumentum addit ejus justitiæ. *Fatigabatur*, καταπονούμενον, animo scilicet, ut mox explicat Apostolus, quanquam nec corporis vexationes poterant abesse unius justi, inter tot impios & injustos, quod & in Angelorum in domum Loti adventu apparuit.

Ab nefandorum in lascivia conversatione. Docet unde fatigatio ista Loti proficisceretur. *A nefandorum*, nempe hominum illorum

Conversatione. Id est moribus & factis perpetuis: quos nefandos appellat, quia nec jus, nec fas, nec Deum ante oculos haberent.

In lascivia. Exprimit istam conversationem, quod scilicet omni lasciviæ dediti essent, id est peccatis impuris & flagitiosis.

Liberavit. Nempe Deus per Angelos suos, qui Lotum confestim ex Sodoma eduxerunt, nec ante ignis de cælo demissus est, quam Lotus in tuto esset. Affligebatur Sodomitarum peccatis, ideo pœnis afflictus non est.

Vers. 8. Explicat cur dixerit Lotum fatigatum fuisse illorum conversatione.

Visu enim & auditu. Id est videndo & audiendo. Multa videbat indigna, & quæ non videbat audiebat.

Ille justus. Iterum eum justum appellat, ut miraculo esset inter tot injustos unus justus.

Habitans in ipsis. Id est inter ipsos. Causam indicat cur eum videre & audire facta illorum necesse fuerit, quia inter illos habitabat.

Diem de die. Id est quotidie, sine intermissione.

Animam justam. Ut causam cruciatus inferret, anima enim justa, id est justitiæ unice dedita illiusque cultrix, non potest non torqueri videndo & audiendo inique facta.

Nefandis operibus, ἀνόμοις ἔργοις. Nempe Sodomitarum inter quos habitabat.

Torquebat. Exemplum habemus, justos adeo abhorrere ab injustitia, ut etiam cum vident & audiunt aliorum injusta facta animo crucientur, & hactenus mallent se cæcos ac surdos esse. Huc pertinet Scripturæ dictum: Zelus domus tuæ comedit me, & illud Apostoli, quis scandalizatus & ego non uror.

Vers. 9. Ex superioribus duobus exemplis notabilem ponit sententiam. *Novit Dominus.* Id est Deus ille unus, quem Domini titulo, alioquin Christo nunc proprio, designat, quod ageret de antiquis exemplis.

Pios ex tentatione. Id est malis & calamitatibus, ipsaque tristi ac funesta morte, per metonymiam adjuncti, quod per ista homines tentari soleant. Sic inter alia tentationis vox accipitur Apoc. III. 10, & qua alia ex tentatione liberatus est Noë quam ne diluvio, & Lotus quam ne cælesti igne interiret?

Liberare. Ne scilicet omnibus aliis pereuntibus, pii pereant, quamvis inter illos vivant. Novit hoc Deus facere & modum facile invenit, quamvis nullius hominis ratione exputari, nulla humana ope præstari possit. Nonne hoc in liberatione Noë & Loti manifeste apparuit? Non est igitur ut pii impiorum interitu imminente & ingruente sibi metuant, non est ut de salute sua desperent, quamvis rationem qua servari possint nullam ipsi videant, nullam suis in viribus & mediis humanis ac naturalibus habeant. Est Deus qui ob divinam suam sapientiam & potentiam in promptu habet modum expediendæ illorum salutis. Is qui rationem habet liberandi pios ex ipsa morte, & in vitam æternam asserendi, eosque cælo ac terra pereuntibus, ne una pereant conservandi, quanto facilius immunes præstare poterit inter publicas sævientis belli, pestis, famis, calamitates, præsertim cum sæpe Deus malos & injustos ob idipsum perdat ut pios & justos ab eorum vexationibus liberet? Huc pertinent verba Psalmi xc. Dum vero dicit, quod Deus norit liberare pios, simul insinuat Deum id facturum esse. An enim pios non liberaret, cum id facere norit & possit? An non æque bonus est, quam est potens & sapiens? An pios non amat? An iis non bene vult? An ergo cum impiis eos perire pateretur, & nullum inter pios & impios discrimen faceret? Hinc non tantum Noë, & Loti, sed innumera alia divinæ providentiæ in piis conservandis habemus exempla. Quod si aliqui

conservati non sunt, vel ipsorum culpa ac temeritate id factum est, quod sibi cum possent ac deberent, non caverint, vel peculiari aliquo Dei judicio, cujus ipsi rationes constant. Hoc satis est quod pii, quamvis periisse videantur, non pereant, quippe ex interitu in vitam immortalem à Deo vindicandi.

Injustos autem, intellige καὶ οἶδε, *novit*. Ex iisdem exemplis rem de injustis contrariam asserit. Injustos opponit piis. Maluit autem injustos dicere quàm impios, quia ad pœnam sufficit injustum aliquem esse, quamvis non plane sit impius, ne quis in impiorum argutetur voce. Injustitia late sumpta etiam impietatem includit. Nihil enim est justius quam erga Deum pium esse. Et pietas late sumpta, justitiam omnem continet, qui enim erga Deum vere pius est, omni justitiæ, omni virtuti deditus est.

In diem judicii puniendos servare. Quasi dicat, etiamsi Deus injustos non statim puniat, det illis spatium vel pœnitendi, vel si nolint, injusta facta cumulandi; tamen novit eos servare in diem judicii, sicut servaverat antiquum mundum, & civitates Sodomorum & Gomorræ. *In diem judicii*, quatenus scilicet injustis diem judicii, proinde pœnæ constituit.

Puniendos, κολαζομένους. In præsenti, per enallagen temporis, propter punitionis certitudinem.

Servare. Tanquam vinctos in carcere. Nemo injustorum Deo elabetur. Mundo huic tanquam carceri omnes includimur, ex quo ne mors quidem quenquam potest eximere. Docet igitur & diem judicii injustis constitutum esse, & neminem interea posse Deo elabi, & ubi dies iste advenerit, injustos punitum ac perditum, justos liberatum iri, quod maxime ultimi illius judicii die manifestum fiet.

Vers. 10. Docet quos injustorum maxime Deus in diem judicii servet, ut simul mores istorum hominum, qui falsa dogmata & hæreses perniciosas introducturi erant, describat, ut ex moribus judicium capiamus de doctrina, & falsos doctores cognoscamus. Nam qui doctores istiusmodi sunt moribus, necesse est ut tandem falsa doceant. Neque enim sanæ doctrinæ cum malis moribus diuturnum esse potest contubernium.

Maxime vero, intellige καὶ οἶδε, *servat in diem judicii puniendos eos qui post carnem*, Judas addit, *alienam*, id est post scorta, post exoletos, post quamvis carnem, cum qua illicita & nefanda est venus, *eunt*. Similitudinem sumit à bestiis, femellas sine discrimine sectantibus, in quibus libidinem expleant.

In cupiditate. Id est per cupiditatem, cupiditate acti.

Inquinamenti. Id est Veneris nefandæ, per quam inquinatur & anima & corpus 1 Corint. vi. 18.

Et dominationes contemnunt. Alterum crimen cui Deus maxime irascitur, est dominationum contemptus. Sicut enim Deus conjugium maris & fœminæ instituit, ad evitandam vagam & pollutam Venerem, sic & dominationem, ad innocentium tutelam & civilis honestatis custodiam. Itaque Deo ipsi rebellat quisquis & conjugium & dominationes profanat & susque deque habet.

Dominationem. Id est eos qui dominandi in alios jure utuntur, ipsumque dominandi jus: abstractum ponit pro concreto. Sic & potestatum voce utitur Paulus, & Petrus mox voce gloriarum.

Contemnunt. Id est, ut statim ipse explicat, non metuunt, conviciis etiam proscindunt, ei sese non subjiciunt. Hic mihi vide quinam inter doctores istorum criminum nota insigniti sint, ut hinc & de illorum doctrina judicium feras. Ex istis moribus ortum est Nicolaitarum dogma, conjugium & dominationem humani non divini esse instituti: orta sunt & alia dogmata, quæ eo tendunt omnia ut sine sanctis moribus vitam æternam queamus adipisci.

Audaces. Qui audent illicita. Nec mirum, cum potestates civiles non metuant.

Sibi placentes, αὐθάδεις. Neminem curant, arrogantes sunt, alios despiciunt, iisque se anteponunt. Sic enim facere solent qui sibi ipsis placent, sua opinione & sententia sapientes & docti & præstantes ac eximii viri sunt. Vide & hic in quos doctores ista quadrent.

Glorias non tremunt. Id est, etiam sublimes potestates. Gloriam ponit pro hominibus gloria præditis. Majestatem intelligit Regum & Imperatorum. Ideo dicit non tremunt, quamvis ob tantam majestatem tremendi causas habeant. Omnis majestas Regum & Imperatorum illis pro nihilo est, vide Antichristum 2 Thess. 2. 4.

Blasphemantes. Id est, conviciis ac maledictis insuper famam eorum ledentes, si quid illis non ad placitum faciant. Potest & participium accipi pro verbo, per Atticismum, glorias non tremunt blasphemare.

Vers. 11. *Quum Angeli &c.* Exemplo Angelorum revincit & coarguit Apostolus homines in civiles potestates blasphemos & contumeliosos. *Quum*, ὅπου. Sic 1 Cor. iij. 3: quasi dicat, homines hoc faciunt, quum Angeli hominibus robore & potentia majores id facere non audeant, ut apud Judam legitur ℣. 9. *Angeli*, quia unus ex Angelis, nempe Michaël, isque Archangelus, Juda interprete ℣. 9. Sic & latrones dicuntur in Christum probra conjecisse Matth. xxvii. 44, quia unus ex latronibus, teste Luca. xxiii. 39, 40.

Qui robore & potentia majores sunt. Intellige quam homines. Angeli robore & potentia sua facile sese tueri possent: at homunculi isti, quibus viribus suis adversus potestates confidunt? Et unde spiritus istos sumunt?

Non ferunt adversus ipsas. Id est glorias & dominationes. Abstractum pro concreto. Sic vocem θειότης Deitatis, usurpavit Apostolus, pro Θεὸς Deo. Conf. Col. 2. 9 cum Eph. iij. 19. Intelligit autem Apostolus, interprete Juda ℣. 9, Diabolum, qui unus etiam est ex dominationibus & gloriis, quatenus illi Deus tantum imperium in tot Angelos & homines usurpare permittit.

Apud Dominum. Quasi dicat, quamvis apud Dominum versentur & cum illo habitent, ubi illis à nemine metus & periculum est, proinde plura licent, vel etiam quia apud Dominum versantur & habitant, ubi

ubi omnia sancte & decore fiunt. Sic enim convenit apud magnos Reges ac Principes, ex quorum aulis omnia decoris & honestatis exempla manare debent in populos subjectos. Domini nomine hoc loco designat unum illum Deum Jesu Christi Domini nostri Patrem, ex antiquo usu, quia etiam ad antiquam historiam respicit.

Blasphemum judicium. Id est decretum & sententiam, per metonymiam causæ pro effectu, quia decretum & sententia judicii effectus est. Nihil blasphemi & contumeliosi adversus illas pronuntiant: Domini omnium communis judicio & increpationi eas permittunt Jud. ℣. 9: quasi dicat Angelus, tu quidem, ô diabole mihi adversaris, & mecum Dei ministerium peragente contendis: sed quia te Deus tantum imperium habere permittit, & tot Angelorum ac hominum millia ultro sese tibi subjiciunt, ego te nullo contumelioso dicto usciscar, Deus, qui communis nostrum omnium Dominus & Creator est, suo jure, ac pro tuis meritis te tractet, & iis quibus dignus es, verbis afficiat. *Judicium blasphemiæ* apud Judam per duo substantiva ponitur, pro judicio blasphemo, ut hic habetur. Exemplum autem diaboli monet nos, ut etiam erga malas & iniquas, & adversarias, atque adeo & alienas potestates, patientes ac modesti simus, ob solam eorum quâ præditi sunt, Deo sic permittente, potestatem. Historia hæc, ad quam respicit Petrus, & quam refert Judas de Michaële Archangelo, cum diabolo de Mosis corpore contendente, in Veteris Testamenti quos nunc habemus libris non exstat, quod & aliis quibusdam dictis vel factis, quæ tanquam antiquitus tradita in Novo Testamento citantur, usu venit 2 Tim. III. 8. Jud. ℣. 14. Unde consequitur vel sacra quædam volumina ad manus nostras non pervenisse, vel ea quæ citantur, cum nihil contrarium sacris voluminibus continerent, antiqua traditione publicata, notitiam & auctoritatem apud populum obtinuisse. Nam & Petrus & Judas rem hanc citant tanquam vulgo notam. Traditur autem hæc res, ut & alia, sive Dei ipsius, sive Angelorum inter se facta, humano more, & ad hominum intelligentiam accommodato, quia & in illorum usum tradebatur, quo pacto & ipsius mundi creatio describitur. Nam alioquin nec Deus, nisi cum ad homines loquitur, nec Angeli inter sese humano sermone uti habent necesse. Hujus porro rei notitia, vel per divinam revelationem hominibus obtigit, vel quia Angelus ut ab hominibus conspiceretur, humana specie indutus, & consequenter humano more loquens, certamen hoc cum diabolo inierat. Cæterum quæ fuerit Angelis istis de Mosis corpore concertatio, res ipsa docere videtur, nempe diabolum potiri voluisse Mosis corpore, Angelum autem à Deo missum illi restitisse. Quo vero fine potiri voluerit, ex contrario quem Deus intendit fine perspici potest. Deus enim ipse clam Mosis corpus sepeliverat, id agens, ne quisquam hominum sciret ubi sepultum esset, non quo corpus Mosis conservaret, id enim sibi perire nusquam potest, sed ne populus Israëliticus viri tam sancti corpore ad cultum & venerationem religiosam abuteretur, quod eum in serpente illo æneo fecisse videmus, qui etiam superstitionis istius tollendæ causâ ab Ezechia Rege pio contusus ac comminutus fuisse legitur. Diabolus ergo Deo adversari semper suetus, ut ad cultus istos populum adduceret, Mosis corpus proferre & propalam facere conatus est. Hinc apparet quam gratam rem Deo faciant & sibi salutarem, qui sanctis, quos vocant, reliquiis tantam religionem ac venerationem impendunt, in quibus, etiamsi multiplex & aperta non esset deceptio, quia tamen hæc religio Deum non habet ducem & autorem, non tantum eam vanam ac superstitiosam, sed etiam Deo adversam & idololatriæ affinem esse, necesse est.

Vers. 12. *Isti vero.* Quasi dicat, Angelis multum moribus & sanctitate dispares. Intelligit autem eos de quibus dicere cœperat ℣. 1, 2, 3, 10, hæresium pernitiosarum futuros auctores & doctores, de quibus spiritu Prophetico sic loqui incipit, tanquam si jam præsentes adessent.

Tanquam bruta animantia naturalia. Id est, similes brutis & ratione carentibus animalibus, quæ solius naturæ instinctu aguntur, sine ullo honesti & inhonesti discrimine, quatenus scilicet, non ut homines qui ratione præditi sunt, deceat, promiscuæ Veneri indulgent, nec leges curant casti, & vagas libidines coërcentis matrimonii, quanquam & bruta animantia, in quibus ad curam sobolis etiam paterno opus est auxilio, conjugio inter se copulata ipsius naturæ ductu vivunt.

Generata in capturam & corruptionem. Quasi dicat, bruta animantia promiscuæ Veneri operam dare, ad idque à natura ferri nil mirum, cum ea generata sint in hunc finem, ut ab hominibus capiantur & corrumpantur, in varios hominum usus. Unde mirum non est, quod multiplicandæ eorum fœturæ causa multiplicem ac promiscuum Veneris usum iis natura concesserit: at homines alium in finem generati sunt, in vitam scilicet ratione, qua præditi sunt & cætera animantia excellunt, dignam, id est, recti & honesti legibus circumscriptam & decoram, per quam tandem etiam immortalem divino beneficio consequantur. Homo enim, ut à sapiente dicitur, creatus est ad immortalitatem.

In quibus ignorant. Id est quæ ignorant. Particula *in* ex Hebræorum idiotismo apposita. Judas habet, *quæ nesciunt.*

Blasphemantes. Istorum flagitiis & scortationibus interserit alterum illud ipsorum crimen, quod potestates civiles dictis incessant contumeliosis, eas sublatum cupiant, & subjectionem, quantum possint, denegent, imo ipsimet iis, si queant, dominari cupiant, & justum putent. Istud hominum genus ortum, credo, duxit ex Zelotis illis Judæorum, qui Romanum Imperatorem & Romanos Magistratus dedignati, solum Deum dixerunt esse suum Dominum, idque etiam armis, quoad potuere, vindicarunt, & cum armis non possent, invicta patiendi pertinacia. Narrat inter alia exempla Josephus Lib. VII de bello Jud. cap. 29, de sexcentis eorum simul captis: Omni, inquit, genere tormentorum & vexatione corporum in eos excogitata, ob hoc solummodo, ut Cæsarem dominum faterentur, nemo cessit, neque dicere velle visus est. Maxime vero addit, puerorum ætas miraculo spectantium fuit, cum

nec

nec eorum quisquam commotus est, ut Cæsarem dominum nominaret. Recte vero dixit Apostolus, homines istos blasphemare, quæ ignorant. Si enim non ignorarent Reges & potestates civiles ab ipsoDeo constitutas esse, ut per eas tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate & honestate, proinde nec ipsam Christi ecclesiam sine eorum regimine ac præsidio posse consistere, nunquam adversus eas vel dictis vel factis insurgerent, neque sese eorum subjectioni eximerent, sed potius pro iis (quod & Apostolus Paulus peculiariter præcepit 1 Tim. 2. ÿſ. 1, 2, 3) preces & vota facerent & gratias agerent. Ignaros autem istos homines dicit Petrus, non ut eos excusaret, sed potius ut tanto magis redargueret, quod ignorarent quæ maxime scire & intelligere ipsa ratione duce deberent. Nimirum id solum sciunt, quod etiam bruta animalia natura docuit, libidinem explere: ubi vero supra bruta sapere oportet, ibi non sapiunt. Judas huic loco lucem attulit ÿſ. 10. *Isti vero*, inquit, *quæ quidem nesciunt*, id est quorum rationem & usum non intelligunt, *blasphemant*, civiles nempe potestates, *quæ vero naturaliter*, sola nimirum natura duce, sine ullo rationis adminiculo, tanquam bruta animantia, *sciunt*, nempe veneri & ventri indulgere, *in his corrumpuntur*, non observato nimirum in iis rectæ rationis modo, seu honesto & decoro, fiunt homines vita & moribus corrupti, scortatores, adulteri, incesti, turpes & flagitiosi, casti contemtores matrimonii, quod solum & unicum totius civilis societatis fulcrum est & fundamentum, ut merito Auctor ad Hebræos scriptum ac præceptum reliquerit, sit, inquit Hebr. XIII. 4, *honoratum inter omnes connubium & cubile impollutum*; *Scortatores autem*, qui citra connubium venerem exercent, *& adulteros*, qui alienum etiam cubile polluunt, *judicabit Deus*. Omnis extra connubium honoratum venus, turpis & flagitiosa est, & Deum habet judicem ac vindicem, quamvis hominum pœnas effugiat.

In corruptione sua. Id est ob mores suos corruptos. Intelligit autem hic corruptionem moralem. *In* pro *per* vel *propter*, per Hebraismum.

Corrumpentur. Æterno videlicet exitio per ignis supplicium. Nimirum corruptionem corruptione ulciscetur Deus. Vixerunt pecudum more, capientur etiam & corrumpentur à Deo ut pecora.

Vers. 13. *Portantes mercedem injustitiæ.* Declarat quomodo corrumpentur. Merces injustitiæ est pœna injustitiæ à Deo decreta, ignis æterni supplicium. Nihil autem est injustius, quam extra conjugium honestum Veneri indulgere, vel civilis potestatis legibus velle solutum vivere. Loquitur autem de rebus futuris tanquam de præsentibus.

Voluptatem ducentes. Id est consectantes, per metonymiam causæ. Quæ enim voluptatem ducimus, ea consectamur, iisque dediti sumus.

In die. Intellige quolibet.

Luxuriam. Quotidianæ luxuriæ dediti, in cibis, in potu, in nimia corporis cura.

Labes & maculæ. Nempe Christianæ religionis & congregationis ob luxuriosam & flagitiosam vitam.

Oblectantes se. Ἐντρυφῶντες luxuriantes.

In seductionibus suis. Docet unde illis hic luxus & deliciæ, ex eo quod homines seducant à via veritatis & sanctitatis, latiorem ad salutem commonstrantes viam, hominum auribus loquantur placentia, à quibus vicissim accipiunt opes & munera, & rerum omnium etiam ad luxum affluentem copiam. *In* positum pro *per* Hebræorum more.

Convivantes vobiscum. Nempe in conviviis publicis Christianorum, quæ vocabantur Agapæ, ut apparet ex Judæ verbis ÿſ. 12. Nimirum isti non tantum privatim & domi suæ singulis diebus luxuriabantur, sed etiam publice in Agapis. Quis enim pudorem in impudentibus & metum in potestatum civilium contemptoribus requirat?

Vers. 14. *Oculos habentes plenos adulterii.* Adulterii nimirum, quod fit cupiditate seu in corde. Oculis id tribuitur, quia oculorum ministerio peragitur.

Et irrequietos peccati. Id est, nunquam eorum oculi à peccato quiescunt. Oculis semper adulterant, semper scortantur, quamvis aliis corporis partibus non semper possint, & si reliquum corpus eorum delassetur scortationibus & adulteriis, at oculi peccandi cupiditate satiari nunquam possunt.

Inescantes animas instabiles. Id est voluptate corporis tanquam esca proposita homines alliciunt, capiunt & venantur, id est sua illis dogmata persuadent.

Animas. Id est homines, per synecdochen partis.

Instabiles, ἀστηρίκτους. Id est in veritate, & quæ secundum pietatem est doctrina nondum satis confirmatos, quibus jucundum erit audire, scortari, & vagæ Veneri indulgere, rem esse naturalem & per se licitam, similiterque idololatricis interesse conviviis, potestatibus civilibus in Dei populum nihil juris esse, & quæ alia carni blanda & suavia, cæterum justitiæ & sanctitati adversa, & ad illius destructionem tendentia, falsi doctores proponunt.

Cor exercitatum avaritiis habentes. Docet quid in venandis & capiendis hominibus spectent, lucra nimirum sua & emolumenta. Summam istorum avaritiam notat, cujus & ÿſ. 3 jam meminerat. *Cor*, id est animum, per metonymiam, quod cor animi sit sedes. *Exercitatum*, id est edoctum & habile, nimirum ad lucra emungenda, ad quærendas opes & munera.

Avaritiis, πλεονεξίαις. Id est per multos & varios avaritiæ actus. Non novum est illis captare lucra, egregie callent hanc artem, probe sunt in illa exercitati.

Maledictionis filii, κατάρας τέκνα Hebræa phrasi. Id est maledicti & execrati, à Deo nimirum, qui lucri & luxuriæ causa hæreses inducunt, & justitiam ac sanctitatem in ecclesia Christiana, qua nihil debebat esse sanctius, destructum eunt.

Vers. 15. *Deserentes rectam viam.* Id est veritatem & pietatem Christianam, quæ sola ad vitam & beatitatem æternam ducit.

Aberrarunt, ἐπλανήθησαν. In errorem sunt acti, sua sponte nimirum, amore voluptatum divitiarum & honorum.

Secuti viam Balaami filii Bosor. Id est imitati sunt Balaamum filium Bosor.

Qui

Qui mercedem iniquitatis dilexit. Factum Balaami describit, ut doceat quanam in re eum sint imitati, & viam ejus secuti. Nimirum in hoc, quod sicut ille mercedem iniquitatis dilexerat, sic & isti dilexerint. *Mercedem iniquitatis*, id est facti iniqui & injusti. Balaacus Rex magnam mercedem proposuerat Balaamo, ut malediceret Dei populo, quod factum valde erat injustum & iniquum. Balaamus etsi hoc facere noluit, tamen facti istius mercedem

Dilexit. Id est concupivit, & animum ad eam adjecit, illiusque consequendæ causa ad Regem profectus est, alium citra maledictionem inventurus modum, (quippe homo avaritiæ ut apparet exercitatus) quo mercedem istam adipisceretur, quem & invenit, sed nihilo maledictione justiorem. Docuit nimirum Regem, ut per formosas subjectorum suorum mulieres Populum Israëliticum ad scortationes, & consequenter etiam ad convivia & cultus idololatricos pelliceret Apoc. 2. 14, 15. Ita enim fore ut Populus iræ divinæ sese faceret obnoxium, & cladibus à Deo afficeretur. Consilium hoc improbum approbavit eventus. Ita Balaamus per iniquum factum mercedem petivit & adeptus est. Hæc eadem & isti docebant populum Christianum, ut per ista sua improba & injusta dogmata, cupitis opibus potiantur Apoc. 2. 15, 20. Cæterum ex hoc Petri loco recte quis πλεονεξίαν (avaritiam) amorem & cupiditatem mercedis injustitiæ definiverit.

Vers. 16. *Redargutionem autem habuit.* Nempe à Deo per asinam.

Propriæ transgressionis. Παρανομίας, quod scilicet mercedem illam iniquitatis adamasset, & illius consequendæ causæ ad Regem tenderet. Transgrediebatur autem & deflectebat à Lege justitiæ, quæ docet omnia lucra esse spernenda quæ in justitia aliqua comparari debeant: hanc autem justitiæ legem Balaamus animo suo inscriptam habuit, non tantum per naturale rationis lumen, sed etiam cum Propheta esset, per spiritus divini virtutem.

Jumentum brutum &c. Exponit qua ratione fuerit redargutus, nimirum jumentum brutum, ἄφωνον, ullam humanam vocem edere nescium, asina nimirum.

In hominis voce loquens. Particula *in* redundat, phrasi Hebræa. Item vox ponitur pro sermone, per synecdochen partis.

Prohibuit. Quantum scilicet in se erat. Nam Balaamus nihilominus iter suum profecutus est.

Prophetæ dementiam, παραφρονίαν. Factum illud demens, idque in Propheta, qui præ cæteris mentem habere debuit. Vere dementes sunt, qui opum, voluptatum, honorum causa, Deum injuste factis offendunt. Nam & opes in perniciem, & voluptates in dolores maximos, & honores in æternum dedecus & opprobrium illis vertent. Mira Prophetæ istius redargutio. Effecit Deus ut asina Propheta sapientior esset. Hoc ideo merito commemorat Apostolus, ne quis falsorum doctorum sapientiæ nimium tribuat, iisque propterea credat, cum videat etiam Prophetam ab asina fuisse redargutum. Nimirum sapientes ab errore, nisi sibi diligenter caveant, immunes non sunt, sed cum errant, vehementer errant, & longe ultra vulgi modum, quod & Balaamo, & istis de quibus Apostolus loquitur, ejus similibus usu venit. Prohibuit autem asina Prophetam, non quod expresse diceret, ne ad Regem proficisceretur; sed tanto prodigio, quod asina, cui insidebat, & qua vehebatur, ipsum alloqueretur, & se nullo suo merito ab eo cædi diceret Num. 22. 28. Nam hocce tam insuetato portento monitus, ab itinere domum reverti, & sacram illam auri famem animo penitus excutere debuit. Sed frustra, Deo ipso pravum illius animum indurante, & quo intenderat ac cœperat, proficisci jubente, & cum homine perverso & auri cupido sic ut merebatur agente.

Vers. 17. *Hi sunt fontes aqua carentes.* Id est non habent id quod præferunt & quod promittunt. Ferunt se doctores veritatis, & carent omni veritate, præferunt justitiam & sanctitatem & religionem, & nihil minus sunt quam justi & sancti & religiosi.

Nubes à turbine agitatæ. Alia similitudine non tantum idem docet quod priore, homines istos non habere quod promittunt; (sicut nubes quæ a turbine agitantur, quamvis humorem & aquam præferant, tamen ea graves non sunt) sed etiam homines esse levissimos, & variis affectibus tanquam turbine rapi & ferri in omnem partem, sicut nubes, quæ a turbine agitantur, leves sunt.

Quibus caligo tenebrarum in seculum servata est. Docet quæ pœna istos homines maneat, similitudine sumta a carcere tenebrosissimo. *Caligo tenebrarum.* Per duo substantiva, id est tenebræ caliginosissimæ, vel caligo tenebrosissima.

In seculum. Id est quæ semper duret, seculum enim seculo succedet, & præsenti futurum.

Servata est. Τετήρηται, non peribit illis hæc pœna, quæcunque tandem rerum mutatio vel temporum longinquitas interveniat. Præteritum poni videtur pro præsenti.

Servatur. More Hebræo. Hunc igitur isti falsi doctores habebunt exitum suarum opum, honorum, deliciarum ac voluptatum, suorum adulteriorum & flagitiosarum libidinum, hoc pro falsis suis dogmatis operæ pretium ferent.

Vers. 18. *Prætumida enim vanitatis loquentes &c.* Causam affert tam gravis pœnæ gravissimum eorum delictum. *Prætumida vanitatis*, ὑπέρογκα ματαιότητος, per substantivum, pro vana prætumida: nam quanto quisque magis tumet, tanto vanius est.

Loquentes. Nimirum de se & de suis dogmatis. Dicunt se demum veros doctores esse, sua dogmata esse verissima, se veram docere libertatem, se optime scire quid sit Christianum esse, & similia, quæ omnia prætumida sunt & ipsa vanitas. Et talia de se falso jactantes,

Inescant. Id est ad amplectenda sua dogmata alliciunt,

In cupiditatibus carnis. Id est per cupiditates carnis, *in* pro *per*, cupiditatum carnis hominibus insitarum opera.

In lasciviis. Id est per lascivias. Hæ sunt esca ab illis proposita, dum earum licentiam per sua dogmata faciunt.

Eos qui vere defugerant eos qui in errore conversantur. Quasi dicat Apostolus, isti jactant se demum homines segregare ab iis qui in errore conversantur, cum interea rem faciant contrariam, & eos qui vere fugerant ab hominibus in errore conversantibus, eorum gregi iterum associent.

In errore conversantes. Sunt homines peccatis, & imprimis scortationibus & impuritatibus dediti, cujus conversationis causa est mentis error, veritatem & voluntatem divinam ignorantis.

Verf. 19. *Libertatem ipsis promittentes.* Id est iis quos inescant,& ad lascivias adducunt per sua dogmata, pollicentur ab omnibus pœnis Dei & ab æterno interitu libertatem. Eam enim demum veram Christianorum esse libertatem, in Veneris usu nullis adstringi matrimonii legibus, conviviis interesse etiam idololatricis, suo arbitratu vivere, nec civili magistratui obnoxium esse, superstitionem & vanum Numinis metum, summam esse servitutem, à qua sese homines liberare isti ajebant.

Cum ipsi servi sint corruptionis. Docet absurdam esse hanc illorum promissionem, proinde & vanissimam. Ipsi servi sunt corruptionis,& aliis libertatem à corruptione pollicentur? Qui seipsum à servitute liberare non potest, quomodo liberabit alios? *Corruptionis*, id est æterni exitii. Vide ℣. 12.

Cui enim quis victus est, huic & servus factus est. Confirmat quod dixit. Victi sunt à suis cupiditatibus, à peccatis. Cui vero? Corruptioni: cupiditates enim carnales & peccata, cui militant nisi corruptioni & æternæ morti? Corruptionis igitur & mortis æternæ ac servi sunt mancipia.

Verf. 20. *Si enim aufugientes &c.* Ulterius probat quod asseruit, per prolepsin. Exciperet enim aliquis, cur dicis istos esse corruptionis servos? Nonne possunt divina gratia æque facile à corruptione liberari, quam antea cum ad Christum ex mundo accederent, liberati sunt? Nonne sese cum voluerint ex hac servitute vitiis abdicatis possunt eripere? Non æque facile, inquit Apostolus.

Si enim aufugientes ab inquinamentis mundi. Id est à peccatis & imprimis impuritatibus,quibus mundus, id est homines qui sunt extra Christum (per synecdochen totius pro parte, vel metonymia continentis pro contento,) inquinati & contaminati sunt. Aufugiendi voce, qua & supra ℣. 18 usus est, docet Apostolus, vitia quam celerrime & quam longissime relinquenda esse, cum maximum periculum sit in mora, & in earum aliqua vicinitate.

In cognitione. Id est per cognitionem,

Domini & Servatoris Jesu Christi. Exprimit medium, per quod homines fugiunt ab inquinamentis mundi; per cognitionem Domini & Servatoris Jesu Christi, id est eorum quæ docuit Dominus & Servator Jesus Christus, per metonymiam causę. Docuit enim se vitam æternam donaturum omnibus qui ab inquinamentis mundi aufugerint. Includitur autem in hac cognitione fides iis quæ docuit habita. Nam qui non credit, perinde est, quod ad vim & effectum de quo agitur attinet, atque si non cognosceret. Qui vero credit, is facile vitæ æternæ consequendæ causa ab omnibus mundi inquinamentis fugit. Patet hinc ea dogmata, quæ vitam æternam iis despondent, qui mundi inquinamenta longissime non fugerint, Christi dogmata nequaquam esse, & qui in vitiis hærent, Christi cognitionem non habere, quod & alibi testatur Scriptura. Jesus Christus vocatur Dominus, quod in omnia dominatum acceperit à Deo, Patre suo; Servator, quod omnibus in se credentibus salutem, eamque veram & æternam, sit daturus.

His autem rursus implicati vincuntur. Docet quid sit à vitiis vinci. Iis implicari, sicut ab iis longissime fugere est illa vincere.

Fiunt ipsis ultima pejora primis. Id est in deteriorem veniunt statum, quam primus eorum status erat. Ultima dicit, quod vix unquam ex hoc statu regredi liceat ad meliora.

Verf. 21. *Melius enim erat ipsis &c.* Comprobat quod asseruit. *Melius*, quia malum multo majori malo comparatum boni, rationem quandam habet, quo pacto & Christus loquitur Marc. IX. 42. *Non cognovisse viam justitiæ.* Id est præcepta à Deo per Christum tradita, quæ via vocantur, quia homines viæ instar ad vitam æternam ducunt ac dirigunt, si in illis ambulent, id est secundum illa vitæ actiones omnes componant, illa faciant & exequantur. Justitiæ autem via dicuntur, per genitivum speciei vel differentiæ, id est via quæ est justitia, quia nihil aliud continent, quam veram justitiam. Hoc solum exigunt, quod omni ex parte jus fasque est, & prohibent omne nefas.

Quam ea cognita, ἐπιγνοῦσι. Intelligit eos qui probe cognoverunt viam justitiæ, maturo judicio, quæ cognitio proinde etiam in fugam vitiorum jam exiverat. Talis enim cognitio inerat istis,de quibus loquitur Apostolus. *Reverti*. Ad primam illam injustitiæ viam.

Ex tradito ipsis sancto mandato. Tanquam scilicet ex via justitiæ, quam fuerant ingressi, deserta injustitiæ via. *Mandatum*, ponit in singulari,quia genus ponit pro omnibus speciebus. Videtur hoc pacto maluisse loqui,non tantum propter respectum ad viam justitiæ, quæ una est; sed etiam quod ex uno aliquo præcepto, non tantum ex pluribus vel omnibus, ad injustitiam reverti magnum sit nefas & corruptionis servitute piandum. Nimirum unius mandati observatio ad vitę æternę præmium non sufficit, sed unius desertio ad mortis æternæ pœnam sufficit.

Sanctum, dicit, quia nil nisi meram sanctitatem continet, & omnes qui illud exequuntur, sanctos facit. Traditum autem ipsis intelligitur à Deo per sanctos Prophetas, & imprimis per Christum & ejus Apostolos ut cap. seqq. ℣. 2 dicit. Porro melius illis fuisse dicit viam justitiæ non cognovisse, quam cognita, reversos ab illa esse, quia in illo statu excusationem aliquam ignorantię vel imbecillitatis prętendere poterant; at in hoc nullam afferre possunt, præter solam malitiam & improbitatem, proinde Deus illis multo magis irascitur,& consequenter longe gravius illos puniturus est. Hinc etenim fit, ut prima illa peccata ob solam in Christum fidem & pœnitentię professionem ac propositum, à Deo condonentur; at hæc secunda non item. Nam si quis dicat, nihilominus à secundis peccatis, mature reversis ad viam justitiæ, & in ea ad extremum perseverantibus, patere Dei gratiam, & peccatorum veniam; verum hoc quidem est, sed quia id difficulter admodum fiat, & non nisi extraordinaria

ria quadam Dei gratia, ideo Apoſtolus hujus rei rationem non habet. Ad hoc reſpicit, quod ordinarium eſt. Eodem ſenſu & Auctor epiſtolæ ad Hebræos docet, *adÿv.*, eſſe ut ſemel illuminati &c, ſi prolabantur, à veritate nimirũ & juſtitia, iterum renoventur ad pœnitentiam cap. VI. 4, 5, 6, & iis qui voluntario peccant poſt acceptam veritatis notitiam, non amplius pro peccatis relinqui victimam &c. cap. x. 26, 27.

Verſ. 22. *Accidit autem ipſis.* Intellige ne quis adeo miretur hoc ipſis accidiſſe, ut ex ſancto præcepto reverterentur ad vitia quæ projecerant.

Hoc quod eſt veri proverbii. Nihil novum & inſolitum illis accidit, ſed id quod verum continet, & ſignificat proverbium ac dictum pervulgatum.

Canis reverſus eſt ad proprium vomitum. Quaſi dicat, canes erant, id eſt canum ſimiles. Ideo ad ſua quę evomuerant vitia reverſi ſũnt, ut ea iterum reſorberent homines impuriſſimi.

Et. Aliud proverbium refert ejuſdem ſignificationis.

Sus lota. Intellige reverſa eſt.

Ad volutabrum luti. Quaſi dicat, ſuibus erant ſimiles, quibus nihil profuit ablutos fuiſſe à ſordibus peccatorum, per juſtificationem & ſanctificationem in Chriſto, reverſi ſunt ad vitiorum cœnum, ut ſeſe in eo volutent. Hæc quæ Apoſtolus pronuntiavit de falſis doctoribus inter Chriſtianos exorituris, etſi primo in Nicolaitarum magiſtris impleta fuiſſe videntur, Spiritum tamen Sanctum multo etiam longius proſpexiſſe, rerum ipſarum docuit eventus. Nam etiam Nicolaitarum doctoribus extinctis, alii ſucceſſerunt, in quos omnia Apoſtoli verba non minus quadrant & conveniunt quam in Nicolaitas. Succeſſerunt, inquam, doctores qui vita & moribus ſe Dei & Chriſti ſervos eſſe negant, per quos via veritatis blaſphematur, qui per avaritiam fictis ſermonibus auditores ſuos quæſtui habent, qui poſt carnem alienam in cupiditate inquinamenti ambulant, qui dominationes contemnunt, & earum poteſtati ſe ſubducunt, imo earum ſeſe dominos ferunt, audaces, arrogantes, qui glorias minimè tremunt, blaſphemantes eas ſi vel minima in re ipſis adverſentur, qui in iis quæ naturaliter ſciunt corrupte agunt, quæ vero non intelligunt blaſphemant, qui quotidianum luxum conſectantur, labes & maculæ, luxuriantes per deceptiones ſuas, oculos habentes plenos adulterii & irrequietos à peccato, idque ſub ſpecie & profeſſione maximæ caſtitatis, qui animas inſtabiles ineſcant dogmatis deceptoriis, cor avaritiis exercitatum habentes, qui Balaamum ſecuti mercedem dilexerunt rei injuſtiſſimæ, id eſt falſorum dogmatum, quos vere dixeris eſſe fontes aqua carentes, & nubes à turbine quoquoverſum agitatas, qui prætumida vanitatis loquuntur, ſe veros eſſe Apoſtolorum ſucceſſores, Chriſti vicarios, univerſalis eccleſiæ Dominos, creatores ſui Creatoris, ſe clavos habere Regni cælorum, & abſolutam peccata remittendi, & indulgendi, & diſpenſandi poteſtatem, ineſcantes per cupiditates carnis, per laſcivias, libertatem a pœnis pollicentes levi peccatorum confeſſione defunctis, cum ipſi corruptionis, propter inquinamenta vitiorum, ſint ſervi. Quis igitur dubitet, ubi tales ſunt Doctores, iſtic & hæreſes pernitioſas eſſe, eaſque cum talibus Doctoribus ſimul in eccleſia pullulaſſe, & cum iis creviſſe & in immenſum excreviſſe?

CAPUT III.

Verſ. 1. **H**anc *jam dilecti, ſecundam vobis ſcribo epiſtolam.* Hinc apparet iſtam ſecundam epiſtolam, ad eoſdem directam & miſſam fuiſſe, (quamvis catholica dicatur) quibus prior ſpeciatim fuit inſcripta, id vero per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, Bithyniam diſperſis Judæis Chriſti fidem profitentibus: unde conjectari licet, epiſtolam hanc, ut & priorem, Babylone miſſam eſſe, cui regiones iſtæ viciniores ſunt, quam Romæ, quippe eadem in orbis parte poſitæ, quod adverſus illos dico, qui Babylonis appellatione Romam ſignificatam fuiſſe dicunt in epiſtola priore, nulla probabili ratione.

In quibus, nempe epiſtolis, *excito veſtram in admonitione*, id eſt per admonitionem, *ſinceram mentem.* Pectus candidum, mentem omni dolo & ſimulatione vacuam, nullo falſi aut vitii alicujus amore mixtam & infectam. Tali enim animo opus eſt ad virorum ſanctorum admonitiones cum fructu excipiendas.

Verſ. 2. *Ut memores ſitis.* Exprimit ad quid eos admonendo excitet, id eſt ut opere & factis pergatis, per metonymiam ſynecdochicam. Ita enim meminiſſe debemus ea quæ nobis facienda traduntur, ut ea faciamus & exequamur.

Ante dictorum verborum. Nempe jam olim ante Chriſti adventum. De fide in Deum & variis pietatis & juſtitiæ officiis.

A ſanctis Prophetis. Ad Judæos enim ſcribebat, Moſis & aliorum Prophetarum ſcriptis innutritos: Inter hos Prophetas numerandus eſt & Enoch, cujus prophetiam de adventu Dei ad judicium univerſale mundi citat Judas ỳ. 14, 15.

Et noſtri Apoſtolorum mandati. Prophetis adjungit ſuum & aliorum Apoſtolorum mandatum de fide in Jeſum Chriſtum, & perfecta juſtitia ac ſanctitate. Chriſtus enim Legem & Prophetarum doctrinam perfecit. Docet in Lege & Prophetis conſiſtendum non eſſe, ſed ad Chriſtum & Apoſtolos perfectionis cauſa veniendum. Apoſtolum ſe dicit, ſed & alios Apoſtolos adjungit, quaſi dicat, non mei unius Apoſtoli, ſed & omnium aliorum Apoſtolorum, idque merito. Omnium enim Apoſtolorum unum erat mandatum: ſed in eo tradendo ac mandando non eadem eſt vis unius, quæ multorum. Hic quoque, ut ſupra cap. 2, 21, mandatum in genere poſuit pro omnibus mandati ſpeciebus vel partibus.

Domini & Servatoris. Intellige Jeſu Chriſti, vide cap. 2. 20. Verba hæc ita videntur de induſtria poſita, ut non minus ad vocem mandati, quam ad vocem Apoſtolorum reſpiciant. Nam & Apoſtoli Jeſu Chriſti ſunt Apoſtoli, & eorum mandatum Jeſu Chriſti eſt mandatum.

Verſ. 3. *Hoc primum*, id eſt inter prima, *cognoſcentes.* Multum vos iſtius rei cognitio & notitia juvabit, ne turbemini in cuſtodiendo & exſequendo conſtanter Apoſtolorum mandato, de fide in Jeſum Chriſtum & perfecta juſtitia ac ſanctitate.

Quod venient in ultimo dierum irriſores. Superiore capite præmonuit adverſus falſos doctores & Chriſtianæ fidei depravatores, nunc præmonet adverſus

adversus Christianæ fidei irrisores, qui tandem post finem Christi depravatam, & falsis dogmatis ac fabulis corruptam & obrutam venturi erant. Huc enim ad extremum fabulas & errores amissa vel obliterata veritate desinere oportet. *Venient*, exorientur, *in ultimo dierum*, id est temporum, quibus mundi duratio à Deo definita est.

Irrisores. Nempe fidei & religionis Christianæ, quorum quia nunc incipiunt esse plena omnia, invalescentibus opinionibus eorum, qui sapientes videri volunt, frustra Deum coli, mundum ab æterno fuisse & in æternum futurum esse, religionem omnem politicum inventum esse; hinc colligere licet nos jam in extremo dierum versari, & mundi finem appropinquare, qui istorum sapientiam coarguat & maximæ stultitiæ convincat. Christi sane religio politicum inventum non est; cum ea non ad civilem, sed supra eam ad spiritualem ac cælestem in terris societatem tota directa sit.

Secundum proprias suas cupiditates ambulantes. Describit istos irrisores, ut mirum non sit, religionem omnem, & imprimis Christianam, ab illis irrideri. Interest ipsorum ne Christi religio sit vera, quia secundum suas proprias cupiditates ambulant, id est quod libitum est agunt, proinde malis & suspectis autoribus improbatur Christi religio; optimi autem cujusque plurimum interest, ut sit vera. Merito profecto Deus hominum malitiam hoc pacto ulciscitur, ut, quia nunc sine ullo respectu ad fas & jus, id solum & privatim & publice spectant & agunt, quod suarum rerum interesse putant, etiam religionem omnem, & imprimis Christianam exuant, quia ut vera sit, cupiditatum eorum nihil interest, imo multum interest ne sit vera.

Vers. 4. *Dicentes*. Exprimit illorum verba irrisoria, quæ sequuntur:

Ubi est promissio adventus ejus? Id est, ubi est effectus promissionis de adventu ejus, id est Dei, ad judicandum orbem terrarum? nusquam apparet.

A qua enim. Intellige die, per ellipsin.

Patres nostri. Id est antiquissimi generis humani auctores, quique primi promissionem hanc prodiderunt.

Obdormiverunt. Id est mortui sunt, per ἐυφημίαν, & mimesin. Nam istorum sensu omnes perierunt.

Omnia. Nempe naturæ opera.

Sic permanent. Id est eodem modo, eodem in statu.

Ab initio creationis. Id est sicut erant ab initio creaturæ, per ellipsin particulæ similitudinis, more Hebræo. Sol oritur & occidit, astra suum servant cursum, nox & dies suas vices, terra suas anni partes, homines ut & cætera animantia generantur & intereunt, nulla denique in universa rerum natura intervenit mutatio. *Creaturæ*, κτίσεως. Creaturam in genere ponit pro creaturis omnibus, id est ab eo tempore quo primum creaturæ cœperunt esse. Videntur & hæc per mimesin & ironiam dicere isti. Nihil enim magis irrident, quam initium creaturarum à Mose descriptum. Hanc igitur irrisores isti adferunt causam ob quam promissionem adventus Dei subsannent & irrideant, existimantes Deum nunquam venturum, quandoquidem per tot jam secula a priorum patrum obitu non venerit, nec quicquam interea in rerum natura ab ejus initio, ut putant, mutatum sit.

Vers. 5. *Latet enim ipsos hoc volentes* &c. Causam adfert Apostolus ob quam homines isti dicant omnia sic permanere, sicut à principio creaturæ erant, ignorantiam nimirum eorum, sed affectatam.

Latet enim ipsos, ignorant *hoc*. Vel hoc ipsos latet, quod in sequentibus dicit, vel *hoc volentes*, nempe ut ipsos lateat, scire hoc possent si vellent, sed ultro & voluntate nesciunt, dum sacras literas non curant, nec iis credunt, quamvis nullam justam causam habeant. Nam & ea nescire dicimur, quibus cum vera sint non credimus.

Quod cæli erant olim & terra, ex aqua & per aquam constituta, Dei sermone, per quæ qui tunc erat mundus, aqua inundatus periit. Exponit quidnam ipsos lateat. Hocenim si scirent, nunquam dicerent, omnia sic permanere sicut ab initio creaturæ erant. Magna enim inciderat rerum mutatio per diluvium, ipsis cælis & terra conspirantibus in humani generis & omnium animalium exitium, quam rem si scirent isti & considerarent, non videretur ipsis, opinor, illusione dignum, quod de Christi adventu & cælorum ac terræ una cum impiis omnibus interitu, piorum autem salute docemus; sed inde potius exemplum & argumentum caperent similis judicii. *Quod cæli erant & terra*, nempe, *per quæ qui tunc erat mundus diluvio periit*.

Olim, ἔκπαλαι. Tempore scilicet diluvii. Terram dicit *Ex aqua constitutam*. Id est fundatam esse, quatenus ex aqua emersit.

Per aquam. Quatenus per mediam aquam emersit, aqua undique terræ circumfusa & interfusa.

Dei sermone. Id est efficacissimo Dei jussu Gen. 1. 9, 10. Neque enim hic secundam aliquam Deitatis personam intelligere licet.

Vers. 6. *Per quæ* &c. Ex Apostoli mente non intellecta, novi versiculi initium hic factum est; cum hæc verba ad superius verbum *erant* referantur, cæli & terra erant, per quæ qui tunc erat mundus aqua inundatus interiit. Per cælos interiit, quia fenestræ cæli fuerunt apertæ, & ingentem ac continuum fuderunt imbrem, diebus ac noctibus quadraginta per terram, quia omnes fontes abyssi magnæ rupti effuderunt sese ex terra & supra terram. Atque hæc etiam erat causa ob quam Apostolus ℣. 11, terram ex aqua & per aquam constitutam esse hoc loco diceret. Quia enim sic constituta est, non mirum erat, ut immensa vis aquarum ex visceribus ejus erumpens illam obrueret.

Qui tunc erat mundus. Id est, qui tum erant homines & animantia terram incolentia, per synecdochen partis, vel metonymiam continentis.

Aqua inundatus, id est diluvio, *periit*. Noë tantum ob fidem & pietatem in Deum, cum uxore & filiis & nuribus, & iis quæ in arca erant animalibus, mirabili Dei providentia & cura conservato, in exemplum ac documentum piis omnibus, fore ut & ipsi, cœlis ac terra intereuntibus una cum omnibus impiis, in adventu Christi conserventur.

Vers. 7. *Nunc vero cæli* &c. Docet quid nunc cælis & terræ factum sit, & fiat futurumque sit: quasi dicat,

dicat, olim per cęlos & terram impii omnes perierunt, nunc autē una cum cælis & terrâ peribunt. Cęli & terra peribunt, ut omnes impios interitu suo involvant.

Nunc vero cæli, οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ, per transpositionem particulæ νῦν, sicut & supra particulæ ἔκπαλαι, cui particula νῦν opponitur. Neque enim alii nunc sunt vel dicuntur cæli & terra quam olim, sed olim quidem per cælos & terram mundus impiorum interiit, nunc autem ipsi cæli & terra una cum impiis interibunt.

. *Cæli & terra.* Nempe cæli isti qui in usum hominum sunt conditi sicut & terra, cæli quos videmus.

Eodem sermone. Nempe divino, quo creati sunt. Idem est sermo genere, non specie, nam ille jussum significat, hic decretum, ille, ut cæli & terra essent, hic ut intereant & cessent.

Reconditi sunt, τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, *dum igni asservantur.* Explicat quo pacto sint reconditi, sic nimirum ut Dei decreto asserventur igni, id est ut igne conflagrent. Unde mirum non est, quod non statim pereant, quæ enim reconduntur & asservantur suum tempus exspectant, interea in optima sunt custodia, Deo non elabentur. Docet universalem fore totius mundi ἐκπύρωσιν.

In diem judicii & perditionis impiorum hominum. Docet in quem diem reconditi sint & igni asservantur. *In diem judicii*, per genitivum adjuncti, id est quo judicabit.

Et perditionis impiorum hominum. Id est quo perdet impios homines. Pœna enim effectus est judicii. Nimirum Deus constituit diem seu tempus, quo judicet & perdat omnes impios, qui sicut olim impios homines per aquam perdidit, quam cæli & terra profuderunt; sic nunc horribiliori pœna perdet per ignem, quo ipsi cæli & terra conflagrabunt. Proinde judicium intelligitur universale, & pœna quam nullus impiorum effugiet. Hic autem dies est dies adventus Christi per quem Deus judicabit & perdet impios homines, imprimis atheos, in Deum Creatorem & unicum benefactorem suum contumeliosos, ingenio & mente propriis ejus muneribus ac donis ipsum oppugnantes, fidem Christi; per quem immensâ Dei gratia mundo patefacta est irrisui habentes, ejus professores homines innocentissimos insectantes & persequentes, veritatem divinam cælestissimam lucem extinctam cupientes, cæterosque omnes, quamvis professione pios & religiosos, cæterum factis & moribus impios, id est Dei præceptis, quæ ipsa justitia sunt & sanctitas, immorigeros. Significat Apostolus hunc diem certo venturum.

Vers. 8. *Unum autem hoc ne lateat vos.* Intellige, ne cui vestrum diei istius nimium longa videatur mora.

Dilecti. Quippe fratres in Christo.

Quod unus dies apud Dominum. Id est in vita illa immortali & æterna.

Tanquam mille anni, & mille anni tanquam unus dies. Id est, perinde se habet ad immortalem & æternam vitam unus dies atque mille anni, & mille anni atque unus dies, quatenus nimirum utrumque æquè nullam habet ad immortalem vitam proportionem. Apud nos quidem, quorum vita certis spatiis definita est, immane quantum differat unus dies & mille anni: at apud Deum, cujus æterna nec unquam finienda est vita, utrumque ne puncti quidem habet rationem. Ideoque diei istius mora, non ex eo quod hominibus videtur, sed ex eo quod apud Dominum est, quodque illi videtur, æstimari debet. Domini nomine etsi Christus intelligi possit, tamen Deus ipse hic & in sequentibus designari videtur, veteri more, cum ipse sit qui cælum & terram condiderit, & recondiderit ac igni asservet in diem judicii, quique solus diei istius definiendæ potestatem habeat, & cujus solius est immortalis & æterna vita, quatenus eam nemo habet nisi ex dono ipsius.

· Vers. 9. *Non tardat Dominus promissionem.* Negat Deum tardare promissionem, id est tardum esse, seu tardare in promissione exhibenda. *Promissionem*, id est promissum. Intelligit autem imprimis Christi adventum ad judicium, quo perdet impios, & servabit sanctos ad vitam æternam, de hac enim promissione speciatim hic agitur.

Sicut quidam tarditatem ducunt. Arguit eos qui tarditatem ducunt adventus Christi moram.

Sed longanimitate utitur in nos. Docet quid Deus faciat in hac diei Christi mora, non tardum se præbet & negligentem, sed longanimem in nos, nempe Christianos, nostro bono hoc facit. Cui vero bono?

Nolens quosdam, id est ullos homines, *perire.* Ut ex sequenti oppositione patet. Etsi vero hoc imprimis de Christianis intelligi debet, tamen nec alii homines excludendi sunt, argumento à genere ad speciem. Non vult autem Deus ullos homines perire, non absolute & simpliciter, sed cum conditione, si pœnitentiam agant, ut ex sequentibus colligitur.

Sed omnes, nempe homines, *ad pœnitentiam venire.* Intellige vult: quasi dicat, si hodie veniret Christus, quam multi nostrum perirent, qui necdum vitiis, ut par est, valedixerunt. Perirent & omnes alii homines, hoc Deus non vult, sed vult ut omnes ad pœnitentiam veniant, ideo illis spatium ad eam perveniendi concedit. Voluntas itidem hæc Dei, non absolute & simpliciter intelligenda est, sed salva Dei sapientia & justitia, ipsiusque rei & pœnitentiæ natura. Multos enim Deus ipse merito indurat, multi peccant ad mortem, multis peccatum sic abiit in naturam, sicut Leopardo maculæ: sed tamen & istos hactenus vult ad pœnitentiam venire, quatenus & istis arbitrium ac spatium & causas & occasiones pœnitendi non aufert, quoad vel vita ipsorum vel alia Dei decreta sinunt. Neque enim hoc tendendum est ultra suos fines, aut Dei longanimitas in infinitum. Sic enim dies judicii non veniret unquam. Pœnitentiam autem intelligit Apostolus, non qua tantum male nos egisse agnoscimus & dolemus (hoc enim etiam omnes impii possunt facere, & haud dubie in Christi facient adventu) sed qua vitam & mores emendamus ex Christi præscripto. Huic rei tempus omnibus affatim indulget Deus, proinde non ad salutem nostram, sed ad iram in nos tardus est, qua in re ipsius longanimitas consistit. Novit Dominus nec malos sibi posse effugere, nec bonis sua præmia peritura. Recte perditioni non salutem absolute, sed pœnitentiam opponit, nempe ut doceat, Deum non absolute nolle quenquam perire, nec absolute velle omnes servare, sed ea conditione ut ad pœnitentiam veniant.

Vers. 10. *Veniet autem dies Domini.* Docuit diem domini haud dubie venturum, docet etiam quomodo venturus sit *dies Domini*, κατ' ἐξοχήν, quo judicium universale exercebit, & suam majestatem clarissime conspiciendam omnibus dabit per Christum. Nam Domini nomine Deum intelligi ℣. 12 docet.

Tanquam fur in nocte, intellige *venit*. Id est insperate & improviso, sicut fures noctu venire solent, ut improviso & insperate veniant, per metonymiam causæ, dies enim in nocte non venit, sed noctem pellit, quanquam dies pro tempore accipitur per synecdochen. Nec refert, sive interdiu sive noctu Christus veniat: Tolletur enim lux solis & syderum, & Christi splendor ac gloria lucem ubique faciet. Nec Christus in omnibus orbis partibus simul aut noctu aut interdiu venire potest, cum ubi nox est apud antipodes sit dies. Patet hinc voces *in nocte*, non ad verba remotiora, *veniet dies Domini*, sed ad proximum nomen *fur* referri. Similem huic habemus apud Lucam Luc. x. 18 locum, in illis Christi verbis: *spectavi Satanam ut fulgur ex cælo cadentem.* Neque enim tum ullus de Satana olim ex cælo cadente fuit sermo: sed ad proximum nomen *fulgur*, voces *de cælo*, referri debent. Hoc dicit Christus, confirmans Apostolorum relationem, gaudentium quod & dæmonia ipsis sese subjiciant in ejus nomine. *Spectavi*, spiritu nimirum divino, quo etiam longe dissita videre poterat, *Satanam*, nempe in suis dæmoniis cadentem, respicit ad ejectionem dæmoniorum, cadere enim solent qui ejiciuntur: quasi dicat, præcipitantem seu præcipitem actum, ex hominibus nimirum, quos per suos dæmonas insederat, *tanquam fulgur ex cælo*, intellige *micat*, id est momento. Vix meum nomen insonuit, protinus Satanas cadebat & præcipitabat. Sed hæc obiter. Hoc insperato Christi adventu monere voluit Apostolus ut semper parati & in excubiis simus, Christum ipsum imitatus, qui similiter à furis adventu exemplum sumit Matth. 24. 43. Si sciret paterfamilias qua nocte & qua hora fur veniret, paratus esset in furis adventum: sed quia nescit, improviso deprehendi solet: idem, ne nobis, quia diem adventus Christi nescimus, usu veniat, monet Christus, & hoc loco, ejus Apostolus, quin potius, quia diem nescimus, omnem diem promti paratique Christi adventum præstolemur, æternum exitium evasuri, & ingentia præmia capessituri.

In qua. Ut diem hanc describat, & eam vere Domini diem esse ostendat, docet quæ futura sint in illa divinæ potentiæ effecta seu diei istius adjuncta.

Cæli cum stridore transibunt. Id est peribunt, per metaphoram, neque enim transibunt de loco in alium locum, sed nullum in locum, sicut in Apocalypsi dicitur, *& locus non est inventus illis.* Eadem in Apocalypsi, similiter ut hic, cælum novum & terra nova commemoratur, & additur: *Nam primum cælum & prima terra præteriit, & mare non est amplius.* Stridorem autem addit Petrus, quia per ignem peribunt, ut Paulo post ℣. 12 explicatur. Ignis enim stridorem facit, & transibunt etiam celeriter & cum impetu. Nam quæ celeriter & cum impetu transeunt, stridorem excitant. Hoc unum est diei istius adjunctum, & divinæ potentiæ effectum.

Elementa autem exæstuantia solventur. Alterum adjunctum & effectum, per elementa intelligit aërem & aquam, nam terram distincte mox commemorat. Solvuntur autem quæ igne exæstuant. Idem infra de cælis dicitur ℣. 12. Ideo particula δὲ hactenus tantum diversitatem inter cælos & elementa ostendit, quatenus cæli non tantum solventur, sed etiam plane tollentur.

Et terra & quæ in illa sunt opera comburentur. Tertium adjunctum & effectum. Terram autem combustum iri magis proprie dicitur, quam eam solvi, & liquefieri. In sequentibus tamen non minus terræ quam omnibus solutio & liquefactio tribuitur: aliis quidem proprie, terræ per metaphoram. *Opera quæ in terra sunt*, tam Dei quam hominum opera significant. Dei opera sunt omnes creaturæ ex terra factæ, & quarum locus est terra, ad quas etiam pisces, & quæ in aqua & in aëre degunt referri possunt, plus enim in illis est terræ quam aquæ, & sine terra vivere nequeunt. Omnes istæ creaturæ comburentur. Hominum opera sunt ædificia, & quæcunque hominum manibus & artificio sunt facta. Illa naturæ, hæc artis naturam imitatricis opera dicuntur.

Vers. 11. *Cum igitur.* Admonitionem infert ex supra dictis.

Hæc omnia solvantur, τούτων οὖν πάντων λυομένων. Per Enallagen præsentis pro futuro. Rem futuram ponit ob oculos tanquam præsentem, id est cum igitur hæc omnia solvenda sint, seu solvi debeant, cum mundus hic universus igne debeat conflagrare. Neque enim tum cum hæc solvuntur ullum erit piis periculum, quippe jam mutatis & immortalibus factis & in sublime ad Christum raptis.

Quales! Ποταπούς, quales & quantos!

Oportet esse vos. Ut scilicet eripiamini ex hoc mundo, antequam igne cælesti incendatur, sicut Loth eductus fuit ante incensa Sodoma: quasi dicat, cogitandum & judicandum vobis ipsis relinquo, quales & quantos oporteat vos esse, ne cum universus mundus interire debeat, vos una pereatis.

In sanctis conversationibus. Conversationes & ad nos ipsos, & ad homines alios spectant. Conversationes quæ ad nos ipsos spectant, sanctæ sunt, cum sunt sobriæ & castæ, quæ ad homines alios, cum sunt justæ, æquitati & charitati consentaneæ. In his magni & perfecti esse debemus, magni, ne eas ullamve earum unquam intermittamus, perfecti, ne ulli earum aliquid imperfectionis & vitii admixtum esse patiamur.

Et pietatibus. Id est actionibus ad Deum & Christum spectantibus, cui debemus timorem, amorem, fidem, cultum & rebus in omnibus obsequium. Ad pietatem etiam preces assiduæ referri debent. Significat nimirum Apostolus, nos haud vulgariter & perfunctorie sanctis conversationibus & pietatibus operam dare debere, & has solas esse quæ nos post Dei & Christi gratiam in mundi totius interitu servare possint.

Vers. 12. *Exspectantes* &c. Quasi dicat, si non exspectaretis adventum diei istius, mirum haud esset

vos

vos sanctis conversationibus & pietatibus unice deditos non esse; sed cum illum assidue expectetis, ipsi perspicitis, quanta vobis esse debeat, & quam unica sanctarum conversationum & pietatum cura.

Et festinantes adventum, σπεύδοντας τὴν παρουσίαν. Per ellipsin particulae εἰς vel ἐπὶ, festinantes in adventum. Auget tem: quasi dicat, non tantum exspectatis, sed quod plus est festinatis, ex animo scilicet, & votis omnibus optantes, & precantes, ut quam celerrime & sine ulla mora dies iste veniat. Hoc Apostolus Paulus dilectionem apparitionis Domini appellat 2 Tim. IV. 8, quae enim diligimus, ea si absint, quam primum adesse cupimus. Hinc in Apocalipsi, & *spiritus* & *sponsa* dicunt; *Veni, & qui audit, dicat veni. Etiam veni Domine Jesu* cap. XXII. ℣. 17, 20.

Dei diei. Quae singulari ratione dies erit Dei, propter singularissima in illa Dei effecta.

Per quam. Id est qua veniente.

Caeli ardentes solventur. Iterum commemorat eadem illa divinae potentiae effecta: quasi dicat, eos qui tam terribilem diem non tantum exspectant, sed etiam ad illam festinant, in omni sanctitate & pietate eximios esse oportet.

Et elementa. Hic jam & terra includitur.

Exaestuantia liquescunt. Per enallagen praesentis pro futuro, sicut & ℣. 11. Hunc divinae potentiae effectum de caelorum & terrae seu mundi istius totius abolitione, iterato & tam diserte Apostolus inculcat, quod & Psaltes Psal. 102. 26 &c facit, *celi peribunt*, inquit, *& tu permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & tanquam amictum convolves eos, & mutabuntur*; (nimirum ab esse ad non esse) *tu vero idem es, & anni tui non desinent*: quasi dicat, secus quam caelis fiet: & tamen reperiuntur, qui caelos & terram seu mundum hunc non abolitum sed renovatum iri dicant. Sane etiam impios, quibus hic mundus habitaculum est, non perditum, sed per eundem illum ignem renovatum iti dicerent! Et quibus incolis relinqueretur ac renovaretur hic mundus? Nam pios aliud caelum & terra, alius mundus exspectat, ille nimirum ut statim dicitur novus, & in quo justitia habitat.

Vers. 13. *Caelos autem novos* &c. Occurrit iis qui dicunt, ubi ergo manebunt & habitabunt pii, caelis & terra pereuntibus? Caelos, inquit, novos, & terram novam exspectamus. Novos caelos & terram novam dicit, nostri respectu, sicut mundus futurus dicitur. Nam caeli isti & terra & mundus iste jam est, Dei & Christi & Sanctorum Angelorum respectu, mundus ille non hujus creationis Hebr. IX. 11, & XII. 27, 28, & qui non concutitur, proinde semper mansurus est. In hunc igitur mundum & nos translati, nec hunc praesentem, nec ullum alium requiremus.

Secundum promissum ipsius. Nempe Dei paulo ante nominati.

Exspectamus. Addit haec verba, ut doceat exspectationem hanc Christianorum fundari super ipsius Dei promisso, proinde haudquaquam esse vanam.

In quibus justitia habitat. Non frustra hanc descriptionem apponit. Nimirum ut causam insinuet, ob quam & novi illi caeli ac terra nova mansuri sint, & isti caeli ac terra perituri, & pii ac justi ex istis caelis ac terra, seu ex hoc mundo, in novum illum mundum sint tansmigraturi. Mundus hic peribit, quia est habitaculum injustitiae. Ille manebit, quia justitia in illo habitat, proinde & justos omnes in se recipiet. Justitia ibi habitare dicitur per prosopopoeiam, quatenus soli justi ibi habitant, & sicut injusto nulli, sic justis omnibus parata illic est habitatio. *Habitat* in praesenti, quia Deus & Christus & sancti Angeli istic habitant.

Vers. 14. *Propter quod*. Nempe quod justitia in caelis illis novis & terra nova habitet.

Dilecti. Ut supra ℣. 7.

Haec exspectantes. Id est caelos novos & terram, ex Deo promisso.

Studete ut immaculati & irreprehensibiles ab ipso inveniamini in pace. Id est ut sitis justi, quo in caelis illis novis & terra nova habitetis. *Studete*, neque enim sine studio & diligenti cura & opera sua quisquam justus erit.

Ut immaculati. Id est immunes à vitiis, non polluti & contaminati.

Et irreprehensibiles. Prioris est consequens, & leviorum quoque vitiorum vacuitatem notat.

Ab ipso. Nempe Deo.

Inveniamini. Cum scilicet veniet in Christo.

In pace. Id est pacem exercentes cum omnibus, neminem injuria lacessentes, & lacessiti nemini malum pro malo reponentes, non vos ipsos vindicantes: in pace, inquam, non in contentionibus & litibus, in odiis & bellis. Utile Judaeis inter Gentes viventibus praeceptum, qui si Gentium mores profanos non imitabantur, inimicitias cum illis exercere solebant. Nimirum hoc ipsum praecipit Apostolus, quod auctor Epistolae ad Hebraeos Hebr. XII. 14, *sectamini pacem cum omnibus & sanctificationem, sine quo nemo videbit dominum*.

Vers. 15. *Et Domini nostri longanimitatem*. Hoc iterum monet & inculcat, ne scilicet illos in tantae beatitudinis exspectatione Dei longanimitas quidquam turbet, sed potius, ut Dei longanimitate utantur ad salutem.

Longanimitatem. In differendo scilicet universali judicio, & mundi totius interitu.

Domini nostri. Id est Dei, de quo ℣. 19 & sequentibus sub eodem titulo loquitur. Christus enim Dominus noster est, quatenus per ipsum Deus in nos dominatur.

Salutem ducite. Quasi dicat, non salutis moram ducite, sed salutem, id est salutis causam, per metonymiam effecti. Longanimitas enim Dei spacium concedit poenitentiae & emendationi vitae, quam salus consequitur. Intelligitur autem salus, non tantum nostra, sed aliorum etiam hominum, quibus salutem non debemus invidere. Nam etsi forte quispiam nostrum poenitentia non indigeat, tamen sunt alii multi qui indigent, quorum salus tanti est, ut in illius gratiam salutem nostram differri aequo animo feramus. Interim vero nos ipsi, id quod longanimitatem Dei ducimus esse, nempe salutem, ut ea nobis reipsa fiat, omnem demus operam.

Sicut

Sicut &, &c. Cum Paulus Apostolus idem de Dei longanimitate scripserit, non putavit omittendam illius mentionem, ut quiddam valde utile ac necessarium de ipso & Epistolis ejus moneret, simulque quam summi isti Apostolorum inter se consentirent testaretur, præsertim cum Petrus Judæorum Apostolus videretur Legi Mosis adhærere, Paulus inter Gentes docens in gratiam Gentium illam negligere. *Et.* Quasi dicat, non tantum ego:

Dilectus noster frater Paulus. Id est nostrum omnium. En amorem & societatem inter Petrum & Paulum.

Secundum sibi datam sapientiam. Nempe in mysteriorum divinorum cognitione, de qua ipse Paulus Eph. III. 3, 4, 5 & seqq. En Petri confessionem de Pauli sapientia, proinde approbationem Euangelii ab ipso Gentibus prædicati.

Scripsit vobis. Nempe Judæis, vestræ Genti. Locum, credo, designat in Epistola ad Romanos cap. 2. ℣. 3, 4, 5, ubi Judæos alloquitur, qui Gentes damnabant, cum ipsi Gentibus nihilo meliores essent, & Dei longanimitate abuterentur. *Nescis*, inquit, *quod Dei benignitas ad pœnitentiam te ducit? Tu vero* &c.

Vers. 16. *Sicut & in omnibus Epistolis.* Intellige secundum datam sibi sapientiam se gerit, vel scribit, magnam sapientiam & mysteriorum divinorum notitiam pandit.

Loquens in istis de istis. Id est dum loquitur in Epistolis suis de istis, de quibus nobis res est, id est de iis quæ ad Christianam religionem & pietatem pertinent. En approbationem à Petro omnium Epistolarum Pauli de Christiana religione scriptarum.

In quibus. Nempe dictis vel scriptis Pauli.

Sunt difficilia intellectu quædam. Ut fieri solet in sapientum virorum scriptis, quorum mens in sublime evehitur, id est, sunt quædam quæ diligentem animi attentionem & hominem divinæ veritatis non imperitum, inque ea confirmatum requirunt, qualia, verbi gratia sunt, cum nos sub Lege non amplius esse docet, sed sub gratia, neminem justificari ex operibus, sed absque Legis operibus per fidem, fidem nobis imputari ad justitiam, & similia. Cum docet Deum liberrime agere in hominibus eligendis & reprobandis & indurandis, & prædestinandis ad salutem ante secula.

Quæ indocti & non firmati vertunt &c. Docet quid usu veniat Pauli difficilioribus intellectu dictis.

Indocti. Non in Philosophia & deceptione vana, sed in divina veritate, nulli enim magis detorserunt Scripturas, quam docti & Philosophi.

Non firmati. Id est si divinæ veritatis non sint ignari, tamen in illa non confirmati, ut non facile ab ea dimoveri se sinant:

Detorquent ista ad proprium suum interitum. Dum scilicet illis alienum & falsum sensum affingunt, dum ea detorquent ad mendacia & hæreses, ad dogmata sanctis moribus & bonis operibus inimica, aut divinæ gloria adversa, qualia sunt eorum, qui ex Apostoli verbis, bona opera, quatenus fructus fidei sunt, negant causam ullam esse salutis, regenerationem & renovationem sola voluntate & conatu sancte vivendi definiunt, quo vel imprimis locus ille detortus est Rom. VII, ubi Apostolus per mimesin loquitur hominis carnalis sub Lege positi, & spiritu, qui in Christo contingit omnibus, carnem mortificatam non habentis. Isti vero Paulum proprie de se, eoque Christiano & Apostolo, hæc loqui autumant, contra omnia & antecedentia & consequentia, & apertissimum Apostoli scopum, qui Christianos ideo lege solutos esse dicit, quod fidem & Spiritum Christi habeant, per quem omni Legis disciplina sanctiorem & perfectiorem vitam ducant. Sic Pauli dicta, quibus Deo libertatem asserit rejiciendi & indurandi Judæos, Gentes vero profanas & impias eligendi, quod illi fidem in Christum rejiciant, hæ vero in Christum credant, detorta sunt ad absolutam electionem & prædestinationem ad salutem, & reprobationem & indurationem ad exitium, singulorum nominatim hominum, idque antequam homines ulli essent, summa cum divinæ justitiæ & bonitatis & veræ veritatis & sapientiæ injuria, & omnis veræ pietatis jactura. Sic ex Apostoli illo loco in quo Christum omnis creaturæ primogenitum esse docet, quod in illo creata sint omnia, quę sunt in cælis & quę in terra, enata est hæresis, Arrii nomine insignita, sed Arrio multo antiquior. Nimirum indocti isti & non confirmati Apostolum de nova creatione loqui non intellexerunt, quamvis non tantum ipsum Jesu Christi nomen, sed etiam singula pene verba loci illius, animis id subjiciant. Qui Arrianorum, sicut & Homoousianorum error, dum Christo divinitatem quandam tribuere videtur, tendit ad verę divinitatis & majestatis Christi, & quæ huic innixa est fidei & spei nostræ destructionem, omnemque salutis nostrę rationem immutat, & omnis fere depravationis in ecclesia fons & principium est. Ejusdem ex Apostoli verbis de Baptismo, de Sacro Pane & Calice, iidem indocti & non confirmati, erroneas & perniciosas opiniones pepererunt, dum & ritibus istis occultam quandam & admirabilem vim in nobis servandis tribuunt, ut iis cum hac persuasione uti, ad salutem sufficiat. Sed quis enumeret omnia his similia quorum Paulus citatur author, cum nihil minus fuerit? *Proprium autem ipsorum interitum* dicit, ut hominum istorum stultitiam taxet, qui non tantum aliis, sed etiam sibi ipsis primo ac præcipue interitum adferunt.

Sicut & reliquas scripturas. Nempe Sacras seu divinorum virorum. Nam profanarum Scripturarum (quamvis & istis idem eveniat, & varię lites de illarum sensu sint) hic non habetur ratio. Aliarum quoque scripturarum meminit, non tantum quod idem de illis monuisse æque sit utile & necessarium, sed etiam ad quandam Pauli excusationem, ne quis existimet solius Pauli Scripturas detorsioni obnoxias esse. Etiam reliquis, inquit, Scripturis idipsum usu venit. Non tantum quod vix aliter fieri queat, in sapientum præsertim virorum, & à spiritu divino raptorum sublimibus scriptis: sed etiam divino consilio, ut & veritatis & pietatis amantes, eique unice dediti, & vicissim illius non multum curiosi, proptereaque indocti & non confirmati,

mati, se tales esse quales sunt, ostendant ac prodant. Non quod ubique Scripturę tales sint, cum maxima ex sui parte clarę sint & perspicuę; sed quod talia quædam loca omnes contineant. Scripturarum enim nomine sacros libros vel Epistolas totas intelligit, non quamlibet earum particulam. Et ne aliorum Sacra volumina commemorem, ex Euangelii Joannis Apostoli initio videmus quid pullulaverit: cum tamen, si quis vel ejusdem Apostoli Epistolę primę initium, cum initio Euangelii contendat, & *principii*, & *verbi* seu *sermonis* intellectum, causamque istius appellationis assequi nullo negotio possit, ne alias evidentes illius in Euangelio loci circumstantias alibi explicatas, ipsiusque Euangelii scopum commemorem. Quid inquam, attinuit ad mundi, aut absolutum principium recurrere, & verbi seu sermonis Philosophicas, nescio quas interpretationes quærere, cum res subjecta Euangelium sit, & per Jesum vita æterna prolata sit, & rerum omnium ac mundi nova creatio peracta? Ex quibus eum Christum illum Dei esse, qui unicus Euangelii scopus est, rite colligitur. At enim ajunt, inauditam hanc esse apud veteres Christianos interpretationem. Credo viderant omnia veterum Christianorum monumenta, & imprimis eorum qui Christum, antequam homo ex Spiritu Sancto conceptus nasceretur, aliter extitisse negarunt, quam in Dei mente & præcognitione. Dicant ipsi, & nos doceant quo pacto hunc locum interpretati sint isti, quamvis haud dubie Euangelium Johannis reciperent, & Alogiani haudquaquam essent; qui non exiguo demum post tempore exorti sunt, vera istius loci interpretatione jam obliterata,& primorum Christianorum monumentis temporum & adversariorum injuria abolitis. Optimum foret, loca illa Scripturę intellectu difficilia, vel ex claris & apertis interpretari, vel illis suo sensui relictis, solis claris & apertis insistere, cum nullum dogma necessarium ad salutem sit, quod clarissimis verbis inScriptura proditum non extet. Quis veterum, quorum monumenta extant, locum Apostoli Pauli Col. 5. 16, initio Euangelii Johannis plane parallelum, de nova creatione interpretatus est? & tamen veritatis evidentia evicit, ut multo posteriores reperti sint, qui id animadverterent? Quid magis pervulgatum ab ipso initio factum est, quam illa Apostoli verba, de legendo in Episcopum unius uxoris viro ita interpretari, ut Episcopus esse non debeat, qui prima uxore defuncta alteram ducat: mos enim iste manavit ad omnes Christianas ecclesias, non Græcas tantum & Latinam; sed aliarum etiam Gentium: cum tamen Apostolus evidenter de eo loquatur, quod nisi adsit, vitium & reprehensionem habeat, néc minus Christianorum cuilibet inesse debeat, quam reliqua quæ istic commemorantur omnia, ad mores spectantia. At quis sani judicii (Gentium enim superstitiones non sunt curandæ) vitium & turpitudinem ducat, uxore defuncta, repetere matrimonium? cum Apostolus ipse propter scortationes matrimonium concedat, & ustioni longe præponat, & autor ad Hebr. illud in honore ac pretio habendum dicat, & cubile impollutum appellet, idque etiam ab ipso Deo vitandis scortationibus, & propagandi humani generis causa institutum sit, & Apostolus ipse velit ut juvenes viduæ maritis nubant, liberos generent. An ergo doceret Apostolus ut Episcopus viduus factus vel privetur episcopatu, quamvis eo alioquin præclare fungatur, vel si mulieris usu habeat opus, in assidua ustione & perpetuo scortationis periculo versetur, adeoque etiam potius scortetur, quam ut honestum iteret matrimonium? Est quidem res præclara, mulierem non tangere; sed nec in matrimonio vivere, eoque tanquam remedin adversus scortationes uti, ullam habet meritum reprehensionem. Apostolus plures simul uxores habere, sive more Judæis recepto, sive levi & injusto, etiam Gentibus usitato repudio, in vitio ponit, & reprehensione notat. Idem facit & in viduis, quæ divortio viros mutarunt, quod frequentissimum erat Gentibus, non morte. Neque enim vir desiit esse à quo divertit, & si alii nupsit, plurium virorum uxor fuit. Nimirum non sunt inconsulto sensu verba arripienda, sed ex rerum ratione & circumstantiis ponderanda, hæc hactenus.

Vers. 17. *Vos igitur dilecti.* Post monitum de Pauli Epistolis aliisque scripturis sacris, revertitur ad superiorem admonitionem de cavendis Christianæ religionis circa ultima mundi tempora exorituris irrisoribus: quasi dicat, cum igitur sic se res habeat, & dies domini haud dubie venturus sit:

Vos dilecti prænoscentes. Nempe homines esse venturos, qui adventum Domini irrideant.

Cavete ne nefariorum. Id est irrisorum, (nemo enim magis est nefarius, quam qui sanctissimam per Christum traditam fidem ac disciplinam irrisui habet, aut atheus est)

Errore abducti. Solet enim aliorum error alios abducere. *Errore*, id est opinione falsa & perniciosa, quæ ad æternum ducit exitium, *abducti* scilicet à fide vestra sanctissima.

Excidatis propria firmitate, τῆς ἰδίου στηριγμοῦ. Id est divina vocatione & electione, & prædestinatione qua vestra salus firmata & stabilita est. Hinc cap. 1. 10: *Studete*, inquit, *ut firmam vestram vocationem & electionem faciatis.* Neque enim verum est electos, propria sua culpa, & nisi diligenter sibi caveant, non posse fieri reprobos; quod qui Scripturis assertum eunt, Scripturas & isti vehementer detorquent.

Vers. 18. *Crescite autem in gratia.* Quasi dicat, tantum abest ut debeatis excidere propria firmitate, crescite & maxima augmenta sumite in gratia & favore Domini nostri & Servatoris Jesu Christi, non eo excidite.

Et cognitione. Quasi dicat, tantum abest, ut aliorum erroribus a veritatis via abduci vos patiamini. Modum & rationem ostendit, qua possimus in gratia Christi crescere: Is vero est, ut in Christi cognitione crescamus, id est eorum quæ in Christi doctrina continentur, per metonymiam causæ, ut intelligamus etiam λογικὰ Scripturarum. In Christi enim doctrina multa continentur mysteria, quorum cognitio incredibilem parit animo lætitiam,& ad obediendum Christo alacritatem, proinde & obedientiam ipsam, quæ quanto major est ac perfectior, tanto majora etiam Christi erga nos gratia accipit incrementa. Vicissim etiam quanto Christi erga nos gratia fit auctior, tanto etiam Christi cognitio fit amplior:

COMMENTARIUS

IN

Priorem Epistolam

APOSTOLI

JOANNIS.

CAPUT. I.

Vers. 1. **Q***Uod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus.* Videbat Joannes exortos fuisse falsos Prophetas & Anti-christos, qui Jesum negabant esse Christum: ideo credentibus in Christum commemorat id quod à principio Euangelii fuit traditum, & cujus certissima erat veritas, nempe Jesum esse Christum, Filium illum Dei, ne sese paterentur seduci ab istis seductoribus.

Quod erat à principio. Non addit cujus rei principium intelligat, quia hoc ex materia subjecta facile intelligitur, nempe à principio Euangelii, & ex eo quod protinus adjicitur, *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectaverunt.* Hinc enim apparet principium designari, in quo Joannes & alii primi præcones Euangelii, hoc quod annunciabant, audiverunt, viderunt &c. Nisi enim hoc à principio audivissent, vidissent &c, quo pacto id à principio fuisse tam certo possent asserere? Ideo & Christus ipse in testes eos sibi legit, idque istius ipsius rei, de qua hic agitur, *quia*, inquit, *à principio mecum estis* Joan. xv. 27, & Joannes ipse infra cap. 2. 24, *Quod audivistis a principio*, inquit, *in vobis maneat: si in vobis maneat quod a principio audivistis, etiam vos in Filio, & in Patre manebitis.* Unde patet, aliquid hic ita à principio fuisse dici, ut simul à principio ab Apostolis, & eorum discipulis auditum esset, imo hinc, quia à principio esset auditum, asseri quod a principio esset. Vide & cap. 2. 6. *In principio, & a principio* esse, habet aliquam differentiam, quod in principio esse non tàm includat continuationem, quam a principio esse.

Quod audivimus. Nempe ab ipso Jesu, imo & ab ejus præcursore Baptista.

Quod vidimus oculis nostris. Nempe ita se habere.

Quod spectavimus. Spectare est aliquid amplius quam videre: spectare enim significat continuam & attentam visionem, ut in theatris & spectaculis fieri solet. Spectarunt autem in tot tantisque miraculis Jesum esse Christum illum Dei.

Et manus nostræ contrectaverunt. Id est quod ipsis veluti manibus nostris palpavimus, ut nihil ad rei certitudinem desit.

De sermone vitæ. Id est de Jesu, quem suo more *Sermonem* appellat, quod per eum Deus omnia voluntatis suæ arcana, tanquam per immediatum interpretem nobis enarraverit. Vocat Jesum *Sermonem vitæ*, per genitivum objecti, quod vitam primus annunciaverit. Vitam accipit κατ' ἐξοχὴν, æternam vitam significans, ut vers. 2 additur, quæ sola vere vita est & vita appellari meretur. Hoc autem de Jesu, quod primus vitæ æternæ nuncium clarissimum & certissimum attulit, seu, ut Paulus Apostolus loquitur, vitam illuminavit, & omnibus in se credentibus daturum se pollicitus sit, extra dubium erat. Unde simul ab ipso Euangelii initio traditum, & ab Apostolis auditum & visum & spectatum & manibus palpatum erat, Jesum esse Christum illum Dei Filium, quod hic asserit Joannes, totaque inculcat Epistola, eundem scopum & in Euangelio illiusque proëmio habuit. Ubi etiam Jesum *Sermonem* primum appellat, & ab eo vitam annunciatam esse docet, & in principio Euangelii jam Sermonis munere præditum fuisse asserit, ne quis eum infra Joannem Baptistam, principium Euangelio dantem, poneret, & ejus discipulum crederet.

Hinc porro ipsius etiam Baptistæ testimonio evincit, Jesum esse Christum illum Dei. Vide Commentar. in cap. 1 Euang. Joan. Joannes solus Christum vocat *Sermonem*. Nam Luc. 1. 2. Actor. x. 36. xx. 32 nulla cogit causa, ut Christum & non Sermonem Euangelii intelligamus.

Vers. 2. Quia Jesum vocaverat *Sermonem vitæ*, id ita esse ex effectu probat sequenti commate, quod interjicit. *Et vita manifestata est.* Nempe à Jesu sermone vitæ. *Vita*, nempe æterna, ut mox additur. Vitæ æternæ promissionem intelligit, per metonymiam. Ipsa enim vita æterna nondum est manifestata. Particula *&* conjungit effectum cum sua causa. Effectum est manifestatio, causa sermo vitæ,

Et vidimus. Nempe manifestatam esse, ipsam enim vitam æternam non viderant.

Et testamur. Itidem manifestatam esse.

Et annunciamus vobis vitam æternam. Id est vitæ æternæ promissionem, scilicet jussi à Domino Jesu, & missi. Hic jam expresse additur *æternam*.

Quæ erat apud Patrem. Nempe vitæ æternæ promissio, quatenus decreverat & constituerat vitæ æternæ promissionem nobis dare per Christum, quæ enim tantum decreta & constituta sunt apud Deum, nondum reipsa exhibita, apud Deum esse dicuntur. Cujus constitutionis respectu dicit Paulus, quod Deus mentiri nescius, vitam æternam nobis promiserit ante tempora secularia, nunc autem demum manifestaverit hunc suum sermonem Tit. 1. 2. Quod ipsum & Joannes hic significat.

Et manifestata est nobis. Hic parenthesis clauditur. Solent patres pro filiis adultioribus majora bona servare, & justo demum tempore iis manifestare. *Erat apud Patrem, & manifestata est nobis*, opponuntur inter se. Nam, ut diximus, quæ apud Patrem sunt, decreta tantum & constituta sunt, quæ manifestantur, jam reipsa & in effectu exhibentur. Videtur Joannes hæc in parenthesi verba, veluti exultans & triumphans in animo, & singulari cum gaudio protulisse. Ex quibus liquido patet, nuntium clarum & apertum vitæ æternę, proprium esse Euangelii à Domino Jesu prædicati, qui ideo & sermo vitę appellatur. Hinc & in Euangelio docet, *vitam in sermone*, nec in ullo alio ante ipsum, *fuisse* cap. 1. 4. Cui consentiens Paulus, *Jesus Christus*, inquit, *destruxit mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Euangelium* 2 Tim. 1. 10. Patris nomine designat Deum illum unum, tum respectu Domini Jesu, tum etiam respectu nostri. Valde huic loco apposite, quod per Dominum Jesum sese nobis exhibuerit vere Patrem, vitam æternam & hęreditatem suam nobis promittens. Erat quidem & antea Pater hominum piorum; sed non ita Pater esse apparebat. Vnde & raro in Veteri Testamento Pater appellatur Esai. LXiij. 16. LXIV. 8. Nec eo respectu quod nobis dare velit vitam æternam; sed eo respectu quod nos creaverit, & nos curet, & temporariis bonis afficiat.

Vers. 3. Resumit sermonem vers. 1 cœptum: *quod vidimus & audivimus.* Quasi dicat, quod vidimus, inquam, & audivimus. *Annunciavimus vobis*, nempe sermonem vitæ, qui Jesus est, esse simul Christum illum, Dei Filium illum. Videtur Joannes de se solo in numero plurali loqui, ut & mox vers. 4, *& hæc scribimus vobis.* Ex unius enim Apostoli prędicatione constabat de prędicatione omnium.

Ut & vos communionem habeatis nobiscum. Qui scilicet vobis hęc annuntiamus, credendo nimirum annuntiationi nostræ. Nam qui credit Jesum esse Christum, ad communionem cum Joanne, & consequenter cum aliis Joanni similibus, id est Apostolis pertinet.

Et communio autem nostra (est) cum Patre & cum Filio ejus Jesu Christo. Docet quæ sit communio Apostolorum, & sic omnium prędicationi eorum credentium. *Et* hic redundat, Hebręorum more, quod & in Euangelio ejus notavimus cap. vj. 51.

Communio, inquit, *nostra cum Patre & cum Filio ejus Jesu Christo.* Scilicet *est*. Communionem intelligit inprimis bonorum & beatitatis, communionem vitæ æternæ & Regni cęlestis. Filius enim Dei singularissimus, seu ὁ μονογενὴς dictus, qui Christus ille Dei est, communionem bonorum omnium habet cum Patre: at qui credunt Jesum esse Christum & Filium illum Dei, ex Deo nati sunt cap. v. 1, proinde ad eandem cum Patre & Filio communionem pertinent. Hic exprimit quid de sermone vitæ, id est Jesu Christo annuntient, quod nimirum sit Filius ille Dei singularissimus, seu id quod dicitur, ille Dei Christus: ut intelligamus neminem ad communionem cum Patre & Filio pertinere posse, nisi qui inter Deum & Jesum Christum singularissimi Patris & Filii relationem agnoscat & credat, & sic illud quod à principio erat, & ab Apostolis prędicabatur, teneat. Joannes tertiæ personę non meminit; cujus tamen mentio necessario facienda erat, si Spiritus Sanctus sit tertia unius Dei persona.

Vers. 4. *Et hæc scribimus vobis.* Nempe nostram communionem esse cum Patre & Filio. *Ut gaudium vestrum*, qui scilicet Jesum creditis esse Christum, *sit plenum*, id est perfectum, ne quicquam desit ad gaudium vestrum. Quid enim ad gaudium deesse possit, quantum quidem hęc mortalis vita capit, iis qui sciunt se habere communionem cum Patre & Filio ejus Jesu Christo. Nihil ergo refert, etiamsi nos mundus communione patrię privet, ob sanctissimam fidem nostram de Patre & Filio. Nobis satis superque est, communionem habere cum Apostolis & primis Christianis, & consequenter cum Patre & cum Filio.

Vers. 5. *Et hæc est promissio*, ἐπαγγελία (alii habent ἀπαγγελία.) Commemoravit Joannes promissionem vitæ æternæ vers. 2, nunc docet quę sit istius promissionis ratio & conditio, quomodo se habeat, quid contineat, ne quis simpliciter sibi vitam æternam despondeat, sed sub certa conditione.

Et hæc est promissio, inquit, *quam audivimus ab ipso, & annuntiamus vobis.* Id est sic se habet, hæc illius ratio & conditio est, hoc in se continet. Similem loquendi modum habemus cap. 2. 25, *Et hæc est promissio quam ipse promisit nobis vitam æternam*, id est ita se habet promissio qua promisit nobis vitam æternam: & v. 11, *Et hoc est testimonium quod vitam æternam dedit nobis Deus*, id est testimonium illud quo Deus testatus est de Filio suo, quod Jesus est Christus.

Christus, hoc continet, quod vitam æternam nobis dedit, id est dare constituit Deus. Si enim Jesus est Christus, Deus certe nobis dedit, id est dare constituit vitam æternam, & omnino daturus est. Pronomen *αὐτὸς*, absolute apud Joannem positum, nunc ad Christum, nunc ad Deum refertur; & hoc ex subjecta materia est intelligendum. Hoc loco refertur ad Christum proxime nominatum.

Quam audivimus ab ipso. Id est Jesu Christo.

Quod Deus lux est. Exponit id quod promissio ista contineat, nempe *quod Deus lux sit*, id est ipsa puritas, sanctitas, per metaphoram: Luce enim nihil purius.

Et tenebræ in ipso non sunt ullæ. Id est nulla macula in ipso est, nempe vitii alicujus. Hoc ergo notari vult diligentissime: inde enim consequitur id quod statim addit.

Vers. 6. *Si dicamus:* quasi dicat, si ergo dicamus, *quod communionem habemus cum ipso.* Id est Deo, proxime nominato. Si dicamus nobis aliquid esse commune, præsertim illa bona cælestia, cum Deo.

Et in tenebris ambulamus. Hic tenebræ ponuntur pro vitio aliquo; vel per metaphoram, quod vitia sint similia tenebris & maculis; quo pacto tenebræ in Deo esse negantur, ut vidimus; vel per metonymiam causæ pro effectu, quod tenebræ sint causa vitiorum. *Tenebræ* enim in sacris Literis solent significare ignorantiam & errores, sicut *lux* veritatem, per metaphoram, quia sicut tenebræ occæcant oculos corporis, sic errores & ignorantiæ occæcant oculos mentis, ut autem lux illuminat oculos, ita veritas mentes. Et hoc etiam sensu Christus vera lux appellatur. Ambulare autem in vitiis & in vitio aliquo, metaphorica locutione, significat vitio alicui, vel vitiis deditum esse. Sic *ambulare in veritate* 2 Johan. vers. 4, est veritati deditum esse: *ambulare in præcepto* ẏ. 6 est præceptum observare, secundum illud agere. Significat autem *ambulare* consuetudinem agendi, quod homines vitam fere ambulando transigant, nec quidquam hominibus, cum vigilant & valent, magis consuetum est quam ambulare. Itaque ambulare in vitio significat aliquando, non quasi nolentem & invitum cespitare, seu vitiose aliquid agere; (de enormibus enim factis non loquor, quorum, in hominibus, præsertim Christi spiritu præditis, nulla datur excusatio:) sed prava aliqua consuetudine agendi teneri.

Mentimur. Si nimirum in tenebris ambulantes, nos cum Deo communionem habere dicamus. Cum sicut tenebris & luci nulla sit communio, sic hominibus in tenebris ambulantibus, seu tenebrionibus, cum Deo, qui ipsa lux est.

Et non facimus veritatem. Idem alio modo dicit, Hebræo more, per negationem contrarii, non facimus quod verum est, dum non dicimus quod verum est: Nam & dicere facere est, sicut Apostolus loquitur Col. iij. 17. Alias facere veritatem, est facere id quod justum ac verum est. Veritas pro vero, Hebræorum more, quibus perpauca sunt adjectiva.

Vers. 7. *Si vero in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, communionem habemus inter nos.* Lux hic accipitur pro puritate, sanctitate, justitia, similibus de causis propter quas tenebræ accipiuntur pro vitio; quod jam expositum est. *Ambulare in luce*, non est interdum juste vel sancte agere; sed justitiæ, sanctitati, puritati perpetuo deditum esse, & consuetudinem recte agendi habere.

Sicut ipse est in luce. Nempe Deus. *Sicut* hic magis significat causam quam similitudinem, ut infra, *purificat seipsum sicut ipse purus est* cap. iij. 3. Ideo & Deus ipse, *sancti estote*, inquit 1 Petr. 1. 16, *quia ego sanctus sum.* Significatur tamen & similitudo & causa. Nam & Petrus dicto loco verbis istis Dei præmittit adhortationem, ut secundum eum qui nos vocavit sanctum, & ipsi sancti in omni conversatione simus ẏ. 15. Imitandus est Deus, quantum mortalibus assequi datur Matth. v. 48. Ephes. v. 1. Non dicit autem; sicut Deus ambulat in luce, sed, sicut Deus est in luce. Perpetuam & immutabilem in Deo sanctitatis & puritatis constantiam notare voluit. Nam qui ambulat, aliquando etiam quiescit, aliquando & cespitat, aliquando & procidit. Hanc igitur Dei sanctitatem & puritatem, quantum hominibus fas est & consequi datur, imitari debemus.

Hoc si fiat, *communionem habemus inter nos.* Id est nos cum Deo, proinde communionem regni cælestis, & omnium quæ in hoc regno continentur bonorum. Docemur hoc loco ad communionem cum Patre & cum Filio, post veram de Patre & Filio fidem, necessario requiri, ut in luce ambulemus, & omnia tenebrarum abdicemus opera, quod nisi consequatur, fides est vel nulla, vel irrita, vel non veritati divinæ, sed mendacio adhibita.

Et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, mundat nos ab omni peccato. Quasi dicat, & quicquid unquam peccavimus, hoc nobis non obstabit ad communionem cum Deo, dummodo ambulemus in luce, sanguis enim Jesu Christi, Filii Dei, purificat nos ab omni peccato, nullo excepto, etsi maximum & gravissimum fuerit. Sanguis Filii Dei longe efficacior est ad nos purificandos, quam ullum peccatum ad nos contaminandos & condemnandos. Emphasin habet peculiarem appellatio *Filii Dei*, hoc loco addita; id est Filii illius singularissimi; qui propter excellentiam absolute Filius Dei vocatur, Christi nimirum illius, qui omnibus in se credentibus vitam daturus est æternam. Alluditur hic ad sanguinem victimarum quæ typus erant Christi, simulque earum sanguini Christi sanguis opponitur. Nam sanguis victimarum non habebat vim purgandi omne peccatum, solas tantum ignorantias & infirmitates purgabat, ut legere est in Lege. At Filii Dei sanguis omne peccatum purgat, nam & pro omnibus omnium peccatis ex Dei voluntate & mandato fusus est. Ideoque Deum movet & penitus obstringit, ut omnibus in Christum credentibus, & in luce ambulantibus, peccata condonet, & eorum reatu ac pœna solvat: tanto magis quod hæc Christi obedientia, qua se victimam dedit pro mundi peccatis, & se demisit ad mortem, eamque crucis, Deo fuerit omnium gratissima. Unde etiam Christus dicitur sese tradidisse pro nobis victimam & oblationem Deo in odorem suavitatis Ephes. v. 2. Ita igitur Christi sanguis non tantum peccata nostra emundat, sed etiam emundata esse ostendit, tanquam certissimum pignus remissionis peccatorum, nobis à Deo datum. Neque enim de remissione peccatorum dubitare possumus, post-

quam Dei Filius ille singularissimus & omnium charissimus victima pro iis, Deo sic mandante, factus est. Ingens in eo est Dei charitas, quod non tantum voluerit nobis peccata remittere omnia, & insuper vitam æternam donare; sed etiam tanto pignore sese ad id faciendum obstringere.

Notandum vero, quod sanguis Jesu Christi Filii Dei mundet nos ab omni peccato, non simpliciter, sed cum conditione, *si in luce ambulamus*. Ex qua conditione apparet sanguinem Jesu Christi non esse fusum, ut peccata seu debita nostra Deo proprie loquendo exsolveret, sed ut ea Deus, ex decreto voluntatis suæ, nobis remitteret & condonaret. Nam si prius illud verum esset, nulla conditio à nobis posset requiri. Quando enim creditor debitum suum plenissime recipit, nullum amplius debiti à debitore exigendi jus habet. Unde & redemptio quæ facta est in Christo Jesu, dicitur remissio transgressionum Col. j. 14. Eph. j. 7. Vide Commentarium in hæc loca. Hinc perspicuum est quam improvide divellantur quæ conjuncta sunt. In omnium ore personat hoc dictum sanctissimum & veri solatii plenissimum, *sanguis Filii Dei mundat nos ab omni peccato*, & interim reticetur quod præcessit, *si in luce ambulamus:* quasi dicat, tum demum communionem habemus cum Deo, & tum demum sanguis Filii Dei mundat nos ab omni peccato: quod etiam res ipsa loquitur. An enim audeamus ad peccata relabi, eaque iterare, in quorum expiationem tam pretiosus sanguis impensus est? Quæ atrocior & magis inexpiabilis in Deum & Dei Filium contumelia queat intorqueri Heb. x. 26, 27, 28, 29? Juvat & hoc notasse, Dei Filium dici, qui sanguinem in se habuerit, eumque effuderit, proinde qui homo fuerit, non Deus aliquis immortalis, multo vero minus unus ille Deus, cui etiam Filius suus relative opponitur, sicut & homo, contradictorie: Deus enim ille unus est non homo, & homo est non Deus ille unus. Et Deum illum unum plures personas dicere, quarum alia sit Pater, alia filius, & hanc hominem esse factam, meras contradictiones continet; nec si homo facta non sit, sed tantum hominem seu humanam naturam assumpserit, in unionem personalem, (quod iterum quid sit nemo intelligit, cum omnis homo singularis & individuus ipse per se persona sit, itemque natura humana singularis & individua sine sua personalitate ne cogitari quidem possit) vere & proprie dici queat, Filium Dei sanguinem fudisse, si Dei Filius citra hominem istum, seu humanam naturam pridem fiat. Alexander olim, cum corpus suum vulneribus patere, & sanguinem ex se fluere vidisset, hominem se mortalem esse agnovit: & nos ex vulneribus & sanguine & morte Filii Dei idipsum nolumus agnoscere? Ita Filium illum hominis ex Spiritu & virtute Dei conceptum, & sic à Deo ex Virgine genitum, & summe dilectum, & in singularissimum Filium electum, & evectum, unicum nobis à Deo datum Servatorem & Redemtorem, fastidimus & dedignamur!

Vers. 8. *Si dicamus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Ex hac occasione purificationis nostri per Christi sanguinem, redarguit eos qui existimarent se operibus suis posse servari. Proinde sibi fide in Jesum Christum Dei Filium non esse opus; tales erant Judæorum multi, contra quos etiam disputat Paulus, inprimis in Epistola ad Romanos, & ad Galatas.

Si dicamus, inquit: quasi dicat, ut quidam faciunt, *quod peccatum non habemus*, id est non peccavimus, ut vers. 10 loquitur, non tenemur peccati ullius reatu, *nos ipsos decipimus*. Falsa opinione animum imbuimus quæ nobis in perniciem vertet. Nam qui ita existimant, non tantum falsa opinione animum habent imbutum; sed etiam de peccatorum remissione non sunt solliciti, nec ad fidem in Christum confugiunt, ut per eam justificentur.

Et veritas non est in nobis. Hac nimirum ex parte non sentimus quod verum est. Veritas enim est, nos omnes peccatorum reos esse.

Vers. 9. *Si confiteamur peccata nostra.* Postquam docuit quam misera sit eorum conditio, qui se peccati insontes esse existimant, nunc docet quam beati sint qui se peccatores esse confitentur. Si confiteamur peccata nostra, id est si confiteamur, & coram Deo & coram hominibus, nos peccatores & peccatorum reos esse. In qua confessione includi debent omnia confessionis istius istius annexa, & propositum, & promissum non amplius peccandi, & propositi ac promissi istius executio, per synecdochen. Sic fidei, sic charitati, sic invocationi nominis Domini, sic & cuique virtuti seorsim salus tribuitur. Alioqui enim confessio peccatorum ad remissionem haudquaquam esset efficax. Et res ipsa docet, omnes eos qui peccatum confitentur, eo fine ut remissionem illius consequantur, hac ipsa confessione sese obstringere ad non peccandum amplius, & si peccent & relabantur ad peccata, non tantum remissione peccatorum excidere; sed etiam graviori pœna sese involvere, & omni misericordia indignos reddere, elusa & spreta priore misericordia.

Fidelis est & justus. Nempe Deus, fidelis in præstando promisso. Promisit enim omnibus peccata confitentibus peccatorum remissionem per Christum, cujus totum Euangelium de remissione peccatorum & pœnitentia loquitur, qua confessio peccatorum continetur.

Et justus. Id est bonus, benignus. Potest hoc loco, ut & aliis multis justus, significare bonum, beneficum, in exigendo suo jure non rigidum, summe æquum, quo significatu sæpe celebratur Dei justitia, præsertim in Psalmis: & vir justus appellatur is qui bonus est & benignus. Sic Joseph quod justus esset, noluit jus suum persequi in Maria uxore sua, quod sibi adversus illam esse credebat. Itaque significat, etiamsi Deus promisso ac fide sese non obstrinxisset; tamen justitia ac bonitas eum impelleret:

Ut remittat nobis peccata. Effectum notat fidei & justitiæ Dei, remittere peccata deprecantibus & culpam agnoscentibus, si scilicet non jam ante Deum elusêrint, & in tempore id faciant. Vide 2 Cor. vj. 1, 2.

Et mundet nos ab omni iniquitate. Reatu nimirum omnis iniquitatis nos solvendo, & justitiam nobis imputando.

Vers. 10. *Si dicamus quod non peccavimus, mendacem facimus ipsum.* Quasi dicat, non tantum ipsi mentimur, ut jam asserui vers. 6; sed quod longe pejus est, mendacem facimus Deum qui veritas est ipsa.

ipsa. Deus enim ipse nos omnes peccatores & peccati reos esse pronuntiat, vide Rom. iij. 19, & dum omnibus per Christum remissionem offert, & pro omnibus Filium suum in mortem tradidit, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam, eo ipso omnes peccatorum reatu teneri declarat. Ideo addit Joannes. *Et sermo ejus non est in nobis.* Nempe per fidem; non credimus Dei sermoni, cui dum non credimus, eo ipso Deum mendacem facimus.

CAPUT II.

Vers. 1. F*ilioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis.* Ostendit quo fine superiora scripserit. *Filioli mei.* Perblando nomine eos compellat: nam *filioli* blandius est quam *filii*. Comparat se patri, illos filiis suis, & amorem suum declarans, & suam quoque authoritatem significans; non tantum muneris Apostolici respectu; sed etiam ætatis, quo tanto efficacior esset eorum in animis oratio: filiorum enim est patriam admonitionem prompto animo accipere. Verosimile est eum ad Ecclesias à se plantatas epistolam scribere, quæ quia continet generalia præcepta, catholica vocatur, quo sensu & omnes Scripturæ dici possunt catholicæ. Etsi vero Joannes hac metaphora usus est, quod & Paulus alicubi fecit: non tamen propterea patris titulum & appellationem affectavit aut usurpavit. Patri sese respectu discipulorum Christi qua talium, comparare aliquando & ex occasione licet; at hoc respectu, titulum & appellationem patris alicui imponere & gerere non licet, exstante Christi præcepto, sicut nec titulum magistri, doctoris, domini. Unus enim est hoc respectu Pater noster, Deus, unus Magister, Doctor, Dominus, Christus Matth. xxiij. 8, 9, 10.

Hæc scribo vobis, nempe superiora, *ut non peccetis.* Ut à peccando abstineatis; quia scilicet si peccetis, si in tenebris ambuletis, communionem habituri non estis cum Deo, neque sanguine Christi purgabimini à peccatis vestris, ut ex vers. 6 & 7 constat.

Et si quis peccet. Contra id quod moneo, non protinus desperare debet de venia; sed certus sit se remissionem peccatorum consecuturum, dummodo peccare desinat. Nam hanc conditionem intelligendam esse res ipsa docet. Si enim aliquis peccatis non relictis posset eorum veniam consequi, & communionem cum Deo habere, Joannes sibi ipsi contradiceret, & quod una manu exstruxit, altera destrueret.

Paracletum habemus apud Patrem, Jesum Christum, justum. Quibus verbis significat, peccatores, si suorum peccatorum pœnitentiam agant, & vitam emendent, consecuturos esse veniam, & cum Deo communionem; quod etiam significavit superioribus illis verbis, *si in luce ambulamus, communionem habemus &c: &, sanguis Jesu Christi mundat nos &c. Et, si confiteamur peccata &c.* Possent Apostoli verba in hunc sensum accipi; *hæc scribo vobis ut non peccetis*, id est ut totis viribus à peccando abstineatis, id unice operam detis ne unquam peccetis. Hoc enim qui faciunt, neque in ullo peccati habitu hærent, neque enorme aliquod peccatum committunt.

Et si quis peccet. Id est si cui, veluti nolenti & invito, peccare & aliqua in re delinquere contingat, ne propterea animo concidat, sed certus sit ejusmodi delicta haudquaquam sibi imputatum iri. Non enim ultro & ex malitia fiunt; sed ex errore aliquo vel humanæ conditionis imperfectione, &, ut Apostolus loquitur, hominem præveniunt & præoccupant, antequam sese recolligat Gal. vj. 1. Verum ampliore sensu Joannes videtur hæc verba protulisse, & iis quoque qui enormius peccant, vel adhuc in aliquo peccati habitu hærent, spem facere remissionis peccatorum, dummodo veram pœnitentiam agant & à peccando desistant; iis tantum peccatis exclusis quæ infra Apostolus dicit esse ad mortem, de quibus suo loco. Peccata ante fidem in Christum commissa illico post professionem Christi remittuntur. At quæ post susceptam fidem ultro ac deliberata voluntate perpetrantur, remissionem non habent, nisi sequatur vera vitæ emendatio, & secundum spiritum, non secundum carnem ambulatio Hebr. x. 26. Rom. viij. 4, 12, 13. Et æquum est, ut vox *peccandi* apud Joannem utrobique eodem modo accipiatur, & in verbis *ne peccetis*, & in verbis *si quis peccet.* Proinde in posteriori membro non minus quam in priori, etiam graviora peccata significat, & vers. 9 capitis præcedentis, quo hæc referuntur, tam de gravioribus quam levioribus, imo magis de illis quam de his intelligendus est. Ipsæ etiam, *peccati* & *peccandi* voces, graviore sensu accipi solent apud Joannem, ut & alios sacros scriptores: (vide infra cap. iij. 6.) Et consolatio quam Joannes hic addit longe est augustior quam ut ad ignorantias tantum & infirmitates referenda sit, quibus & in Lege venia concessa erat. Inquit ergo. *Paracletum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Intelligit advocatum, qui causam nostram agat ne damnemur, peccatorum rei: solet enim reis advocatus addi vel assistere. Itaque & nos peccatores habemus advocatum, eumque eximium valde, nempe Jesum Christum, id est qui Christus ille Dei est, Dei Filius unicus, apud Patrem in flagrantissima gratia, & omnium potens; qui si cujus suscipiat patrocinium, causa cadere non potest.

Quem appellat *justum*, non tantum ob fidelitatem quod fideliter causam nostram agat; sed etiam quod omnis ipse peccati sit expers. Nam eum peccatorum causam agere, qui ipse peccator sit, & patrocinio indigeat, non satis congruum est. Unde etiam apparet, neminem hominum in cælis advocatum nostrum esse posse, præter solum Jesum Christum justum, qui nullum unquam peccatum cognovit, ut Scriptura loquitur, cum cæteri omnes, etiam sanctissimi homines, quamvis alioqui suo sensu justi appellati, ipsi advocatione & patrocinio Jesu Christi indigeant. Ideo & Joannes in singulari numero loquitur, *advocatum habemus*, non advocatos, se quoque immiscens iis qui advocati istius opera opus habent. Et cur alios ullos in cælis quæramus; cum hic unus abunde sufficiat?

Ait nos *apud Patrem* hunc advocatum habere. Deum Patris nomine hoc loco appellavit, ut ejus erga nos paternum affectum exprimeret. Patres ipsi ultro propendent ad filios immorigeros in gratiam recipiendos, dummodo mores suos emendent, & eorum

quæ improbe fecerunt, vera pœnitudine ducantur. Quanto magis si tantus Advocatus, & Dei unicus Filius causam eorum agat? Egregie nobis ipse Dominus Jesus Patrem illum cælestem descripsit in parabola de filio prodigo, quæ apud Lucam legitur cap. xv. 11 & seqq. Ex hac ipsa vero tanta consolatione perspicitur emendatione opus esse. Nam nec Pater Filium in gratiam recipit nisi mores emendet, nec quisquam prudens & probus advocationem pro illo suscipit qui in male agendo perseverat.

Vers. 2. Addit Joannes. *Et ipse propitiatio est pro peccatis nostris.* Ut ostendat tanto majorem istius advocationis efficaciam: quasi dicat, & hic ipse Advocatus *est propitiatio pro peccatis nostris.* Per propitiationem pro peccatis nostris, intelligit victimam propitiatoriam & expiatoriam, quod scilicet ille ipse, Deo sic volente & constituente, sanguinem suum fuderit in remissionem peccatorum nostrorum, & sic Deum reddiderit nobis peccatoribus, si pœnitentiam agamus, & vitam emendemus, plane propitium. An ergo talis Advocatus vel causam nostram fideliter non aget, vel apud Deum non omnia obtinebit, cujus jussu & mandato sanguinem suum hunc ipsum in finem profudit? Non est vero necesse ut Christus sermone aliquo aut oratione ad Deum pro nobis utatur, cum ipsa Christi crux loquatur, & Deum ad dandam omnibus in Christum credendibus veniam penitus obstringat. Hinc & auctor epistolæ ad Hebræos Christi sanguinem meliora loqui dicit quam Abelem, non vindictam à Deo exposcendo, sed peccatorum veniam iis omnibus qui ad Christum confugiunt, & in Christo Jesu non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant Rom. viij. 1.

Et ut tanto majorem virtutem & efficatiam propitiationis istius Joannes ostendat, addit: *Non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi:* quasi dicat, non est autem ut nos peccatorum nostrorum magnitudo vel multitudo terreat, cum Jesus Christus etiam pro totius mundi peccatis propitiatio sit, & sanguis ejus tantam coram Deo vim habeat, ut etiam totius mundi peccata delere & expiare possit, dummodo mundus in Christum credat, peccatis valedicat, & ad Deum creatorem suum sese convertat. Ex quo mundi exemplo itidem apparet, nobis quoque jam credentibus, non aliter sperandum esse peccatorum remissionem, nisi peccare desinamus, seu, in luce, non tenebris ambulemus. Nec enim mundus aliter per Christi victimam peccatorum expiationem sperare & adipisci potest, quam ut mundus esse desinat, id est omnem impietatem & mundanas cupiditates ac mores abneget, & Christianus vita ac moribus fiat. Victima propitiatoria dicitur propitiatio, quod per eam fiat propitiatio, per metonymiam effecti pro causa, sicut Spiritus Sanctus, infra cap. 2. 27 appellatur *unctio*, quod sit cæleste illud oleum per quod fit unctio. Propitiatur vero Deus non semper ut iratus placetur, sed etiam quando efficitur ne, justas alioquin irascendi causas habens, & iram summa clementia & misericordia continens, tandem irascatur ac puniat: quod fit cum ipse victimam ordinat propitiatoriam, quam si quis negligat, tum demum iratum experturus Deum, si vero ad eam confugiat, mitem ac propitium, quod maximè factum est in Christo, quem non solum Deus ipse dedit victimam pro mundi peccatis; sed etiam Christus ipse in hoc admirabilem Dei erga mundum charitatem celebrat Joan. iij 16; quæ certe Deum mundo tum fuisse iratum, nullo modo patitur. At nisi mundus ad Christum, tanquam unicam expiationem confugiat, & sic in Christum credat, peccatis moriatur, Deo ac justitiæ inposterum vivat, tanta Dei charitas in iram vertet horribilem. Atque hanc ob causam Deus Christum pro mundi peccatis victimam dedit ac fieri voluit, ut sicut seipsum ad remittenda peccata, sic mundum ad eadem relinquenda tanta victima obstringeret.

Vers. 3. *Et in hoc.* Instat Apostolus admonitioni suæ, ne peccemus, sed ut præcepta Christi servemus, quod antea dixit ambulare in luce. *In hoc*, id est per hoc, *cognoscimus quod cognovimus ipsum.* Pronomen *ipsum*, referri potest ad Deum, & ad Christum. Nam in Christo cognoscitur Deus. Cognoscitur vero Deus, quando cognoscitur ejus voluntas; respectu eorum quæ à nobis & credi vult, & fieri, quorum omnium cognitio petenda est ex Euangelio Christi, si mandata ipsius similiter sive Dei, sive Christi servemus: quasi dicat, non possumus de cognitione Dei & Christi gloriari, & eam nobis attribuere, nisi servemus ejus mandata, ideoque necessarium est ut ea servemus.

Vers. 4. *Qui dicit, cognovi ipsum, & præcepta ejus non servat, mendax est.* Ne quis tamen pertendat se Deum cognoscere, etsi mandata ejus non servet, insistit asserto, *mendax est*, inquit, qui hoc dicit, *& veritas in eo non est*, hactenus nimirum. Vide cap. j. 3. Idem repetit Hebræorum consuetudine, per negationem contrarii. Hoc ideo Joannes asserit, quod cognitionis Dei & Christi ea sit vis & efficacia, ut in hominibus observationem mandatorum ejus producat. Proinde si hic effectus in aliquo non sit, etiam istius effectus causa merito in illo esse negatur, cum causa posita, effectus poni debeat. Cohærent ista naturaliter, cognoscere Christum, & mandata ejus servare: sed posset aliquis hunc nexum impedire sua pertinacia. Sic fides in eo esse negatur qui fructus fidei non fert. Adde quod cognitio ista si sit sterilis & inefficax, ob hominum contumaciam censetur pro nulla; sicut & fides, si sit sine fructibus, seu bonis operibus. Non enim hic attendimus ad eos qui falsis opinionibus imbuti, jactant cognitionem & fidem Christi, in quibus ultro fatemur ob id ipsum non dari observationem mandatorum Christi, quod falsam habeant notitiam ac fidem Christi.

Vers. 5. *Qui vero servat ipsius sermonem, vere in hoc charitas Dei perfecta est.* Alio modo ostendit Joannes necessarium nobis esse ut Dei mandata servemus, quia nimirum tum demum vere in nobis charitas Dei, id est charitas erga Deum, perficiatur. Antea dixit mandata, nunc dicit sermonem. Significat posse Deum aliquo modo amari, etsi ejus mandata non serventur; sed hanc charitatem perfectam haud esse, proinde nec ad comparandam nobis salutem æternam efficacem. Charitatis enim veræ & perfectæ, quæ Deo debetur, ea est natura, ut eum qui amat, ad ea omnia ei quem amat grata & accepta esse

esse novit faciendum adducat, & eadem charitas facit ut omnia, quamvis alioquin gravia, levia esse videantur, quæ in gratiam ejus qui amatur fiunt. Amor currit, volat, lætatur, de impossibilitate non causatur, ut quidam dixit. Servare autem sive custodire Dei sermonem & mandata, est totum in eo esse ne quid unquam contra Dei sermonem & mandata fiat, vel in executione negligatur, seu ne ulla in re detrimentum aliquod patiantur, sicut pupillam oculi nostri custodimus, ne vel minimus pulvisculus in oculum incidat, & sicut diligentes vigiles solent custodire res sibi commissas: hæc enim est vis vocis τηρεῖν.

In hoc cognoscimus quod in ipso sumus. Tertio modo idem ostendit. *In hoc*, id est per hoc, si nimirum servemus Dei sermonem, *cognoscimus, quod in ipso*, scilicet Christo, *sumus*. In Christo esse, est Christo adhærere, id est, ejus sermoni credere; sicut & Christus in nobis esse dicitur, quando ejus sermo in nobis est per fidem & assensum, nimirum in animum receptus. Negat Joannes posse nos gloriari de fide in Deum, si sermonem ejus non servemus.

Vers. 6. *Qui dicit quod in ipso manent.* Id est quod ipsi adhæreat firmiter, per fidem, & assensum, & sic illi conjunctus est.

Debet, sicut ille ambulavit, & ipse sic ambulare. Sicut ille, scilicet Christus ambulavit. Unde patet & superiore versu Christum intelligi. Deo enim ambulatio tribui non solet cum significat mores & vitæ actiones; & de præterito loquitur tempore, Christi actiones in vita olim mortali designans.

Et ipse sic ambulare. Debet, non tantum quod jure teneatur; sed etiam quod hæc sit arctissimæ conjunctionis natura, ut qui inter se conjuncti & colligati sunt, una secum etiam ambulent. Nam si unus dextrorsum, alter sinistrorsum pergat, & in contrarium tendat, certe colligati inter se esse non possunt. Non significatur autem æqualitas cum Christo, sed tantum assimilatio & imitatio Christi.

Vers. 7. *Fratres, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus.* Quia de Christi mandatorum observatione agebat, nunc etiam de ipsis mandatis agit, quæ partim ab ipso initio audiverint, partim etiam, quamvis recentius, aperte & diserte tradita, talia tamen sint de quorum veritate ipsi non dubitent: proinde ut ea sibi commendatissima habeant.

Fratres. Quos antea *filiolos* vocaverat, nunc appellat *fratres*, nempe quia omnes Christiani inter se sunt fratres, & communem Patrem habent Deum, ut vel hinc appareat, nulli fas esse Patris titulum Ecclesiæ Christianæ respectu gerere. Vide vers. j.

Non mandatum novum scribo vobis. Mandati voce intelligit sermonem, ut ipse mox declarat, qui non tantum ea continet quæ facienda, sed etiam ea quæ credenda sunt: quasi dicat, non est quod novitate aliqua offendamini.

Sed mandatum vetus. Eodem modo & hic vox mandati accipitur.

Quod habuistis à principio. Proinde quod ab ipso principio, nempe Euangelii, traditum fuit. Et ne quis vocem mandati sic sumat ut ea tantum quæ facienda, non etiam quæ credenda sunt intelligat, ideo quid mandati antiqui nomine significet, ipse exponit.

Mandatum vetus est sermo quem audivistis à principio. Etiam hic locus docet, Joannem de principio agere, in quo Christiani isti ad quos scribit fuerint. *Sermo* autem *quem à principio audiverant*, erat Jesum esse Christum, Dei Filium illum singularissimum, vitam æternam nobis esse promissam, ambulandum esse in luce, opera tenebrarum esse abdicenda si quis vitam æternam adipisci velit, Christum pro peccatis nostris esse mortuum, & similia Christi doctrinæ principia ac fundamenta. De quibus etiam vide Auctorem ad Heb. vj. 1 & seqq.

Vers. 8. *Rursus mandatum novum scribo vobis.* Quasi dicat, rursus etiam non tantum ea vobis scribo quæ ab ipso Euangelii initio audivistis; sed etiam quæ postea vobis tradita sunt, & quæ principiis illis ac fundamentis superstruuntur.

Quod est verum in ipso, & in vobis. Quasi dicat, quamvis ab ipso principio non protinus traditum; quia nondum capaces eratis, seu, ut Christus loquitur, portare id poteratis; tamen nihilominus verum est: *in ipso*, intellige Christo, aut Deo, id est apud ipsum. *In* pro *apud*, ut Rom. j. 12, quod ipse Deus & Christus pro vero habet.

Et in vobis. Id est apud vos verum est, quod vos quoque pro vero habetis & agnoscitis. Hoc vero erat neminem per Legis opera justificari, fidem imputari ad justitiam, eos qui spiritu Christi aguntur sub Lege non esse, in disciplina Christi non attendi ad ullos Mosaicos ritus, solam in Christum fidem & charitatem omnia valere, sacrificiis & victimis legalibus nihil opus esse, sanctitatem & justitiam multo perfectiorem nunc à liberis quam olim sub Lege à servis requiri, gentium discrimen, circumcisionem & præputium in Christo non attendi; sed novam creaturam tantum, & his similia: quæ omnia partim jam significavit Joannes cap. j. 7, 8, 9, 10, & hoc ipso capite vers. 1, 2, partim infra significat vers. 10, 15, & aliis diversis Epistolæ verbis. Etiam hic novus erat sermo, qui vers. 18 continetur.

Quia tenebræ transeunt. Quasi dicat, non mirum est quod vobis scribam & commemorem etiam talia quæ posteriori tempore sunt tradita: *quia tenebræ transeunt*; ab initio nondum poteratis in plena luce constitui, sensim transiverunt tenebræ ignorantiæ divinæ voluntatis. *Transeunt*, id est transiverunt, præsens ponit pro præterito: addit enim,

Et lux vera jam lucet. Rem eandem per positionem contrarii Hebræo more affirmans. *Lux vera*, id est plena, perfecta, quæ perfecta doctrinæ Christi revelatione & notitia continetur. Jam non tantum diluculum, sed meridies est. Sol quidem jam exortus erat, cum Christus exortus est; quatenus omnia quæ ad salutis adeptionem erant necessaria, revelata erant; sed sol processit, & alia mysteria quæ ab initio latebant, & per Paulum Apostolum maxime patuerunt. Vide Ephes. iij. 2, 3, 4, 5, 6, 9, 10. Rom. xvj. 25, 26. Col. j. 25 &c. 2 Tim. j. 8, 9, &c. Quod Joannes hic dicit, tenebras prætерire, id est præteriisse, & lucem veram lucere, Paulus dixit, noctem jam transiisse & diem appropinquasse: proinde horam jam seu tempus esse ex somno expergiscendi, & depositis operibus tenebrarum, arma lucis & Dominum Jesum Christum induendi, & tanquam interdiu decore incedendi Rom. xiij. 12 ad finem.

Vers. 9.

Verſ. 9. *Qui dicit quod ſit in luce, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt adhuc.* Quia dixit illos in plena luce conſtitutos eſſe, & perfectam Chriſti cognitionem habere; occaſione hinc ſumpta, inculcat illis præceptum charitatis, docens falſo de hac luce gloriari, qui fratem ſuum oderit. Solent enim libenter homines gloriari de ſcientia & cognitione, ſed hæc gloriatio vana eſt & falſa, niſi id effectu ipſo demonſtrent.

Qui dicit ſe in luce eſſe. Id eſt plena Chriſti cognitione illuminatum eſſe.

Et fratrem ſuum odit. Fratri ſuo malevult, odiſſe enim eſt male velle, male cupere. Fratris nomine, apud Joannem, is tantum intelligi videtur qui Chriſtianus eſt, ſeu qui credit Jeſum eſſe Chriſtum. Chriſtiani enim κατ' ἐξοχὴν fratres ſunt; quamvis alii etiam homines, & hæretici, & apoſtatæ, & hoſtes, & extranei, & conſanguinei, & fratres ſecundum carnem, ſuo quiſque modo ac menſura ſint amandi.

In tenebris eſt adhuc. Quaſi dicat, quamvis ſe lux tam clarè diffuderit, tanto poſt Euangelii principium tempore; tamen adhuc eſt in tenebris, qui fratri ſuo, Chriſtianus Chriſtiano, malè vult, quicquid de ſe jactet, & ſibi imaginetur ac perſuadeat quod in luce ſit, valde opinione ſua fallitur. Cur hoc aſſerat Joannes, ex ſequentibus patebit.

Verſ. 10. *Qui diligit fratrem ſuum, in luce manet.* E contrario docet, eum qui fratrem ſuum diligat in luce manere. *Diligit*, id eſt bene vult, bene cupit, Chriſtianus Chriſtiano.

In luce manet. Phraſi Hebræa, id eſt, hic vere illuminatus eſt, cognitione ſcilicet Dei & Chriſti, quia iſtius rei fructum & effectum oſtendit.

Ideo addit, *Et ſcandalum in ipſo non eſt.* Itidem Hebræa phraſi, id eſt non impingit, non offendit, non cadit, in tendiculam & laqueum non incidit.

In eo non eſt. Id eſt in eo locum non habet, ut ſolet iis accidere qui in tenebris ſunt. Petrus rem eandem exprimens dicit, *hæc facientes*, (nempe quæ ſuperius poſuit, quorum maxima pars & complementum eſt charitas,) *non cadetis unquam* 2 Pet. j. 10.

Verſ. 11. *Qui vero odit fratrem ſuum.* Contrariorum contraria docet eſſe conſequentia.

In tenebris eſt. Nempe ſpiritualibus ignorantiæ Dei & Chriſti, ſupra verſ. 9. Coarguit eos qui gloriantur de cognitione Dei & Chriſti, & fratrem oderunt. Hic ſimpliciter dicit, eum in tenebris eſſe, quia animum qui fratrem oderit habet, tenebris ignorantiæ Dei & Chriſti obſitum.

Et in tenebris ambulat. Id eſt ita ambulat ſicut ambulare ſolent qui in tenebris ſunt. *Ambulat*, id eſt agit.

Et neſcit quo vadat. Sic iis uſu venit qui in tenebris ambulant, neſcit ſe vadere in interitum: ſi enim ſciret, certe greſſum contineret.

Cur vero neſciat cauſa à Joanne additur, *Quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus.* Id eſt oculis viſum ademerunt: quamvis enim oculis videndi vis non deſit, tamen ſi in tenebris conſtituantur, viſum omnem amittunt & velut cæci fiunt. Ita evicit Joannes eum qui fratri male vult, non in luce, ſed in tenebris verſari. Conſiderare hæc & ſimilia Joannis dicta diligenter deberent qui fratres ſuos, & eos quos pro fratribus habere tenentur, ſi Chriſtiani velint eſſe, non tantum pro fratribus non habent, non tantum non diligunt ut fratres, ſed etiam damnant & perſequuntur; & tamen eo nomine ſibi blandiuntur, quod in luce ſint, id eſt veram Dei & Chriſti cognitionem habeant, quos etiam ſi libenter pro fratribus habere vellemus, & illorum errores tolerare, donec reſipiſcerent, & ad veritatis pleniorem cognitionem pervenirent; tamen eos pro inimicis & hæreticis habere cogimur, & ea tantum charitate complecti quæ talibus debetur. In charitate, ſeu benevolentiæ affectu includi debent & effecta, ut ſcilicet quoties datur, affectum illum factis teſtemur, nec ab aliis tantum fratri bene fieri velimus, ſed & nos ipſi ei benefaciamus. Alioquin enim non ipſi vere fratrem amaremus, ſed tantum ab aliis amari vellemus.

Verſ. 12. *Scribo vobis, filioli quod remittantur vobis peccata.* Pergit Apoſtolus, & dicta quædam memorabilia animis Chriſtianorum infigit, maximæ ad exequenda Chriſti præcepta efficaciæ, & primum in genere omnibus, *ſcribo vobis, filioli*] Hoc nomine omnes quotquot in eccleſia ſunt complectitur, quo etiam uſus eſt ad omnes initio hujus capitis.

Quod remittantur vobis peccata. Rem maximè gratam iis inculcat, quid enim optabilius eſſe poteſt peccatorum remiſſione, quam Chriſti continet Euangelium. Remittuntur enim Chriſtianis omnia etiam graviſſima peccata, quorum nulla per Legem erat remiſſio Act. iij. 39; idque ſic ut iis vita conferatur æterna: cujus rei pignus certiſſimum habent Filii Dei ſanguinem, hunc ipſum in finem pro peccatis effuſum: intelligenda enim eſt conditio ſuperius expreſſa, *ſi ambulamus in luce* cap. j. 7, &, ſi Chriſti mandata ſervamus, qua de re adhuc egit Apoſtolus. Imo conditionem hanc non tantum intelligit; ſed etiam tacitè ponit in Chriſtianis, cum Chriſtianorum omnium hæc ſit profeſſio, hæc divinæ gratiæ per Chriſtum annunciatæ vis & efficacia. Sic & mox de juvenibus affirmat, quod vicerint *malum illum*, verſ. 13, 14, *propter nomen ejus*, id eſt ſui nominis cauſa Deus id facit, ſeu propter gloriam nominis ſui; ne quis de tanta gratia dubitet. Hoc ſenſu in nomen Chriſti dicimur congregari Matth. xviij. 20, id eſt in nominis Chriſti gloriam & celebrationem. Hæc phraſis eodem ſenſu ſæpe legitur in Sacris Literis per metonymiam ſubjecti. Nomen pro nominis gloria. Alii pronomen αὐτοῦ, referunt ad Chriſtum, quod etſi vere fiere poteſt; (nam dubium non eſt quin Deus nobis peccata remittat propter nomen Chriſti; ſeu quod in Chriſtum credamus, & nomen ejus profiteamur) præſtat tamen Scripturæ ſequi morem, quæ cum Dei aliquod, præſertim ingens & ſingulare beneficium commemorat, dicere ſolet, quod id faciat propter nomen ſuum Pſal. LIV. 3: & Patrem hic potius intelligi quam Filium, ipſa filiorum appellatio ſuadet: quaſi dicat, propter nomen Patris. Vide Epheſ. j. 6, 7, 14.

Verſ. 13. *Scribo vobis patres.* Poſtquam omnes in genere allocutus eſt, nunc diverſas in Eccleſia ætates alloquitur, & cuilibet ætati dictum quoddam conveniens tribuit. Primum ſcribit patribus, id eſt iis qui in Eccleſia ſenuerunt & patres facti ſunt, proin-

de vel

de vel ab ipso Euangelii principio in ecclesia fuerunt, vel certe non multo post Euangelii principium ecclesiæ accesserunt.

Quod cognovistis eum qui à principio. Scilicet *erat*, sive *est*. Christum, Dei Filium τὸν ἀπ' ἀρχῆς dictum, intelligit, quem Jesum esse cognoverant, quod ab ipso Euangelii principio erat & prædicabatur, ipso Christo teste Joan. viij. 26. Etsi enim Christus appellatione Christi non uteretur, à principio tamen usus est appellatione Filii Dei, & aliis de se dictis æquipollentibus. Vide supra cap. j. 1, & hic infra vers. 24. Monet igitur patres, ut in eo quod à principio cognoverant, & in quo consenuerant, constanter maneant, & juniores idem doceant.

Scribo vobis juvenes. Jam juvenes alloquitur, qui in ecclesia juvenes adoleverunt,

Quod vicistis malum. Hoc juvenibus convenit: juvenum enim est viribus pollere, per quas victoria efficitur. Juvenibus autem istis adversarium constituit τὸν πονηρόν cum articulo emphatico, id est eum qui absolute seu insignite malus dicitur, diabolum nimirum, ut ostendat se de spirituali lucta, & consequenter victoria loqui, quæ Christianorum juvenum propria est. *Malus iste* id agit ut nos ad peccatum quacunque ratione adducat. Huic resistere, ne id efficiat, cum eo luctari & pugnare, est à peccato abstinere; & efficere ut ejus conatus omnes sint irriti, est illum vincere. Intelligendum autem est de plena victoria, ut non semel tantum atque iterum diabolus repellatur, sed ut plane pedibus substratus jaceat.

Dicit autem, *vicistis* ipsum, effectum eis tribuens, quia vincendi sufficientes habent vires, seu, victoriam in manu positam, & quia illorum officii est diabolum vincere, ut si hoc reipsa non præstent, ipsi sint in culpa, & nihil minus sint quam veri juvenes in Christo. Sic sæpe de Christianis affirmatur, quod illorum est officii ac professionis, etiamsi non semper facta respondeant. Vide Rom. vj. 3. 1 Cor. iv. 8. vj. 11. Ipse Joannes mox victoriæ istius causas exponit.

Scribo vobis pueruli. Jam alloquitur eos qui ad puerilem ætatem inter Christianos pervenerunt, sive ad Christianorum pueros, quos puerulos vocat, non ob infantiam, cur enim iis aliquid scriberet? sed blandiori nomine eam ætatem compellans, quæ jam capax sit cognitionis istius quam iis tribuit.

Quod cognovistis Patrem. Τὸν πατέρα, cum articulo emphatico, illum nimirum cælestem. Agitur enim hic de rebus ad spiritum pertinentibus, & hoc puerulis apposite. Puerulorum enim est patrem cognoscere, & à parentum cognitione solent parvuli notitiam rerum aliarum inchoare. Patris ergo nomine intelligit Deum illum unum, in qua Dei cognitione id includitur, quod cognoverint Deum illum unum esse Patrem Jesu Christi, tanquam sui singularissimi Filii & Christi, & consequenter omnium in ipsum credentium, pro eorum ratione & modo, proinde quod cognoverunt paternam Dei in Christo Jesu gratiam, maximum & unicum humanæ mentis solatium. In puerulorum, sicut & juvenum & patrum appellatione, etiam muliebris sexus ejusdem ætatis intelligendus est. In rebus enim ad Christianam religionem spectantibus, non est vir, non est fœmina.

Sicut igitur monuerat juvenes ut vincerent diabolum, eo ipso quod eos jam vicisse dixerit; sic pueros monet ut constanter in cognitione patris permaneant, & in ea crescant & confirmentur.

Vers. 14. *Scripsi vobis patres.* Reducit manum Apostolus, & repetit quid singulis scripserit, ut hæc tanto magis notent, & perpendant, (*non satis est dixisse semel, juvat usque morari.*) in præterito, respiciens ad id quod modo fecit: quasi dicat, memineritis igitur me vobis scripsisse, non frustra hoc repeto.

Quod cognovistis eum qui à principio. Cavete igitur doctrinas novas, doctrinæ primæ & antiquæ contrarias, nec ei respondentes.

Scripsi vobis juvenes. Nempe modo, idque nunc repeto,

Quod robusti estis. Uberius rem repetit, ut causas victoriæ exponat, robur iis tribuit. Juvenum enim est robur, & ad victoriam necessarium. Loquitur autem de spirituali robore, quia & de spirituali hoste, & de spirituali pugna ac victoria.

Et sermo Dei in vobis manet. Ostendit unde hoc robur proficiscatur, seu, quæ causa sit istius roboris. *Sermo*, inquit, *Dei*, (Christi doctrinam intelligens) *in vobis manet*, id est animis vestris penitus infixus est, quatenus scilicet Christi doctrinæ (Deus enim per Christum locutus est) firmiter credebant; qua, quia maxima continentur promissa, & promissionum confirmationes certissimæ, hinc fit ut qui huic doctrinæ credat, & tantam Dei gratiam agnoscat, quæ in illa celebratur, sufficientissimas vires habeat vincendi diabolum.

Ideo infert, *& vicistis malum.* Quasi dicat, non temere vobis victoriam diaboli tribuo; cum hoc & vestri sit officii, & viribus ad hoc satis superque sitis instructi.

Vers. 15. *Ne diligite mundum.* De juvenibus agens, addit admonitionem juvenibus valde necessarium, & parere huic admonitioni pars istius victoriæ est de qua loquitur. Senes non tam opus habent hac admonitione, cum mundus ipse jam eos relinquat maxima ex parte. Pueruli nondum istius admonitionis valde sunt capaces.

Ne diligite mundum, inquit. Mundi nomine intelligit homines à Deo aversos, quia plenus eorum est mundus. Hos diligi vetat, non quo minus iis benè velle & varia, cum opus est, benevolentiæ opera præstare debeamus; sed ne iis in moribus conformemur, cumque illis libenter conversemur. Quos enim diligimus, eorum ad placitum nos componimus, & cum illis libenter conversamur. Idem præceptum est Rom. xij. 2. 2 Cor. vj. 14. Jacob. iv. 4.

Neque ea quæ in mundo sunt. Addit hoc majoris explicationis causa, tanquam rem priori conjunctam, & prioris causam. Nam hæc inter se conjuncta & connexa esse, & unum ex alio consequi, patebit ex versu sequente, ubi simul declarantur ista quæ sunt in mundo, à quorum amore prohibemur. *Quæ in mundo*, intellige, *sunt*, id est inter homines hujus seculi locum habent.

Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in ipso. Causam addit sui moniti, quia simul amari non possit & mundus & Pater ille cælestis, & quia po-

sito amore erga mundum, tollitur amor erga Patrem illum cælestem. Quam vero sit indignum & exitiale, Christianos Dei filios mundum amare pro Patre, seu mundum amare, & Patrem non amare, res ipsa loquitur. Mundum opponit Patri, homines, eosque vitiis contaminatos, Deo.

Charitas Patris. Id est charitas erga Patrem, per genitivum objecti.

Vers. 16. *Quia omne quod est in mundo, cupiditas carnis, cupiditas oculorum & ostentatio vitæ, non est ex Patre*. Rationem reddit proxime asserti. Sic enim se habet evolutum argumentum Apostoli. Qui amat ea quæ sunt in mundo, is non amat Patrem. At is qui mundum amat, amat ea quæ sunt in mundo. Ergo qui mundum amat, Patrem non amat, seu charitas Patris in illo non est. Majorem argumenti demonstrat Apostolus hinc, quod ea quæ sunt in mundo non sint ex Patre, sed ex mundo, id est quod Pater non sit illorum auctor, sed mundus, id est homines à Deo aversi: ab illis hæc omnia sunt reperta. Minus dicit Joannes quam intelligit. Non tantum enim Patrem non habent auctorem hac omnia; sed etiam Patri vehementer displicent, eique sunt contraria. Unde per se patet, eum qui amet & consectetur Patri cælesti adversa & ingrata, nullo modo posse Patrem cælestem amare, cum aliquem amare nil aliud sit, quam ea sectari & iis deditum esse quæ illi grata sint & accepta. Minor argumenti in Apostoli verbis involvitur, tanquam res per se clara. Cur enim aliquis mundum amaret, nisi amaret ea quæ in mundo sunt? ut ex illorum explicatione patebit.

Quia omne, inquit, *quod in mundo est*, nempe eorum quæ addit, videlicet, *cupiditas carnis, & cupiditas oculorum, & ostentatio vitæ*. Non est necesse ut credamus omnes quæ in mundo sunt vitiorum species Apostolum voluisse comprehendere; sed perinde est ac si diceret, qualis est *cupiditas carnis, cupiditas oculorum, & ostentatio vitæ*. Nam ut voluerit tangere omnes vitiorum fontes, cupiditatem voluptatum, cupiditatem opum, cupiditatem honorum, non est tamen verisimile ut per cupiditatem oculorum, nomen tam generale, solam designare voluerit opum cupiditatem, cum oculi multa alia cupiant, eaque etiam per se mala & vitiosa, præter opes congestas, quæ per se malæ non sunt. Nec est ut dicas, ex solo auri & divitiarum conspectu, nullam aliam sentiri voluptatem quam oculorum. Idem enim fit & in aliis quibus soli delectantur oculi, &, Joannes per carnis cupiditatem ea sola videtur designare vitia, quæ tactum & gustum afficiunt, quod sensus isti cæteris crassiores & magis carnales sint, alioquin enim & oculi, de quorum cupiditate separatim loquitur, ad corpus & carnem pertinent. Avaritiam sane meritò in oculorum inclusit cupiditate, ad avaros stultitiæ coarguendos, qui auro & opibus solos oculos pascunt, cum longe alios in usus datæ sint & adhiberi debeant: sed ut solam significarit avaritiam, & in oculorum cupiditate non incluserit oculorum cupiditatem, id est omnia quæ oculi illicita cupiunt, ratio profecto non est: At si distincte à carnis cupiditate commemoravit ea quæ oculi cupiunt illicita; nulla causa est, ut in carnis cupiditate incluserit ea quæ aures illicita cupiunt. Ita cupiditatis aurium nullam fecit distinctam mentionem. Ex tertio porro fonte, nempe cupiditate honoris & gloriæ, ipsius istius fontis nulla facta expressa mentione, solam commemorat vitæ jactantiam, eum tamen ex hoc fonte longe plura, eaque gravissima mala, promanent. Apparet Joannem, quia de amore eorum quæ in mundo sunt loquebatur, eorum etiam tantum vitiorum mentionem facere voluisse, quæ jucunditatis & amabilitatis quadam specie homines ad se alliciunt. Hinc cæterorum affectuum, puta, iræ, odii, metus, tristitiæ, invidiæ, & eorum quæ ex iis oriuntur, inimicitiarum, rixarum, cædium, bellorum, & similium non meminit; quod hęc omnia molestiam quandam sibi conjunctam habeant, taliaque sint, ut quisq; per se malit iis vacare. Ut ergo ad Apostoli verba accedamus, per carnis cupiditatem, intelligenda est carnis cupiditas vitiosa cum suis effectis, per metonymiam synecdochicam, id est cum omnibus illicitis, & Christiana pietate minime dignis actionibus, circa cibum & potum, & res venereas, quæ omnia suis propriis nominibus appellantur, gula, ebrietas, crapula, comessationes, scortationes, stupra, adulteria tam animi quam corporis, & quæ ad talia ducunt, iisque præludunt, tripudia & saltatus virorum cum mulieribus, & his similia.

Cupiditas oculorum. Eodem modo intelligenda est prava & vitiosa cum suis effectis, qualia sunt, spectacula lascivia, aut crudelia & immanitatis plena, (qualia in theatris exhibebantur apud Romanos) picturæ obscœnæ, aspectus item mulierum & puerorum lascivi, (nam etiamsi ipsa mulierum & puerorum forma res per se bona sit, & à Deo creata; tamen si quis ea ad lascivum aspectum abutatur, cupiditate oculorum peccat) aurum & opes, nullum alium in usum congestæ quam ad oculos explendos, quæ cupiditas proprio nomine avaritia dicitur. Hæc autem omnia oculorum appellantur cupiditas, quod eorum usus alius non sit, quam oculos explere & pascere. Oculorum cupiditati rectè adjungi potest etiam aurium cupiditas vitiosa, quæ in obscœna dicta fertur & exit in jocos, in μωρολογίας, (unde oriuntur risus & cachinnationes non decoræ Christianis) & in alios sermones vitiosos, auribus mundi non ingratos. Generaliora enim, ut diximus, sunt hæc Apostoli verba, quam ut solam avaritiam denotent. Et quia juvenes hic alloquitur Apostolus, res ipsa monet, ut oculorum cupiditatem ad illa extendamus, quæ juvenum inprimis oculos rapiunt. Nam avaritia senum magis vitium est, quibus usitatum est tanto plus viatici quærere, quanto minus vitæ restat. Est vero avaritia cupiditas opum congerendarum, ab animo sua sorte rebusque ad vitam necessariis non contento. Nam alias Christiano congerere opes licet, si facultas à Deo detur, & omnis absit injustitia: & opes congeri non possunt sine voluntate, & hactenus etiam sine cupiditate, cum voluntas sit cupiditas quædam: sed si animus sua sorte & rebus ad vitam necessariis contentus non adsit, voluntas hæc & cupiditas etiam ipsa per se in vitio est. Hoc sensu Apostolus avaros describens,

bens, ait, *Qui vero volunt ditescere*, nempe, quod ſua ſorte, & rebus ad vitam neceſſariis, victu ſcilicet & amictu, contenti eſſe nolint. Nam velle ditescere, opponit τῇ αὐταρκείᾳ, *animo ſua ſorte contento* 1 Tim. vj. 6, 8, 9. Voluntas enim in talibus non ſimpliciter voluntatem; ſed exceſſum voluntatis ſignificare ſolet, quem exceſſum magis exprimit vox *cupiditatis*. Nam qui ita volunt ditescere, ut etiamſi non diteſcant æquo animo id ferant, & qui ita divites ſunt, ut etiam pauperes eſſe parati ſint, & divitiis ſuis rectè utuntur, inter avaros munerandi non ſunt. In hac vero quam diximus, vitioſa cupiditate opum congerendarum, includitur omnis generis injuſtitia & iniquitas, & quæ ſpeciali nomine pleonexia dicitur, quæ in commutationibus plus æquo habere ſtudet, nimia ad rem attentio, & de rebus hujus vitæ ſolicitudo, nimia i em parcitas & ſordicies, et opum accumulatio propter ipſas opes, non propter illarum uſum, quod avari proprium eſt & vere ad cupiditatem oculorum pertinet. Populus me ſibilat, inquit avarus ille apud Poëtam, at mihi plaudo ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca. Hinc ſcitum illud dictum, avaro tam deeſt quod habet quam quod nnn habet. Hinc & Apoſtolus avarum dixit eſſe idololatram Epheſ. v. 5. Avarus enim opes habet pro idolo, quod attingere non audet, & in quo ſpem unicam collocat. Multorum vitiorum mater eſt avaritia, &, Apoſtolo teſte, radix omnium malorum 1 Tim. vj. 10: ut merito cecinerit Poëta: Non eſt avarus: abi, quid cætera? jam ſimul iſto, cum vitio fugere. Imprimis vero ad cupiditatem oculorum referri debet idololatria propriè dicta, peccatum quo nullum gravius, nullum mundo communius. Idola enim, & quæ circa ea fit idololatria, quid aliud ſunt quam oculorum cupiditas.

Tertium eſt, *oſtentatio vitæ:* ἀλαζονεία τοῦ βίου. Βίος victum, & ea quæ ad vitæ uſus pertinent, ſignificat, (vide infra cap. iij. 17. Marc. xij. 44. Luc. viij. 43. xv. 30.) ἀλαζονεία gloriationem, oſtentationem, & jactantiam. Ἀλαζονεία igitur τοῦ βίου eſt gloriatio & oſtentatio ex victu, & iis quæ ad vitæ uſus ſpectant; ſeu gloriæ & laudis in talibus & ex talibus captatio, quod fit per faſtum & luxum. Avaritia opes recondit, iiſque non utitur; faſtus et luxus oſtentat & inaniter conſumit & iis abutitur. Hoc vitium ſuperbia proprie dicitur. Superbia enim ex Græcis vocibus, ὑπὲρ, & βία, quaſi modum excedens & ſupereminens in victu & rebus ad vitæ uſus pertinentibus, quo & ipſa vox Græca ὑπερηφανία, qua ſuperbia notatur, collimat: ſuperbi enim nimium videri & apparere volunt. Faſtus porro & luxus tam late patere poteſt, quam late patent ea quibus utimur ad victum & vitam, puta in epulis, in potu, in veſtitu, in corporis cultu, in famulitiis, in ædificiis, in curribus, & equis, & omni alio ſplendore, quibus in rebus Chriſtiani ſummam obſervare debent modeſtiam. Quia vero hoc malum cum ſui quadam ſupra cæteros æſtimatione, aliorum vero contemptu, conjunctum eſſe ſolet, rectè huc retuleris etiam iſta vitia, & eorum conſectaria. Porro cum faſtus & luxus ex animo inanis gloriæ cupido oriatur, pertinet huc honorum & dignitatum ambitio, veris Chriſtianis ſemper ſpreta, item æmulatio, invidia, & quidquid malorum eſt quod ex vanæ laudis cupidine profluit. Vana vero omnis illa laus & gloria eſt, quæ non ſola & unica virtute comparatur, citra quam, quiſquis gloriam & laudem conſectatur, inanem captat umbram, quæ illi ſuo tempore in dedecus & opprobrium ſempiternum vertet. Vitæ faſtum, ſi opes ſuppeditarent, & opum oſtentationem, Iſraëliis permiſſum fuiſſe, vel ſolius Salomonis exemplum docet. Denique diligere omnia iſta quæ ſunt in mundo, eſt iis deditum eſſe, eaque ſectari, iis operam dare. Eſt vero hoc præceptum de mundo & iis quæ ſunt in mundo non diligendis, ſanctius & perfectius quam pro ratione Legis Moſaicæ, quæ ſenſu illo externo & literali, vitæ æternæ promiſſione, & paternæ Dei gratiæ revelatione deſtituta, multa ſervis indulſit, quæ nunc liberis & ad cæleſtem hæreditatem vocatis conceſſa non ſunt. Multæ voluptates carnis, quæ olim Iſraëlitis erant licitæ, Chriſtianis nunc ſunt vetitæ. Etiam opibus ac divitiis acquirendis ac retinendis longe magis intenti eſſe poterant Iſraëlitæ quam nunc Chriſtianis fas eſt.

Neque etiam ullæ civiles Leges, pleraque iſtorum vitiorum à quibus hic arcemur, vetant, (de Philoſophorum enim ſcitis non loquor) & ea quę vetant, non tam curant ne clam fiant, quam ne veniant in publicum. Hinc tritum illud: *ſi non caſte tamen caute*. Pleraque vero quæ hic vetantur, talia ſunt, ut non tantum in vitio non ſint apud mundum, ſed etiam in laude ducantur: & ſi quis ab iis abſtinere velit, odium hominum & reprehenſionem & vilipendium incurrat; quod & Apoſtolus Petrus monuit 1. Epiſt. iv. 4. Imo mundi odium non aliunde oritur erga Chriſti diſcipulos, quam quod ea facere nolint quæ mundus facit & facienda eſſe putat. Unde infra de Caïno Joannes, quod fratrem ſuum occiderit non alia de cauſa, quam quod opera ſua eſſent mala, fratris vero bona cap. iij. 12. Ideoque monet ibidem verſ. 13, ne miremur ſi nos mundus oderit, tacitè ſignificans, hoc non aliunde venire, quam quod mundi opera ſint mala, Chriſtianorum vero bona.

Verſ. 17. *Et mundus tranſit, & cupiditas ejus.* Cauſam affert cur potius Pater, qui Deus ille unus eſt, amari debeat, quam mundus, & ea qua ſunt in mundo. Quia ſcilicet *mundus tranſeat*, id eſt homines in vita paululum commorati, alii poſt alios moriantur, & tandem etiam venturus ſit univerſalis mundi interitus.

Similiter *& cupiditas ejus* tranſeat. Per mundi cupiditatem intelligens ea omnia, quæ mundus tantopere cupit, & quibus delectatur; per metonymiam adjuncti: quæ quia brevi momento tranſeunt, vana ſunt, & ut amentur indigna; (animus enim ad æterna convertendus eſt) qualia ſunt, voluptates corporis, opes, honores.

E contrario vero *qui Dei*, (declarat quis ſit Pater ille cæleſtis) *voluntatem facit*, (proinde illi faciendæ totus eſt deditus) *manet in æternum*. Per voluntatem Dei intelligit ea quæ Deus vult, eodem modo ſicut per cupiditatem mundi, ea quæ mundus cupit.

Non dicit hic qui Deum diligit, sed *qui Dei voluntatem facit*, ut doceat quid sit Deum diligere, ne quis putet se Deum posse diligere aliter quam ut voluntatem ejus faciat & exequatur summa cura ac studio.

Manet in æternum. Sicut Deus ipse in æternum manet, sic & is qui Deum vere diligit in æternum manet. Nam & is qui mundum pereuntem amat, una cum mundo peribit. *Manet*, in præsenti, per enallagen temporis, id est mansurus est in secula, victurus est in æternum. Licet enim non minus quam cæteri, mortalis vitæ debitum exsolvat, Deus tamen illum ex morte in vitam vindicabit sempiternam.

Vers. 18. *Pueruli, ultima hora est.* Absolutis juvenibus, in quorum numero & adolescentes comprehendi debent, venit instituto ordine ad puerulos, iisque tacite inculcat idem illud quod iis scripserat, nempe ut in cognitione Patris constantes essent, proinde constanter crederent Deum esse Jesu Christi Patrem, tanquam Filii illius sui singularissimi, seu Christi illius, & consequenter omnium in ipsum credentium, pro illorum ratione ac modo: neque turbarentur eorum doctrina, qui noviter exorti Jesum negabant esse Christum illum Dei Filium illum, & sic Deum Jesu Christi Patrem; sed hinc potius colligerent ultimam, seu novissimam esse horam. *Hora* sumitur pro tempore. Ultimum autem & novissimum tempus dicitur illud, quo exacto Christus veniet, & finem huic seculo imponet, quod ad puerulos retulit, quia & pueruli novissimi sunt in Ecclesia. Unde apparet, puerulorum qui tum erant ætate, malum hoc cœpisse in Ecclesiam irrepere, tanquam novellum.

Quid vero ultima ista hora eventurum esset, & ex quo colligi deberet ultimum horam adesse, addit Apostolus: *Et sicut audivistis quod Anti-christus*, *ὁ Ἀντίχριστος*, *venit, & nunc Anti-christi multi facti sunt.* Hoc igitur, quod ultima hora eventurum erat, est Antichristi adventus. Additur articulus in Græco ad vocem Antichristi, ut denotetur insignis & singularis Antichristus. Dicit Antichristi istius adventum jam ante prædictum esse, & puerulos istos hoc prædici audivisse, ut ex hac ipsa prædictione intelligerent, Apostolos vera loqui, & spiritu divino præditos esse.

Et nunc. Et ponitur pro *sic*. Sic nunc Antichristi multi facti sunt: quasi dicat, sicut prædictum est, sic evenit, *facti sunt Antichristi multi.* Quasi dicat, vestra hac ætate, cum ante ætatem vestram non fuerint. Significat insignem illum Antichristum nondum adesse, sed tantum venire, id est venturum esse. *Venit* pro venturus est, nunc vero Antichristos multos factos & exortos esse, Antichristi illius insignis prodromos, cui jam initia causæque struebantur. Cæterum de Antichristis tum exortis, & de Antichristo magno, infra plura.

Unde cognoscimus quod ultima hora est. Docet Joannes istorum Antichristorum doctrina neminem debere à veritate semel agnita dimoveri, sed ex ea potius cognoscere ultimum horam jam adesse. Nam etsi insignis ille Antichristus nondum adsit, in eandem tamen horam, & in idem mundi tempus, Antichristi isti merito referuntur. Neque etiam multitudine Antichristorum istorum quenquam turbari debere. Multos enim esse necesse est, qui, velut agmine facto, Antichristo illi magno viam sternant, & hominum animos disponant ad recipiendum illius dogma. *Unde cognoscimus quod ultima hora est.* Ex adventu nimirum istorum Antichristorum multorum. Exstat enim ipsius Pauli Apostoli illustris prædictio, diem illum Christi non venturum, nisi prius veniat Antichristus, quem Christus adventu suo abolebit 2 Thess. 2. Antichristus vero de quo Paulus vaticinatur, venire non potuit, nisi Antichristi isti præcederent. Quia vero Joannes in idem tempus ultimum Antichristos istos, & magnum illum Antichristum contulit, apparet Antichristum magnum continuata serie Antichristis istis succedere debuisse. Nam si Antichristis istis exstinctis, ecclesia libera futura erat ab Antichristo magno, isque ante mundi ultimum diem aliquot tantum annos venire deberet; falso Joannes ex Antichristorum istorum exortu ultimam esse horam mundi collegisset, tanto temporum & seculorum intervallo iis ab invicem disjunctis. Sed & Antichristum usque ad mundi finem duraturum apparet quod & Pauli Apostoli prædictio docet vs. 2, 3, & 8 inter se collatis. Etsi vero Antichristi tempus per multa secula duraturum erat; merito tamen illud *hora* nomine appellat, tædium exspectationis Christi nobis per id eximens, quia tempus omne collatum æternitati, quam Christus adventu suo nobis afferet, horæ & momenti rationem habet. Quo respiciens & Petrus Apostolus, dixit: *Apud Dominum mille anni sunt sicut unus dies, & unus dies sicut mille anni.* Et Auctor ad Hebræos, ad constantiam in fide exhortans, *adhuc parum*, inquit, *quantum quantum*: quasi dicat, quantumcunque tempus intercedat, sive sint centum, sive mille, sive plures anni, *qui venit veniet, & non tardabit. Qui venit*, id est qui venturus est, *ὁ ἐρχόμενος* Hebr. x. 37. Et quod aliquando finiendum est, hactenus etiam breve & momentaneum recte appellatur. Quid enim est illud *diu*, cujus terminus ubi advenerit, omne præteritum tempus pro nihilo reputatur? *Phœbe diu*, dixit ille sese corrigens, *res si qua diu mortalibus ulla est, viximus*; præsertim quod vita per momenta tantum præsens nobis sit. Nam quicquid ætatis retro est, mors tenet, & quod nondum venit, nostrum non est. Tanto vero magis horæ rationem habet totum istud ad Christi adventum tempus, si ad spacium vitæ cujusque nostrum respectus habeatur. Cuique enim nostrum vita functo, (quæ profecto exiguis clauditur spaciis) tam nullum erit tempus ad Christi diem, quam nullum fuit usque ad natalem nostrum. *Omnium finem appropinquasse* dixit Petrus 1 Epistola cap. iv. 7. *Tempus in collecto esse*, dixit alter Apostolus 1 Cor. vij. 29. Porro horam istam, id est tempus ultimum esse dixit Joannes, eodem sensu quo Christus dicitur in consummatione seculorum apparuisse, & in nos fines seculorum devenisse Hebr. ix. 26. 1 Cor. x. 11, quod scilicet multis pluribus mundi seculis jam exactis, Christi tempus advenerit, quo mundus finem accipiet, quod ipsum tempore Antichristi fiet, qui Christo posterior est, à Diabolo contra Christum erectus, veluti delubrum quoddam contra Dei templum, qui Satanæ mos est.

Notandum porro in verbis istis Apostoli, *ultima hora*

hora eſt, enallagen quandam temporis eſſe, & horam iſtam jam eſſe dici, quod inſtet & immineat, & ea fiant quæ illius ſint præparamenta. Nam hora ultima tum demum proprie loquendo advenit, quando Antichriſtus ille inſignis exortus eſt. Nam de hujus inprimis adventu prædictiones Chriſtiani acceperant. Is vero eſt qui ſeſe extulit ſupra omne quod dicitur Deus, aut *σέβασμα*, id eſt ſupra omnes ſupremos terrarum Judices & Rectores, qui ex Hebræorum, & Scripturæ uſu, dicuntur *Elohim*, id eſt Dii, Græca vero conſuetudine *σέβασμα*, adeo ut in templo Dei, quod Eccleſia Chriſti eſt, Reges & Imperatores etiam complexa, tanquam Deus, id eſt ſupremus Rector & Judex conſederit, demonſtrans ſeipſum quod eſt Deus, id eſt ſummus eccleſiæ Rector & Judex, & Dominus, & caput, & Chriſti vicarius, & ſponſus Eccleſiæ. Iſte vero Antichriſtus non minus quam alii præcurſores ex ipſa Eccleſia Chriſti exortus eſt, quod evenit ſecundum prædictionem Pauli, Romano imperio cum Imperatoribus ſuis collapſo, quibus rerum potientibus ille caput ſuum non potuit extollere, præſertim cum eorum ſubjectus eſſet, ſed imperio ſenſim collabente, ſenſim & ille emergebat. Non exiguum vero noſtrum eſt in eo ſolatium, quod ſciamus nos in ultima jam mundi ætate verſari, etiamſi quam diu adhuc ætas iſta duratura ſit, neſciamus. Sunt qui *noviſſimam horam*, in his Apoſtoli verbis, reſpectu imminentis Hieroſolymorum excidii, accipiant. Sed quid Antichriſto illi magno ad Hieroſolymorum excidium? quem tamen Apoſtolus cum Antichriſtis illis tum exortis connectit, ex hujus adventu noviſſimam eſſe horam colligens, illius vero properum & inſtantem adventum ex iſtorum exortu: qua de re infra plura ipſis Apoſtoli verbis confërentibus. Quod ſi etiam Epiſtolam hanc ſcripſit multum provecta ætate, & Hieroſolymis jam everſis, plane corruit conjectura.

Verſ. 19. *Ex nobis exiverunt.* Fatetur Joannes eos ex Eccleſia Chriſti prodiiſſe, occupans objectionem. Hinc autem patet Antichriſtorum iſtorum nomine non intelligendos eſſe Judæos & alios extraneos, quamvis & ipſi negent Jeſum eſſe Chriſtum, imo quod plus eſt, Jeſum dicant eſſe anathema. Judæi enim & alii extranei ex Chriſtianis non ſunt. Apparet ſimiliter nec eos eſſe intelligendos qui ſeſe Chriſtum eſſe dixerunt, talis enim ex Chriſtianis nullus unquam exortus eſt, & tales, non Antichriſti, ſed proprio ſuo nomine pſeudo-chriſti vocari ſolent. Antichriſtus enim tollit Chriſtum ſimpliciter. Pſeudochriſtus autem ponit Chriſtum, ſed falſo. Antichriſti igitur iſti, de quibus Joannes loquitur, ex Chriſtianis exorti, Jeſum credebant & fatebantur à Deo fuiſſe miſſum, & reſuſcitatum ex mortuis, & in cælos receptum ad capeſſenda pro laboribus ſuis cæleſtia præmia; ſed eum negabant eſſe Chriſtum, id eſt Regem cæleſtem qui Eccleſiam ſuam gubernaret, & cui propterea divini deberentur honores: forte etiam ob hoc ipſum, quod tanto tempore majeſtatem regni ſui non patefaceret, nec mundo finem imponeret. Unde Joanni cauſa, ut hoc ipſum in argumentum noviſſimæ mundi horæ caperet, quod exorti eſſent ex Chriſtianis apoſtatæ, qui Jeſum negarent eſſe Chriſtum.

Sed non erant ex nobis. Occurrit objectioni. Poterat aliquis dicere, non fruſtra tamen illi cum antea Chriſtiani eſſent, & Eccleſiæ Chriſtianæ addicti, proinde Jeſum profiterentur eſſe Chriſtum, ab hac profeſſione receſſerunt. Apparet eos re diligentius explorata hanc profeſſionem deſeruiſſe.

Non erant, inquit, *ex nobis*. Id eſt non ſincere, non vere & ex animo, non bona fide nobis, ſeu Eccleſiæ Chriſtianæ & huic profeſſioni adhærebant. Eccleſiæ ſeſe per ſimulationem quandam adjunxerant, ut ſi occaſio daretur, tanto magis tanquam hoſtes domeſtici eccleſiæ nocerent, & Legem Moſaicam promoverent, quam videbant per Euangelium in ritibus abrogari, nec aliter poſſe conſervari quam ſi Jeſus negaretur eſſe Chriſtus, & id ipſum docuiſſe diceretur, quod Moſes & alii Prophetæ. Quod igitur ſemper in animo fovebant, tandem in id aperte proruperunt. Tales erant & illi de quibus loquitur Paulus in Epiſtola ad Philippenſes; quod per invidiam & contentionem Chriſtum prædicarent, non pure, adjungentes ſcilicet prædicationem Legis Moſaicæ, exiſtimantes ſe afflictionem addere vinculis Apoſtoli, cujus animum ob id ipſum affligi neceſſe erat, qui gratiam Euangelii omnibus quam maxime patere cupiebat Philip. 1. 15, 16. Iidem erant qui falſi fratres appellantur 2 Cor. xi. 26, eoſdem ſurrepſiſſe dicit ad explorandam libertatem Chriſtianorum, quam habent in Chriſto Jeſu, ut eos ſervituti mancipărent Gal. 2. 4. Etſi enim nondum aperte negarent Jeſum eſſe Chriſtum, eo tamen propendebant. Eorundem Antichriſtorum exortum prædicere videtur Apoſtolus Actor. xx. 29, 30. Dicit enim exorituros ex Eccleſiæ Doctoribus qui perverſa loquerentur. At nihil magis perverſum cogitari poteſt, quam negare Jeſum eſſe Chriſtum, quod etiam Joannes ipſe mox ſignificat verſ. 22, 23. Quia igitur nunquam bona fide eccleſiæ adhærebant, non mirum eſt quod tandem à profeſſione Chriſti recederent. Eſt vero obſervandum, Antichriſtos iſtos duplicis fuiſſe generis. Quorum alii priores, alii poſteriores, & priorum ſuccedanei erant. Priores ſimpliciter negabant Jeſum eſſe Chriſtum & Regem divinum, quamvis fortaſſis eorum ſaltem aliqui crederent, eum fuiſſe Chriſtum illum à Deo promiſſum, niſi Judæorum Principes tanti muneris fructum ſua adverſus Jeſum contumacia intervertiſſent, quod multi Judæorum credebant, è quorum numero fuiſſe Joſephum Hiſtoriarum ſcriptorem, teſtimonium ejus de Jeſu docet, quod à Chriſtianorum aliquo inſertum fuiſſe, fruſtra ſunt qui putant, cum idem Joſephus honorum & Johannis Baptiſtæ & Jacobi Apoſtoli mentionem faciat, & hæc multorum illius temporis Judæorum opinio eſſet. Unde & hi Antichriſti, à Chriſtianis defectores origine ut plurimum Judæi erant; ſed hos ſecuti ſunt alii, qui eadem ex cauſa, nempe ex eo quod Jeſus in carne veniſſet (ut videbimus infra cap. iv. 2) hanc ipſam majeſtatem Chriſti cæleſtem oppugnabant. At quia priores illi Antichriſti directa via parum proficiebant, obliquam ingreſſi ſunt viam, quæ tamen eodem ducit. Docere nimirum cœperunt Jeſum fuiſſe Deum, qui hominem induerit, & tandem procedente errore, ne plures Deos inducerent, Jeſum eſſe unum illum & altiſſimum Deum, quod Magni illius

illius Antichristi exortu maxime stabilitum est. Nam & ante hoc tempus Ignatius recenset inter hæreses à ministris Satanæ disseminatas, quod Christus sit ille qui est supra omnia Deus. Epistola ad Tarsenses. Posito vero Jesum fuisse Deum, antequam homo fieret, tollitur reipsa omne id quod Christi nomine de Jesu significatur. Quid enim attineret hominem facere Christum seu Regem, qui jam ante Deus esset, præsertim si esset ipse Deus altissimus. Et pugnant inter se, Deum illum unum esse, & Christum illius esse. Secundum humanam inquies naturam: quasi vero humanæ naturæ jam aliquid addi possit, si in unam cum ipso Deo altissimo personam coaluerit! Unam etiam personam, & hominem, & Deum altissimum statuere, non tollere est contradictiones sed multiplicare. Nec ulla alia major causa fuit de Jesu talia statuendi, quam quod blasphemum iis videretur, hominem, qui in carne venit, & in crucem sit actus, credere factum esse Regem cælestem, divino cultu afficiendum. Accessit & persecutionum tædium. Quo enim nomine magis & Judæi & Gentes Christianos persequebantur, quam quod hominem crucifixum ad divinos & cælestes honores evectum esse crederent? ut patet ex Apologeticis, & Justini Martyris, & Tertulliani. Hæc ergo odia non alia ratione melius sese declinaturos putabant, quam si Christum Deum fuisse dicerent, qui hominem induerit. Quid multis opus, nos ipsi, quæ non patimur, non a Judæis & Gentibus profanis, sed ab illis qui maxime videri volunt Christiani? Nos apud illos impii, blasphemi, idololatræ sumus, & Christus quem colimus, idolum est. Nos Judæis & Turcis deteriores videmur, nimirum quia Judæi & Turcæ absurdum putant, ut homo ad divinam in cælis extollatur majestatem. Ideo & Judæis & Machometanis alienigenis in patria nostra vivere & res suas agere licet: nos patriæ cives & indigenæ ex patria pellimur non aliam ob causam, quam quod hominem Jesum Christum divinis afficiamus honoribus. Et quia Turcarum ac Machometanorum facta est mentio, etiam isti ad Antichristos istos pertinent. Nam & ex Christianis exiverunt, & hominem Jesum a Christo persona distinguunt & negant esse cælestem Regem a Deo factum. Ideo nec mirum quod Auctor eorum Mahometes lege Christi abolita, novam condere sit ausus. Etiam ii qui hodiernis temporibus agnita de Jesu veritate, eum scilicet hominem fuisse ex Spiritu Sancto conceptum, neutiquam vero Deum illum unum, protinus in aliud erroris extremum inciderunt, ut Jesu adorationem & invocationem negarent; nempe quod similiter animis eorum insitum sit absurdum & blasphemum esse, ut homo Jesus ad regni cælestis majestatem & honorem invocationis & adorationis evectus esse credatur. Adeo huic sanctissimæ veritati & fidei adversantur hominum ingenia, ut eam, quamvis tot divinis argumentis firmaretur, pauci & olim susceperint & nunc suscipiant, & fortassis ad mundi usq; exitum & exitium pauci suscepturi sint. Quam tantam mundi adversus hanc veritatem, quæ hominibus maximo solatio esse debebat, contumaciam & inflexibilem obstinationem videns Deus, merito in illius pœnam, huic veritati per Antichristos istos, tantas offundi tenebras permisit, quo sese mundus ad errorem & mendacium converteret, quia ad puram veritatem converti nolebat. Hanc Dei pœnam expresse tangit Apostolus cum de Antichristi adventu & apostasia per eum orbi inducenda vaticinaretur 2 Thess. 2. 9, 10, 11. Et profecto cum hoc de Christo errore, qui speciem quandam etsi inanem præsert majoris erga Christum honoris, revera autem verum Christi honorem imo Christum ipsum tollit, omnes alii in ecclesiam errores sese infuderunt. Mente enim hominum in cognitione Dei & Filii ejus tantopere obtenebrata, ut longe aliam rationem & Dei, & Christi, & Patris & Filii & Spiritus Sancti concipiat, quam revera est, necesse est in cæteris omnibus quæ ad Dei cultum & religionem pertinent, caligare; & tot contradictionibus mente implicita, ubique hærere, aut contradictiones ubique conserere. Nec sperandum est unquam, ut in cæteris fidei Christianæ articulis veritatis divinæ cognitio ecclesiæ restituatur, hoc Antichristorum errore non penitus ex animis hominum evulso & exstirpato. Quid ergo dicemus de tot seculorum Christianis, qui omnes Christum pro uno illo Deo colunt? Adde alias ex hac opinione natas, aut ei conjunctas sententias: Unum illum Deum, plures esse personas, quarum quælibet sit unus ille Deus. Quod quid aliud est quam unum illum Deum non esse unum: Unum illum & altissimum Deum esse alterius Filium; quod est negare unum illum & altissimum Deum esse unum, & altissimum, qui nullum sui Patrem, nullum sui auctorem ullo modo potest agnoscere: unum illum Deum esse simul & Patrem & Filium; quod quid aliud est, quam eum nec Patrem esse, nec Filium, cum nemo sui ipsius sit Pater, nemo sui ipsius sit Filius. Unum illum Deum, esse hominem factum, & ea omnia passum quæ homines pati solent, adeoque & ipsam mortem, & alia his similia, sunt quidem hæc gravia, & si quis animum advertat, verum Christum, & veram illius majestatem ab uno illo Deo Patre donatam, elidentia: veruntamen qui sic a teneris imbuti, animo simplici errant, nec vim suarum opinionum perpendunt, nec ad veritatis cognitionem venire possunt, nec veros Christi confessores & cultores damnant, fiducia in Christo, & vitæ æternæ ab eo accipiendæ spe mandatorum ejus executioni totos se dedunt, & in luce ambulant, (si modo tantis in tenebris ullus sit luci locus) ii per devia ingressi, in rectum tramitem exire videntur. Cæterum Deus Christiani orbis misertus, paulatim viam sternere exorsus est ad puram Christianæ veritatis cognitionem; cum idololatriam multiplicem per Antichristum invectam & stabilitam, destruere, & ipsum Antichristum veluti digito monstrare hominibus cœpit, verbi sui omnibus legendi admirabili sua cura ac providentia copiam fecit: sed tamen multi adhuc errores, non tantum antiquitus, sed etiam in hac ipsa reformatione noviter invecti, exstirpandi manent: quibus pertinaciter homines adhærent, quod carni sapiant, & carnis cupiditati indulgentibus salutem æternam promittant. Paulus Apostolus, postquam depravationem divinæ veritatis & apostasiam, per Antichristum inducendam, prædixisset. *Nos vero*, inquit, *debemus Deo gratias agere semper pro vobis fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos Deus à principio*, nempe Euangelii, incorrupta adhuc & pura existente divina verita-

veritate, *in salutem, per sanctificationem spiritus, & fidem veritatis.* Quanto magis nos debemus gratias agere Deo, quibus post tantas, & in tantis adhuc tenebris, tam admirabilis lux Dei affulsit!

Si enim fuissent ex nobis, mansissent usque nobiscum. Quod dixerat Antichristos illos non fuisse vere ex Christianorum numero, nunc probat. *Nam*, inquit, *mansissent nobiscum.* Non defecissent à tam sancta professione, si eam tam fideli animo complexi fuissent quam nos. Ideo exemplum illorum movere neminem debet. Possunt quidem homines corrumpi & à fide deficere, sed cum multi simul abscedunt, ut tum evenerat, argumentum est haud dubium, eos animo haud sincero veris Christianis adhæsisse. Sic olim à Christo multi abscesserant, quia veri discipuli non erant Joan. vj. 66.

Sed, intellige à nobis discesserunt, *ut manifesti fierent, quod non essent omnes ex nobis.* Quasi dicat, sed isti defecerunt, non quod ullam justam causam à veritate deficiendi haberent, sed ut manifesti fierent, quod non essent omnes ex nobis, quamvis se omnes ex nobis esse dicerent. Patuerunt hypocritæ. Nam antea quamdiu nobiscum erant, tecti latebant. Nunc paleæ separatæ sunt à tritico.

Vers. 20. *Et vos unctionem habetis à sancto, & scitis omnia.* Hæc addit Apostolus, ut ostendat eos abunde veritatis cognitione instructos esse, & ipsos per se agnoscere istorum Antichristorum insaniam: proinde probe munitos adversus eorum seductiones esse.

Et vos. Quasi dicat, non minus quam alii sancti, *Unctionem habetis.* Quasi dicat, ut mihi anxie laborandum non sit in vobis confirmandis. *Unctionem habetis*, id est uncti estis, nempe Spiritu Sancto: Spiritu enim Sancto fit unctio Christianorum; vel *unctio*, pro Spiritu Sancto ponitur, per metonymiam: qui per impositionem manuum Apostolicarum omnibus qui per baptismum Ecclesiæ accedebant dabatur. Ita & omnes fiebant Christi, id est uncti, munere Jesu, quo se Christum illum Dei, & Dominum cælestem esse testabatur.

Per nomen *illius Sancti.* Additur enim in Græco articulus, τοῦ ἁγίου causa, ipse Deus intelligendus videtur, cui titulus sancti excellentissima ratione competit; quamvis & Christus intelligi recte potest, quatenus inter omnes à Deo sanctificatos ipse κατ' ἐξοχὴν sanctus est. Sancti nomine unctionis istius auctorem designavit ut & ipsum spiritum quo Christiani ungebantur sanctum esse ostenderet. Notandum vero est Spiritum Sanctum non eum dici qui homines ungat; sed quo homines ungantur à Deo & Christo.

Et scitis omnia. Quia nimirum, ut infra dicit, unctio docet Christianos de omnibus vers. 27. Vox *omnium*, ex subjecta materia, ut solet, restringenda est, nempe ad omnia quæ ad cognitionem veritatis à Deo in hominum salutem tradita pertinent. Notandum vero est Apostolum jam ad omnes Christianos sine distinctione ætatum sermonem convertere. Omnes enim Spiritu Sancto uncti erant, & cuique ætati cavendum erat ne ab Antichristis seduceretur, & inter istos quos hic alloquitur, erant qui ab ipso initio sermonem veritatis audiverant vers. 24, quos certe in senili ætate tum fuisse necesse est.

Vers. 21. *Non scripsi vobis quod non sciatis veritatem.* Occupat objectionem. Poterat enim aliquis dicere; cur ergo nobis scribis, si scimus omnia: qui omnia sciunt doctore & magistro non indigent.

Non scripsi vobis, inquit, *quod nesciatis veritatem.* Quasi dicat, nec ego ideo scribo quod nesciatis veritatem, aut quod putem vos nescire veritatem.

Sed quod sciatis ipsam. Proinde non ut vos in veritate ignorantes instruam, sed ut veritatem jam agnoscentibus, &, ut dicitur, currentibus calcar addam, & in veritate vos tanto magis confirmem. Veritatis nomine, cui & articulus apponitur in Græco, nominatim intelligi debet veritas, quod Jesus sit ille Christus: hæc enim est Christianæ veritatis summa quædam.

Et quod omne mendacium ex veritate non sit. Id est ad veritatem non pertineat, cum veritate nihil commune habeat: quasi dicat, proinde nec hoc, de quo agitur, mendacium, Jesum non esse Christum: ne quis putet Jesum non esse Christum, cum veritate ullo modo posse consistere. Videant ergo quomodo ex veritate sit, quod Christus dicatur unus ille Deus. Unus enim ille Deus, & Christus ejus relata sunt, & Deus ille unus Christum habet: at ipse nullius Christus esse potest. Scio quos modos conciliandi hæc prætendant: sed contradictoria conciliandi nullus est modus. Duas scriptionis suæ de istis Antichristis attulit causas. Unam, quod veritatem nossent, Jesum scilicet esse Christum, alteram, quod sicut nullum mendacium cum veritate conciliari potest, sic neque hoc istorum Antichristorum mendacium quicquam cum veritate commune habeat, cum ei directe sit oppositum.

Vers. 22. *Quis est mendax nisi qui negat quod Jesus non est Christus.* Docet nullum esse majus mendacium, quam ullo modo negare Jesum esse Christum illum seu Regem cælestem à Deo factum.

Quis est, inquit ille, *mendax ille.* ὁ ψεύστης ille insignis ab Apostolis prædictus.

Nisi qui negat quod Jesus est Christus. Duplex negatio apud Græcos, quæ est in textu Græco, fortius negat. Exemplo insignis illius mendacis ostendit nullum esse grandius mendacium quam negare Jesum esse Christum illum, cum insignis ille mendax is sit qui hoc neget. Sic aliquis calumniari magnum esse malum recte arguat, quia is qui κατ' ἐξοχὴν malus dicitur sit qui calumnietur, & inde nomen habeat. Nam & ille mendax, nomen Antichristi inde habet, quod Christo adversetur & Christum neget, qui Jesus est.

Hic est Antichristus ille. Appositione declarat quis sit insignis ille mendax, Antichristus nimirum ille insignis qui venturus est, ὁ Ἀντίχριστος, cum articulo emphatico, de quo ỷ.18, & cap.4 v. 3.

Qui negat Patrem & Filium. Describit Antichristum illum à negatione Patris & Filii, proinde à negatione quod Jesus sit Christus. Argumentum Joannis tale est.

Qui negat Filium, negat & Patrem simul & Filium, Pater enim & Filius relata sunt & natura simul sunt, & Joannes ipse sequenti commate propositionem hanc ponit, ut statim vidibimus: At qui Jesum negat esse Christum, quod facit Antichristus, negat Filium.

Ergo,

Ergo, qui Jesum negat esse Christum, quod facit Antichristus, negat Patrem simul & Filium.

Minorem non exprimit Apostolus, sed supponit, tanquam rem de qua agebatur, & per se manifestam. At si Filius, ut volunt, personam significaret ex Patris essentia ab æterno genitam, Patri consubstantialem, certe non protinus qui negaret Jesum esse Christum, id est Dei unctum & Regem cælestem ab ipso constitutum, negaret hunc Dei Filium: imo dicere aliquis posset, Jesum esse anathema, & tamen Filium hunc non negare, Filium hunc esse, sed Jesum eum non esse credens. Sed quia Filius ille Dei id ipsum significat quod Christus ille Dei, necessario consequitur eum qui Christum illum Dei neget, negare etiam illum Dei Filium. Jam vero qui negat Jesum esse Christum illum, etiam Christum illum simpliciter negat, ipsorum Antichristorum confessione, qui ita Jesum esse Christum illum negabant, ut Christum illum Dei tum dari omnino negarent. Negare Patrem, non est Deum simpliciter negare, sed negare Deum habere relationem Patris ad Filium suum singularissimum qui Christus ille est; sicut negare Filium, vel Christum, non est simpliciter negare Jesum, sed est negare in Jesu relationem Filii illius Dei ad Deum. Hoc vero negato, simul etiam negatur Deum habere ad nos relationem Patris, & nos vicissim ad Deum relationem filiorum, illam nimirum quæ in Christo & per Christum futura erat. Ita perit omnis nostra spes cælestis hæreditatis, & omne verum ac solidum animi gaudium & solatium, imo ipsa cælestis nobis aufertur hæreditas, & miseri illi Antichristi non tantum Dei & Jesu gloriam sublatum ibant, sed etiam sibi ipsis ut merebantur maxime nocebant. Viderint qui Patrem & Filium unum illum Deum esse dicunt, quomodo Patrem & Filium veris & à se distinctis personis, non verbis tantum & nominibus statuant. Homo certe Jesus ex Spiritu Sancto conceptus, & ex muliere à viro intacta natus, Filius ille Dei ex Patris essentia ante secula natus, vere non erit.

Vers. 23. *Omnis qui negat Filium, neque Patrem habet.* Hic ponitur major illa syllogismi, nisi quod pro *Patrem negat*, dicat, *neque Patrem habet*, qui negat Filium, ut tanto magis exprimeret damnum ingens quod ex Filii negatione consequitur, nempe, eum qui Filium neget, non habere Patrem, sicut Christi, sic neque suum in cælis, proinde nullam paternam gratiam, imo ne gratiam quidem ullam posse à Deo sperare, sed justissimam iram, Deo & Filio ejus tantam faciens injuriam. Addunt exemplaria quædam.

Qui confitetur Filium, & Patrem habet. Sed hoc ex superioribus intelligi potest: contrariorum enim eadem est ratio.

Vers. 24. *Vos igitur quod audivistis à principio in vobis maneat.* Ex supra dictis infert admonitionem, ut scilicet in ipsis maneat, id est animis eorum firmiter insitum sit per fidem, quod à principio, Euangelii nimirum, audiverunt. Id vero est quod Jesus sit ille Christus, ille Dei Filius, quippe ex mortuis resuscitatus & à dextris Dei collocatus in cælestibus. Est autem transpositio quædam in verbis Apostoli.

Vos quod audivistis à principio in vobis maneat. Verba enim ita sunt ordinanda, igitur quod vos à principio audivistis, in vobis maneat.

Si in vobis manet quod à principio audivistis. Ostendit quid ea res secum ferat, si non patiantur animis suis evelli id quod à principio audiverunt de Jesu.

Et vos in Filio, & in Patre manebitis. Id est Filio & Patri constanter adhærebitis, sermoni ejus adhærendo; siquidem sermo ab initio auditus, est ipsius Filii & Patris sermo, isque de Patre, qui Deus ille unus est, & de Filio ejus illo singularissimo, qui Jesus Christus est: At Patri & Filio constanter adhærere, Dei illius unius paternam infert gratiam per Filium exhibendam. Docet Apostolus hæc reciproca esse & sese mutuo consequi, sermonem Dei in aliquo manere, & aliquem vicissim manere in Deo. Deus enim in nobis manet per sermonem suum, & nos vicissim in Deo ejus sermoni credendo; medium scilicet quo & nobis Deus inseritur & nos Deo, est sermo ejus cum ei fidem adhibemus.

Vers. 25. *Et hæc est promissio quam ipse promisit nobis vitam æternam.* Docet quantum sit in eo situm ut in Filio & in Patre maneamus, nempe agi in eo de vita æterna & salute nostra. Possunt autem hæc verba dupliciter intelligi:

Vel hoc modo, *& hæc est promissio.* Id est & hæc est ratio & conditio promissionis, ut scilicet maneamus in Filio & in Patre, si velimus promissionis effectu potiri.

Quam ipse, pro *qua ipse*, *promisit nobis vitam æternam.* Declarat quæ sit illa promissio, nempe, quia ipse, id est Pater per Filium nobis vitam æternam promisit, per enallagen casus accusativi, *quam*, pro *qua*, propter sequentem accusativum, *vitam æternam*: quæ casuum enallage, ut pronomina sequantur casum nominum, & viceversa nomina casum pronominum satis est crebra. Vel hoc modo:

Et hæc est promissio. Id est hæc est ratio sequendæ rei promissæ, ut promissio ponatur pro re promissa, per metonymiam adjuncti, & res promissa, pro ratione ejus consequendæ, per metonymiam effecti. Quæ vero sit res ista promissa, explicatur statim.

Quam ipse promisit nobis, vitam æternam. Pro vita æterna, per enallagen casus accusativi pro nominativo. Ratio vero consequendi rem promissam, id est vitam æternam, est hæc, ut maneamus in Filio & in Patre: quam loquendi rationem & ipse Christus usurpavit. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te* (Pater) *& quem misisti Jesum Christum* Joh. xvij. 3. Vitam æternam esse dicit illius consequendæ rationem.

Vers. 26.

Vers. 26. *Hæc scripsi vobis de seducentibus vos.* Quasi dicat, hæc pauca, sufficit vobis hæc pauca scripsisse, quibus veritas abunde est cognita.

De his qui seducunt. Id est seducere conantur, seu, id agunt ut vos seducant, Antichristis nimirum noviter exortis.

Vers. 27. *Et vos unctio, quam accepistis ab ipso, in vobis manet, & non opus habetis ut aliquis doceat vos.* Significat non opus esse multis ea de re ad ipsos scribere, cum unctio in eis maneat, quam acceperunt.

Ab ipso. Id est à Jesu Christo, nempe Spiritus Sanctus. Ex quo ipso satis apparet Jesum esse Christum illum Dei, quandoquidem eis Spiritum Sanctum largitus est, seu Spiritu Sancto eos inunxit. Pronomen *ipse*, absolute ponit Joannes, suo more, ex re de qua agitur ad suum subjectum referendum. Est vero & hic verborum metathesis, quorum proprius situs erat

Et unctio quam vos accepistis ab ipso in vobis manet. Unctio, pro eo quo facta est unctio, id est pro oleo cælesti, qui Spiritus est Sanctus.

Et non opus habetis ut vos aliquis doceat. Hic enim erat Spiritus istius Sancti effectus, qui eo fine dabatur ut esset internus Doctor veritatis, & in omnem deduceret veritatem.

Sed sicut hæc ipsa unctio docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium, & sicut docuit vos, manebitis in ipso. Ex contrarii positione rem illustrat: quasi dicat, non est metuendum ne seducamini, sed sicut hæc ipsa unctio, id est Spiritus Sanctus, *vos de omnibus docet*, nempe ad salutem pertinentibus.

Sic & *verum est*, (nempe id quod docet) *& non est mendacium.* Particula *sic*, ante illa verba, *& verum est*, intelligi debet, ex Hebræorum consuetudine, qui particulas similitudinis sæpe omittunt, ut respondeat particulæ ὡς *sicut*, superius positæ, *sicut ipsa unctio docet vos &c, sic & verum est &c.* Hebræo more res eadem effertur per affirmationem & negationem contrarii, propter majorem asseverationem. Est enim Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis Joan. xiv. 17, & ipsa veritas 1 Joan. v. 6.

Et sicut docuit vos. Nempe unctio seu Spiritus Sanctus. *Manebitis*, pro, *sic manebitis*, & hic per ellipsin particulæ similitudinis, *in ipso*, id est in Filio, ut sequens comma docet. Maluit dicere *manebitis*, rem certam ponens, quam *manete*. Nam & ille adhortandi modus est, isque etiam validior. Et particula *sicut*, vim causæ potius habet, quam modi: quasi dicat, & manebitis in Filio, proinde constanter Jesum Dei Filium illum esse credetis, eique adhærebitis, quandoquidem vos hoc Spiritus Sanctus docuit. Neque enim hic docet Joannes modum aliquem manendi in Filio, cum nonnisi unus sit in eo manendi modus, is quem diximus; sed potius rationem & causam affert manendi in Filio, quia nimirum id Spiritus Sanctus docuit.

Vers. 28. *Et nunc, filioli! manete in ipso.* Adhortatur tamen eos ad id faciendum quod eos facturos esse dixit. Compellat eos voce *filiolorum*, omnes in ecclesia complectens, sicut & vers. 12 fecit.

Et nunc. Id est hoc præsenti tempore (opponit enim huic præsenti tempori, tempus illud quo apparebit Dei Filius) interque tot seductores & seductos, inter tot adversorum & lætorum tentamenta.

Manete in ipso. Id est Dei Filio, constanter illi per fidem adhærete, constanter credite & confitemini Jesum esse Dei Filium seu Christum illum, & fidem hanc ac confessionem tam sanctam operibus ei respondentibus exhibete. Nam qui dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare, supra ℣. 6.

Ut quando manifestabitur, habeamus fiduciam & non pudefiamus ab ipso, in adventu ipsius. Fructum describit istius constantiæ, quem omnes unice spectare debemus, *ut quando apparebit*, nempe Dei Filius, quem nunc cæli continent, & qui nunc absconditus est in Deo Col. iij. 3, sed suo tempore omnibus conspiciendum se dabit.

Habeamus fiduciam. Non dicit habeatis, sed habeamus, sese illis, imo omnes Christianos in unum conjungens, & eodem hoc fructu se quoque ad eandem constantiam excitari docens. Παῤῥησίαν in Græco, quę hoc loco solutam omni formidine mentem significat, opponitur enim timori, sicut & iv. 17, cum ℣. 18, collato: quasi dicat, ut simus extra omnem metum, nullius nobis adversus Dei Filium criminis conscii, sive directe negando Jesum esse Dei Filium, seu Christum illum, sive eum dedignando nisi sit unus ille Deus (quæ non tantum ipsius, sed etiam Dei illius unius contumelia est) sive ulla in re mandata ejus negligendo.

Et non pudefiamus ab ipso. Quasi dicat, quod fieri necesse esset si ei nunc tantam faceremus injuriam.

In adventu ipsius. Quod antea dixit *quando apparebit*, nunc dicit *in adventu ipsius.* Quasi dicat: non semper aberit, non semper cælo continebitur, quod impios nunc audaces facit. Veniet ex cælis suo tempore, & tunc pios omnes æternum manebit decus, defectores & Antichristos æternum dedecus. Hujus ergo adventus Filii Dei perpetuo simus memores, ut ei veros, id est suos honores tribuamus, nec ei veros honores detrahendo, nec falsos, & quos ille minime agnoscit, tribuendo, mandatis etiam illius neglectis.

Vers. 29. *Si scitis quod justus est.* Absoluta admonitione de seductoribus, adhortatur eos ad sectandam justitiam, idque tota hac Epistola per vices facit, nunc eos ad constantiam in fide semel suscepta hortatur, nunc ad sectandam justitiam, ut scilicet tam sancta fide digne sese gerant, si velint fidei istius fructu, qui vita æterna est, gaudere. Nec mirum est hæc duo unice Apostolum agere, cum in duobus istis cardo salutis nostræ vertatur, ut in veritate constantes simus, & ut veritati convenienter vivamus.

Si scitis quod justus est. Ἐὰν εἰδῆτε, cum sciatis, *quod justus est*, intellige Deus. Nam Deum hic intelligi potius quam Christum, id docet, quod mox ex ipso dicimur nasci. Deus vero justus dicitur, quod semper juste, id est recte agat, nunquam quidquam contra id quod justum & rectum est faciat.

Cognoscite quod omnis qui facit justitiam ex ipso natus est. Ducet quid ex prioris rei notitia co-

gnoſcere debeant, nempe *quod omnis qui facit juſtitiam ex ipſo*, id eſt Deo, *genitus*, vel *natus eſt*. Similitudo enim id evincit, eaque talis, quæ nullum alium auctorem habere poſſit quam Deum. Inſignis commendatio eorum qui juſtitiam faciunt, eaque certiſſimo argumento nixa, proinde vera & ſolida: quæ commendatio eo tendit, ut nos omnes ad ſectandam juſtitiam exſtimulet. Fruſtra ſunt qui juſtitiam facientibus fidem objiciunt pravam. Nam qui ex Deo nati ſunt fidem habere pravam non poſſunt.

Omnis, inquit, *qui facit juſtitiam*. Quiſquis ſit, ſive Judæus, ſive Græcus, ſive circumciſus, ſive præputium habens, ſive liber, ſive ſervus, ſive mas, ſive fœmina, ſive antehac ſecundum Legem juſtus, ſive injuſtus & impius.

Qui facit juſtitiam. Id eſt id quod juſtum eſt. Nam *facere juſtitiam* improprie dicitur. Juſtitia proprie loquendo eſt habitus, quem juſte agendo acquirimus, vel eo præditi ſumus. Itaque intelligit hominem qui in omnibus ſuis factis juſtitiam colit, ex juſtitiæ præſcripto omnia facta ſua moderatur. Juſtitiæ autem vox generaliter accipitur de omni virtute & rectitudine. Neque enim protinus ex Deo natus eſt, qui interdum & quibuſdam in rebus juſtitiam ſectatur, ſeu juſte agit, ſed ille demum qui totum ſeſe juſtitiæ tradidit.

Ex ipſo genitus eſt. Nempe propter ſimilitudinem cum Deo, & quod id ut Deo eſſet ſimilis à Deo acceperit, ſeu ipſe Deus ſit qui eum ſibi ſimilem effecerit. Hoc vero facit per verbum & ſpiritum ſuum. Ex verbo & ſpiritu Dei, tanquam ſemine divino homines juſti Deoque ſimiles naſcuntur. Quia vero verbum & ſpiritus Euangelii ad id præſtandum efficaciſſimus, imo ſolus efficax eſt; hinc apparet Jeſum eſſe Dei Filium, quippe qui Euangelium hoc prędicavit, & ſpiritum hunc in ſe credentibus largitur. Pertinet huc locus 1 Petr. 1. 3,23,24,25. Porro hæc ipſa Apoſtoli verba faciunt ad comprobandam veritatem de Jeſu, quod ſcilicet Jeſus ſit ille Chriſtus, ille Dei Filius; ſiquidem hæc doctrina unice, imo ſola ad id ſpectat, ut juſtitiam faciamus, & conſequenter ut ex Deo nati ſimus. Sic enim argumentamur:

Qui juſtitiam faciunt, ex Deo nati ſunt.
Qui Jeſum credunt eſſe Chriſtum, juſtitiam faciunt.
Ergo qui Jeſum credunt eſſe Chriſtum, ex Deo nati ſunt.

Quam concluſionem ipſe Apoſtolus ponit infra cap. v. 1. Minor adeo vera eſt, ut illi ſoli vincant mundum, qui fidem hanc habent cap. v. 5, illi ſoli vitæ æternæ ſolidam ſpem habent, qua ſeſe purificant, ſicut ille purus eſt cap. iij. 3. Hoc dogma cæleſte illud ſemen eſt, ex quo homines regenerantur & Deo ſimiles ſiunt.

CAPUT. III.

Verſ. 1. **V***idete quantam charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur*. Occaſione nativitatis ex Deo commemorat ingentem Dei, qua nos in Chriſto Filio ſuo complectitur, charitatem; quod ipſum etiam nobis maximum incitamentum eſt, ut maneamus in Jeſu Chriſto, Dei Filio, proinde ut Jeſum credamus eſſe Chriſtum illum ſeu Filium illum Dei.

Videte, inquit, *quantam charitatem*. Charitatem hanc Dei veluti ob oculos nobis ponit, & ad illius contemplationem invitat. Græca vox eſt ποταπὴν, quæ non tantum quantitatem, ſed etiam qualitatem & excellentiam charitatis indicat: quaſi dicat, qualem quantamque, talem ſcilicet & tantam, ut in hac vita major & perfectior nobis non potuerit contingere. *Charitatis* voce, per metonymiam cauſæ, intelligit beneficium ſeu bonum ex ſola charitate profectum: non ex ullis noſtris meritis & operibus. Charitas enim proprie dari non poteſt, ſed id quod ex charitate proficiſcitur bonum ac beneficium. Vel, *dedit* dicitur pro exhibuit, ſic à Paulo gratia nobis à Deo data, id eſt exhibita dicitur ante tempora ſecularia 2 Tim. 1. 9, decreto nimirum de illa nobis exhibenda ante ſecula facto.

Dedit nobis. Nobis qui Jeſum credimus eſſe Chriſtum illum, Dei Filium illum.

Pater ille, ὁ Πατήρ. Nempe Pater ille Jeſu Chriſti, & conſequenter omnium in Jeſum Chriſtum credentium, unus ille Deus, qui ſi Pater Jeſu Chriſti non eſſet, nec Jeſus Chriſtus ejus Filius ille ſingulariſſimus, neque nobis tanta ejus ac vere paterna gratia unquam obtigiſſet. Ideo enim abſoluto Patris titulo Deum illum unum deſignavit, ut oſtenderet per ſolum Jeſum Chriſtum hoc beneficium mortalibus contingere, ſiquidem extra Chriſtum Filium ſuum Deus nemini ſeſe vere & perfecte Patrem exhibet, ſeu, ut ſuperius locutus eſt Joannes, Patrem non habet qui Filium negat.

Ut filii Dei vocemur. Exprimit charitatem iſtam nobis in Chriſto Jeſu exhibitam, quæ eſt ut nos homines mortales vocemur Dei illius unius (qui Pater iſte eſt) Filii, ut hoc nomen, hunc titulum tantum, quo nullus in terris cogitari poteſt ſublimior, geramus, idque ipſo Deo & Chriſto Filio ejus auctoribus & ſpiritu Dei teſte, qui, ut Apoſtolus loquitur, atteſtatur ſpiritui noſtro, quod ſimus Dei filii, & efficit ut ad Deum clamemus Abba Pater. Tribuitur autem iſte titulus nobis, tum propter generationem ex Deo, de qua dictum eſt cap. 2. 29, tum propter adoptionem, quod nos Deus pro filiis adoptarit. Unde & ſpiritus iſte quem nobis largitur, *ſpiritus* υἱοθεσίας, *adoptionis* appellatur, quod ſcilicet propter adoptionem iſtam nobis detur, deque ea, ut diximus, teſtetur Galat. iv. 6. Quantum foret ſi Rex aut Imperator aliquis viri pauperis alicujus filium adoptaret, eumque filium ſuum appellari vellet, & ſic in jus pro-

prii

prii sui Filii transferret? At quid hoc esset comparatione istius tanti beneficii, quo Deus ille altissimus, Rex ille Regum, & Dominus dominantium, qui lucem habitat inaccessam, solus immortalis, & beatus, & potens, & sapiens, nos miseros homunculos affecit, ut nos filios suos vocari, & jure filiorum suorum gaudere velit! Dicit Joannes, nos vocari Dei Filios; non quod nomen istud & appellatio Filiorum Dei sit nuda & inanis & sine re; sed significat huic nomini & appellationi rem ipsam subesse, nempe & spiritualem ex Deo generationem, & adoptionem. Ideo & mox dicit; *Dilecti, nunc Filii Dei sumus.* Vocari tamen dixit, quia sumus adoptati, & in jus Dei Filiorum aliunde adsciti. Christus etiam prædicitur ab Angelo vocandus Dei Filius Luc.1.35; quod huic appellationi res subesse deberet, nempe eum ex Dei spiritu & virtute conceptum & generatum iri. Christus ab ipso ortu semper Dei fuit filius, ideoque non adoptatus sed natus. Nos vero quia ab ipso ortu non Dei, sed hominum sumus filii, non aliter quam per spiritualem generationem & adoptionem Dei Filii efficimur. *Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit ipsum.* Occurrit objectioni Apostolus. Poterat aliquis dicere, qui fit igitur ut mundus nos non cognoscat? id est nostram hanc tantam dignitatem: imo quia per fidem & confessionem, & conversationem nostram facti sumus plane diversi à mundo, mundus nos non tantum non amet, nec æstimet, sed etiam rejiciat & contemnat, & odio prosequatur, & contumeliis variis afficiat, & occidat, cum potest? Nam cognoscere sumi solet etiam pro amare & approbare. Causam istius rei affert Joannes hanc, quod mundus non cognoverit ipsum, id est Deum, Patrem nostrum. Nam gentes quidem plane Deum verum ignorabant, & pro Deo vero Deos falsos & idola colebant, quomodo ergo cognoscere poterant, nos esse veri Dei Filios, & consequenter nos tanquam Dei Filios tractare? Judæi vero hactenus Deum non cognoscebant, quatenus ejus voluntatem per Christum revelatam ignorabant, ejusque annuntiationem respuebant. Ideoque mirum non erat, quod eos qui hanc Dei voluntatem agnoscebant & profitebantur & secundum eam vitam ac mores suos componebant, pro Dei Filiis non agnoscerent, imo eos rejicerent & persequerentur. Ita docet Apostolus nos per id ipsum quod Dei Filii facti simus, mundo factos esse ignotos, & tanquam aliunde advenas & peregrinos, & lingua, id est confessione veritatis, dissonos, & habitu cultuque, id est moribus ab aliis diversos: mundus ergo sola Patris nostri ignoratione nos non novit. Eandem causam affert & ipse Christus Joan.xv. 21. xvj. 3.

Vers. 2. *Dilecti, nunc Filii Dei sumus, & nondum manifestatum est quid erimus.* Iterum objectioni occurrit Apostolus. Poterat aliquis dicere; quid igitur inde commodi habemus, quod simus Filii Dei? si nos tantum odia hominum & miseriæ manent, certe parum est in eo solatii quod Dei Filii simus!

Dilecti, inquit. Amabiliter eos compellat. Nam eum qui & ipse Dei Filius est, Dei Filios amare ac diligere decet, quamvis eos mundus non diligat nec diligere possit.

Nunc Filii Dei sumus. Nunc, inquit, id est in hoc seculo, tempus hujus seculi opponens tempori futuro, sicut & vers. 28 capitis præcedentis. *Filii Dei sumus.* Antea dixerat nos Filios Dei vocari, nunc dicit, nos Dei Filios esse, nam ideo vocamur, quia sumus.

Sed nondum apparuit quid erimus. Quasi dicat: Magna quidem hęc est nostra felicitas & dignitas, quocunque tandem loco mundus nos habeat. Deo semper filii sui curæ erunt, sed tamen non hic stabit sors nostra. Erimus adhuc aliquid aliud, nempe Dei hæredes, cujus filii sumus, & Christi cohęredes: sed hoc nondum manifestatum est, nondum gloria & splendor cælestis filiorum Dei apparuit. Exspectandum nobis est donec Filius Dei appareat; illo apparente & nos apparebimus, & totius mundi oculis conspiciemur in summa gloria Col.iij.4.

Scimus vero quod cum apparuerit, ἐὰν φανερωθῇ: Quasi dicat, etiamsi vero nondum appareat quid erimus, tamen nos scimus quid nos maneat, nempe quod Dei simus similes futuri, immortali scilicet natura, & quæ eam consequitur beatitate, & tum demum vere Filii Dei erimus, cum Deo natura immortali similes fiemus, quo sensu etiam vox Filiorum Dei accipitur in Scriptura Sacra Joan.1. 12. Luc.xx. 36.

Quando vero hoc futurum sit, docet Apostolus. *Cum apparuerit*, inquit, ἐὰν ponitur pro ὅταν, *quando*, vel cum, sicut supra cap. 2. 29, & Joan.xiij. 20. xiv. 3. Verbum *apparuerit*, non ad Christum refertur, cujus hic nulla mentio, sed ad id quod nondum apparuisse modo Joannes dixit, nempe cum apparuerit id quod erimus, gloria scilicet nostra & hæreditas quam exspectamus. Et pronomen *ipsi* in verbis quæ mox sequuntur, *similes ipsi erimus*, ad Deum referri ipsa filiorum ratio docet, filii enim Patri similes esse solent. Nam etsi Christus certo sensu ac respectu Pater est noster, quatenus Adamo opponitur, & quatenus auctor est generis Christianorum: unde & imaginem ejus portaturi dicimur 1 Cor.xv. 48, 49, tamen Deus communiter & magis proprie Pater noster dicitur.

Et ratio quam addit, *quia videbimus ipsum sicut est*, similiter de Deo agit, quem videre sicut est, suprema est beatitas. Verbis istis docet Joannes nos scire quod Deo simus similes futuri, cum istius rei certissimam habemus causam. Scire enim est rem per causam cognoscere. Causa vero iste est quod Deum simus visuri sicut est. Hoc enim per se evidens est, & ex ratione ac natura Filiorum Dei proficiscitur. An enim fieri potest ut Filii suum Patrem non videant, ejusque dulcissimo & optatissimo conspectu fruantur? & non videant sicut est, sicut se vere & in sua natura habet?

Videbimus ipsum sicut est. Quasi dicat, non per speciem aliquam mortalium oculis accommodatam, quo pacto Deum viderunt nonnulli Prophetæ, non in persona Angeli alicujus, seu, non Angelum aliquem personam Dei sustinentem, quo pacto eum vidit Moses & Abraham, sed sicut sese vere in sua divina essentia habet; videbimus autem eo modo quo spiritualia corpora videre & videri possunt. Hoc ipsum dicit & Paulus 1 Cor.xiij. 12, ubi de visione & cognitione rerum cælestium, inter quas primum locum Deus habet, loquitur.

Videbimus vero Deum non ad breve aliquod tempus, quo pacto Deus videri potest etiam in hoc mortali corpore, accedente illius virtute & corporis imbecillitatem sustentante; (sic & Christus Deum vidit cum adhuc mortalis esset, & Paulus Christum in tertio cælo, si in corpore illuc fuit raptus. Ipse enim dubitat an id factum sit in corpore, an extra corpus, id est an vere an per extasin) sed Deum visuri sumus visione in æternum durante, proinde non externa virtute sustentati, sed nobis & naturæ nostræ insita. Ex tali vero visione necessario consequitur nos Deo similes naturæ immortalitate futuros, nisi enim hoc fieret, nullo pacto Deum tali modo qualem diximus videre possemus, sicut est. In tali porro visione Dei omnis beatitatis complementum & perfectionem esse res ipsa docet. Nam hæc visio, & immortalitatem, omniaque immortalitatis adjuncta & consequentia ponit, & quamvis immortales essemus, & bonis omnibus quæ immortalitati conjuncta sunt frueremur, si tamen Dei conspectus abesset, nimium quam multum nostræ beatitati deesset!

Vers. 3. *Et omnis qui habet hanc spem in ipso.* Docuit Apostolus quanta nos beatitas maneat, & quam certa sit illius spes imo scientia. Nunc docet quid spes ista, eaque tam certa, in quoque nostrum efficiat.

Omnis, inquit, *qui habet hanc spem in ipso. Omnis*, nemine excepto, *in ipso*. Id est in Deo per Christum 1 Petr. 1. 2.

Purificat seipsum. A peccati scilicet sordibus, maxime ab iis peccatis quæ peculiariter impuritates appellantur. Nam ἁγνὸς unde ἁγνίζειν, quam vocem hic usurpat Apostolus, castum proprie significat. Christiani enim, sicut ab omnibus peccatis, sic maxime à scortatione & impuritate, peculiariter sic dicta, abstinere debent, quæ etiam peculiariter sanctitati & sanctificationi in Sacrosanctis Literis opponitur. Inter alia vide 1 Thess. IV. 4, 5, 7. Hebr. xij. 16, cum 14 collato. Dicit vero *purificat seipsum*, id est ex sua parte facit quicquid ad purificationem hanc pertinet, non eam sic à Deo exspectat, ut non & ipse omnem operam adhibeat, & cupiditatibus suis vim faciat, eas coërcendo & comprimendo. Neque enim Deus hoc modo sanctitatem & justitiam in hominibus operatur, ut non & ipsi manus admoveant, &, ut Apostolus loquitur, corpus suum contundant & spiritui servire cogant 1 Corinth. IX vers. ult. Ideo & Apostolus hortatur 2 Corinth. vij. 1, ut tantas promissiones habentes, nosmet ipsos purificemus ab omni inquinamento carnis, quo scortatio & impura opera continentur, & spiritus, quo alia designantur vitia, quæ solum spiritum & animum polluunt. Nam, ut Apostolus alibi loquitur, omne aliud peccatum extra corpus est; qui vero scortatur, in proprium corpus peccat; quod res omnes per se puræ sint, earumque usus per se purus, modo abusus absit, solum scortum per se impurum est 1 Cor. vj. 18. Ratio porro cur is qui spem hanc habet, seipsum purificet, est, primum, tanti boni maximum desiderium; quod tamen in spe jam continetur. Nam qui aliquid non desiderat, nec sperare dicendus est. Deinde, quod is qui hanc spem habet, videat se tanti boni, quod præstantia sua omnem purificationis laborem longissime exsuperat, non aliter fieri posse compotem, quam si sese purificet. Id vero quisque videt non tantum ex aperto Dei verbo & Christi sermone, quo nemo ad regni cælestis hæreditatem admittitur nisi se se prius à peccatis repurget & sancte vivat, seu sanctificationem sectetur (unde & auctor ad Hebræos. *Pacem*, inquit, *sectemini cum omnibus & sanctificationem, sine quo*, id est nisi pacem & sanctificationem sectetur, *nemo videbit Dominum* cap. xij. 14,) sed etiam ex ipsius rei natura; quæ requirit, ut qui velit conspectu frui ejus qui purus, & omnis impuritatis expers est, ab eaque penitus abhorreat, & ipse sese purum reddat & præstet. Puri enim cum impuro nulla est communitas. Ideo & ipse Christus *beatos esse* dixit *puros corde*, proinde & omnibus factis, *quod ipsi Deum sint visuri* Matth. v. 8.

Ideo & Joannes addit, *sicut ille purus est*, nempe Deus. De Dei enim visione agitur. His enim verbis non tantum similitudo cum Deo, ratione puritatis; sed etiam causa, ob quam nos purificare debeamus, significatur: quasi dicat, quandoquidem Deus purus est. Vox καθὼς hic vim causæ habet, ut & alibi sæpe. Sic & Deus ipse in Scriptura loquitur, *Sancti estote, quia ego sanctus sum* 1 Petr. 1. 16, ubi etiam sanctitatis nomine puritas intelligitur, id est à rebus omnibus quas Deus pro impuris habet abstinentia. Quod vero ad similitudinem puritatis cum Deo attinet; vere hic similitudo intelligenda est, non paritas. Similes esse debemus Deo puritate, quantum cuique viribus suis divino spiritu suffultis consequi datur. Dicit hanc spem in Deo collocari, quia spes omnis in aliquo defigenda est: hæc vero non possit in ullo alio defigi nisi in ipso Deo; quanquam per Christum Dei Filium, qui & spes nostra dicitur Col. 1. 22. Fundamentum porro istius spei est veritas illa de Jesu, qui nobis cælestia illa bona annuntiavit, quod sit à mortuis resuscitatus, & Dei Filius seu Christus factus. Quo pertinent verba Apostoli Petri, cum ait, nos per Christum credere in Deum qui suscitavit ipsum ex mortuis, & gloriam ipsi dedit, ut fides nostra & spes esset in Deum 1 Petr. 1. 21. Quomodo enim de veritate & effectu promissionum Jesu dubitare possumus, si is à mortuis est resuscitatus & Rex cælestis effectus, in quo non tantum promissiones istæ impletæ sunt, sed etiam ipse potestatem habet eas in nobis implendi, & ad effectum perducendi. Per fidem etiam istam qua credimus Jesum esse Christum, Dei Filium illum, adoptamur protinus à Deo in filios. Si vero nos Deus in filios adoptavit, quo pacto non debemus etiam sperare cælestem hæreditatem? Est vero etiam spes puritatis & sanctitatis effectus. Nam quanto quisque purior est, tanto magis sperat cælestia bona, & hactenus spes effectum est puritatis, quatenus ex eo proficiscitur quod simus ex Deo geniti. Nam qui ex Deo geniti sunt, ac Deo justitia similes facti, jure meritoque sperant sese Dei fore hæredes, & Christi cohæredes, hactenusque etiam spes, quatenus spes ex puritate & sanctitate proficiscitur, perennis gaudii inexhaustus est fons.

est fons. Ita spes & mater ac genitrix est puritatis, & vicissim puritatis filia.

Vers. 4. *Omnis qui facit peccatum, & anomiam facit, & peccatum est anomia.* Id est à Lege discrepantia. Aliam affert causam Joannes cur à peccando omnino abstinere debeamus. Hanc sumit ex natura & ratione peccati; nempe, quod omnis qui facit peccatum, faciat & anomiam, & quod peccatum sit anomia, id est tale factum quod cum Lege Dei non congruat, seu Legi non respondeat. Jam vero Christianis, qui Dei sunt Filii, nulla ratione convenit esse anomos, id est ea facere quæ Legi, Patris eorum, non congruant. Christiani enim homines sunt justitiæ dediti, spiritu Dei aguntur, fructibus spiritus abundant, carnem crucifixerunt cum cupiditatibus & affectibus. Ideo nec sub Lege sunt. At si peccent, seu, peccatis sint dediti, omnino Legi subjiciendi & Lege coërcendi forent, & ex filiorum Dei libertate in servilem statum ac conditionem deturbandi: anomis enim & inobedientibus &c, ut loquitur Apostolus, Lex posita est 1 Tim. j. 9, 10. Vox ἀνομία non rectè hoc loco vertitur transgressio Legis. Nam ubi Lex non est, ibi nec Legis transgressio, inquit Paulus Rom. iv. 15. Christianis autem Dei Filiis, non est Lex, non sunt sub Lege, sed sub gratia Rom. vj. 15. Ideo Christiani peccare possunt & ἀνομίαν committere, Legem propriè loquendo non possunt transgredi. Accipitur porro à Joanne vox *Legis* sensu pleniore, quam alioquin litera Legis significat. Lex enim si literam ejus spectes, serviliter tractabat Israëlitas: ideo nec magnam ab iis perfectionem exigebat, & multa erant vitiosa quæ hoc Legis sensu non vetabantur, & permissa erant; sed qui Dei sunt Filii, & ad cælestem hæreditatem adspirant, ab omni vitio & ἀνομίᾳ, pleniore & perfectiore Legis sensu, abstinere debent; quod & Servator ipse prolixe docuit Matth. v. vj. vij capitibus, his verbis exorsus, *nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum*, (qui tamen perfectissimi Legis observatores censebantur,) *non ingrediemini in regnum Dei.* Peccati voce intelligit Joannes verum peccatum, id est tale quod ultro & deliberato animo committitur, quales sunt enormes actus, aut habitus peccandi, non vero peccatum quod aliquando imprudentibus & veluti invitis ac nolentibus excidit, quod & leve & rarum est, & cujus in Lege illa libertatis & regia, cui etiam liberrimi homines & Reges ipsi subjecti sunt, quod ea tantum quæ honesta, justa, recta sunt præcipiant, non habetur ratio. Ille igitur facere peccatum dicitur Joanni qui verum, quale diximus, peccatum committit. Proinde & vox ἀνομία eodem modo accipienda est.

Notanda vero est particula *Et* in verbis *& anomiam facit*, quæ non videtur esse otiosa: quasi dicat Joannes, eum qui peccet non tantum facere contra id quod natura sua rectum & verum est, sed etiam contra Legem ab ipso Deo latam, seu ab ea discrepare; cum lex Dei ea quæ natura sua recta & honesta sunt, præcipiat sub pœnæ aperta comminatione. Occurrit Joannes objectioni eorum qui dicerent, Legem Christianis latam non esse, nec eos esse sub Lege, proinde nec contra Legem quicquam facere posse, & consequenter Legis damnationi subjacere. Negat Joannes hanc consequentiam, & docet Christianos posse ea facere, quæ à Lege discrepent, nec cum ea consonent, quod vero sub Lege non sint, hoc ideo fieri significat, quod non peccent, seu, quod peccatum in carne eorum damnatum & extinctum sit Rom. viij. 3. Nam si peccent, Legi divinæ ejusque damnationi sese reddunt obnoxios. Ita peccatum & anomia, re quidem ipsa idem sunt; sed ratione differunt, sicut & lex naturæ quæ recta & honesta præcipit, à Lege ab ipso Deo lata & pronuntiata reipsa non differt, nisi quatenus hæc peccatores diserte subjicit, & ritus ac cerimonias adjunctas habuit.

Vers. 5. *Et scitis quod ille apparuit, ut peccata nostra tollat.* Aliam affert iterum causam abstinendi à peccatis, quam nos scire dicit, ex Dei scilicet verbo edoctos. *Scitis*, inquit, *quod ille apparuit*, id est Dei Filius. *Apparuit*, id est in mundum venit, antea in Dei constitutione latens & absconditus.

Ut peccata nostra tollat. Id est hoc fine venit ut efficiat ne peccemus amplius. Hac enim ratione peccata nostra è medio tolluntur, quod Lex nullo modo præstare poterat propter carnis infirmitatem. Docuit hoc egregie Apostolus Rom. viij. 3, 4. Lex nimirum carnem domare, seu, ut Apostolus loquitur, mortificare non potuit, quod, quia Filius Dei fecit, peccata sustulit. Hoc vero filius Dei efficit per cælestes illas promissiones, per tantæ gratiæ Dei annuntiationem, per spiritum adoptionis, per Legem illam libertatis, per mortem suam pro nobis. Omnia hæc eo spectant ut peccata nostra è medio tollantur Heb. x. 8. Proinde si hic effectus in nobis non sequatur, res ipsa docet, nec paternæ istius gratiæ effectum nobis sperandum esse. Includitur hic & ablatio reatus commissorum à nobis peccatorum. Quid enim nos juvaret peccata in nobis sublata esse, si eorum quæ commisimus reatus maneret? Sicut nec reatus peccatorum tolleretur, si peccata in nobis, & nos in peccatis maneremus. *Sanguis enim Christi mundat nos ab omni peccato, si in luce ambulamus* cap. j. 7.

Addit, *& peccatum in ipso non est.* Quasi dicat, & quod in nobis efficere voluit, id primum in seipso effecit. Peccatum in ipso non est, nullum unquam peccatum commisit, seu, ut Scriptura loquitur 1 Pet. 2. 21, 22: *Peccatum non cognovit, neque inventus est dolus in ore ejus, nobis relinquens exemplum, ut vestigia ejus sequamur*, operamque demus, ut nosmet ei quantum possumus conformemus, si cum eo communionem habere volumus.

Vers. 6. *Omnis qui in ipso manet, non peccat.* Docet Apostolus rem ita se habere ut dixit, nempe filium Dei venisse ut peccata nostra tolleret, quia scilicet omnis qui in ipso manet, non peccat. *In ipso.* Id est Dei filio manere, est illius sermoni firmiter credere, & sic ipsi per fidem insitum esse.

Non peccat. Nempe vero, ut antea diximus, peccato, quem cognitionis Christi & fidei in ipsum effectum esse, res ipsa docet. Nam qui Dei filium cognovit & ipsius sermoni credit, certus est fore, ut si sese à peccatis avertat, cælestem hæreditatem consequatur, proinde ejus consequendæ gratia peccatis nuntium remittit. Quod si effectus iste non sequatur, necesse est, vel cognitionem Christi, & fidem in ipsum revera abesse, vel ipsius vim & efficaciam aliqua re impediri, ea vero est aut hominis ipsius contuma-

tumacia vitam æternam spernentis, aut falsæ alicuæ & perniciosæ opiniones ac persuasiones de vita æterna adipiscenda, etiamsi peccatis indulgeat.

Omnis qui peccat, non vidit ipsum, nec cognovit ipsum. Docet hoc adeo verum esse ut omnis qui in Christo manet, non peccet, ut omnis qui peccet, non viderit ipsum, nec cognoverit ipsum. *Non vidit ipsum*, nempe oculis mentis, hoc est, ut statim ipse explicat, *non cognovit ipsum*. Ipsum ponit, per metonymiam causæ, pro ipsius sermone. Vere hoc dicit Joannes. Nam qui sermonem Christi purum, & sicut veritas est in Jesu cognovit, totum sese justitiæ dat, & à peccando avertit. Dum vero ista inter se opponit, manere in Christo, & non videre, seu, non cognoscere ipsum, hinc apparet, phraseos istius, *manendi in Christo*, nullam aliam vim esse, quam Christi sermoni credere, & sic per fidem insitum esse Christo.

Vers. 7. *Filioli! nemo seducat vos. Qui facit justitiam, justus est.* Subinde eos hoc blando filiolorum nomine compellat, ut sese tanto magis animis eorum insinuet. Præmonet eos adversus seductores, ne se ab ullo eorum, quisquis tandem sit, & esse videatur, seduci patiantur. Neque enim hic monet seductores, ne seducere conentur; sed Christi discipulos, ne sese seduci sinant. Ita enim fiet ut irritus sit seductorum conatus. Quam vero seductionem intelligat sequentia docent. Erant nimirum qui dicerent justum aliquem esse posse coram Deo quamvis justitiam non faceret; siquidem Deus & peccatoribus, imo & impiis justitiam imputet propter fidem in Christum. Verum hoc est: sed aliud est justum censeri, aliud justum esse. Deus etiam injustos & impios pro justis censet, propter fidem in Christum: quia fidei istius ea est vis & efficacia, ut justos faciat, & à peccatis homines abducat. Ideo nisi effectus iste consequatur in iis quibus vita post fidem suppetit, sicut fides nulla est, vel pro nulla reputatur, sic & imputationem illam justitiæ in nihilum recidere necesse est. Itaque justum intelligit Joannes qui vere & in se justus est, non qui per imputationem tantum justitiæ, justus censetur.

Qui, inquit, *facit justitiam, justus est.* Quasi dicat, ille tantum & non ullus alius, vere & in se justus est. Per eum *qui facit justitiam*, intelligendus est is qui justitiæ plane est deditus, eamque in omnibus suis actionibus unice observat, quantum homini datur. Justi enim nomine talis significatur justus, qualis homo mortalis esse potest, in quo justi appellationem non destruit humana imperfectio. Justitiæ vox hic generaliter accipitur pro omni eo quod rectum & verum est.

Sicut ille justus est. Comprobat hoc quod dixit ipsius Dei vel Christi exemplo. Nam pronomen *ille* ad utrumqne referri potest. Deus & Christus ideo justus est, & justus appellarur, quod justitiam faciat, id est nunquam à justitiæ tramite recedat. Particula *sicut* vim causæ & rationis hic habet. Sic enim argumentatur Joannes. Sicut Deus vel Christus ideo justus est, quia facit justitiam; sic & homo ideo est justus, quod justitiam faciat.

Vers. 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* Docet Joannes adeo necesse esse ut justitiam faciamus, proinde à peccatis (justitia enim peccatis opposita est) totis viribus abstineamus, ut si quis faciat peccatum ex diabolo sit, & cum Deo & Christo tam nihil commune habeat quam diabolus.

Per eum *qui facit peccatum*, similiter intelligitur is qui ultro & dedita opera peccat, proinde qui gravem aliquem peccandi actum sibi permittit, vel peccandi consuetudine tenetur.

Ex diabolo est. Diaboli est filius, propter similitudinem quam habet cum diabolo, præsertim quod diabolus sæpe istius similitudinis etiam causa sit, falsas opiniones animis hominum inferens, & perniciosas cogitationes ac consilia injiciens, quæ diaboli quasi semen sunt, ex quo peccata nascuntur, & homines diabolo fiunt similes ac filii ejus: sicut sermo veritatis est Dei semen ex quo nascuntur Dei filii. Ideo etiam zizania sevisse dicitur diabolus, quæ sunt hæreses & falsæ ac perniciosæ opiniones, Dei verbo, quod veritas est, quam Dei filius sevit, contrariæ. Hinc & tentator dicitur, quod homines variis modis conetur ad peccatum adducere & sibi similes reddere.

Quia à principio diabolus peccat. Causam affert cur dixerit eos, qui peccatum faciant, ex diabolo esse, sive diaboli filios esse, *quia diabolus à principio*, intellige mundi, ex materia subjecta, *peccat*. Non dicit *peccavit*, sed *peccat*, id est ex quo cœpit peccare, semper peccata continuat. Quia vero peccavit, antequam homines peccarent, quod exprimitur vocibus istis *à principio*, ideo rectè pater peccantium constituitur, & homines qui peccant, ejus filii. Non dicit diabolum ante mundi principium peccasse, quamvis verisimile sit id factum esse, quia rem ex historia sacra notam voluit commemorare, & ad argumentum illius hoc sufficiebat. Peccavit vero diabolus in principio mundi, primum quod mentitus sit, & cum ipse mentiretur, Deo, qui ipsa veritas est, mendacium objecerit, & quod parentes nostros hoc mendacio seduxerit, eosque hac ratione occiderit, seu illis mortis causa extiterit. Etiam ipse Christus, cum vellet docere Judæos ex patre diabolo esse, & cupiditates ejus facere velle, hæc eadem peccata in mundi principio ab ipso perpetrata commemorat, quod fuerit homicida ab initio, & in veritate non steterit, & non sit veritas in ipso.

In hoc apparuit filius Dei, ut solvat opera diaboli. Docet, debere nos omnino à peccatis abstinere hoc argumento, quod Dei filius in hunc finem apparuerit, ut opera diaboli solveret, id est peccata; quæ opera diaboli dicuntur, tum quod sint diaboli operibus similia & ejusdem generis, tum quod sæpe diabolum auctorem & incentorem habeant.

Solvat. Id est destruat, sumpta similitudine à structuris quæ solvendo destruuntur. In iis igitur qui ad Dei filium pertinent & sese pertinere dicunt, diaboli ista opera & ædificia locum habere non debent. Idem hoc versu dicitur quod supra vers. 5, si rem spectes, licet verba sint diversa, & peccatorum deformitatem magis exprimant.

Vers. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Argumento ex contrario sumpto, docet nos à peccando abstinere debere. *Omnis*, inquit, *qui genitus est ex Deo:* quasi dicat, sicut omnis qui ex diabolo est, peccatum facit, sic è contrario omnis qui ex Deo genitus, vel, natus est,

Pecca-

Peccatum non facit. Dictum per seipsum evidens. Nam ex Deo natum esse, est Deo justitia & sanctitate similem esse cap. 2. 29. At qui Deo sanctitate & justitia similis est, certe non peccat, id est à peccato totis viribus abstinet.

Quia semen ipsius in ipso est. Causam adjicit quæ homines ex Deo natos semper à peccato avocet, nec permittat ut peccent: hæc vero est semen Dei quod in quolibet ex Deo nato manet. Semen istud sermo Dei est per Filium ejus annuntiatus. Hic, sicut effecit ut ex Deo nasceremur; sic idem, in nobis manens, præstat, ne ex Deo nati esse, id est Deo similes esse desinamus. Hinc patet in iis qui peccato indulgent, semen Dei haudquaquam esse, vel falsis dogmatis & opinionibus ita corruptum, ut omnem suam vim per eas amiserit.

Et non potest peccare. Aliquid amplius adhuc dicit, nempe ex Deo natum non tantum non peccare, sed ne quidem peccare posse, id est à peccando penitus abhorrere, peccatum toto pectore aversari. Namque aversamur & abhorremus, ea dicimur non posse facere. Justitia nimirum & sanctitas eos qui justi & sancti sunt peccare non permittit. Nam si dicas justitiam & sanctitatem posse ab aliquo contemni & susque deque haberi; hoc quia contra naturam justi & sancti est, tam recte dicitur id eum facere non posse, quam ea facere non posse dicimur quæ naturæ sunt contraria, quæque natura penitus aversatur.

Quia, inquit, *ex Deo natus est.* Causam istius rei dicit esse ipsam ex Deo nativitatem. Nam qui ex Deo natus est, Deo similis est. At Deus peccare non potest, id est totus à peccato abhorret. Similiter igitur & is qui ei similis factus est, seu, ut Petrus loquitur, divinæ factus est particeps naturæ 2 Pet. 1. 4.

Vers. 10. *In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli.* Id quod superius docuit, dicit esse simul notam filiorem Dei & filiorum diaboli. *In hoc*, id est per hoc, *manifesti sunt filii Dei*; nempe cum peccatum non faciunt, & à peccato penitus abhorrent.

Et filii diaboli. Per hoc manifesti sunt, cum peccatum faciunt seu peccatis dediti sunt. Quo ipso à peccatis nos avocare voluit, ut nota filiorum Dei in nobis sit, nota vero filiorum diaboli longissime à nobis absit.

Omnis qui non facit justitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Dixerat Joannes eum qui peccet, ex diabolo esse: nunc dicit, eum qui justitiam non faciat, non esse ex Deo, & consequenter esse ex diabolo. Docet nimirum non tantum peccata commissionis, sed etiam omissionis, quæ vocant, nobis vitanda esse.

Omnis qui non facit justitiam. Quamvis forte non peccet committendo aliquid injustum: sufficit si justitiam non faciat, id est id quod justitia jubet & exigit, cum scilicet juste aliquid agendi tempus & occasio est. Deus enim non tantum nunquam injuste agit, sed etiam semper agit juste. Tales etiam decet esse Dei filios.

Et qui non diligit fratrem suum. In specie agit de dilectione fratris, quæ par est justitiæ generalis omnes virtutes complexæ. Nihil enim justius est quam fratrem diligere, præsertim fratrem in Christo, qui nobiscum per fidem Christi ex Deo natus est & filius Dei factus est. Talem enim fratrem intelligit Joannes, ut mox constabit. Non diligere fratrem, est fratri non bene velle & cupere, & quod inde consequitur, fratrem, si possis, & ipse indigeat, non juvare. Qui talis est, hunc ex Deo esse negat Joannes. Deus enim est ipsa charitas, ut infra habebimus. Unde consequitur eos qui charitate, præsertim erga fratres, tot vinculis spiritualibus sibi conjunctos, præditi non sunt, haudquaquam ex Deo natos & filios Dei esse. Sed & aliam istius rei causam subjicit.

Vers. 11. *Quia hoc est nuntium.* Ἀγγελία sive nuncii voce intelligitur *mandatum*, quod nobis Deus nuntiari jussit, idque ab ipso principio Euangelii, simul cum nuntio æternæ vitæ, ut appareret hæc individua esse, neminemque vitam æternam sine dilectione fratrum consequi posse.

Propterea addit, *quod audivistis à principio.* Nempe vobis nuntiatum à principio. Iterum vox *principii*, Joannis more, ex subjecta materia intelligenda relinquitur.

Ut diligamus alii alios. Id est Christiani Christianos. Ex quo apparet Joannem de charitate, quam alii aliis, id est Christiani Christianis debemus, loqui. Neque enim hic præceptum datur iis qui sunt extra Christum, sed iis qui sunt in Christo. Diximus his verbis rationem reddi cur is qui fratrem non diligat ex Deo non sit. Tale nimirum hic continetur argumentum;

Qui mandatum Dei non servat, ex Deo non est.
At qui fratrem non diligit, mandatum Dei non servat.
Ergo qui fratrem non diligit ex Deo non est.

Major per se est evidens. Minor ex eo probatur, quod, ut alii alios diligamus Dei sit mandatum, idque ab ipso principio nobis inculcatum.

Vers. 12. *Non sicut Cain ex malo erat, & mactavit fratrem suum.* Exemplum commemorat Caini, quod nos vitare vult. *Non sicut Cain ex malo erat*, intellige sic nos simus. Mali nomine intelligit diabolum, ideo & articulum addit, ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν, ut excellenter malum significet. Dicit Cainum ex diabolo fuisse propter similitudinem insignis malitiæ, quam similitudinem ut exprimeret, ideo diabolum mali nomine vocavit. Credibile etiam est diaboli instinctu tantum scelus perpetratum fuisse à Caino. Nam sicut nos ex Deo esse dicimur, cum Dei sermoni assentimur, & secundum eum nos gerimus; sic & illi ex diabolo esse recte dicuntur, qui ejus instinctui assensum præbent, eumque exequuntur. Absit igitur ut nos Cainum imitati ex malo illo simus.

Et mactavit fratrem suum. Exprimit Caini factum quod eum diaboli fecit Filium. *Mactavit*, inquit, *fratrem suum*, non tanquam cum homine, non tanquam cum fratre, sed tanquam cum pecude egit, sanguinem & vitam ejus effudit. Magnum scelus est fratrem germanum occidere, sed majus adhuc fratrem in Christo, qui longe arctiore & sanctiore vinculo nobiscum conjunctus est, quam frater germanus. Ne vero quispiam existimet Cainum justam aliquam causam habuisse occidendi fratris, vel à fratre injuria aliqua fuisse affectum, & ad hanc cædem provocatum, addit:

Et cujus gratia mactavit ipsum? Per interrogationem, quæ causa eum compulit ut fratrem mactaret? an scelus aliquod fratris inexpiabile? an gravis aliqua injuria

injuria ipsi à fratre illata? an vitæ propriæ defensio? Nihil horum unica causa erat,

Quod opera ipsius mala essent, fratris vero justa. Utrumque istorum in Caino ad cædem hanc perpetrandam concurrebat, tum quod ille malus esset, tum quod Abel justus esset. Hinc natum est erga fratrem odium: nam qui ipsi mali sunt & injusti, justos aversantur & tanquam exprobrantes aspiciunt, & quod causa maximi amoris esse debuit, causa sit maximi odii. Secuta deinde est & invidia, cum videret oblationes fratris à Deo respici, suas vero rejici & repudiari, cujus rei ipse causa erat per id quod malus esset. Sic odium & invidia fratrum Josephum etiam perdiderat. Vere diaboli filius fuit Cainus: nam & diabolus justos odit, quod ipse malus sit, & iis Dei gratiam invidet, quod ipse ea merito suo exciderit. Utrumque istorum etiam ipsum ad perdendos primos parentes nostros impulit. Significat Joannes, fratres Abelo similes esse debere, id est homines bonos, justos, innocentes, nulla injuria alios provocantes. Calvinus occidit fratrem suum Servetum, & occidit fratrem in Christo, occidit enim hominem ex Deo natum, qui credebat Jesum esse Christum, Dei filium cap. v. 1, (quem etiam mediis in flammis invocabat) & occidit morte longe truculentiore, nam vivum comburi fecit. Hæreticum occidit, inquies. Sic credo putavit Calvinus, sed nec hæreticos occidere licet, & qui hoc licere putant, hæretici sunt, & tanto fœdius peccant, qui non solum sanctos & insontes occidunt, sed etiam ut occidere possint, hæreseos crimine omni exitio graviore infamant, idque etiam ideo, quia ipsi hæretici sunt. Zelus nimirum ille sine scientia hæc facit, qui semper omnium persecutionum & cædium in sanctos exercitarum causa extitit.

Vers. 13. *Ne miremini, fratres mei! si odit vos mundus.* Occasione exempli Caini monitum hoc addit valde utile & necessarium, occurrens tacitæ objectioni. Poterant Christiani mirari se tantopere exosos esse, nullo suo merito. Docet igitur Apostolus eos minime id debere mirari. Causam enim istius rei eandem esse ob quam Abel in tanto odio erat apud fratrem Cainum: nempe quod eorum opera justa sint, mundi vero mala & injusta. Neque enim probi ab improbis diligi possunt, propter tantam, quanta inter utrosque est, morum dissimilitudinem. In odio vero isto includi debent & effectus odii, id est persecutiones & cædes. Huc enim exire solent mundi adversus Christianos odia. Eodem modo mundus nobiscum agit, quo egit cum ipso duce nostro Christo, & quo Cain egit cum Abele. Veritas divina, & justi ac sancti mores in veris Christianis mundum in odia & invidiam adversus ipsos, & consequenter in cædes ac persecutiones agunt. Sed præstat longe cum Abele & Christo occidi, quam cum Caino & mundo occidere. Malorum & improborum est injurias inferre, quia id & facere volunt propter malitiam, & possunt propter multitudinem ac potentiam. Proborum vero & justorum est, eas patienter ferre, & à Deo patientiæ suæ præmium exspectare; quod eos non minus maximum manebit, quam malos & improbos vindicta. Quo pertinent Apostoli verba 2 Thess. j. 5, 6, 7. Nunc discipulos compellat fratrum suorum nomine. *Fratres mei.* Quos antea vocabat filiolos, quia de fratribus nunc agebatur, & erga eos charitate. Nomine itidem amabili.

Vers. 14. *Nos scimus quod transiverimus ex morte in vitam, quia diligimus fratres.* Solamen hic addit Christianis in hac eorum calamitate. *Nos*, inquit, *scimus quod transiverimus &c:* quasi dicat, quidquid nos mundus oderit & adversus nos sæviat, etiam ad cædes usque, Deo permittente; nos tamen scimus quod transiverimus ex morte in vitam. Ita nobis nihil nocent mundi odia & furores.

Dicit, *transivimus*, per enallagen temporis, pro transibimus, non manebimus in morte, sive ea sit naturalis, sive violenta, & propter justitiam nobis illata; sed ex morte, Dei & Christi potentia, eripiemur ad vitam æternam. Dicit vero nos id scire, quod istius rei certissimas habeamus causas, ex quibus effectus iste necessario consequitur. Quæ causæ omnes eo includuntur, quod Deus Jesum, ducem nostrum, à mortuis resuscitaverit, & Regem, Dominum ac Christum fecerit; quam rem, quia per se patet, pluribus hic explicare non est necesse.

Addit, *quia diligimus fratres.* Docet quid Deum maxime impellat, ut nos ex morte transferre velit in vitam æternam: proinde quid maximè sit nostri officii, si vitam æternam adipisci velimus. Id vero est, ut fratres, id est alii alios, Christiani Christianos diligamus. Ponit vero nos id facere, quia scilicet id facere debemus, vi Christianæ fidei ac religionis quam profitemur; à qua si charitas erga fratres absit, omnia sint vana & inutilia. Vide 1 Cor. xiij. 1, 2, 3. Significat Joannes mundum odio sævire, Christi vero discipulos interea sese invicem amore complecti, quod dum faciunt, totius mundi furor adversus eos irritus est. Hic videmus inter veras salutis nostræ causas referri charitatem erga fratres, proinde bona & sancta opera, quæ charitate continentur 1 Cor. xiij. 4, 5, 6, 7. Et charitas ibidem major dicitur fide ac spe vers. 13.

Qui non diligit fratrem, manet in morte. Docuit Apostolus quid futurum sit fratres diligentibus, nunc docet quid futurum sit ei qui fratrem non diligat, nimirum res priori contraria ob factum contrarium.

Manet in morte. Id est manebit, iterum enallage temporis, præsentis pro futuro, in morte, nimirum illa secunda, quæ æternus est interitus.

Vers. 15. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Ab eo qui fratrem non amat progreditur ad eum qui fratrem odit. Minus enim est non amare quam odisse. Nam qui non amat nec bene vult nec male; qui vero odit, male vult. Dicit igitur, *omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Rem valde gravem & insperatam de eo qui fratri malevult pronuntiat, ne scilicet aliquis dicat, ego non occido fratrem sicut Cainus fecit. Respondet Joannes, satis esse si quis fratrem oderit ad id ut homicida coram Deo sit. Occidit enim fratrem animo, etiamsi non occidat manu. Nam qui fratri malevult & fratrem aversatur, quod odisse est, etiam exstinctum cupit, aut saltem si exstinguatur, non moleste ferat, similis illi, qui canem lapide petens, cum novercam percussisset, dixit, ne sic quidem male: quo sane dicto odium erga novercam testatus est.

Et scitis quod omnis homicida non habet vitam æternam

nam in seipso manentem. Docet homicidis nihil esse commune cum vita æterna, proinde neminem eorum qui oderunt fratrem vitam æternam sperare debere, idque eos scire dicit, nempe ex Christi sermone seu Euangelio. Addit vocem *omnis*, ne quis sese exceptum putet, si homicida sit. Homicida vero ille est qui hominem injuste occidit. Nam pœna homicidii homicidium non est, quamvis per cædem hominis fiat. Ideo & ille demum qui injuste odit, (ut sane fratrem, id est Christianum, nemo nisi injuste potest odisse) pro homicida reputandus est. Justum vero est odium adversus injustos, improbos, ingratos, facinorosos, invasores, impios, persecutores piorum, apostatas, hæreticos, scandala facientes, Antichristos, quos omnes impœnitentes odisse & aversari, zelus ac pietas erga Deum jubet, quod per eos Dei gloria & majestas conculcetur, quam ut Deus, si pœnitere nolint, irrogatione pœnarum vindicet, pium est cupere, imo & votis à Deo expetere, idque si faciat, gloria ipsum afficere. *Utinam amputentur*, dixit Apostolus de iis qui in turbanda persistebant ecclesia. De Alexandro vero fabro illo ærario, qui Paulum multis malis affecerat, & sermonibus ejus valde restiterat, *reddat illi Dominus*, inquit, *secundum opera ejus*, id est hominem impium & impœnitentem male perdat. In Apocalypsi jubentur sancti, in cælis juxta & in terris, gaudio exultare ob excidium Babylonis piorum persecutricis. Et recte rem reputantibus, mali & improbi sæpe faciunt, ut eos puniri, ne ipsis quidem sit malum. Nec obstat Christi præceptum de diligendis omnibus hominibus, etiam inimicis, quos sub Lege fas erat odisse. Diligendi enim sunt omnes homines, etiam inimici, sed intra suos debitos fines. Nam sicut omnia, sic & dilectio & odium suos habet fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Locus & tempus non est charitati erga latrones, verbi gratia, & invasores, cum locus & tempus est, eos ab innocentibus, quibus longe majori & propriori jure charitas debetur, pro viribus repellendi. Diligere inimicos debemus, officiis & beneficiis juvare, cibare, potare, & similia, cum scilicet officiis & beneficiis nostris indigent, eaque requirunt, bene iis precarii, cum nobis precantur male. Preces etiam pro iis fundere, cum spes aliqua eorum conversionis est, & quamdiu nesciunt quid faciant: sed non, si sciant, si SpiritumSanctum blasphement, si ad mortem peccent, non ut impii manentes, nihilominus vitam æternam accipiant, & extra pœnam sint. Neque profecto mala & improba facta odisse possumus, (quorum odium justum est) quin simul eos qui ea patrant, quatenus tales, oderimus. Et sicut alii affectus, ita & odium, naturæ nostræ à Deo insitum est, proinde per se neutiquam malum; sed ratione dirigendum, & eo quo debet ac decet applicandum. Non est vero odium, proprie loquendo, in res anima & sensu & ratione carentes, multo minus in accidentia; sed in malos, sive Angelos, sive homines, quamvis propter eorum malitiam. Summa huc redit, homines omnes, inter quos & inimici, & injusti, amandi sunt, non quatenus mali & improbi sunt, sed quatenus homines sunt, alioquin enim probi improbos & Dei hostes amare non possunt. Et si datur ira justa, datur etiam odium justum, quod nihil aliud est quam ira quædam manens. Hanc vero manere, justa illius causa manente, quæ culpa est? Nam iræ, quæ solo aliquo indigno actu excitatur, protinus cum ipso actu transire, solis occasu, ut Apostolus monet, non expectato debet. Justam vero iram & citra peccatum dari, & Christi ipsius exemplum perversissimis hominibus Pharisæis irascentis, & Pauli monitum, ut irascamur & non peccemus, docet Ephes. iij. 26. Sicut igitur præceptum de non irascendo non excludit iram justam, sic neque de diligendo excludit odium justum.

Non habet vitam æternam in seipso manentem. Per enallagen temporis solitam, id est non habebit, nec nunc ullum ad eam jus habet. Non excluditur tamen pœnitentia, peccatoribus in Euangelio proposita. Eandem enallagen vide supra vers. 14. Loquitur vitæ convenienter, quia natura & ratio vitæ est, alicui tanquam subjecto inesse. Sic & de charitate infra vers. 17 propter eandem causam. Conveniens vero homicidis hæc pœna est. Nam qui facit ne in aliquo vita temporaria maneat, dignus omnino est, ne & ipse vitam æternam in se manentem habeat.

Vers. 16. *In hoc cognovimus charitatem, quod ille animam suam pro nobis posuit.* De dilectione agens Apostolus exemplum nobis proponit dilectionis Christi erga nos. *In hoc*, id est per hoc, *cognovimus charitatem.* Charitas enim seu charitatis affectus in animo latet, per effecta sua cognoscitur. Intelligit autem charitatem ejus cujus factum statim commemorat, nempe Christi: factum vero istud est quod pro nobis animam suam posuerit. Itaque vox *ἐκεῖνος ille* ad Christum refertur. Et solet nobis hac in re Christus imitandus proponi non Deus Joan. xiij. 34. xv. 12 &c. Charitas Dei, qua Christum in mortem pro nobis tradidit, commemorari solet, non ad id ut ipsum ejusdem speciei facto imitemur, sed ut eum vicissim amemus & ei reconciliemur, & in genere alii alios, Deum imitati, amemus. Ideoque vox *Dei*, ad vocem *charitatis*, in quibusdam codicibus non recte adjicitur. Animam vero suam, id est vitam (nam anima hoc loco sumitur pro vita, per metonymiam causæ) pro nobis posuit Christus, quatenus eam maximo nostro bono posuit, seu eam sibi adimi passus est. Præcipue vero huc pertinet, quod pro peccatis nostris tanquam victima, Patris voluntati obsecutus, mortem subierit, ut nos ex morte æterna peccatorum nostrorum pœna redimeret. Qua Christi charitate erga nos nulla major cogitari potest.

Et nos debemus pro fratribus animas ponere. Ne quis putet liberum nobis esse id & facere, & omittere. Loquitur autem de eo quod singuli singulis debemus, ne quispiam existimet pro pluribus fratribus tantum animam ponendam esse, sicut & Christus non pro uno sed pro multis animam posuit. Ideo non dicit nos debere *animam* ponere, quasi ut unus pro multis morti sit obstrictus, sed *animas*, quia singuli pro singulis mori debemus. Ideo & mox charitatis istud præceptum, ad effectum longe minorem accommodans, de fratre in singulari loquitur. Nam quod ad multos attinet, non tantum pro multis fratribus; sed etiam pro multis hominibus, verbi

gratia pro patria mori debemus, ſi eam morte noſtra poſſimus ſervare, quod Ethnicorum quoque multi maxima cum gloria, eaque vera fecere. Hoc igitur officii cujuſque noſtrum eſt, ut vitam fratris, ſi de ea periclitetur, vita ſua, ſi poſſit, redimat; ſicut inter ſe fecere Damon & Pythias, & nonnulli alii, quorum tria tantum paria antiquitas numerat, quodque etiam in vera requiritur amicitia, quæ profecto inter Chriſtianos eſſe debet, & cujus non tria, ſed innumera olim inter Chriſtianos paria extiterunt, ut ſcilicet alii pro aliorum vita, præſentiſſimum periculum adirent. Hoc fecit Aquila & Priſcilla pro Pauli vita, & Epaphroditus, ut Pauli neceſſitatibus ſubſidium afferret Rom. xvj. 4. Phil. ij. 30. Quanto vero magis id facere obſtringimur, ſi id fratris æterna ſalus requirat? quod officium etiam aliis hominibus debemus exemplo Chriſti, ut ſcilicet eorum æternæ ſaluti animas noſtras impendamus. Optimo vero jure hoc à nobis requiritur, quibus pro vitæ iſtius temporariæ jactura, æterna vita parata eſt. Ignavum eſt, dixit ille, rediture parcere vitæ. Paulus Apoſtolus ſane non tantum mori, ſed & anathema à Chriſto pro Iſraëlitis fieri voluit, id eſt ipſe æterna vita excidere, ſi eos hoc pretio potuiſſet Chriſto & æternæ ſaluti aſſerere; quæ admirabilis & Heroica plane virtus eſt, & ob quam vere dici poteſt, Paulum longe magis Iſraëliticum populum amaſſe, quam ſeipſum. Nam cæteri qui vitam pro fratre temporariam ponunt, ut æternam recipiant, neutiquam magis fratrem quam ſeipſos amare dicendi ſunt. Etſi enim id amore fratris faciunt, tamen magis amore ſui ipſorum.

Verſ. 17. *Qui vero habet victum mundi, & videt fratrem ſuum opus habentem, & claudat viſcera ſua ab ipſo.* Occaſione præcepti quo jubemur animas pro fratribus ponere, tranſit Apoſtolus ad fratrem talem, qui victu abundans, fratri indigenti opem denegat, & docet quid de eo ſtatuendum ſit.

Qui, inquit, *habet victum mundi*. Id eſt victum ad lautitias & ſuperfluos uſus, non tantum ad naturæ neceſſitatem. Talis enim eſt mundi victus. Nam is qui victum habet ſibi tantum & ſuis neceſſarium, non poteſt alteri, etſi velit, multum ſuccurrere, ideo non ſimpliciter dicit Apoſtolus, qui victum habet, ſed *qui victum mundi habet, & videat fratrem ſuum indigentem*, rebus ſcilicet neceſſariis ad vitam, cibo, puta, aut corporis aliquo tegumento. *Fratrem ſuum*, inquit, nempe in Chriſto, quicum tot ſacratiſſimis vinculis eſt conjunctus, ex Deo natum, corporis Chriſti membrum.

Et claudat viſcera ſua ab ipſo. Id eſt non miſereatur ejus, non commoveatur ejus egeſtate, non aperiat ei & animum, & facultates ſuas, ut neceſſitati ejus ſubveniat. Neque enim ſatis eſt animo commoveri, aut miſericordia tangi, niſi affectum effectus conſequatur, & indigenti opitulatio.

Quomodo charitas Dei manet in ipſo? Multo plus dicit quam dicere debuit. Debuerat dicere, quomodo charitas fratris manet in ipſo, ſed maluit hoc modo loqui, ut oſtenderet hominem iſtum non tantum charitate erga fratrem, erga hominem, ſed erga ipſum Deum plane deſtitutum eſſe. Nam ſi vel mica charitatis erga Deum in ipſo eſſet, annon propter Deum, opem ferret ejus filio, & ex ipſo nato, & fratri ſuo? Minor eſt βίος quam anima, ſeu victus quam vita, quod ſi victum deneget fratri, quamvis eo abundet, quomodo vitam & animam ponet pro fratre, quam unicam tantum habet? Talem fratrem, & homicidam ac fratricidam eſſe merito dixeris, qui fratri denegat vitæ alimentum, ſicut enim ignem extingnit non ille tantum qui aquam affundit, ſed ille etiam qui igni alimentum ſubtrahit, ſic etiam fratricida eſt non tantum qui violenria adhibita fratri vitam aufert, ſed ille etiam, qui ea quibus vita ſuſtentatur, fratri indigenti non ſubminiſtrat cum poſſit. De charitate loquitur pari modo quo loquebatur de vita æterna verſ. 15, quod charitatis, ſicut & vitæ natura ſit ſubjecto alicui ineſſe.

Verſ. 18. *Filioli mei, ne diligamus ſermone.* Egregium monitum ſubjungit, *filioli mei*, inquit, amabili appellatione, quia de charitate loquitur. Ideo & ipſe charitatem ſpirat.

Ne diligamus ſermone, neque lingua. Seſe conjungit aliis, ſibiipſi non minus quam aliis idem præcipiens. Sermone diligunt, qui verbis tantum dilectionem ſuam teſtantur. Addit, *neque lingua*, quod lingua ſit ſermonis inſtrumentum.

Sed opere, inquit, *& veritate.* Quaſi dicat, operibus & factis, beneficiis, liberalitate exhibeamus amorem noſtrum erga fratres, amor non in verba, ſed in facta exeat, *& veritate*, id eſt vere. Nomen poſitum pro adverbio, ex Hebraiſmo. Nam illi demum vere diligunt, qui cum opus eſt, benefaciunt. Non prohibet Apoſtolus quominus & verbis amorem alii erga alios declaremus; ſed ne verbis tantum. Verbis addenda eſt & res ipſa, quæ niſi addatur, verba mera ſunt mendacia. Similis locus eſt apud Jacobum cap. ij. 15, 16.

Verſ. 19. *Et in hoc cognoſcimus, quod ex veritate ſumus.* Oſtendit quis fructus conſequetur ex vera dilectione, quæ non verbis ſolum ſit ſed etiam operibus. *In hoc*, id eſt per hoc, *cognoſcimus quod ex veritate ſumus*, hic unus eſt fructus. Ex veritate eſſe eſt veracem eſſe, quaſi veritatis filium, Hebræa phraſi, quibus pauca ſunt adjectiva. Veraces, ſcilicet in eo, cum nos Chriſtianos, Dei filios, ex Deo natos, fratrum amantes eſſe, dicimus. Cognoſcimus igitur nòs veraces eſſe in iis quæ de nobis affirmanus, ex charitate in factis & operibus conſiſtente, qui eximius eſt fructus.

Quem conſequitur alter, *& coram ipſo*, id eſt Deo, *ſecura reddemus corda noſtra*, πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν. Nempe poſtquam certo argumento cognoverimus nos vere tales eſſe quales dicimus nos eſſe, proinde veros eſſe Chriſtianos, facile admittent perſuaſionem corda noſtra, nempe ne timeant, ſed ut plena ſint fiduciæ erga Deum.

Corda noſtra, id eſt animos noſtros, *coram ipſo.* Proinde & coram ejus judicio. Nam coram hominibus eorumque judicio facile foret animum pacare. Homines enim multa latent, at Deum nihil.

Verſ. 20. *Quia ſi culpat nos cor, quia major eſt Deus corde noſtro & cognoſcit omnia.* Probat Joannes nos aliter non poſſe cordibus noſtris perſuadere ut ſint extra

tra omnem metum pœnarum Dei, nisi nobis conscii simus, nos vere Dei filios & fratrum amantes esse. *Quia*, inquit, *si culpat nos cor*, *καταγινώσκῃ ἡμῶν* vers. 21. Scit aliquid contra nos, scit nos hypocritas esse, aut vitio aliquo infectos, intellige, non persuadebimus illi, difficile est illi verba dare, idque coram Deo.

Probar rem ita se habere sequentibus verbis, *quia major est Deus*, *quam cor nostrum*. Major est Deus, nempe respectu scientiæ omnium nostrarum actiorum & cogitationum, de hac enim loquitur. Nam respectu rerum aliarum nulla cordium nostrorum cum Deo est comparatio.

Et scit omnia. Proinde scit & ista quæ scit contra nos cor nostrum, & longe plura, imo nihil est quod nesciat. Quocirca cum coram ipso res agitur, non coram hominibus, corda nostra pacari non possunt, si sibi non bene sint conscia.

Vers. 21. *Dilecti*, *si cor nostrum non culpat nos*, *fiduciam habemus ad Deum*. Quærere aliquis poterat, quid ergo fiet, si cor nostrum nos non culpet, nec ullius mali sit nobis conscium? an propterea fiduciam habebimus erga Deum, & extra metum pœnarum Dei erimus? Affimat id Joannes, præmissa appellatione *dilectorum*, ut subinde amorem suum erga eos testetur. Utitur voce *παῤῥησίαν*, quæ ut supra cap. 2. 28, audaciam significat, & timori opponitur. Magna omnino vis est bonæ conscientiæ, præsertim cum quispiam conscius sibi est charitatis ac misericordiæ erga fratres & alios homines. Apostolus Petrus dixit, nos servari per conscientiæ bonæ interrogationem in Deum, ubi Petrus alludit ad interrogationes, quæ fiebant olim in baptismo, an renunciarent mundo, peccato, Satanæ, ejusque operibus? quod qui confitebantur & pollicebantur, ii demum baptizabantur, & peccata illis remittebantur. Hi suis in conscientiis vicissim interrogabant Deum, an esset eorum Pater? Et Deus ipsis respondebat in cordibus eorum, se esse eorum Patrem 1 Pet. iij. 21, & Jacobus, misericordiam gloriari dicit adversus judicium cap. 2. 13. Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. Hic murus aëneus esto. Objici potest, ex superiore ratiocinatione contrarium debere colligi. Nam si Deus major est quam cor nostrum, non videtur sequi, si cor nobis nullius culpæ sit conscium, ne Deum quidem ipsum nobis culpæ alicujus conscium esse: & Apostolus Paulus, cum dixisset nullius sibi mali esse conscium, addit, *sed non per hoc justificatus sum*, *qui vero me judicat Dominus est* 1 Cor. iv. 4. Respondendum est, verum hoc esse, sed nihil facere contra assertionem Joannis. Etiamsi enim Deus multo plura in nobis observare possit, quam conscientia nostra, tamen ea est illius paterna gratia, ut, si nos ipsi voluntatis ejus gnari, nobis bene conscii simus, & à propria non damnemur conscientia; ne ipse quidem nos damnare velit, sed omnia delicta nostra tegere & & transmittere. Loquitur enim Joannes de viris Christianis, & sui similibus, quibus Dei præcepta probe sunt cognita. Nam si quis Dei præceptorum ignarus, idque etiam sua propria culpa, contra ea peccet, & consequenter nullam istorum peccatorum conscientiam habeat, nnn sequitur eum idcirco à Deo damnatum non iri, & sine metu pœnarum à Deo infligendarum esse debere. Porro Joannes talem fiduciam & audaciam animi erga Deum intelligit, quę non sit vana & irrita, sed cui plane exitus & effectus respondeat. Multi enim falsis opinionibus decepti, fiduciam sibi sumunt erga Deum, sed quæ eos destituet.

Vers. 22. *Et quidquid petamus*, *accipimus ab ipso*. Tertius veræ & efficacis per bene facta charitatis fructus est, quod sicut nos petentibus & indigentibus faciles & benignos præbemus, & illi à nobis accipiunt quæ petunt, sic & nos à Deo accipimus omnia quæ ab eo petinus. Nos hæc & illa tantum petentibus damus: Deus vero vicissim nobis dat omnia. Generali huic dicto ipse Apostolus infra eam addit limitationem, quam & res ipsa suggerit, si nimirum id quod petimus sit secundum Dei voluntatem cap. v. 14. Nam & nos ita comparati esse debemus, ut nolimus quidquam nobis à Deo dari, quod voluntati ejus non congruat, id est vel gloriæ ejus & divinis conciliis adversetur, vel etiam nobis ipsis noxium esse possit. Neque enim Deus iis quos diligit, noxia vult dare. Ut merito quidam vir pius (Lutherus) dixerit: *Si Deus nobis non dabit quod petimus*, *dabit quod melius*, ita Deus in audiendis precibus nostris solet magis respicere ad id quod animo intendimus, nempe ut nobis bene sit, quam ad id quod verbis exprimimus, si nimirum nobis plus noceat quam prosit. Itaque piorum est, petitiones suas & desideria divinæ subjicere voluntati.

Quia mandata ejus custodimus, *& quæ placita coram ipso facimus*. Causam affert tantæ Dei erga nos indulgentiæ ac bonitatis, *quia*, inquit, *mandata ejus custodimus*, videtur aliam afferre causam, quam de qua agebat, charitatem: sed mox videbimus eam in causa ista maximè contineri. Mantata Dei custodire quid sit, dictum est cap. 2 vers. 5.

Et quæ placita coram ipso facimus. Rem eandem verbis aliis exprimit. Nam ea quæ placita sunt coram ipso (huc enim potius voces istæ *coram ipso*, referendæ sunt, quam ad sequens verbum facimus) sunt ea quę facienda præcipit. Confer Johan. 8. 29. Ideo enim præcipit quod ipsi placeant, & ea sola ipsi placent, quę præcipit. Hæc igitur causa est, ob quam Deus vicissim ea quæ nobis placent, seu grata & accepta sunt, facit. *Facit* nimirum *voluntatem timentium se*, ut Psalmus loquitur. Hic iterum clarissime docemur, nos ideo omnia quæ petimus à Deo obtinere, quod mandata ejus custodiamus, & quæ ipsi placeant faciamus. Ut nihil perniciosius dari possit illa doctrina, quæ bonis operibus ex fide in Christum profectis nullum inter causas salutis concedit locum. Hoc profecto est non tantum bonorum operum studium restinguere, sed etiam ipsam fidem, quid sit, penitus ignorare.

Vers. 23. *Et hoc est mandatum ejus*, *ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi*. Ostendit Apostolus quo pacto hæc ratio ad charitatem illam pertineat, nempe quia mandatum ejus duo continet: unum ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, alterum hanc ipsam charitatem, id est ut alii alios diligamus, factis scilicet & operibus. Utitur singulari voce mandati, sed ita ut significet omne id quod nobis mandatum est. Nam ad hæc duo omnia fere Dei mandata referri possunt. Et de duobus etiam istis tota Epistola Johannis agit.

Credere nomini Filii Dei Jesu Christi, est ipsi Filio ejus Jesu Christo credere. Nomen ponitur pro suo significato. Sic nomen Dei sæpe ponitur pro ipso Deo. In hac vero fide præcipuum est ut credamus Jesum esse Christum illum Dei Filium, illum proinde Regem & Dominum & Judicem cælestem à Deo factum & constitutum. Propterea etiam hoc ipsos titulos Christi & Filii Dei ad nomen Jesu apponit Apostolus. Vocii Filii Dei articulus additur emphaticus, ad Filium significandum illum singularissimum, qui Christus Jesus est. Hoc credito consequitur & ut credamus iis omnibus quæ docuit de præmiis vitæ æternæ, & de pœnis mortis æternæ. Quam fidem naturæ vinculo consequitur, ut totis viribus exequamur ea quæ nobis mandavit, quo promissionum ejus effectum, id est vitam æternam consequamur & pœnas evitemus, nempe ut alii alios diligamus, quod alterum illud est in Dei mandato. Hanc mandati partem merito priori postposuit, tanquam effectum causæ. At nisi fides esset credere, nos vitam æternam adepturos esse, si bona opera summo studio faciamus, & sic bona opera ad conficiendam nobis salutem plurimum pertinere, quid nos cogeret bonis operibus & charitati mutuæ deditos esse? Addit,

Quemadmodum dedit mandatum nobis. Nempe ut alii alios eo modo, quo nobis mandavit Dei Filius, diligamus, id est non verbis tantum; sed & factis, atque adeo, ut ipsam vitam alii pro aliis profundere parati simus. Pertinent huc verba ipsius Christi Joh. xv. 12, 13.

Vers. 24. *Et qui custodit mandata ejus, in ipso manet, & ipse in illo.* Docet Apostolus, frustra nos de conjunctione cum Deo gloriari, nisi mandata ejus servemus.

In ipso manet. Id est in Deo, per fidem nimirum sermoni ejus, qui Euangelium est Christi, adhibitam.

Et ipse, id est Deus, *in illo.* Id est in illo qui mandata ejus custodit manet, per sermonem nimirum suum: quasi dicat, ille demum sermonem Dei habet cognitum, eique vere credit. Ita enim hoc enunciat Apostolus de eo qui custodit præcepta Dei, ut de alio id tacite neget. Idque merito: quandoquidem ex tali cum Deo conjunctione consequitur præceptorum Dei observatio. Unde recte de eo negatur causa, in quo causæ istius effectus non est. Hic videmus, Deum in aliquo esse, & vicissim aliquem esse in Deo, non significare unitatem essentiæ, sed consensum, qualis inter hominem & Deum dari queat: quo sensu & Christus se esse in Patre & Patrem in se dixit Johan. x. 38. xiv. 10.

Et in hoc cognoscimus quod maneat in nobis, ex spiritu quem dedit nobis. Poterat aliquis quærere, unde constet, in eo qui mandata illa servet, Deum manere? *Ex spiritu*, inquit, id manifeste potest cognosci, *quem nobis dedit*, (in Græco est, οὗ ἡμῖν ἔδωκεν, per enallagen casus Genitivi pro Accusativo propter antecedens nomen πνεύματος, casus Genitivi:) Nisi enim Deus nobis per sermonem suum, nosque illi vicissim per fidem essemus conjuncti, si alicujus alius sermo in nobis esset, nosque ei crederemus, nunquam nobis dedisset Spiritum suum Sanctum.

In hoc cognoscimus. Id est per hoc, solita sibi phrasi. *Ex spiritu, quem dedit nobis.* Declarat ex quo vel per quod id cognoscamus. Ita particula *ex* hoc loco non significat portiones aliquas ex Spiritu Sancto nobis datas, sicut infra, ubi Deus ex spiritu suo nobis dedisse dicitur cap. iv. 13. Sed id ex quo cognoscere debeamus, Deum nobis & nos Deo, hoc quo diximus modo, conjunctos esse. Id ipsum docet infra loco dicto: *In hoc cognoscimus, quod in ipso maneamus & ipse in nobis, quod ex spiritu suo nobis dederit.* Patet hinc, Deum in aliquo manere, aliud esse quam in aliquo manere Dei spiritum, quandoquidem ex hoc illud arguitur.

CAPUT IV.

Vers. 1. D*ilecti, non omni spiritui credite, sed probate spiritus.* Facta mentione Spiritus Sancti, quem acceperant omnes Jesum esse Christum credentes, monet Christi discipulos, ne quemlibet spiritum pro Dei Spiritu habeant eique credant.

Dilecti. Subinde titulis istis testatur suum erga illos amorem, ut ostendat, omnia sua monita, & hoc quoque, ex mero erga eos amore proficisci.

Non omni spiritui credite. Utile monitum! Qui enim facilius seducere possunt, quam qui spiritu agitati loquuntur? Qui haud dubie nec Antichristis deerat. Itaque monet, non omnem spiritum Dei Spiritum esse, ideo nec omni spiritui credendum. Non negat, spiritui credendum esse, sed negat, omni. Per spiritum intelligit afflatum quendam supernaturalem & miraculosum, quo quis agitetur & loquatur.

Sed probate spiritus, si ex Deo sunt. Docet quid facere debeant, si quem spiritu & afflatu videat agi: sicut non protinus ei debent credere, sic neque, re non dijudicata, protinus eum debent rejicere.

Sed probate, inquit, *spiritus, si ex Deo sunt.* Probate, id est certo argumento vel experimento cognoscite spiritus istos, si sunt ex Deo, si à Deo profecti & dati sunt. Huc pertinet & illud Apostoli: *Omnia probate, quod bonum est tenete* 1 Thess. v. 21. Notandus est Pluralivus Numerus spirituum, qui ostendit, etiamsi spiritus Dei unus sit in seipso; plures tamen dari illius portiones, quarum quælibet spiritus appellationem retinent. Eodem modo & Paulus locutus est, *& spiritus* (πνεύματα) *Prophetarum Prophetis subjiciuntur* 1 Cor. xiv. 32, nempe spiritus isti ex subjectis numerantur; qui cum Spiritus Sanctus haud dubie sint, evidens est, Spiritum Sanctum personam haudquaquam esse, quod etiam vox subjectionis, quæ in personam divinam haud cadit, indicat. Spiritui vero credi dicitur, cum creditur ei qui spiritu agitatus loquitur. Docet Johannes, non tantum à Deo homines spiritu afflari, sed etiam à diabolo, cujus rei argumentum erant tot Dæmoniaci olim Vates.

Quia multi pseudo-Prophetæ exierunt in mundum. Causam affert sui istius moniti, tempus nimirum nunc esse tale, quod monito isto valde indigeat, *quia* scilicet *multi pseudo-Prophetæ*, id est qui se veros Prophetas & spiritu divino instructos esse, dicunt,

cum

cum non sint, sed mentiantur, & diaboli spiritu agitentur, non Dei.

Exiverunt in mundum. Id est ad homines venerint, eosque doceant, à quibus ne seducamur, diligenti cura & attentione opus est. Videtur vero pseudoprophetarum istorum prædicatio eadem fuisse, quæ Antichristorum. Notetur & phrasis, *exire in mundum*, non esse nasci, sed prodire in publicum, ut intelligantur verba Christi, cum dicit, se in mundum venisse.

Vers. 2. *In hoc cognoscite Spiritum Dei, omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum qui in carne venit, ex Deo est.* Dixit Johannes, nos debere probare spiritus, an sint ex Deo. Nunc docet, per quid cognosci debent Spiritus Dei.

In hoc. Id est per hoc, quod scilicet mox dicam, cognoscite Spiritum Dei. *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, ex Deo est.* Generalem tradit Regulam nullam exceptionem habentem.

Omnis spiritus qui confitetur. Id est quatenus facit confiteri. Spiritui tribuitur actio, quæ hominis est per spiritum.

Jesum Christum. Id est Jesum esse Christum cap. v. 1. Simili ratione & eandem regulam tradens loquitur Paulus: *Et nemo potest dicere Dominum Jesum*, perinde Dominum esse Jesum, *nisi in Spiritu Sancto* 1 Cor. xij. 3. Possunt & verba hæc *confiteri Jesum Christum*, absolute accipi, quomodo dicimur & Deum confiteri, id est Deo debitam laudem & gloriam tribuere, confitendo scilicet quod sit Deus rerum omnium creator & Dominus absolute summus. Sic etiam confiteri Jesum Christum, est confiteri quod sit Christus ille Dei Rex & Dominus ab ipso factus, & à dextris ejus in cælestibus collocatus. Ideo quod hic dicit, confiteri Jesum Christum, ipse cap. v. 1 effert per confiteri, Jesum esse Christum illum. Res eodem redit.

Ex Deo est. Divinus & sanctus est spiritus. Quam regulam ex eo veram esse apparet, quod omnibus, qui Jesum confitebantur esse Christum, daretur Spiritus Sanctus. Addit descriptionem Jesu Christi, qui in carne venit: quasi dicat, neminem hoc turbare debet, quamvis Antichristi Jesum Christum ob id maxime negent, quod in carne venerit. Indignus nimirum ob id illis visus est tanta majestate.

Venit in carne. Id est cum carne, *in* pro *cum* Hebraica phrasi, ἐν *in* cum verbo venire positum significat cum. Vide Rom. xv. 32. 1 Cor. iv. 21. 2 Cor. 2. 1. 1 Joh. v. 6. Carnem ponit pro infirmitate carnali, per metonymiam, includens illius effecta, perpessiones nimirum & mortem violenter illatam. Sic & venit in sanguine, id est cum sanguine, quatenus sanguis ejus violenter effusus est. Alioquin enim & ipsi isti Antichristi Messiam expectabant, hominem carne & sanguine præditum; sed talem, qui nullis perpessionibus nec morti violentæ subjectus esset, imo qui gentium omnium victor & domitor maneret in seculum Joh. xij. 34. Hoc significatu *carnis & sanguinis*, usus est etiam auctor ad Hebræos cap. xi. 14. cum docet, *quia filii communicaverunt carni & sanguini*, id est quia perpessionibus & morti subjecti sint, *& ipsum similiter participem factum esse carnis & sanguinis, ut per mortem destrueret eum qui haberet imperium mortis, nempe diabolum.* Sic & infra apud Johannem cap. v. 8. *aqua* pro *aquæ* effectu, id est puritate accipitur. Etsi igitur hæc Jesu Christi, dum in terris ageret, conditio fuerit, ut propter eam Judæis factus sit scandalum, Græcis stultitia: tamen veri Christiani maximam in eo Dei sapientiam, quod Christum illum talia pati voluerit, & maximam potentiam, quod eum qui talia passus sit, ad divinam & cælestem gloriam evexerit, agnoscunt & admirantur. Quidam hæc Apostoli verba ausi sunt convertere, vel potius pervertere, Jesum Christum in carnem venisse. Atqui ne dicam, Johannem non scripsisse, *in carnem*, sed *in carne*; sicut & infra eadem phrasi, *in sanguine, in aqua* cap. v. 6, non in sanguinem, in aquam, nec scripsisse ἐληλυθότα, sed ἐληλυθότα, ut manifestum sit, describi hic Jesum, idque ex ea re quam & Antichristi agnoscerent, imo ob quam eum pro Christo illo nollent habere. At si agnoscebant Jesum cum Deus ab æterno esset, in carnem venisse, seu carnem & naturam humanam assumpsisse, majus quiddam Jesum esse credidissent, quam erat id quod eum esse negabant. Majus enim est, Deum illum unum & altissimum esse, quam esse hominem ab uno illo & altissimo Deo Dominum & Regem cælestem effectum; & cum utrumque, tam Jesu quam Christi nomen, sit honoris nomen, quod nec ipsi negare possunt; an istis nominibus usus fuisset Johannes, si voluisset significare eum qui ab æterno Deus erat, hominem esse factum. Dum enim nominibus istis utitur, perinde est atque si diceret, hominem venisse in carnem, id est hominem factum esse hominem. Sed nimirum per ejusmodi interpretationes præsumptis opinionibus velificandum erat.

Vers. 3. *Et omnis Spiritus qui non confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, ex Deo non est.* Docet nunc unde cognoscatur spiritus, qui ex Deo non est. Regulam similiter tradit generalem sine omni exceptione.

Omnis spiritus, qui non confitetur Jesum Christum. Id est per quem fit ut quis non confiteatur Jesum Christum, qua in re continetur negatio Jesum esse Christum. Ideo quod hic dicit, qui non confitetur Jesum Christum, infra cap. 2. 22 dixit: quis est mendax ille, nisi qui negat, quod Jesus sit ille Christus. Latinus interpres legit: *Omnis spiritus, qui solvit Jesum.* Et sic legebatur olim in vetustissimis Codicibus, ut patet ex Historia Triparta libro xij. cap. 4. Sed præferenda lectio Græcorum Codicum, quæ extat & apud Cyprianum contra Judæos libro ij. imo in Epistola Polyc. ad Philipp. Sic & Syrus: *Omnis spiritus qui non confitetur quod Jesus venit in carne, non est ex Deo, sed hic ex Christo falso est.* Mutat quidem sententiam Syrus: sed tamen de solutione Jesu nihil. Quæ lectio vel similiter petebat eos qui regnum Jesu solvebant, id est tollebant, negando Jesum esse Christum, vel eos qui Jesum & Christum dissolvebant, quasi Jesus esset homo, Christus esset Deus, sive essentia sive persona ab homine distinctus, nihil refert. Cæterum ex regula ab Apostolo tradita manifestum est, quanta damnentur impietate, qui Jesum confitentur esse Christum & Regem cælestem à Deo factum. Hoc enim est non homines damnare,

ſed ſpiritum qui ex Deo eſt divinum eſſe negare, & ſic Spiritum Sanctum blaſphemare. Si quid majus ac divinius de Jeſu confitendum eſſet, credo, non hanc potius confeſſionem in argumentum divini ſpiritus poſuiſſet Apoſtolus! Minus autem eſt non confiteri vel negare Jeſum eſſe Chriſtum, quam Jeſum dicere anathema, qua de re Paulus 1 Cor.xij.3. Unde apparet multo etiam minus ex Deo Spiritum hunc eſſe, quam illum qui Jeſum non confitetur Chriſtum. Erant enim qui Jeſum divinum fuiſſe dicerent, quin & Chriſtum illum Dei, niſi Judæorum gens ſua adverſus ipſum impietate tantum bonum ſibi invidiſſet.

Ex Deo non eſt. Non eſt ex Deo profectus, non eſt à Deo datus. Non dicit Johannes ex quo ſit, tantum quod ex Deo non ſit. Eſt autem vel à diabolo inſpiratus, ſi ſit ſupernaturalis & miraculoſus, vel ſi ſupernaturalis & miraculoſus non ſit, ex mundo profectus. Mundo enim nullo modo placet in hominem crucifixum credere: vel ſi credere oporteat, eum Deum illum unum homine indutum fuiſſe opinari, ne ſibi pudori ſit fides in ipſum. *Spiritus mundi* facit mentionem Apoſtolus 1 Cor.2.12, eumque ſpiritui ex Deo opponit.

Et hic eſt ille Antichriſti illius. Ut tanto magis appareat, ſpiritum qui non confitetur Jeſum Chriſtum, ex Deo non eſſe. Intelligit Antichriſtum illum inſignem, de quo vide 2 ad Theſſal.2. Additur enim à Johanne ad vocem Antichriſti articulus emphaticus. Dicitur autem ſpiritus, qui jam tum in Antichriſtis illis erat, inſignis illius Antichriſti, qui nondum venerat, fuiſſe ſpiritus, eodem modo, quo Spiritus Chriſti dicitur in Prophetis fuiſſe, licet ipſe Chriſtus nondum exiſteret, ſic ergo & ſpiritus Antichriſti fuit in Antichriſtis, licet ipſe Antichriſtus nondum eſſet. Spiritus qui erat in Prophetis eadem docuit quæ Chriſtus, de antecedentibus nimirum Chriſti perpeſſionibus & conſecutura ipſas gloria, & ideo vocatus eſt Spiritus Chriſti, etſi Chriſtus ea docuit multo clarius & apertius. Sic & ſpiritus Antichriſti illius idem docturus erat, nempe Jeſum non eſſe Chriſtum, & illam ipſam ob cauſam quod in carne venerit, licet alio eoque multo efficaciore modo, ideo & majore ſucceſſu, nimirum non ita directe & plauſibili in vulgus ratione, affirmando videlicet Jeſum eſſe Deum illum unum, qui homo factus fuerit. Nam Deum illum unum eſſe & Chriſtum illius eſſe, relative ſunt oppoſita. Ideo qui illud affirmat, hoc hactenus ut neget neceſſe eſt, imo & in totum. Qui enim unus ille Deus eſt, nihil omnino attinet ut adhuc ungatur in Regem, & Rex cæleſtis conſtituatur ab alio. Etenim ſi ſpiritus qui hæc docet, Antichriſti ſit ſpiritus, profecto is qui omnium judicio Antichriſtus habetur, Antichriſtus haud erit. Qua enim alia ratione Jeſum negaret eſſe Chriſtum? quod Antichriſtus non ſolis factis, (ne quis huc flectat) ſed dictis etiam ac doctrina negaturus erat cap.2.21, ubi plura vide. Res ipſa docet, Spiritum qui eos damnat, quin & perſequitur qui Jeſum confitentur eſſe Chriſtum, ideo quod non etiam confiteantur Jeſum eſſe non Chriſtum Dei, ſed ipſum Deum, ſpiritui qui ex Deo eſt, penitus adverſari, & quia ſævitiam ac perſecutiones adhibet, tanto evidentius Antichriſti ſeſe eſſe prodere. Non eſt vero neceſſe ut per ſpiritum Antichriſti illius magni & inſignis, intelligatur ſpiritus aliquis miraculoſus & ſupernaturalis: ſufficit ut ſignificet animi quandam affectionem & conſtitutionem, Jeſum, niſi ſit ipſe Deus altiſſimus, plane dedignantis. Adeo ut malit credi, idque etiam cum ſævitia & tyrannide doceat, Jeſum eſſe unum illum & altiſſimum Deum, & Deum illum unum & altiſſimum eſſe hominem factum, quam Jeſum, hominem crucifixum à Deo Regem & Dominum cæleſtem effectum eſſe, & cæleſti honore afficiendum: imo hoc impium & blaſphemum & idololatricum eſſe putet, quod ipſa eſt veritas à ſpiritu Dei tradita, & omnibus Chriſtianis perpetuo confitenda. Sic mundi ille ſpiritus, cujus mentionem fecimus, affectio quædam eſt animi terrena & carnalia unice ſpectantis. Hæc affectio ſæpe per genitivum, voci *ſpiritus* additum, ſignificari ſolet; ut *ſpiritus charitatis, lenitatis, timoris* & ſimilia, id eſt ſpiritus qui eſt charitas, lenitas, timor, ultra conſuetum modum. Quæ affectio & qualitas animi *ſpiritus* vocatur, per metonymiam, quod per ſpiritum & afflatum animis hominum qualitas & affectio talis imprimi ſoleat.

Quem audiviſtis quod venit. Quem, id eſt quem ſpiritum. Eſt enim in Græco articulus neutrius generis, qui voci πνεῦμα reſpondet. *Quem audiviſtis.* Id eſt de quo audiviſtis, *quod venit*, ſcilicet in mundum ſeu ad homines. Veniebat autem in illo inſigni Antichriſto, de cujus adventu audiverant Chriſtiani per Apoſtolorum prædictiones.

In voce *venit* ἔρχεται, videtur eſſe quædam emphaſis, ut ſignificet, illum jam eſſe in itu, licet nondum venerit: quod ipſum & Apoſtolus ſignificavit, cum dixit, myſterium iniquitatis jam eſſe in opere 2 Theſſ.2.7.

Et Johannes addit, *& nunc in mundo eſt jam. In mundo.* Id eſt inter homines & in hominibus mundanis. Erat jam tum in mundo, quod eſſet in Antichriſtis illis & eorum ſectatoribus, viam ſtruens magno illi Antichriſto eundem ſpiritum habituro. Notandum eſt, Apoſtolum de ſpiritu Antichriſti tanquam de perſona loqui, quamvis perſona non ſit, quod exemplo eſſe poteſt, non protinus concludendum, Spiritum Sanctum eſſe perſonam, quod de eo tanquam de perſona ſcriptura ſæpe loquatur. Id enim ſit per uſitatam & elegantem loquendi figuram.

Verſ. 4. *Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis ipſos.* De appellatione filiorum jam ſæpe dictum. Docet Apoſtolus, eos non debere Antichriſtos iſtos quicquam curare, nec ſibi ab illis metuere, licet & multi ſint & multos ſeducant, & multo major ipſis Antichriſtus venturus ſit.

Vos, inquit, *ex Deo eſtis.* Quaſi dicat, dicant illi quicquid velint, & vobis contradicant, *vos ex Deo eſtis*, quatenus ſcilicet credebant ſermoni Dei ex Deo erant, ſicut diſcipuli ſunt ex magiſtro, & quatenus ex eodem ſermone Dei (cujus præcipua pars eſt, Jeſum eſſe Chriſtum) tanquam ex ſemine divino facti erant Deo juſtitia & ſanctitate ſimiles. Cum igitur tales eſſent, non debebant quicquam eorum contradictiones & contra ſe molimina curare.

Et viciſtis ipſos. Quaſi dicat, nihil vobis ab ipſis metuendum eſt. Non vincent vos, ſed vos illorum victores eritis. Viciſſe jam dicit, quod ut vincerent in manu ipſorum

ipsorum esset. Victoria autem ista est constantia in veritate: quasi dicat, non patiemini vos unquam à veritate semel suscepta abduci eorum artibus & conatibus.

Quia major est qui in vobis est, quam qui in mundo. Causam addit certissimæ victoriæ, modo ne ipsi sibi desint. *Quia major est qui in vobis*, scilicet *est*. Deum intelligit, qui est in veris Christianis, & per sermonem suum & per Spiritum suum sanctum. Qui est in mundo, id est in hominibus mundo deditis, Diabolus, est similiter sua per mendacia & suum spiritum. Infra idem Johannes totum mundum in malo, diabolum intelligens, positum esse dicit cap.v. 19. *Major* vero dicitur Deus quam diabolus, proinde & ejus sermo ac spiritus quam diaboli, quia est longe potentior & efficacior, si scilicet per se spectetur. Nam alias mundi malitia & contumacia fit, ut sese diabolo & ejus mendaciis longe faciliorem præbeat, quam Deo & ejus veritati.

Vers. 5. *Ipsi ex mundo sunt.* Opponit istos pseudo-prophetas & Antichristos veris Christianis, quod sicut veri Christiani sunt ex Deo, sic isti sint ex mundo, mundi sint discipuli, ea sapiant quæ mundus sapit, eadem spectent & quærant, opes scilicet, honores, voluptates, immunitatem ab odiis & persecutionibus, & mores etiam illorum sint tales, quales mundi sunt: ex quibus etiam tanquam arbor ex fructibus cognosci queant Matth.vij. 16.

Propter hoc ex mundo loquuntur. Quasi dicat, mundana ac mundo volentia, quale profecto non erat Christum illum Dei esse crucifixum, & eum qui crucifixus est, factum esse Regem & Dominum cælestem: Mundus enim superbior est, quam ut sese crucifixo velit submittere, nisi eum Deum illum unum fuisse credat. Ideo & Apostolus Paulus 1 Cor. 1. 26: *Videtis vocationem vestram, fratres! quod non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed stulta mundi elegit Deus, ut sapientes confunderet, & infirma mundi elegit Deus, ut confunderet robusta, & ignobilia mundi & pro nihilo reputata elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.* Longe magis mundo placuit vel Jesum crucifixum neutiquam pro cælesti Rege agnoscendum, & divinis honoribus afficiendum esse, vel si affici debeat, Deum fuisse antequam homo fieret, & progressu erroris, fuisse ipsum altissimum Deum, illum ipsum, qui Pater ejus est: qua opinione inducta, maximæ tenebræ animis hominum offusæ sunt, & sic operibus tenebrarum, quæ mundus amat, latissimus campus est apertus. *Et mundus ipsos audit.* Quasi dicat, ne vos hoc turbet, quod mundus certatim ad eos accurrat, eorum prædicationem amplectatur. Non hoc fit vi veritatis, sed mundi culpa & efficacia mendacii in iis qui mendacium amant, & veritati præferunt. Non mirum est, quod mundus audiat mundana loquentes. Mundi nomine homines intelligens, non tantum quatenus mundani sunt, sed etiam quatenus multi sunt. Mundum opponens paucis electis & incorruptæ veritatis professoribus. *Audit ipsos.* Nempe cum assensu. Causa ponitur, sed non præbet assensum, perinde est atque si non audiret, & nec audit, qui animum assentiendi non habet.

Vers. 6. *Nos ex Deo sumus.* Iterum repetit quod vers. 4 dixerat; sed ita, ut se, idque vel præcipue includat. Nam antea dixerat: *Vos ex Deo estis*, in secunda persona, nunc dicit: *Nos ex Deo sumus*, in prima persona, quod quid sit jam dictum est.

Qui cognoscit Deum, audit nos. Docet qui fiat ut alii audiant, nempe cum assensu, Apostolos & alios discipulos Christi, alii non audiant. *Qui*, inquit, *cognoscit Deum, audit nos.* Cognitio ista Dei similiter assensum & approbationem includit, imo & effectum suum, qui bonis in moribus consistit. Non intelligenda autem est cognitio Dei plena & perfecta, qualis per Christum est tradita. Nam alioqui manifesta esset in Apostoli verbis ταυτολογία, cum audire Apostolos, id est eorum prædicationi assentiri, idipsum sit quod cognoscere Deum secundum Christi Euangelium. Itaque hic cognitio Dei intelligenda est, quæ datur citra Christi Euangelium, ut cognoscere Deum esse, & remuneratorem esse eorum qui ipsum per recte facta quærunt, id est ejus gratiam ambiunt, quamvis ipsum non videant. Quærimus enim eos quos non videmus. Ex qua cognitione Dei nascitur animi probitas, studium recti & honesti.

Itaque qui talis est, *audit nos*, inquit Apostolus. Libenter prædicationi nostræ aures & assensum præbet, quæ & Deum esse, & quanta præmia recti sectatoribus proposuerit, nempe cælestia & æterna, & quæ sint recta & honesta, quæque ad confirmationem promissionum suarum effecerit, luculentissime docet.

Qui non est ex Deo, non audit nos. Non esse ex Deo hoc loco neutiquam significat non esse eo modo quo Christiani ex Deo sunt: falsum enim hoc foret, multi enim qui nondum sunt ex Deo tam perfecta ratione quam Christiani sunt, audiunt cum assensu & approbatione Apostolorum prædicationem. Itaque esse ex Deo hoc loco significat, esse hominem probum, recti & veri amantem, non esse animo perverso, suas cupiditates celante, & alia prætexente, & quæ veritati suis cupiditatibus adversæ opponat, quærente. Nam qui probi sunt animi, merito ex Deo esse dicuntur, tanquam ex auctore unico omnis boni. Dicit igitur Johannes, eum qui talis non sit, non audire Apostolos, id est eorum prædicationi non credere. Hoc ipsum dixit Christus Judæis credere sibi nolentibus: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Non estis homines veritati & probitati dediti, ejusque amantes.

Ex hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris. Ex hoc. Id est ex assensu & dissensu proborum & improborum. Quando probi assentiuntur libenter alicui prædicationi, cognoscendus inde est spiritus veritatis, id est prædicationem istam ex spiritu veritatis proficisci: quando vero improbi assensum facile & libenter præbent alicui dogmati, agnoscendus est ex eo spiritus erroris, ex quo dogma istud profluxerit. *Spiritus veritatis*, est spiritus qui veritatem docet, per genitivum effecti, similiter, *spiritus erroris*, qui errorem tradit. Dat hic Johannes Regulam generalem de cognoscendis spiritibus. Neque enim ex illo signo vers. 2 tradito, protinus agnoscere possumus omnem spiritum veritatis, & omnem spiritum erroris, cum & veritas & error latius pateat, quam Jesum Christum

Christum confiteri & non confiteri: sed proborum vel improborum talis, qualem diximus, assensus vel dissensus, omnem veritatis & erroris spiritum facile demonstrat. Doctrinam enim, quæ secundum pietatem est, non alii facile recipiunt, quam veritatis & pietatis amantes.

Vers. 7. *Dilecti, diligamus alii alios, quia charitas ex Deo est.* Post traditam regulam de dignoscendis falsis Prophetis, & post admonitionem de iis cavendis, transit Apostolus ad exhortationem ad mutuam charitatem, occasione sumpta ex eo, quod dixerat nos ex Deo esse. De titulo *dilectorum*, quo eos subinde compellat, sæpe dictum est, & hoc loco de dilectione agens valde convenienter illum adhibet.

Diligamus alii alios. Id est Christiani Christianos. Addit causam.

Quia charitas ex Deo est. Id est quia Deus est charitatis autor, ex Deo tanquam ex fonte charitas promanat. Est vero author charitatis Deus, quatenus nobis mutuæ charitatis causas abunde suppeditat. Neque enim Deus charitatem in nobis sine nobis & studio nostro efficit: alioqui enim frustranea foret Apostoli exhortatio ad mutuam dilectionem. Decet vero, ut ii qui & ipsi ex Deo sunt, id in se habeant quod ex Deo est, id est charitatem.

Et omnis qui diligit ex Deo natus est. Aliam causam affert, qua nos ad charitatem excitat. *Quia omnis qui diligit*, nempe eo modo quo Christiani se mutuo diligunt. *Ex Deo natus est*, & tanquam discipulus ex magistro ratione doctrinæ, & tanquam Filius ex Patre ratione similitudinis. Nihil enim nos Deo magis similes & sic Filios Dei facit, quam charitas. Nisi enim Deum cognosceret, quo pacto ex Deo ratione doctrinæ natus esset? Tertia ratio est, quod is qui diligit Deum cognoscat, & quanto dilectio major est & perfectior, tanto & Dei cognitio. In Christianis quia est perfectissima dilectio, ideo etiam est perfectissima Dei cognitio. Cognitio Dei est unica causa charitatis, qualem Deus præcepit: Ideo qui charitatem hanc habet, merito dicitur Deum cognoscere, frustraque ignorantia Dei objicitur homini dilectionem talem habenti; cum omnis qui diligit, ex Deo natus sit, & Deum cognoscat. Qui vero non habet charitatem, merito de eo cognitio Dei negatur, etiamsi se non tantum Christianum, sed etiam maximum Theologiæ Doctorem jactet. Ex cognitione enim Dei charitas oritur & consequitur. Ideo & ipse Apostolus protinus addit

Vers. 8. *Qui non diligit, non cognovit Deum.* Negato effectu, negatur merito & causa effectum istum sola producens.

Assertionem hanc ipse Apostolus demonstrat, *quia Deus charitas est.* Argumentum Apostoli tale est:

Qui non facit ea quæ Deo sunt grata, Deum non cognovit:

At qui non diligit, non facit ea quæ Deo sunt grata:

Ergo qui non diligit, Deum non cognovit.

Major per se patet. An enim is qui cognovit Deum, & quæ ipsi sunt grata, non faceret ea totis viribus & studiis? non excitaretur tantis promissionibus, non terreretur tantis minis? dubitaret, credo, de promissionum & minarum ejus effectu, qui majestatem ejus immensam cognosceret, & quod Jesum suscitaverit ex mortuis, & Christum ac Regem & Judicem cælestem fecerit vivorum ac mortuorum? Minoris probatio continetur istis verbis, quia Deus charitas est, id est plenissimus est charitatis, cui nihil ad summam charitatis perfectionem deest. Sic diceret aliquis, Deum esse ipsam sapientiam, i. ipsam bonitatem & similia, quod scilicet perfectissime sit sapiens, & bonus. Jam vero, si Deus charitatis est plenissimus, certe qui charitate destitutus est, non habet ea, nec facit ea quæ Deo placent.

Vers. 9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quod filium suum &c.* Demonstrat Deum charitatem esse, ex manifesto istius rei signo & documento, ne quis ambigere possit.

In hoc. Id est per hoc apparuit seu manifesta facta est charitas Dei in nobis, id est erga nos homines mortales, ἐν positum est pro εἰς sicut & ỳ.16. Significat autem Johannes, Deum tanta charitate flagrare erga humanum genus non semper fuisse manifestum, licet haud dubie semper Deus homines amaverit, & ut Apostolus ait, φιλάνθρωπος fuerit. Ideo de temporibus Euangelii loquens: *Apparuit*, inquit, ἐπεφάνη, *gratia Dei salutaris omnibus hominibus*, & iterum, *quando vero benignitas & φιλανθρωπία apparuit servatoris nostri Dei* Tit.ij. 11. iij.4: quasi dicat: Etsi semper fuit, tamen non semper apparuit & in lucem clarissimam prodiit. Quid vero sit istud, per quod immensa Dei erga humanum genus apparuit charitas, declarat Johannes cum dicit, *quod Filium suum unigenitum misit Deus in mundum.* Non hominem aliquem vulgarem, ex quibus sumebat Deus olim Prophetas, eosque ad homines mittebat, sed filium suum, non talem quales & alii Prophetæ & homines justi erant, sed Filium suum unigenitum, Filium singularissimum, quem suo Spiritu & virtute in virgine Sancta concipi & ex ea nasci fecit. Filium unice sibi dilectum & à se electum, ut rerum omnium hæres ac Dominus esset, & omnibus in se credentibus vitam æternam donaret, qui & solus inter omnes, non tantum homines, sed & Angelos, absolute Dei Filius appellatur, & ut uno verbo dicamus, Messiam illum, id est Christum illum ante secula præcognitum, & Prophetarum oraculis prænunciatum ac celebratum. Hunc *Deus misit in mundum.* Id est ad homines, intelligit omnes homines, qui in mundo continentur, quatenus scilicet missionis istius fructus & effectus ad omnes homines cujuscunque gentis pertinet & pertinere debuit. Decuit enim ut tanta salus, quantam Dei Filius attulit, non ad unam aliquam gentem, sed ad omnes gentes & homines spectaret. Ridiculi sunt, qui verba ista de Christo, cum dicitur à Deo in mundum missus esse, de ejus interpretantur nativitate, quasi Filius Dei fuerit antequam nasceretur, quod ipsum per se dictu absurdum & absonum est. Nascuntur enim homines ut sint; nam eum qui jam est, nasci nihil attinet, & mittuntur qui jam pridem nati sunt, & phrasin hanc de aliis quoque hominibus usurpat Scriptura, & vers. 1 hujus

hujus capitis dixit Johannes, pseudo-Prophetas exivisse in mundum. Itaque & Filium suum jam antea natum Deus in mundum, vel, ut rectius loquamur, ad mundum misit, non vero misit ut nasceretur. Sed quia ex ipsa missione per se non apparet Dei charitas, præsertim tanta, ideo addit Johannes, quo fine eum miserit.

Ut vivamus, inquit, *per ipsum*. Non misit Filium suum ut per eum puniamur, & meritas peccatorum nostrorum pœnas luamus; sed *ut per ipsum vivamus*, vita nimirum vera, id est æterna & immortali. *Per ipsum*, id est tum per fidem in ipsum, tum per ejus curam & potentiam. Significat Johannes, nos homines fuisse jam perditos: Deus vero extremæ nostræ calamitatis misertus Filium suum ad nos misit, qui nos ad se confugientes, & in se credentes, ex perditione ista in vitam assereret sempiternam, mortemque etiam crucis pro peccatis nostris & sic pro vita nostra prius subiret.

Vers. 10. *In hoc est charitas, non quod nos dileximus Deum, sed quod ipse dilexit nos.* Enucleatius charitatem istam Dei exponit.

In hoc est charitas. Quasi dicat, in hoc consistit Dei charitas, quam dico. Ideo & ad vocem ἀγάπης additur articulus ἡ ἀγάπη.

Non quod nos dileximus Deum. Quasi dicat: Non ideo nos Deus ita dilexit, quod nos priores Deum dilexerimus, non provocavimus nos amore nostro Deum ad nos vicissim redamandos.

Sed quod ipse nos dilexit. Nempe prior, nos hostes & inimicos suos, sibi refractarios & impios.

Et misit Filium illum suum propitiationem pro peccatis nostris. Non vulgariter nos dilexit, sed ita dilexit, ut Filium illum suum mitteret *propitiationem pro peccatis nostris*: quasi dicat, non tantum propter peccata nostra à nobis aversus non est Deus, sed etiam Filium suum misit *propitiationem pro peccatis nostris*, id est ut esset, vel qui esset propitiatio, id est victima pro peccatis nostris, per metonymiam effecti pro causa: per victimam enim pro peccatis fiebat propitiatio, id est efficiebatur ut Deus esset propitius peccatori pro sua clementia & misericordia. Vide cap. 2. 2. Misit ergo Deus Filium suum, ut peccata nostra suo sanguine lueret, quo omnes qui crederent & peccatis inposterum morerentur ac justitiæ viverent, etiamsi antehac impii, & maximorum peccatorum essent rei, Deum experirentur pro immensa illius misericordia clementem ac propitium. Quia enim nos credimus in Dei Filium & ei nos mancipavimus, isque ex ipsius Dei voluntate ac mandato passus est pro peccatis nostris, ne nos pro illis pateremur, ipse factus est maledictio, ne nos in maledictione maneremus, ipse factus est peccatum, ut nos fieremus justitia, ipse mortuus est, ut nos peccatores vitam æternam adipisceremur, & sic *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed in æternum vivat*; fieri aliter non potest, quam ut ab omnium peccatorum reatu ac pœnis liberemur, & in vitæ æternæ jus ac hæreditatem asseramur. Voluit autem Deus Filium suum fieri *propitiationem pro peccatis nostris*, non ut Deum iratum placaret. Hoc enim pugnat cum tanta Dei charitate quam hic celebrat Johannes, ab ipso Christo Magistro suo edoctus Joan. xvj, nec ut debita nostra dissolveret, hoc enim pugnat cum remissione peccatorum gratuita, & cum omnium victimarum ratione ac natura, quæ in remissionem peccati offeruntur, non in solutionem ullam proprie dictam, nec Christi mors ullam vim haberet nos à peccatis inposterum retrahendi: nec ut legi divinæ satisfaceret, nihil enim magis est contra legem quam innocentem proprie loquendo punire, nec ulla re magis Lex convulsa est, quam quod non ipsi peccatores morte sint affecti, sed innocentissimus suo sanguine peccata eorum luerit, ut qui credat in eum non pereat, ut merebatur, sed habeat vitam æternam, nullo suo merito; & Deus legi subjectus non est, sed supra legem est, nec ut justitiæ Dei satisfieret, cui innocentis pœna proprie dicta plane contraria est, nec justitia Dei in eo est ut peccata necessario puniantur, cum multo magis peccatoris conversione & peccatorum condonatione delectetur Deus quam pœna. Quo ergo fine? Non jam de aliis mortis Christi singularissimis fructibus dicam, in sola propitiatione pro peccatis nostris manebo, de qua res est. Fecit hoc Deus, ut nobis certissimum pignus daret remissionis peccatorum & vitæ æternæ, si in Filium suum crederemus, & sic immensam suam erga nos testaretur charitatem, qua nos vicissim ad se converteret & sibi reconciliaret, ut nos Filio suo in tantum de nobis merito, penitus manciparet, & ne usquam alibi quam in ipso & apud ipsum salutem quæreremus, simulque ne ad peccata, tam sacrato sanguine piata, relabi unquam auderemus efficeret.

Vers. 11. *Dilecti, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alii alios diligere.* Incitat nos ut Dei exemplum imitemur; *Si sic Deus* dilexit nos, si tanta charitate, quantam vix humana mens capere potest, nos complexus est,

Et nos debemus alii alios diligere. Quasi dicat, necessarium omnino est ut alii alios diligamus, si Dei gratia excidere nolimus. Si Deus homines dilexit, multo magis homines sese invicem debent diligere, qui & natura sibi conjuncti sunt, & alii aliorum amore & officiis indigent. Si Deus tanta charitate nos prosecutus est, multo magis nos alii alios ea charitate quæ cum Dei erga nos charitate nullo modo comparari potest, prosequi debemus. Si Deus nos adeo dilexit cum adhuc peccatores & inimici ejus essemus, multo magis alii alios, id est Christiani Christianos, qui fratres inter nos sumus, amare debemus. Notandum est Apostolum idipsum hic de charitate Dei erga homines dicere, quod dixit Christus illis verbis 1 *Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam* Joan. iij. 16, quæ Christi verba Joannis verborum explicatio sunt.

Vers. 12. *Deum nemo unquam vidit: Si diligamus invicem, Deus in nobis manet.* Quasi dicat Apostolus, Deum non possumus amare tanquam eum quem videamus. Deus inconspicuus est, nec ab ullo

unquam visus, proinde nemo jactet amorem erga Deum, quem nunquam vidit, si fratrem suum nun amet, quem perpetuo videt & in conspectu habet. Difficilius enim multo est amare eum quem nunquam videris nec videre possis, quam eum quem ante oculos semper præsentem & observantem habeas. Ita tacite occurrit iis qui dicerent, satis esse si homines Dei amore provocati, Deum vicissim ament, etiamsi alii alios, nullis præsertim officiis provocati, non ament. Huc pertinet id quod infra expressius & explicatius dicit ℣.20.

Cum vero dicit *Deum neminem unquam vidisse*, intelligendum id est de hominibus, ex quorum numero tamen excipiendus est Filius, qui Deum vidit, Angelis hac in re, ut Dei Filium decebat, non inferior. Solet vero Dei Filius, quamvis & ipse homo, ex hominibus tamen aliis, ob singularem sanctificationem excipi, & iis aliquando opponi Gal. 1. 1.

Si diligamus alii alios, Deus in nobis manet. Quasi dicat, etsi Deus nunquam ab ullo nostrum fuerit visus, nec ita diligi possit à nobis tanquam is qui videtur, tamen si invicem diligamus, Deus in nobis manet, oempe per suum sermonem.

Et charitas ipsius, id est erga ipsum, per genitivum objecti, *consummata est in nobis.* Merito dicit Deum in nobis manere, si diligamus invicem, quia ex effectu recte arguitur causa. Deus enim per suum sermonem in nobis manens, amorem istum mutuum in nobis efficit. Porro cum dicit, tum demum charitatem erga Deum in nobis consummari, quando invicem diligimus: significat, etiamsi aliquo modo Deus à nobis amari possit, sine charitate erga fratres, consummate tamen & perfecte & ita ut oportet amari à nobis sine ea non potest: quandoquidem in fratribus amari à nobis vult & præcipit. Sic supra cap. 2. 5 dixit, in eo qui sermonem Dei custodit, *vere charitatem Dei*, id est erga Deum, *consummatam esse.* Multum deest ad charitatem Dei, si Dei Filios & fratres nostros non amemus.

Vers. 13. *In hoc cognoscimus quod in ipso manemus, & ipse in nobis.* Poterat aliquis quærere, unde constare nobis possit, quod sermo iste cui credimus & qui charitatem in nobis excitat & producit, Dei sit sermo, & quod nos Dei sermoni credamus, quod hac in re non fallamur nec decipiamur, & sic in Deo maneamus & Deus in nobis?

In hoc, id est per hoc, inquit Apostolus, *cognoscimus, quod in ipso*, id est in Deo, *manemus*, nempe per fidem nostram, *& ipse*, id est Deus, *in nobis*, nempe per suum sermonem.

Quod ex spiritu suo dedit nobis. Hinc, quod nobis ex spiritu suo dedit, apparet evidenter, & sermonis istius qui in nobis & animis nostris insitus est, & fidei quam sermoni huic adhibemus, Deum auctorem esse, nunquam enim alioquin nobis, propter fidem huic sermoni adhibitam, ex spiritu suo dedisset, præsertim cum ideo dederit, ut sermonem hunc & fidem nostram obsignaret. Idipsum dixit Apostolus supra cap.iij. 24. Porro, cum dicit Deum nobis ex spiritu suo, non vero simpliciter spiritum suum, (quod tamen alibi sæpe legimus,) dedisse, explicatius dicit quo pacto intelligendum sit, eum simpliciter spiritum suum nobis dedisse asseritur. Vel enim hoc ita intelligendum est, quod cuique nostrum portionem Spiritus Sancti Deus det: (neque enim ulli omnem dare potuit, quin omnes alios ab illius participatione excluderet. Ideo & auctor ad Hebr. 2. 4 sermonem Christi, ejusque prædicationem, à Deo confirmatam fuisse scribit, *Spiritus Sancti μερισμοῖς*, id est *partitionibus, secundum Dei voluntatem.* Deus nimirum talem & tantam Spiritus Sancti partem ac portionem cuique credentium dedit, qualem & quantam ei dare & impertiri libuit. Hinc & Salomon ille, mortalium sapientissimus, apud Josephum orat, μοῖράν τινά τοῦ σοῦ πνεύματος εἰς τὸν ναὸν ἀποικίσαι, (Josephus videndus) id est ut pars aliqua divini spiritus in templo illo habitaret: libro 8 antiquit. cap. 26. Vel etiam ideo sic locutus est Apostolus, ut indicaret spiritum quem dedit nobis Deus, non esse spiritum qui Dei essentiam constituat: Neque enim Deus essentiam suam ulli communicat, nec Dei essentia dividi queat; sed Deum nobis dare Spiritus sui ἀπόῤῥοιαν quendam, & effluxum, sicut radii solis, & lux in syderibus, & in universo lucis illius soli naturalis ἀπόῤῥοια est, & ex illa originem trahit. Idipsum significavit & Apostolus Paulus, cum dicit, nos *Spiritum qui ex Deo*, scilicet proficiscitur, accipisse 1 Corinth. 2. 12. Significat enim Apostolus spiritum nobis datum esse qui ex Deo tanquam ex suo fonte profluit. Ex dictis constat Joannem loqui de Spiritu illo Sancto qui primum Apostolis ipsis, deinde, per manuum Apostolicarum impositionem, cælitus & miraculose primis illis dabatur: Christi sermonis professoribus, quod miraculum etiamsi nunc cesset; tamen quod ad sermonis istius confirmationem attinet, de qua hic agitur, perinde est atque si nobis quoque idipsum contingeret, si tam in nobis quam in illis unus idemque sermo est.

Vers. 14. *Et nos spectavimus & testamur quod Pater misit Filium, Servatorem mundi.* Quasi dicat, maximum est & inconcussum Spiritus Sancti testimonium de sermone isto quem recepistis, & cui creditis; sed & nos Apostoli idipsum satis superque spectavimus, & proinde tanquam oculati testamur, verum esse quod sermo iste continet; nempe quod Pater miserit Filium servatorem mundi. Summa enim istius sermonis hoc ipsum est, quod hic Apostolus asserit, Jesum scilicet à Deo missum esse, Deum Jesu Patrem esse, Jesum esse Dei Filium, hoc est Christum illum esse mundi totius servatorem, quia pro totius mundi peccatis est mortuus, ut omnes in se credentes, etiamsi maximorum criminum sint rei, dummodo fidem suam per charitatem exerceant, ab æterno exitio servet, & in cæleste regnum afferat. Testimonium vero nostrum eum nulla ex parte possit esse suspectum, non nisi ab improbis & perversis, & à veritate ac sanctitate aversis repudiari potest. Merito Joannes suum & collegarum suorum testimonium subjicit Spiritus Sancti testimonio: nam ipse Christus idem fecit Joan. xv. 26, 27, & Apostolus Petrus utrumque testimonium similiter conjunxit Actor. v. 32.

Ut tanto magis veritatem & certitudinem testimonii ostenderet Joannes, non simpliciter dicit & nos vidimus, sed *& nos spectavimus*, τεθεάμεθα: spectare enim,

enim, diligentem & diuturnam & cum voluptate conjunctam viſionem ſignificat, qualis Apoſtolorum fuit cum Chriſto perpetuo verſantium, & illius operadiviniſſima, gloriamque illam quam à Patre acceperat contemplantium, deinde numerus pluralis non unum, ſed plures ut & erant ſpectatores, proinde & teſtes ſignificat.

Et teſtamur. Poſtquam ſatis ſuperque ſpectavimus, re optime perſpecta & explorata teſtamur.

Quod Pater miſit Filium ſervatorem mundi. Maluit hoc loco dicere *Pater*, quam Deus, ut magis exprimeret Dei amorem & affectum erga Chriſtum, & ſimul ſignificaret miſſionem iſtam talem fuiſſe, ut ex illa appareret, non ſervum & miniſtrum à Deo, ſed Filium à Patre miſſum eſſe, quo ſpectant illa ejuſdem Apoſtoli verba: *Et ſpectavimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre* Joan. I. 14. Quia vero miſſio iſta etiam cum morte Chriſti fuit conjuncta ad perficiendam mundi ſalutem, tanto magis expreſſit Apoſtolus Dei erga mundum amorem, quod Pater non pepercerit Filio, eique unigenito, ut mundum, id eſt homines, ſibi Creatori & Domino ſuo rebelles & inimicos ſervaret.

Miſit. Non ut naſceretur, neque enim mittuntur qui nondum nati ſunt: ſed jam pridem & in hoc ipſum Deo procurante natum.

Filium. Nempe ſingularem illum, qui Chriſtus ille Dei eſt. Nam & voci Filii additus eſt articulus, ſingularitatis & excellentiæ index.

Servatorem mundi. Id eſt qui eſſet, vel ut eſſet ſervator mundi. Hoc idem dixit ipſe Chriſtus Joan. iij. 17: Non miſit Deus Filium ſuum in mundum ut judicet mundum; ſed ut ſervetur mundus per ipſum. Quod quomodo fiat ſtatim ibidem addit, qui credit in ipſum non judicatur, qui vero non credit jam judicatus eſt, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.

Mundi. Id eſt omnium hominum ſervator dicitur, quod à peccatis & peccatorum pœnis, inprimis ab illa ventura ira ſervet omnes in ſe credentes, & iis vitam æternam largiatur.

Verſ. 15. *Quicunque confiteatur, quod Jeſus eſt Filius ille Dei, Deus in ipſo manet, & ipſe in Deo.* Addit hoc Apoſtolus tanquam neceſſarium conſequens iſtius Apoſtolorum teſtimonii. Nam ſi verum eſt, Jeſum eſſe Dei Filium illum, neceſſario conſequitur, in omni qui id confiteatur Deum manere, & eum viciſſim in Deo.

Quicunque confiteatur. Cujuſcunque gentis & conditionis. Intelligitur autem confeſſio quæ ex fide promanet, non quæ in ſolis labris naſcatur, & per ſimulationem aliquam ſeu hypocriſin fiat.

Quod Jeſus eſt Filius ille Dei. Voci enim *Filii* articulus excellentiæ index additur, ut ſignificetur non vulgaris aliquis ſed ſinguláriſſimus ille Dei Filius, id eſt Meſſias, ſeu Chriſtus ille, vel abſolute ſic dictus.

Deus in ipſo manet. Per ſermonem ſcilicet iſtum quem confitetur: quaſi dicat, non humanus eſt iſte ſermo ſeu ab hominibus repertus, ſed ipſum Deum habet auctorem.

Et ipſe in Deo. Scilicet manet, nempe per fidem huic ſermoni adhibitam, non homini credit, ſed ipſi Deo, & ſic ex Deo natus eſt, & fidei reſpectu, & ex hac fide ſimilitudine juſtitiæ.

Verſ. 16. *Et nos cognovimus & credidimus charitatem quam habet Deus in nobis &c.* Teſtimonium dedit Apoſtolus huic veritati, Jeſum eſſe Dei Filium illum. Nunc etiam teſtimonium dat illi charitati Dei qua nos in hoc Filio complexus eſt, quod eum ſcilicet in mortem pro nobis tradiderit, ſicut ℣. 10 ſignificavit. Dicere enim aliquis poterat, eſto, miſerit Deus Filium ſuum, ut ſervaret mundum, ſed unde conſtat Filium iſtum pro peccatis mundi in mortem fuiſſe à Deo traditum, cum id Deus facere potuerit ſolius gloriæ ſuæ cauſa, & ſine ullo ad peccata noſtra reſpectu, ut ſuam divinam potentiam in eo à mortuis reſuſcitando & exaltando oſtenderet.

Et nos. Reſpondet Joannes: quaſi dicat, iidem illi teſtes,

Cognovimus. Nempe charitatem illam Dei, non annuntiamus vobis rem aliquam dubiam de Dei erga humanum genus charitate, ſed cognovimus hanc Dei charitatem, ab ipſo ſcilicet Filio de ea edocti.

Et credidimus. Quod conſequens eſt iſtius cognitionis. *Credidimus*, certiſſimis videlicet argumentis convicti.

Credidimus charitatem. Id eſt de charitate, ſed accuſativum poſuit, propter antecedens verbum cognovimus.

Quam habet Deus in nobis. Id eſt qua Deus erga nos eſt præditus vel affectus, quod ſcilicet Filio ſuo non pepercerit, ſed eum pro nobis dederit, ut omnis qui credat in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. *In nobis* iterum, pro erga nos, ut ℣. 9.

Deus charitas eſt. Repetit id quod dixerat verſ. 9: quaſi dicat, res hæc non habet ullam dubitationem, Deus charitas eſt, totus charitatem ſpirat erga humanum genus, maxime vero erga nos qui credimus. Videmus omnia quæ Dei Filius & dicebat & faciebat, in hominum bonum & ſalutem tendere, quanto magis credendum eſt quod & mortem ipſam eum in finem ſubierit, non tantum ut ex morte & reſurrectione illius ſpem haud dubiam contiperemus, nec enim quidquam magis nos ad ſpem reſurrectionis ex morte erigit, ſed etiam ut eſſet propitiatio pro peccatis noſtris.

Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in ipſo. Ex hac Dei deſcriptione, protinus infert conſuetam ſibi exhortationem & commendationem charitatis. *Qui manet in charitate*, id eſt qui fratres amat, & in iis amandis perſiſtit.

In Deo manet. Scilicet per fidem, vere Deo & ipſius ſermoni credit.

Et Deus in ipſo. Deus per ſuum ſermonem in ipſo habitat. Sermonem enim Dei eum eſſe neceſſe eſt, qui nil niſi merum amorem & charitatem hominibus inſtillat. Ex effectu arguit cauſam. Tanto vero libentius hanc noſtri cum Deo conjunctionem, verbis iſtis hoc quoque in loco expreſſit, quod Deum dixerit eſſe charitatem. Eleganter enim conſequitur, ſi Deus eſt charitas, eum qui manet in charitate, in Deo manere, & in quo maneat charitas, in eodem manere Deum. Sed nobis hic non tam vocum argutiæ quam ſoliditas rerum ſpectanda eſt.

Verſ. 17. *In hoc conſummata eſt charitas nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii &c.* Docuit Apoſtolus de conſummata Dei erga nos charitate; nunc viciſſim docet per quid nobiſcum quoque

charitas consummetur: *nobiscum*, id est quod ad nos attinet, seu ex parte nostra. Ad vocem *charitatis*, non apposuit genitivum objecti, sed quia de charitate ex parte nostri agit, opponens eam charitati ex parte Dei, res ipsa docet, Deum & cum Deo Christum intelligendum esse, quod etiam ex sequentibus intelligitur. *In hoc*, id est per hoc, *consummata est*, id est ad perfectionem venit, *charitas nobiscum*, id est charitas ex parte nostri erga Deum, *ut fiduciam habeamus*, id est si vel cum fiduciam habemus. Fiducia hoc loco opponitur timori, ut ex versu sequenti constat: quasi dicat, quando nobis nihil timemus in die judicii, sed fiduciam habemus, nempe erga Deum, certissimæ à pœnis & damnatione immunitatis. Hæc consummatæ charitatis erga Deum causa est, seu charitatem erga Deum consummat & perficit, & consummatæ ac perfectæ erga fratres charitatis effectus est.

In die judicii. Id est in die quo Deus mundum judicaturus est, vel judicat. Etsi enim Joannes maxime diem illum & judicium ultimum respiciat; nihil tamen impedit quo minus & alios judicii divini dies intelligamus.

Quia sicut ille est, & nos sumus in mundo isto. Docet unde fiducia ista & audacia oriatur & oriri debeat, inde nimirum quod nos tales simus in hoc mundo, qualis ille est, id est Deus vel Christus: quanquam, quia hic de Deo loquatur, Deum designare videtur. Similitudo enim ista maxime in amore & charitate consistit. Dixerat autem Deum charitatem esse.

Sicut ille est, pro qualis ille est, *& nos sumus*, & pro *sic, sic*, id est tales nos sumus, *in mundo hoc.* Quasi dicat, quamvis in mundo hoc & seculo corruptissimo inter homines à sanctitate & charitate alienissimos vivamus; tamen non mundum, sed Deum imitamur. Est autem similitudo inter Deum & nos intelligenda, non æqualitas, qua de re jam supra dictum est. Docet vero Apostolus fiduciam hanc & animum timoris expertem, non aliunde quam ex similitudine cum Deo, præcipue charitatis, proficisci debere, eamque, si ex falsis persuasionibus aut præsumptionibus inanibus oriatur, & ipsam stolidam esse non solidam, & amorem Dei, si quem producat, nullis veris radicibus inniti, & larvam amoris potius quam amorem verum esse.

Vers. 18. *Metus non est in charitate; sed perfecta charitas &c.* Probat Apostolus tum demum consummatam in nobis esse erga Deum charitatem, si in die judicii nihil nobis à Deo metuamus.

Nam, inquit, *metus non est in charitate.* Intellige perfecta & consummata, ut statim addit. Metus hic intelligendus est qui ex mala oritur conscientia, non qui causa est bonæ conscientiæ. Nam huic cum charitate, præsertim erga Deum, optime convenit.

Sed perfecta charitas extra ejicit metum. Idem dicit per affirmationem contrarii quod dixit per negationem. Ideo utitur adversatione *sed*. Metum enim esse in charitate, & metum foras ejici à charitate contraria sunt. *Perfecta charitas extra ejicit metum.* Id est metum excludit, nec ei apud se locum relinquit, pellit eum extra.

Scilicet *quia metus cruciatum habet.* Causam reddit cur in charitate perfecta locus non sit metui illi quo quis pœnas, male sibi conscius, formidat. Hæc vero est, quod metus talis, cruciatum vel punitionem habeat. Unde dici solet, metum quoddam genus esse supplicii. Eum vero qui mihi cruciatus & supplicii est causa, quomodo possum perfecte amare? Hinc ille apud Tragicum, Tyranno, *quem metuunt, oderunt*, cui Tyrannus vicissim: *oderint dum metuant.* Eos amare solemus qui nobis voluptatis & jucunditatis sunt causa.

Qui vero metuit, non est consummatus in charitate. Quod de metu dixit nunc asserit de eo qui metuit: quasi dicat, metus cum perfecta charitate simul consistere non potest, qui vero metuit &c. Nexus dicti istius cum superioribus tanto evidentius apparebit, si verba illa, *quia metus cruciatum habet*, signis parentheseos inclusa legatur.

Vers. 19. *Nos diligimus ipsum, quia ipse primus dilexit nos.* Videtur Apostolus tacitæ objectioni occurrere. Poterat aliquis dicere, non protinus nos extra metum ac formidinem in amore erga Deum perfectos fore, si nobis bene simus conscii. Docet Apostolus omnino id fore, si tales simus in mundo, qualis Deus est in cælo. Patere hoc innuit ex magnitudine charitatis, qua nos Deus complexus est. Ea vero magnitudo in eo consistit, quod nullo à nobis amore provocatus, imo perpetuis nostris & gravissimis peccatis provocatus ad iram, *ipse primus* nos dilexerit, & sua dilectione nos ad amorem sui adduxerit. Tanta igitur cum sit Dei erga nos charitas, fieri neutiquam potest, ut si Deo similes sumus, sanctitate, justitia, charitate, ejus iram & indignationem timeamus, & sic impedimentum ullum ad perfectam erga ipsum charitatem habeamus. Quid enim fiduciam nostram possit ulla ex parte turbare, aut nobis metum aliquem damnationis incutere? An præterita peccata? Atque hæc adeo Deum ab amore nostri non averterunt, ut eorum expiandorum causa ne Filio quidem suo unigenito pepercerit. An imperfectiones ullæ, quæ nobis toto pectore ad omnem obedientiam nitentibus adhæreant? At hæ nnn minus quam præterita peccata sanguine Filii Dei purgata sunt: & si illa nos damnationi propter Dei erga nos amorem subjicere non poterant, quanto minus hæ poterunt? An nostra vilitas & indignitas? Atque hæc Deo non obstitit, quo minus rem pretiosissimam, Filium suum, in mortem pro nobis impenderet. Quomodo igitur non etiam omnia, ut Apostoli verbis utar, nobis una cum filio donabit? *Primus* ponitur pro prior, ut Joan. 1. 32.

Vers. 20. *Si quis dicat, quod amet Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.* Occurrit Apostolus ei qui existimet, idque etiam dicat, se Deum amare, quamvis fratrem suum oderit; hunc Joannes ait mentiri. Solent homines jactare erga Deum amorem, imo id sibi persuadere & fratrem suum interea odisse. Audiant igitur Apostoli de se judicium, mendaces sunt. Aliter se res habet quam dicunt. Qui non diligit fratrem suum quem vidit, Deum quem non vidit, quomodo potest diligere? Rationem affert dicti sui, nempe mendacem esse eum qui dicat se diligere Deum, quamvis fratrem suum oderit.

Argu-

Argumentatur autem à negatione minoris ad negationem multo majoris ac difficilioris. Minus enim est ac facto facilius diligere fratrem quem videas, quam Deum quem nunquam videris. Amor enim maximè ex conspectu oriri solet. Unde etiam Græcum ἰδεῖν, quod est videre. Jam verò qui id non facit, quod minus & facilius est, quomodo potest facere id quod majus & difficilius est?

Fratrem suum quem vidit. Præteritum positum pro præsenti, Hebræo more. Jam vero si is qui fratrem non amat, Deum amare non potest; quanto minus is qui fratrem non tantum non amat, sed etiam odit?

Vers. 21. *Et hoc mandatum habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Alio argumento, si fortasse prius non satis efficax videretur, rem eandem evincit. Argumentum sumptum est ex eo quod Deus ipse mandatum hoc nobis dederit, ut quisque nostrum qui Deum diligat, diligat & fratrem suum, id est ut dilectioni Dei conjungat dilectionem fratris, neque alterum sine altero diligat. Ideo & Christus à Pharisæis interrogatus, quodnam esset magnum in Lege præceptum, respondit primum esse de diligendo Deo, & alterum, primo simile, de proximo diligendo, ubi etiam proximi nomine Frater significatur. Unde consequitur Deum diligi non posse, nisi etiam diligatur proximus.

CAPUT V.

Vers. 1. OMnis qui credit quod Jesus est ille Christus, ex Deo genitus est. Pergit Joannes de dilectione fratris agere, & primum describit fratrem, nempe fratrem esse eum qui credit quod Jesus sit ille Christus, Messias, id est unctus Dei, κατ' ἐξοχὴν & per antonomasiam dictus, ille eximius, & Prophetarum prædictionibus celebratus, proinde à Deo ex mortuis suscitatus &, ad divinam in cælis evectus majestatem. Notandum est, (propter errores qui nunc in orbe Christiano obtinent) non ex eo describi fratrem, id est Christianum, quod credat Jesum esse Deum illum unum & altissimum, aut Deum aliquem qui ante secula existens homo factus sit, sed à re plane contraria. Christus enim hominem significat à Deo unctum & Regem factum, Deo illi uni relative oppositum. Et si quid majus ac divinius de Jesu, vere credi posset, & credendum esset, nonne ex hoc potius fratrem & Christianum, proinde & fidem Christianam Apostolus descripsisset? Sed nec credi quidquam majus ac divinius de Jesu potest: cum Deus ipse nihil majus ac divinius cuiquam dare possit. Omnia enim subjecit pedibus ejus, id est ipsum sedere fecit à dextris suæ majestatis. Nam si credatur Jesus esse Deus ille unus & altissimus, hoc jam est Jesu aliquid addere, & ex Christo Dei, Deum ipsum facere, & hactenus Christum Dei tollere. Describens fratrem à fide Christiana, exprimit ejus præstantiam & dignitatem, quæ ipsa nos ad amorem ejus invitat, nempe eum ex Deo genitum seu natum esse, primum ob hanc ipsam fidem quæ ex Deo est, proinde & is qui eam suscipit, ex Deo nascitur; deinde ob fidei istius effecta, justitiam, charitatem, sanctitatem, quibus homo assimilatur Deo. Nam qui per hæc Deo similis factus est, ex Deo natus est cap. ij. 29. Ex hac vero fratris & Christiani descriptione manifestum est, quantum crimen ac nefas sit eos qui hanc fidem habent & profitentur & moribus exhibent, quia non profiteantur Jesum esse Deum illum unum, pro fratribus & Christianis non agnoscere, imo eos modis omnibus infectari.

Dicit Johannes, *omnem qui hanc fidem habeat, ex Deo genitum esse*, cujuscunque gentis & conditionis sit, nemine excepto. Dicet aliquis fidem quidem hanc ex Deo esse, sed non omnem qui fidem hanc habeat Deo etiam justitia ac sanctitate similem esse, experientia teste. Notandum est, Johannem, quod ad hoc attinet, non tam hic spectare effectum ipsum, quam fidei istius vim & efficaciam. Effectus enim iste, quominus hæc fides vim suam explicet & vires suas exerat, multis de causis impediri potest: ne nunc de eo dicam, non omnes qui sese hoc credere dicunt vere & ex animo credere. Impediri effectus fidei istius potest, vel quia homines non ita ut oportet fidei istius vim expendunt, vel quia amore mundi & eorum quæ sunt in mundo, voluptatum scilicet, opum, honorum, fidei isti obluctantur, vel quia ejusmodi opinionibus & persuasionibus infecti sunt, quæ fidem istam enervant, quales plurimæ in orbem Christianum irrepserunt, de absoluta Dei electione & reprobratione, de naturæ humanæ per Adami lapsum depravatione, eaque tanta, ut nemo peccati dominatum per Christi spiritum possit excutere, (quod dici creditur ab Apostolo cap. vij ad Romanos,) de privatione arbitrii in iis quæ ad fidem & pietatem pertinent, de imputatione justitiæ Christi, de justificatione per fidem, exclusis fidei fructibus, omnium debitorum nostrorum exsolutione proprie dicta per Christi mortem & obedientiam, de fide justificante, quod ea sit, ut nobis applicemus meritum & obedientiam Christi, de sacramentorum occulta quadam & supernaturali virtute in peccatis tollendis, de confessione & pœnitentia in exitu vitæ, quod per eam peccatorum reatus tollatur in iis qui Christum professi vitam à vitiis non purgaverunt, de potestate remittendi peccata, etiamsi vita non emendetur, de purgatorio post mortem; quod ante mortem omnibus ineundum est, si velit eo intrare quo nihil intrabit impurum & vitiis inquinatum, & quæ sunt aliæ hujusmodi opiniones ex falsa Scripturarum interpretatione in blandimentum carnis repertæ, quæ faciunt ne quisquam curet Filius Dei justitia & sanctitatis imitatione evadere, & tamen hæreditatem regni cælestis speret ac certo sibi polliceatur. Si enim semel animis hominum sederit, posse se aliis rationibus ac mediis regni cælestis hæreditatem cernere, quamvis Deo similes sanctitate non fiant, quis unquam serio cogitabit, ut Dei natus & filius sit imitatione divina sanctitatis? Vel fides illa impeditur si quis in traditionibus hominum, iisque Dei præceptis contrariis, magnam religionis partem collocet, ut sunt qui mortuos adorant & invocant, idolis cultum exhibent religiosum, & propter hominum traditiones, quæ speciem tantum pieta-

pietatis habent, veram & solidam pietatem negligunt, aut alia aliqua noxia opinione infecti sunt, ut qui Papam Romanum, pro Christi in terris vicario, Ecclesiæ Domino & capite habent, quod errare non possit in rebus salutis. Eandem fidem mirum in modum obscurat, vel potius elidit, vulgaris illa de qua paulo ante egimus de Jesu Christo opinio, quod is Deus ille unus & altissimus sit, aut Deus ex illo ante secula genitus, quod homo sit natura tantum non etiam persona. Nam qui sententiæ istius vim expendit, facile videt fidem hanc qua Jesus creditur homo esse, & in Regem cælestem à Deo unctus esse, sententia illa everti, aut saltem animos hominum ita intricari, ut sese extricare nullo modo possint. Aliquem enim statui & Deum illum unum & hominem, perinde est atque si quis Deum illum unum neget Deum illum unum esse, & hominem neget esse hominem, duo disparata unum esse dicens suppositum. Deum illum unum esse, & tamen esse mortuum, & resuscitatum esse, & Regem ab uno illo Deo effectum esse, plane contradictoria sunt: & quamvis inter hæc conciliationem quærant, non aliam tamen inveniunt, quam secundum humanam & secundum divinam naturam, quod perinde est, ac si quis album dicat esse nigrum, album quidem secundum albedinem, seu quatenus est album, nigrum vero secundum nigredinem, seu quatenus est nigrum, & diem esse noctem, noctem diem, diem quatenus est dies, noctem quatenus est nox. Hoc non est contradictionem tollere, sed repetere & in idem revolvi. Quo sane pacto nulla est tam aperta contradictio quæ conciliari non possit. Sic diceremus hominem esse leonem, & leonem hominem, & quid non? hominem quidem quatenus est homo, leonem vero quatenus est leo. Breviter, qui hanc de Christo opinionem conceperunt, dum utrumque volunt de Christo credere, utrumque negant: & quamvis toto ore profiteantur sese credere Jesum esse Christum, tamen dum fidem istam huic fundamento superstruunt quod Jesus sit unus ille Deus, & si hoc fundamentum non agnoscas, fidem istam impiam & blasphemam putant, perinde faciunt atque si Jesum crederent esse hominem, quia homo non sit, & crederent esse Christum, quia Christus non sit, quod certe fidem illam plane subruere est. Denique dum Jesum naturam quandam humanam seu hominem singularem. qui tamen per se non subsistat, seu persona non sit, fingunt, eo ipso illum hominem esse singularem negant. Vere igitur & bona fide credere non possunt, quæ de Jesu necessario credenda sunt, & quæ fidem illam per quam ex Deo nascimur constituunt, nempe Jesum mortuum esse, à mortuis resuscitatum esse, Dominum & Regem nostrum effectum esse. Qui igitur ejusmodi opiniones animo hauserunt, quid mirum, quod quamvis fidem hanc Christianorum verbis jactent, nihil ramen minus sint quam ex Deo nati, id est Deo justitia, charitate & sanctitate similes? Fides enim illa, quia pura non est, quia per affusas opiniones tota diluta est, vim suam omnem in regenerandis hominibus amisit, quos utinam sui mores & opera carnis, quibus dediti sunt non damnarent, & hoc ipsum imprimis quod eos qui pure ac vere credunt Jesum esse Christum oderint ac damnarent, etiamsi à nobis ob nudas illas, quamvis valde noxias opiniones non damnarentur! At pura illa ac qualis in se est fides, incredibilem vim habet ad homines renovandos, ut merito Joannes dixerit, omnem qui eam habeat ex Deo natum esse. Nam qui Jesum credit esse Christum illum Dei singularissimum, proinde & ex mortuis resuscitatum ad capessendam regni ipsi destinati majestatem, quod aliud esse non potest, quam cæleste, de promissionibus etiam ejus dubitare nullo modo potest: qui vero promissionibus Jesu Christi vere & ex animo credit, totum sese sectandę justitiæ tradit, cum sciat neminem cum Deo communionem in illa cælesti hæreditate habere posse, nisi qui post fidem & per fidem hanc ambulet in luce, sicut Deus est in luce cap. j. 6, 7. Hoc ipsum Joannes aliis verbis dixit cap. iij. 3: *Omnis qui habet hanc spem in ipso, purificat seipsum, sicut ipse purus est.* Nam spes hæc continetur in fide, qua Jesum credimus esse Christum illum & purificare se sicut Deus purus est, quid aliud est, quam ex Deo natum esse?

Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui genitus est ex ipso. Nunc docet Apostolus dilectionem fratris ita conjunctam esse cum dilectione Dei, ut dilectionem Dei necessario consequatur fratris dilectio. Urget nimirum id quod dixerat supra cap. iv. 20, 21, non debere quemquam jactare amorem Dei qui non amet fratrem. Qui amat genitorem, amat & ex eo genitum. Primum quod ea sit amoris natura, ut propter eum quem amemus, amemus & omnia quæ ejus sunt. Quid verò magis est genitoris quam ex eo genitus? Deinde quod charitatis natura sit, ea omnia libenter facere quæ grata esse novimus ei quem amemus. At quid gratiùs esse potest Patri quam si amemus ejus Filium? Nam sicut is qui genuit valde amat ex se genitum, sic qui cum genitore in amando ejus filio conspirat & consentit, rem ei facit gratissimam. Cum igitur Deus sit genitor, frater sit ex eo genitus, necessario consequitur ut is qui Deum amat, amet & fratrem. Intellige autem, si sciat aliquem esse vere ex Deo genitum, quod certe Christianus de Christiano ignorare non potest, quanquam ex ipsa hominis cum Deo similitudine cuivis, si id cognoscere modo velit, & oculos aperiat, arduum non est.

Vers. 2. *In hoc cognoscimus quod diligimus filios Dei, cum Deum diligimus.* Docet Joannes adeo dilectionem fratris cum dilectione Dei conjunctam esse, ut dilectio Dei non tantum sit causa dilectionis fratris, sed etiam signum ac documentum, ex quo cognoscimus & cognoscere debemus, quod diligamus Dei filios & fratres nostros. Si quis enim quærat, tu dicis quod Dei filios diligas, doce unde id cognoscis rem ita se habere? Non aliter respondere potest, quam si dicat, ex eo id cognosco quod Deum diligo. *In hoc*, id est per hoc, ut sæpe. Notandum vero est Johannem hic non loqui de dilectione filiorum Dei, quatenus sunt homines, aut nostri amici, & nobiscum aliqua ratione secundum carnem conjuncti. Nam ut cognoscamus, quod homines, quod amicos nobiscum junctos diligamus, nullo signo, nullo documento opus est, cum id quisque per se sciat, an aliquem diligat nec ne? Sed Apostolus loquitur de dilectione filiorum Dei, quatenus sunt Dei filii, Deo similes sanctitate

tate & justitia, & sic hoc respectu quod tales sint. Istius rei signo & documento quisque nostrum eget, quod sane nullum aliud esse potest quam si sibi sit amoris erga Deum conscius. Sicut enim ex amore erga Deum protinus, ut vidimus, consequitur amor erga Dei Filios: sic etiam ex amore erga Deum, amor erga Dei Filios protinus cognoscitur. Causa enim effecti etiam signum est sui effecti. Individuo nexu cohæret amor fratrum cum amore Dei, & amor erga genitorem Deum & genitos ex eo. Sunt ergo hæ propositiones reciprocæ. Qui amat Deum genitorem, amat & genitos ex Deo, & qui amat genitos ex Deo, amat & genitorem. Amor autem Dei ex observatione mandatorum ejus cognoscitur.

Ideo addit: *Et mandata ejus servamus.* Nimirum ut hinc cognoscamus quod Deum amemus. Nam & de eo quæri poterat, unde quis cognoscat quod Deum amet. Hoc non aliunde cognosci potest, quam si quis mandata Dei servet, & totum se dedat Dei mandatis exequendis, eo fine ut Deo rem gratam faciat & illi placeat. Nec est ut dicas hoc quoque esse præceptum Dei ut Filios Dei, eo respectu quod Filii sint Dei, diligamus; verum enim hoc est, sed præter hoc præceptum multa etiam sunt alia Dei præcepta, quæ si summo cum studio exequimur & observamus, hinc cognoscimus & plane certi reddimur quod etiam Dei filios, quatenus Dei sunt filii, diligamus.

Vers. 3. *Hæc enim est dilectio Dei, ut mandata ejus servemus.* Rationem affert Apostolus quare ad Dei dilectionem adjecerit observationem mandatorum Dei: quia, inquit, *hæc est dilectio Dei, ut mandata ejus servemus*: quasi dicat, in hoc consistit dilectio: non quidem quod proprie & accurate loquendo ista inter se distincta non sint, tanquam causa & effectus, ut eo sublato vel nulla sit erga Deum dilectio, vel nullius sit momenti, & pro nulla reputari debeat. Sic recte, & cognitio Dei, & fides in Deum & Christum collocatur in eadem mandatorum Dei observatione. Et qui dixerit, credere in Christum esse obedire præceptis Christi, recte hoc eodem sensu dixerit, cum credere in Christum & præceptis ejus obtemperare, indivulso nexu cohærere debeant, sicut & naturæ vinculo cohærent. Scripturæ mos est eas loquendi rationes usurpare, quæ magis ad praxin pertinent, quam ad theoriam, cum Christiana pietas & Religio tota referatur ad praxin. Ἵνα, ut, hic iterum positum reperitur pro ἐάν, vel ὅταν.

Et mandata ejus gravia non sunt. Occurrit Apostolus iis qui dicerent Dei mandata esse gravia, onerosa, quibus humanæ vires non facile sufficerint, ideoque non protinus negandum esse de aliquo amorem erga Deum, si mandata ejus non servet, cum amare Deum facile sit, at ejus mandata servare & exsequi valde difficile. Qui sane error multo gravior quam Dei præcepta sunt, utinam hoc quoque tempore tantas radices non egisset in populo Dei! Nam & hæc inter alias, quarum non paucæ alibi sunt recensitæ, causa est ut Dei præcepta negligantur, & ad eorum observantiam pauci se accingant, quod eorum pondus existimetur hominibus intolerabile. Sed revincit hanc falsam opinionem Apostolus, hoc loco: negat gravia esse Dei præcepta. Consentit nimirum discipulus cum suo Magistro & Domino, qui omnes oneratos & defessos ad se invitat: *Venite*, inquit, *ad me omnes laborantes & onerati, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mansuetus sum & humilis corde, & invenietis refectionem animabus vestris. Jugum enim meum dulce, & onus meum leve est.* Quasi dicat, non onerabit nec defatigabit vos Matth. xj. 28, 29, 30. Pertinent huc & illa Psalmi verba de præceptis Dei, *quod sint desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum, etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa* Psal. xix. 11, 12. Quod si hæc de Mosaicæ Legis præceptis vere dicta sunt, ob respectum ad retributionem magnam, quæ omne onus leve facit; quanto magis hoc dicendum est de præceptis Christi, quæ Lex est liberalitatis & Regia, in qua nihil aliud præcipitur quam quod honestas ipsa requirit, & jugum illud rituum & ceremoniarum plane cessavit, & spiritus datur qui carnem domat cum affectibus & cupiditatibus, & Deus non serviliter nos tractat, sed paterne nobiscum agit, & ad Regni sui hæreditatem nos vocavit.

Vers. 4. *Quia omne quod genitum est ex Deo vincit mundum.* Demonstrat id quod dixit de Dei præceptis, quod non sint gravia, intellige Christianis & fidem illam Christianorum habentibus, & per eam ex Deo genitis, similitudine nimirum justitiæ. Aliis enim hominibus haud dubie gravia sunt. Demonstrat autem id ex eo, quod omne ex Deo genitum vincat mundum. Neutrum genus ponitur pro communi. Significat Apostolus, si quid gravitatis esset in præceptis Dei, id foret propter mundum, iis qui præcepta Dei observare velint, adversantem. Non meminit Apostolus carnis, quia ii qui ex Deo sunt nati, & Deo justitia similes facti, carnem jam edomuerint, immo morte affecerint, ut Paulus loquitur, & crucifixerint cum affectibus & concupiscentiis. Nec diaboli meminit, quia eum in mundo tanquam ejus principem seu tyrannum potius includit. Mundi nomine hoc loco homines intelligit veritati & pietati Christianæ adversantes, quorum plenus est mundus, ita ut illorum comparatione Paulus, Christianos in mundo non esse dixerit. Hos vincere est non pati se ullis eorum machinationibus à veritate Christiana, ejusque professione & à moribus Christianis avertere. Sunt vero mundi machinationes, vel illecebræ ac pollicitationes variæ, vel odia & comminationes & persecutiones & mortis intentationes. His omnibus non commoveri, sed firmiter in Christiano proposito persistere, mortem denique truculentam oppetere potius, quam quidquam Christianæ vocationi & pietati contrarium & indignum committere, mundum vincere est. Res ipsa loquitur, eum qui ex Deo natus est, & Deo justitia ac sanctitate similis evadit, mundum vincere. Mundus enim nos aliter expugnare non potest quam per propriam carnem nostram ejusque affectus & cupiditates; quibus edomitis & crucifixis; quod sane omnes ex Deo nati fecerunt, omnes adversum nos mundi impetus & insultus vanos & irritos esse necesse est. Unde jam constat

stat hominibus ex Deo natis, præcepta Dei portatu gravia & factu difficilia non esse; quin potius valde levia & dulcia ac suavia esse.

Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Ipse Johannes probat omnem illum qui ex Deo natus est mundum vincere, ex eo quod Christianorum fidem habeat. Argumentum Apostoli tale est.

Qui fidem Chtistianam habet, mundum vincit,
Atqui ex Deo natus est, fidem habet Christianam;
Ergo qui ex Deo natus est mundum vincit.

Major his Apostoli verbis continetur. Minor per se evidens est, cum nemo possit ex Deo nasci, nisi qui fidem Christianam habet & credit Jesum esse Christum illum Dei. Fidem nostram & Christianam dicit esse *victoriam*, scilicet mundi, per metonymiam effecti, quod sit effectrix victoriæ mundi. Sic Christus dicitur *vita, resurrectio, veritas*, & similia, quod sit omnium istorum auctor & effector, isque talis ut extra eum non detur istorum ullum. Hoc ipsum etiam significare voluit Apostolus, dum fidem nostram vocat ipsam victoriam, quod extra eam nullus sit victoriæ locus. Nam extra victoriam non datur victoria.

Quæ vincit mundum. Id est quæ fecit ut vicerimus mundum. Fidei id tribuit quod proprie competit iis qui fidem hanc habent. Dicit Joannes quod fides nostra mundum jam vicerit: proinde & nos fide ista prædit. Quod non ideo dicit, quasi nulla nobis pugna amplius cum mundo restet, & victoria nostra jam sit consummata; sed quod simus in ipso victoriæ cursu, & quod victoriam habeamus in manu & potestate nostra. Est enallage temporis in verbis Apostoli, quam & supra habuimus de eadem victoria cap. ij. 13, 14. Sic & Christus dicit, quod mundum vicerit, quamvis adhuc ei maximum & ultimum cum mundo certamen restaret. Merito autem fidei nostræ mundi victoriam tribuit. Nam qui fidem hanc habet, certissima spe regni cælestis præditus est; quæ facit ut omnia mundi oblectamenta, si cum peccato conjuncta sint, pro sordibus ducat, nullas mundi minas nec mortem ipsam reformidet.

Vers. 5. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quod Jesus est ille Filius Dei?* Probat quod dixit fidem nostram esse mundi victoriam, extra quam vincere mundum non detur: quasi dicat Joannes, ostendat mihi quispiam victorem mundi, præter eum qui fidem Christianorum habet & qui credit quod Jesus sit filius ille Dei? Pro Christi nomine ponit Filii Dei nomen, utrumque permutans inter se, quod utriusque eadem sit significatio. Neque enim hic diversam fidem tradit ab ea quam versu 1. tradidit cum ad eam respiciat. Eadem est fides, licet diversis describatur vocibus, qua ex Deo nascimur, & qua mundum vincimus, cum ideo vincamus quia ex Deo nati sumus, & supra aliquoties cap IV. 2. cap. ij. 22, ubi permutantur etiam titulus illius Christi, & titulus illius Filii Dei, nempe à Prophetis prædicti & celebrati: qui certe alius non est quam Messias, ille scilicet Christus. De filio qui ex essentia Dei ab æterno generetur, fando auditum est nunquam in populo Dei, nec Filii istius notitia quidquam ad mundi pertinet victoriam. Ex hoc autem tanto effectu præstantia & veritas & divinitas fidei Christianorum manifeste conspicitur.

Vers. 6. *Hic est qui venit per aquam & sanguinem, Jesus ille Christus.* Confirmat Joannes vere id omnino credi de Jesu Christo, & rem ita se plane habere, ne cui ulla dubitatio suboriri queat.

Hic est, inquit, *qui venit.* Intellige ad homines. Venit, cum prædicare cœpit, prædicationem hanc suam per aliquot annos continuaturus.

Per aquam. Id est cum aqua, *per* pro *cum*, ut Rom. vj. 4. (ubi Christus à mortuis dicitur resurrexisse, per gloriam Patris & summa cum gloria Patris) cap. XIX. 20. 2 Cor. ij. 4, & alibi non raro: mox dicit, *in aqua, in sanguine*, eodem sensu. Aquæ nomine intelligit aquæ effectum, per metonymiam causæ, & puritatem, quæ ad spiritum & animum relata consistit in sanctitate & innocentia. Maximum sane argumentum Jesum fuisse veracem. Neque enim mendaci & impostori cum tanta sanctitate quanta in Jesu apparuit, quidquam commune esse potest. Puritatem hanc eleganter hic aquæ nomine significavit Apostolus, ut eam sanguini quem adjungit opponeret.

Et sanguinem. Per sanguinem itidem, pro cum sanguine. Intelligit similiter per metonymiam sanguinis effusionem, quod scilicet innocentissimus & sanctissimus cum esset, pro prædicationis suæ, & quod se diceret Dei Filium & Christum confirmatione, sanguinem suum profuderit, nunquam id facturus, si sese à Deo missum esse finxisset.

Jesus ille Christus. Exprimit diserte quem designet. *Ille Christus*, asserens de Jesu id de quo agitur. Merito autem id asserit ex duobus istis aquæ & sanguinis invictis testimoniis. Vide & hic voces illius Christi, poni pro vocibus illius Filii Dei, uterque enim titulus idem significat, quod quia phraseos Hebraicæ imperitia non est observatum, tantos nobis de Filio Dei errores induxit. An enim Filius Dei singularissimus non sit, quia à Deo per Spiritum Sanctum, ex virgine est genitus, qui à Deo in singularissimum Filium est electus? quem Deus divinæ majestate fecit sibi simillimum? Vide commentarium in Joannis cap. XX. 31.

Non in aqua tantum, sed in aqua & sanguine. Insistit Joannes utrique testimonio: quasi dicat, magnum erat si cum sola vitæ puritate venisset, omnis vitii expers, sanctus & impollutus; sed multo majus est quod non in aqua tantum, sed in aqua & sanguine venerit. Hæc testimonia tanta sunt, ut iis ab homine probo & sanæ mentis contradici non possit. Antichristi sanguinem Jesu arripiunt ad negandum quod sit Christus ille Dei, cum eo niti deberent ad credendum. *In aqua & sanguine*, nunc dicitur, pro *cum aqua, & cum sanguine.* *In* pro *cum*, usitata Hebræis phrasi, ut hinc appareat, verbis *per aquam & sanguinem* idem dici. Sanguinis vocem ponit Apostolus pro voce *carnis* superius usurpata cap. IV. 2, 3. Idem enim est Christum venisse in carne, & venisse in sanguine, nisi quod voce carnis etiam aliæ perpessiones significentur, mortem antecedentes, voce sanguinis, ipsa mors cruenta, perpessionum illarum complementum.

Et spiritus est qui testatur. Nempe de Jesu quod sit Christus ille Dei, hac enim de re agitur. Addit tertium testem duobus prioribus omni exceptione majorem, spiritum nimirum illum quo Jesus unctus fuit, qui testabatur de Jesu quod in omnibus verax esset, tum per idipsum quod ei datus esset: neque enim

enim Deus impostori spiritum illum suum dedisset: tum quod Jesum plane divina sapientia, & divinissimis operibus instrueret, quæ eum à Deo missum esse docebant, imo cum opera ista tot tantaque essent, quot & quanta nullus ante Jesum fecerat; non tantum Jesum vera loqui & à Deo missum esse ostendebant, sed etiam eum Christum illum Dei esse, specialiter demonstrabant. Hoc testimonium, ita Nicodemum, quamvis Pharisæum, quamvis ex Principibus Judæorum, convicit, ut ad Jesum noctu venerit & ipsi dixerit: *Magister scimus quod à Deo venisti doctor: nemo enim hæc signa potest facere quæ tu facis, nisi fit Deus cum ipso* Joan. III. 2. Spiritum absolute dicit, ut & mox, sed sanctum illum intelligi, res ipsa docet.

Quia spiritus est veritas. Causam affert cur spiritus pro tertio teste fuerit adhibitus, quia scilicet spiritus est veritas: quasi dicat, ipsa veritas mentiri non potest. Prioribus duobus testibus, quispiam saltem in speciem posset aliquid opponere. At Spiritus Sancti testimonio, ne in speciem quidem quidquam potest objici, nisi per summam impietatem & impudentiam, & tanto cum crimine quod nullam remissionem habeat tam in hoc quam in futuro seculo.

Vers. 7. *Quia tres sunt qui testantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Hæc verba vetustissimi codices non legunt, quod alii monuerunt. Et sane nullam cohærentiam habent cum superioribus, quamvis iis præfigatur particula causalis *quia*, quæ docet rationem dictorum reddi. At dictum erat, aquam, & sanguinem, & spiritum, tanquam testem veracissimum testari de Jesu, quod sit ille Christus Dei, quæ vero istius dicti ratio est, quod tres sint qui testentur in cælo, Pater & Sermo & Spiritus Sanctus. De Patre & de Sermone nulla erat expressa mentio, Spiritus autem Sancti testimonium non debebat afferri pro ratione & pro causa ejus, quod Spiritus Sanctus testetur. Hæc enim esset nugatio. Deinde Patris testimonium includitur in spiritus testimonio. Pater enim per spiritum suum testimonium perhibuit Filio. (Nam vox illa Patris cælitus audita, paucis audita fuit, Apostolus autem hic loquitur de testimonio quod totius mundi oculis & auribus sit expositum.) Ideo ℣. 9, non facit mentionem testimonii spiritus, sed tantum testimonii Dei. Qua scilicet Dei testimonium spiritus est testimonium. Τῦ λόγυ, id est sermonis (quâ voce haud dubie Jesus significatur) testimonium includitur in aqua & sanguine. Nulla enim re magis de prædicationis suæ veritate testatus est Jesus, quam vitæ puritate & morte truculenta, cujus rei symbolum & signum esse potuit aqua illa cum sanguine ex latere ejus profusa, quasi testis, sanguis innocentis, & simul vim abluendi & purgandi, (nempe peccata mundi) habentis. Tertiò, cum Pater dicatur respectu Filii, jam pro concesso poneretur Jesum esse Dei Filium: at hoc in istius rei probatione non recte fieret. Non debet enim pro concesso sumi quod probandum est, & tum cum de ejus probatione agitur. Nec ulla causa foret, cur Patre nominato, non diceret Filium, sed λόγον; cum Pater referatur ad Filium, & Filius ad Patrem, non λόγ☉, sed titulo τῦ λόγυ, à solo Joanne usurpato, quæsita species videtur. Spiritum etiam toties & modo bis & mox infra nominans, nusquam habet epitheton *sancti*, quod quia hic est, alienam redolet manum, nec satis cautam affectationem. Quartò, Spiritus Sanctus non debet tanquam testis à Patre distinctus poni, cum Pater non alia ratione magis testatus sit quam per Spiritum Sanctum. Quintò, quod infra in Dei testimonio non includatur Filius, qui λόγ☉ Dei est, sed Deo opponatur, quatenus Deus dicitur testatus esse de Filio suo ℣. 9 & 10. Sextò, quod Spiritus Sanctus, qui unus tantum testis est, bis numeraretur, & irrita esset sex testium affectatio. Non enim si Spiritus Sanctus sit in cælo & sit etiam in terra, duo propterea testes ex illo faciendi sunt. Nam & Filius, & in terra fuit, & in cælo nunc est, neque tamen idcirco duos testes facit. Septimò, si personæ cælestes numerandæ sint, etiam Angeli non semel testati sunt Jesum esse Christum. Etiam Elias, qui in cælum assumptus dicitur, in transfiguratione testatus est de Christo. Octavò, quod verba illa *in cælo*, & iis opposita *in terra*, intelligenda essent de loco testium, non de loco testimonii. Quid enim opus esset in cælo testari Jesum esse Dei Filium? At si de loco testium loqueretur, longe planius dixisset, tres sunt in cælo qui testantur, & similiter tres sunt in terra qui testantur. Nam si verba *in cælo* exponas, quasi dictum esset, manentes in cælo, testantur in terra & apud homines, etiam verbis *in terra* significabitur, aquam & sanguinem manentes in terra testari. At hoc frigidum est, cum aqua & sanguis alibi manere non possint, quam in terra. Voces *in terra* alium sensum congruum habere non possunt, quam testes istos testari apud & inter homines, qui in terra habitant: at si voces *in terra*, significabunt testimonium apud & inter homines in terris degentes; sequitur ex oppositionis ratione, ut voces *in cælo* significent testimonium apud vel inter Angelos in cælis habitantes, quod frivolum foret. Si vero voces *in cælo* significare dicas de cælo; primum hoc voces ipsæ respuunt: deinde voces *in terra* similiter significarent de terra, dicendumque esset testimonium de terra profectum esse in cælum, sicut de cælo profectum sit in terram. Omnino apparet vel voces *in terra* non fuisse additas à Joanne, cum in vetustissimis illis codicibus non minus quam totus iste versiculus 7 desint; & Apostolus ipse supra absolute dixerit *spiritum testari* ℣. 6, & minime sit necessarium addere ubi testes isti testentur, cum apertum sit, testimonium illud hominum causa, proinde & apud homines fieri: vel si additæ sunt à Joanne, in eorum gratiam, & superiores has *in cælo*, ab aliquo alio appositas esse, quia enim sensum congruum habere non possunt, ut vidimus, Joannis non erunt. Sive igitur voces istas *in terra* versu sequenti addiderit Joannes, sive minus, conjectura non deerit versiculum hunc 7, alienæ manus esse, invitante numero trium testium, & cæli ac terræ oppositione, quo an communem de Trinitate sententiam impugnare voluerit, an stabilire, incertum est.

Vero propius, impugnare voluisse, ut ostenderet tres istos non aliter unum esse, quam sicut multi testes unum sunt. Denique si versiculum hunc eximas, omnia recte cohærebunt. Dixerat Joannes ℣. 6, Jesum venisse cum aqua & sanguine, & Spiritum Sanctum testari. Cur vero hæc tria conjunxerit, causam protinus affert, quia tres sunt qui testantur, nempe de Jesu, quod sit ille Filius & Christus Dei, tres nimirum isti quos dixerat, spiritus & aqua & sanguis, ut ita Jesus plenum numerum testium habeat, nam plures tribus testibus Lex ipsa non requirit, quin & duobus tantum contenta est. Verba autem illa ℣. 6, *quia spiritus est veritas*, in parenthesi legi debent. Qui ergo versiculum hunc septimum Joannis esse putant, ostendere debent, quomodo contextui conveniat & aptus sit? Quomodo Pater distincte testetur à spiritu? Quomodo item Spiritus Sanctus diversus sit à seipso testis? Quomodo porro ὁ λόγος qui Filius est, testimonium diversum sit à testimonio aquæ & sanguinis? Quomodo denique si Pater Sermo & Spiritus Sanctus unus sit Deus, testentur de suo Filio, ut patet ex ℣. 9, cum sermo sit ipse Filius, Spiritus autem Sanctus non habeat ullum Filium, & Filius aperte distinguatur à Deo qui solus esse Pater significatur ℣. 9, & 10, & 11. Sed si verba hæc versiculi septimi, recipienda sunt in contextum Apostolorum; Pater Deus ille unus & altissimus, qui in cælo habitat, testabatur de Jesu, cum cælestem illam vocem edidit, & ad Jordanem Christo baptizato, & in monte illo sancto Christo transfigurato: *Hic est Filius ille meus dilectus, in quo complacui*: λόγος, qui ipse Christus est, & nunc in cælis residet, testabatur de se, cum Stephanus protomartyr coram synedrio causam diceret, quo tempore vidit cælos apertos, & Jesum stantem a dextris Dei: hoc enim haud dubie fuit ipsius Jesu opus. Testabatur item de se in Sauli conversione, & aliis temporibus haud dubie sæpius. *Spiritus Sanctus* qui itidem in cælo est, tanquam fons istius spiritus qui in terram ad homines manat, testatur Jesum esse Dei Filium illum, testatur inquam per quendam effluxum suum, descendendo in Jesum, & in ejus discipulos specie visibili, & admirandos effectus in iis & per eos operando. Possumus etiam hoc trium istorum testimonium intelligere de omnibus iis, quæ Pater & ὁ λόγος, & Spiritus Sanctus (cujus fons in Deo, & sic in cælis est) fecerunt apud homines in testimonium de Jesu, & prædicationis ejus veritate. Omnia enim in quibus divinitas aliqua circa prædicationem Euangelii apparuit, Patri & τῷ λόγῳ, & Spiritui Sancto tribuenda sunt. Quo sensu versiculo sequenti vox *spiritus*, vitandæ tautologiæ causa, de solis Spiritus Sancti donis & effectis admirandis accipienda foret. Quod & ipsum argumento esset, verba hæc ℣. 7 Joannis haud esse: quia aut tautologiam in verba ejus inducerent, & unum testem bis numerari facerent, aut vocem *spiritus* ℣. 8, ad impropriam significationem redigerent. Ad tres personas quarum quælibet sit unus ille Deus, in explicatione loci istius confugere non datur; nisi aliunde prius demonstrentur. Nam ex hoc loco primum eas velle demonstrare irritum sit, cum locus hic longe aliam, eamque multo magis congruam interpretationem admittat. Nam ne ounc manifestam contradictionem objiciam, qua unus ille Deus de tribus distinctis personis & separatim dicitur, itemque Scripturæ clarissimam auctoritatem, quæ Dei voce cum articulo emphatico aut per antonomasiam, quâ unus ille Deus designatur, solum Patrem toties significat, & sic unum illum Deum Filio & Spiritui Sancto opponit; quid apertius est quam hoc loco tres adduci testes, ut ex eorum consensu veritatis capiatur argumentum, quod hic periret. Nam quid mirum esset eos inter se consentire qui unus idemque sint Deus, una eademque essentia?

Et hi tres unum sunt. Hoc addendum erat, quia de tribus istis tanquam testibus loquebatur. Nisi enim testes unum sint, frustra testium numerus adducitur, & causæ magis nocet quam prodest: quo sensu vero dicatur testes esse unum, quisque intelligit, nempe eos licet essentiis multos ac differentes, inter se plane consentire, & unum esse eorum testimonium, non numero sed consensu. Hic ergo ipse locus refutat eos, qui Patrem, Sermonem & Spiritum Sanctum unum esse Deum dici existimant. Nam si hoc verum esset, profecto non tres sed unus tantum testis omnes isti essent. Unus enim Deus, non nisi unus testis est, licet omni exceptione major.

Vers. 8. *Et tres sunt qui testantur in terra, Spiritus & Aqua & Sanguis, & hi tres unum sunt.* Particula conjunctiva & expungenda foret si ℣. 7 expungatur, & pro ea ponenda foret particula causalis initio ℣. 7 posita. Verba etiam, *tres sunt qui testantur*, ℣. 7 jam posita sunt, ut ea repetere non sit opus. De verbis *in terra*, jam supra egimus.

Primus testis nominatur *Spiritus*, nempe Sanctus: qui duplici ratione testatur, ut supra monuimus, Jesum esse Christum Dei Filium; tum quatenus a Deo dabatur istud credentibus: quo respiciens Apostolus Petrus: *Et nos*, inquit, *testes ipsius sumus, verborum istorum, & Spiritus Sancti, quem dedit Deus obtemperantibus ipsi* Act. v. 32, tum quatenus per credentes Jesum esse Christum, divinos & admirandos effectus producebat, tam in linguis eorum & sermonibus, quam in factis & operibus: quo pertinent illa Christi ipsius verba: *Signa vero eos qui crediderint hæc consequentur; in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis &c* Marc. xvi. 17, 18. Utrumque istorum complexus est Auctor ad Hebræos cap. 2. 4, cum ait: *Deum contestatum fuisse signis & prodigiis & variis potentiis, & Spiritus Sancti partitionibus secundum suam voluntatem.* Quod autem ad Jesum ipsum attinet, qui tanquam primus fidei istius dux & auctor hic spectatur, is tanta Spiritus Divini copia, tantisque illis donis & effectis instructus fuit; ut non solum eum a Deo missum esse & vera dicere ac docere; sed etiam Christum & Filium illum Dei esse, liquido appareret.

Et aqua. Secundus testis. Aqua diximus, per metonymiam causæ, puritatem significari, puritatem nimirum spiritualem, quæ sola in tali testimonio spectatur: quam puritatem etiam efficit aqua spiritualis, id est veritas divina, seu sermo Dei.

Dei. Cujus certissimus effectus, simulque signum ac indicium est vitæ puritas & innocentia; quæ propterea merito inter testes de Jesu, quod vera docuerit, collocatur. Tanta vero vitæ puritas & innocentia fuit in Jesu, ut nullius unquam peccati coargui potuerit, omnis vitii expers; quod quia de nullo unquam homine dici potuit, propterea non tantum à Deo missus esse, sicut alii Prophetæ, sed etiam Christus ille Dei esse manifeste ostenditur.

Tertius testis est *sanguis*, nempe per eandem metonymiam, sanguinis effusio, qua Jesus prædicationem suam, seu ea quæ docebat & prædicabat, obsignavit. Non fudit, seu fundi passus est suum sanguinem propter aliquod crimen aut culpam suam; sed quod constanter assereret se Christum & Filium illum Dei esse: cui confessioni & assertioni nunquam fuisset immortuus, si mendacii & imposturæ hac in re sibi fuisset conscius. Non potuisset autem conscius non esse, si hoc mendacium & impostura erat, non ipsa veritas. Arduum est pro veritate mori. At qui sciat se mentiri, quo pacto pro mendacio mortem obibit? Hi sunt tres testes Christianæ veritatis prorsus invicti. Observandum vero est testes istos non solum ipsi Jesu, sed & Apostolis ejus adfuisse, qui omnes divino spiritu præditi, Jesum factum esse Christum, Deique Filium ex resurrectione à mortuis definitum annuntiabant Act. 2.36. Rom. 1. 4. Cujus divini spiritus varia in illis conspiciebantur effecta; sapientia tanta, cui nullum humanum ingenium posset resistere, linguarum donum, quas nunquam didicerant, ut omnibus linguis prædicarent maxima miracula quæ in Jesu nomine patrabant ut Jesum regnare appareret, ut erat mortuorum excitatio, Spiritus Sancti datio per Apostolorum fidem, sed quod etiam inter dona spiritus recensetur. Alia, ut sanationes & similia fiebant per spiritum qui in illis habitabat. Christus autem quod Dei Filium decebat superior omnibus hac etiam in parte erat, ut omnia spiritu in se habitante, (quem sequentium temporum Christiani divinam in Christo naturam dicebant) & solo jussu perficeret. Sed tamen Patris honori hoc dabat, ut Patri, inspectante populo, gratias ageret, quod se exaudierit Joan. XI. 41, 42. Adsuit & tertius testis *sanguis*. Fere enim omnes pro Christi nomine & pro eo quod oculis suis viderint & diu multumque spectaverint, eum à mortuis resuscitatum, & ad regnum suum capessendum in cælos sublatum, proindein cælis ac in terris rerum omnium potestatem adeptum esse, sanguinem suum profuderunt. Et si ullus eorum morte violenta ob hujus rei prædicationem extinctus non est; hoc non ideo probat, ut pro hac veritate mortem detrectaret, sed quod ab adversariis veritatis occidi à Deo non permitteretur, quod de hoc ipso Joanne traditur. Idem spiritus & aqua & sanguis in Apostolorum discipulis conspectus est. Nam per Apostolorum manus Spiritum Sanctum accipiebant, & linguis loquebantur variis, & miracula in Jesu Christi nomine faciebant, plurimi eorum vitam sanctissimam agebant, & pro Christi nomine acerba & mortem ipsam passi sunt. Quarum omnium rerum testimonio evincitur eos non mendacia sed veritatem divinam ab Apostolis accepisse.

Et hi tres in unum sunt. Latinus interpres eodem modo legit ut supra, *& hi tres unum sunt.* Nec mihi dubium est Joannem sic scripsisse: sed qui superioribus verbis, unum essentia dici voluerunt, ne exemplo istorum trium testium, spiritus & aquæ & sanguinis revincerentur, lectionem hic mutaverunt addita vocula *in*, & inusitate, & frustra. Inusitate, quia tres testes in unum esse dici phrasis est insolita. Frustra, quia hic unum nequit intelligi de essentiæ unitate, quis enim nesciat spiritum & aquam & sanguinem essentia unum haud esse? Sed de solo consensu. Unde & superius *unum* de solo consensu intelligi nihil prohibet; cum hoc adeo usitate dicatur, præsertim de testibus, ut etiamsi tres testes *unus* esse dicerentur; non aliter tamen hoc intelligi deberet, quam eos sic consentire, quasi unus idemque testis essent. Sic & Christiani omnes, unus esse dicuntur ab Apostolo Gal. III. 28, quod omnibus ita inter se conveniat ac si unus homo essent. Unde & Lucas, *multitudinis credentium*, inquit, *erat cor unum & anima una* Act. IV. 32. Et etiamsi particulam *in* legamus, id ipsum tamen verbis istis dicitur, quod tres isti unum sint, particula *in* ex Hebraica consuetudine adjecta, sicut in illis verbis, *erunt duo in carnem unam* Eph. V. 32, id est duo erunt caro una Matth. XIX. 5, 6. 1 Cor. VI. 16, sic Adam Hebræa phrasi dicitur esse factus *in animam viventem*, id est anima vivens, ultimus vero Adam *in spiritum vivificantem*, id est spiritus vivificans 1 Cor. XV. 45. Sunt & codices qui verba hæc in versu 8 prorsus non legunt, eandem quam diximus haud dubie ob causam. Sed tantum abest ut hic omitti, ad superiores vero testes apponi debuerint; ut non aliter quam post testes omnes enumeratos ea poni convenerit, ad ostendendam testium istorum omnium unitatem & consensum. Ipsi profecto adversum sese suspiciones congerunt, ne quis huic loco manum alienam defuisse dubitet.

Vers. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Quo pacto hæc verba cum superioribus cohæreant mox videbimus. Argumentatur Apostolus à minori ad majus, ut evincat testimonium Dei nullo pacto à nobis rejiciendum esse. *Si testimonium*, inquit, *hominum accipimus*, id est recipimus, simplex pro composito, Hebræorum more, qui compositis verbis carent, nempe hominum fide dignorum. Recipere testimonium, est testimonium ratum habere, ei credere & assentiri.

Testimonium Dei majus est. Concise loquitur, & causam consequentiæ ponit pro consequente. Dicere enim debuerat, quanto magis testimonium Dei accipiendum est? Causa consequentiæ est, quia testimonium Dei majus est quam testimonium hominum, quanto Deus major est omnibus hominibus, etiam fide dignissimis, tanto & testimonium Dei majus est quorumvis hominum testimonio. Majus & majoris dignitatis & ponderis. Unius Dei testimonium pluris est quam totius mundi testimonium.

Quia hoc est testimonium Dei, quod testatus est de Filio suo. Reddit causam cur argumento illo utatur. Dicere aliquis poterat, quid hic facit testimonii Dei mentio, & cum hominum testimonio comparatio?

paratio? Atqui testimonii Dei nullam fecisti mentionem. Feci, inquit Apostolus, quia hoc quod dixi testimonium, Dei ipsius testimonium est. Is enim & spiritum hunc largitur, & quæ per spiritum fiunt opera, ipsius Dei opera sunt, & tanta vitæ puritas, tantaque pro Jesu Christi nomine ad mortem usque & sanguinem constantia, nonnisi Deum auctorem habet. Hic iterum argumentum peti potest versum septimum Joannis haud esse. An enim opus fuisset dicere, hoc de quo egerat, esse Dei testimonium, & Patrem Deum esse? An Filium distinxisset à sermone, & sermonem dixisset testatum esse de Filio? An solum Patrem voce Dei designasset, exclusis & Filio & Spiritu Sancto? An solum spiritus & aquæ & sanguinis testimonium, Dei testimonium esse dixisset, & testimonium Patris & sermonis & Spiritus Sancti neglexisset? *Hoc*, scilicet quod dixi testimonium spiritus & aquæ & sanguinis, *est Dei testimonium, quod testatus est de Filio suo.* Proinde de eo quod Jesus sit ejus Filius, ille singularissimus, ille Christus ejus. Jam monuimus Filii Dei illius singularis appellationem, & appellationem illius Christi singularis esse synonyma, & utramque inter se permutari. Vides hic & in sequentibus Deum, haud dubie illum unum, & Filium ejus, contradictoriè opponi. Sic & Spiritus Sanctus Deo opponitur quoties Dei spiritus appellatur.

Vers. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso &c.* Ostendit Apostolus quis sit fructus, si quis credat Jesum esse Dei Filium; hic nimirum, quod habeat testimonium, intellige Dei in seipso, hoc est, quod Dei testimonium receperit & in animum suum admiserit. Idipsum est quod testimonium accipere ℣. 9. Porro pro eo quod dicere debuit, qui credit Jesum esse Dei Filium, dicit istius rei consequentiam seu effectum, *qui credit in Filium Dei.* Credere vero in Dei Filium est ei confidere & obtemperare, qui fiduciæ istius effectus est, isque talis à quo fiducia mente quidem & cogitatione separari potest, reipsa non potest. Neque enim confidere ei dici possum, cui promittenti aliquid, si faciam quod jubet, non obtempero. *Filius Dei* accipitur hic *κατ' ἐξοχὴν*, pro Christo illo, mundi Servatore, à Prophetis prænunciato, & à Deo ante secula præcognito. Ideoque ad vocem Filii additur articulus emphaticus, singularem illum Filium Dei designans.

Qui non credit Deo, mendacem fecit ipsum. E contrario docet quantum in ea re sit mali si quis Dei testimonio non credat, hoc nempe quod Deum fecerit mendacem. Testimonio Dei non credere & Deo non credere eadem sunt.

Quia non credidit in testimonium quod testatus est Deus de Filio suo. Credere in testimonium est credere testimonio, Hebræa phrasi, quæ etiam est in symbolo, credo in Spiritum Sanctum, in ecclesiam, in communionem Sanctorum, in peccatorum remissionem, in carnis resurrectionem, in vitam æternam. *Quod testatus est Deus de Filio suo.* Quasi dicat, Deus de Filio suo testatus est, nempe Jesum esse Filium illum suum: huic testimonio qui non credit, Deum certe fecit mendacem. Ideo enim non credit quod Deum vera testari non putet. Nam si quis dicat, se nescire an hoc sit Dei testimonium, ignorantiam inexcusabilem culpæ prætexit & culpam auget. Scire enim facile posset si vellet. Sic ebrietas crimen non excusat sed gravius reddit.

Vers. 11. *Et hoc est testimonium quod vitam æternam nobis dedit Deus, & hæc vita in Filio ejus est.* Docet Apostolus quantopere sibi ipsi noceat qui huic testimonio non credat. Neque enim hoc Dei testimonium continet rem aliquam ad nos non pertinentem, sed eam quæ maxime ad nos & summam beatitudinem nostram spectet.

Et hoc est testimonium. Et hoc continet testimonium istud Dei de Jesu, per synecdochen totius pro parte, vel continentis pro contento.

Quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus est. Duo continet, unum est quod nobis Deus dederit vitam æternam. *Dedit*, & dare constituit, & promisit, *nobis*, nempe hominibus morti subjectis, quibus nihil optabilius esse potest quam vita, eaque sempiterna, mortis proinde & malorum omnium expers, omnium vero bonorum plenissima. Si enim Jesus est Dei Filius ille singularis, necesse est ut promissiones ejus sint verissimæ, proinde vitæ æternæ promissio quam is Dei nomine attulit & annunciavit, verissima sit. Argumentum hinc peti potest, non ante veram & claram vitæ æternæ promissionem mundo affulsisse, quam Dei Filius ille venit, & cum Dei Filium illum esse constitit. Alterum quod in hoc testimonio continetur est, quod hæc vita, nempe æterna, in ipsius Filio sit, & in Filii Dei manu & potestate & dispositione: adeo ut nemo eam possit adipisci, nisi Filii Dei beneficio & per fidem in ipsum: quam ob causam etiam se dixit resurrectionem & vitam. Unde constat quanto sese bono privent qui testimonio Dei non credant: quamque non in Deum tantum; sed etiam in seipsos peccent.

Vers. 12. *Qui habet Filium, habet vitam.* Hoc consequitur ex priore. Nam si vita est in Filio, certe *qui habet Filium, habet vitam.* Habere Filium, est in ipsum credere, ut ℣. 10 dicitur. Qui enim in Dei Filium credit, per hanc fidem Filium Dei ordinaria via suum facit, & ejus gratiam & favorem adipiscitur. Nam extra ordinem Filio Dei licet vitam dare cui velit.

Habet vitam. Et nunc jus vitæ habet, suo tempore ipsam vitam habebit. Quo respectu *habet*, ponitur per enallagen, pro habebit.

Qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Ne quis putet se etiam citra Filium Dei posse vitam æternam habere. Negat hoc Johannes, idque merito. Nam si in Dei Filio vita est, imo si Dei Filius est vita, profecto sicut citra vitam nemo habere potest vitam, sic neque citra Dei Filium. Quid vero sit non habere Dei Filium, facile intelligitur ex contrario, sicut & non habere vitam. Porro vox *vita*, æternam significat vitam versu 11 nominatam, quod indicat articulus emphaticus voci vitæ oppositus in Græco. Notandum vero est vitæ

æternæ

æternæ adeptionem, adstringi ad fidem in Dei Filium, respectu temporum Euangelii quibus Dei Filius apparuit, & eorum hominum qui credendi in ipsum causas & occasiones habuerunt. Cæterum quorumvis & temporum & hominum respectu nemini sine Filii Dei beneficio vita æterna continget.

Vers. 13. *Hæc scripsi vobis qui creditis in nomen Filii Dei* &c. Docet quibus hæc superiora scripserit, nempe iis qui credunt in nomen Filii Dei & in Dei Filium, consueto Hebraismo, nominis pro illo ipso quem nomen designat cap. 2. 12. III. 23.

Ut sciatis quod vitam æternam habeatis. Docet quo fine ista illis scripserit, ut scirent quod vitam æternam haberent & certo cognoscerent, nec ullum de ea re dubium haberent, cognitis nimirum istius rei causis certissimis, quarum explicationem vidimus. Habetis & habituri estis, tam certo ac si jam reipsa haberetis. Ex his Joannis verbis intelligimus, credere, certis & minime fallacibus de causis, esse quoddam scire. Unde & non raro ab Apostolis scire ponitur pro credere. Est quidem fides credere quod non vides, sed neutiquam fides est credere quod ipse quid sit nescias.

Et ut credatis in nomen Filii Dei. Alium finem notat, *ut credatis*, & ut constanter credatis, neque vos ab hac fide ullo modo avelli patiamini; scientes quantum bonum vos maneat si in nomen Filii Dei constanter credideritis. Potest enim aliquis credere, postea tamen credere desinere, & à fide deficere. Nam si hoc fieri non posset, nihil erat opus, ut Joannes ne id fieret, scribendi laborem susciperet. Ideo toties Scriptura nos hortatur ad perseverantiam & constantiam: & Paulus ipse, tantus Apostolus, omni ope annitebatur ne reprobus fieret, si vel à fide defecisset, vel fidei tam sanctæ, moribus non respondisset 1 Cor. IX ℣. ult.

Vers. 14. *Et hæc est parrhesia quam habemus erga ipsum* &c. Docet quem fructum & in hac vita habeamus, fidei istius nostræ parrhesiam, nempe erga ipsummet Deum, quanquam & Christus una cum Deo potest intelligi. Magnum est parrhesiam habere erga aliquem hominem potentem, puta Regem vel Imperatorem: quanto vero majus est parrhesiam habere erga ipsum Deum, rerum omnium creatorem, & erga ejus Filium, Regem Regum, ac Dominum Dominantium ab ipso effectum. Parrhesia est, cum quis coram aliquo libere & omni metu solutus loquitur, quod convenit ac decet. Hanc parrhesiam habemus erga Deum, qui in nomine Filii Dei credimus, semper nobis aditus & accessus ad Deum patet, & facultas libere orandi coram ipso, & petendi ab ipso quæ volumus.

Quam parrhesiam ipse Johannes statim explicat, cum ait: *quod si quid petamus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Quibus verbis docet qua in re sita sit ista parrhesia erga Deum, quod nobis scilicet liceat orare ab ipso quæ volumus, dummodo ea quæ volumus cum Dei voluntate consentiant, & quod nobis semper Deus patulas & propitias præbeat aures; nunquam aures suas ab orationibus & petitionibus nostris avertat; sed potius paterno affectu ad preces nostras inclinet. De precibus secundum Dei voluntatem supra diximus cap. III. 22. Ingens hic profecto fidei nostræ in Dei Filium fructus est. Nam quid ex eo consequatur statim addit Apostolus.

Vers. 15. *Et si scimus quod audit nos, quicquid petierimus scimus.* Docet Joannes quid ex eo consequatur, cum Deus benignas aures præbet petitionibus nostris, id nimirum, *quod habemus petita qua petimus ab ipso. Habemus*, id est habituri sumus. Merito ex benigna & paterna precum nostrarum auditione, earum effectum infert, 1. quia Deus nobis omnia dare & exhibere potest, 2. quod preces nostras benevolo affectu accipiens, dare nobis ea quæ petimus vult. Etsi vero non semper ipso momento Deus præstet ea quæ petimus; Joannes tamen nos ea habere dixit, quia tam certo habituri sumus, quam si ea haberemus. Porro sicut ex benigna auditione consequitur precum effectus; sic ex scientia benignæ auditionis consequitur scientia adeptionis eorum quæ petimus. Qua in re magnum est solatium. Quid enim optabilius quam scire preces nostras non esse nec fore irritas? Non possumus autem nescire Deum benignas precibus nostris præbere aures, si parrhesiam illam erga Deum habemus. Hanc vero non possumus non habere, si in Dei Filium credimus: Ita omnia inter se apta ac nexa sunt.

Vers. 16. *Si quis videat fratrem suum peccantem peccatum non ad mortem.* Effectum quendam precum nostrarum, eumque valde eximium, commemorat, qui ad alium spectat; eo ipso ostendens Deum multo magis nobis daturum ea quæ ad quemque nostrum pertinent. Nam si in gratiam nostri alteri benefacit Deus, quanto magis nobis ipsis seu cuique nostrum benefaciet? Non vulgare autem beneficium commemorat quod alteri, nempe fratri, exoraturi simus; scilicet vitam ipsam, nempe æternam, quæ sola digna est vita absolute nominari.

Hanc conditionem tamen apponit Apostolus, si oremus *pro fratre peccante peccatum non ad mortem.* Quod ut intelligamus, notandum est peccata in fratribus triplicis esse generis. Quædam sunt quæ Deus omnino vult remittere, lapsus scilicet & imperfectiones illas quæ cum regeneratione & ambulatione secundum Spiritum Sanctum non pugnant. Quædam sunt quæ Deus omnino non vult remittere, sed æterna morte plane constituit plectere: quædam denique medii sunt generis, quæ nec omnino vult remittere, nec omnino non vult. De primi generis peccatis non agit Joannes, quæ etsi quotidie deprecanda sunt, fœdere tamen eorum remissio cauta est. Pro secundi generis peccatis frustraneum est & inutile. Pro tertii generis orare, utile & efficax. Fratris etiam nomine intelligendus est Christianus, qui vel professione adhuc sit Christianus, vel saltem fuit, cujus quod sit peccatum ad mortem, quod vero non ad mortem, id est quod secundi, quod tertii generis sit, magis in singulari dignosci potest; (ut merito Joannes dixerit, *si quis videat fratrem suum pec-*

cantem non ad mortem, significans rem istam oculis quodammodo cujusque subjectam esse;) quam in genere definiri. Si tamen in genere loquamur, peccatum in fratre ad mortem; (ut de hoc prius agamus, & ex eo simul intelligamus ejus contrarium, peccatum non ad mortem;) primum est, si is qui frater sit, sciens prudens Spiritum Sanctum blasphemet, & Diabolum vel Diaboli spiritum appellet, quæ blasphemia vulgo peccatum in Spiritum Sanctum vocatur, nimium generali nomine, cum & aliis modis in Spiritum Sanctum peccari possit præter blasphemiam, quæ tantum crimen est, ut ullam apud Deum, sive in hoc, sive in futuro seculo, remissionem habere negetur ab ipso Dei Filio Matth. XII. 31, 32. Deinde, peccatum in fratre ad mortem, videtur esse actus aliquis valde enormis, ex radice quadam vitiosa & alte insita profectus, ut puta, si quis à veritatis professione & ecclesia contra conscientiam recedat, propter opum, honorum, voluptatum cupiditatem; Esavo illi simillimus, vel potius eo multo deterior, præsertim si etiam veritatem blasphemet, aut ejus professores infectetur, ut tanto magis fidem simulationi suæ adstruat. Hoc enim si à sciente & prudente fiat, gravissimum crimen est, & valde vicinum blasphemiæ Spiritus Sancti. Ideo & Christus, cum interfectoribus suis culpam remitti petit, hanc causam adfert, quod nesciant quid faciant, & Apostolus sese misericordiam consecutus dicit, quod ignorans ecclesiam sit persecutus. Uterque & Christus & Apostolus significans, si peccato isti scientia vel conscientia adfuisset, nullum futurum fuisse veniæ & misericordiæ locum. Huc pertinet & id quod Paulus dixit Actor. XIII: 27. Tertio, si quis pro fratre se gerens, pretii causa fratrem, aut quod majus est, ecclesiæ ministrum in manus hostium tradat, Judam proditorem imitatus, qui Christum prodidit, idque illi exitiosum plane fuit. Quarto, si quis hæreseos aut perniciosi dogmatis, ex mera ambitione, aut ob quæstum auctor sit, & propugnator, vel sectator. Ideo Apostolus hæreticum, si semel atque iterum admonitus non resipiscat, vitari præcepit, monens hunc perversum esse, & peccare αὐτοκατάκριτος, id est à seipso damnatum; scit se peccare, & ipse se damnat, nihilo secus tamen peccat, & peccatum suum defendit. Frustra igitur fit, si eum tanquam ignorantem coneris in viam revocare & reducere, cum ipse forte melius quam tu & errare se sciat & viam norit, quam sciens prudens deseruit. Quinto, si in aliquo fratre sint habitus peccatorum gravium, puta avaritiæ, ambitionis, fastus, vitæ voluptariæ & impuræ, valde inveterati & inoliti, qui jam veluti in naturam abierint. Quibus habitibus merito accenseri debent & alii actus, qui si à fratre committantur, sicut nullam excusationem & commiserationem habent, sic & omni venia videntur prorsus indigni, parricidium puta, fratricidium, & alii his similes nimium graves & fœdi actus, ut si quis frater latrocinia exerceat & homines occidat spoliorum & lucri gratia, aut si Dei metu plane excusso, peccatis totum se dedat, inque iis non exiguo tempore volutetur, cujus conscientia callum obduxit, & multis cauteriis est inusta; aut doctorem vel ministrum ecclesiæ agens, aliosque pietatem docens, ipse interea clam peccatis per longum tempus indulgeat, & postea detecto fuco & larva detracta turpis appareat, magno cum ecclesiæ scandalo, aut sese irrisoribus Christianæ veritatis & pietatis associet, eamque ludibriis & dictis procacibus incessat. Possent & alia hujusmodi plura peccata colligi, sed ex his facile est judicium ferre de cæteris. Breviter, peccatum ad mortem illud est, cujus pœnitudinem Deus non admittit, seu non permittit, vel ob nimiam & omni venia indignam gravitatem, præsertim in homine Christi cognitionem adepto, vel quod præstitutum à Deo pœnitentiæ tempus jam effluxerit, qua diu multumque exspectata, nihil aliud profectum sit, quam ut peccata in cumulum tanto majorem excrescerent. Quo pertinet locus Pauli Rom. 2. 4, 5. Sic Esau, homo profanus, revocare benedictionem non valuit, quamvis patrem lachrymis & ejulatu ad pœnitentiam flectere conatus fit Hebr. XII. 17. Sic Israëlitæ in deserto frustra pœnitentiam agebant & Deo obtemperare volebant, postquam Deum, toties tentatum & indignissimis modis habitum, implacabilem sibi reddidissent. Sic & Prophetas vetat Deus pro populo orare, quod jam amplius exorari & ad misericordiam flecti nollet. Nimirum Deus noster non frustra ignis consumens dicitur Heb. XII. 29, cui propterea non cum pudore tantum, sed etiam cum tremore serviendum sit. Nunc ad peccatum non ad mortem veniamus: cujus ratio ex peccato ad mortem facile intelligitur. Illud nimirum peccatum non ad mortem Joanni esse, in quo veniæ & pœnitentiæ locus adhuc relictus est, quamvis, nisi vera pœnitentia consequeretur, mortem & damnationem haud dubiam allaturum esset: quales in fratribus sunt enormiores actus, qui tamen aliquam habere possunt excusationem & commiserationem: ut verbi causa, apostasia per seductionem erroris, aut juvenilis & immaturæ ætatis, mundi illecebris captæ, veritatis item abnegatio, metu mortis & tormentorum expressa, aliique similes actus; qui etsi hominis Christi spiritu carnem edomitam habentis, naturam & rationem tollunt; humani tamen sunt, & si pœnitentia seria ac tempestiva accedat, venia & misericordia non indigni. Ad idem peccatum referendi sunt & peccatorum habitus nondum plane inveterati; præsertim in iis quorum alioqui egregia exstiterunt facta & opera in fide erga Deum, & charitate erga fratres; qua de re loquitur Auctor ad Hebræos cap. VI. 9, 10. Istis igitur qui his & similibus modis peccant, non simpliciter vita exoranda est, sed vitæ emendatio; quam exorando, vitam iis exoramus. Exoramus vero illis vitæ emendationem, cum ad preces nostras Deus illis concedit & spacium, & peculiares ac efficaces causas ad pœnitendum; etiamsi forte eorum pertinacia effectus non consequatur: cum Deus vim nemini hac in parte afferat, ut virtuti & vitio, præmio & pœnæ locus sit. Celebria illa Auctoris ad Hebræos VI. 3, 4, 5, 6, & X. 26, 27 & seqq. & 2 Petr. 2. 20, & sequentibus dicta, quia de iis agunt, qui

vel

vel à veritate, vel à pietate Christiana deficiunt; quatenus peccatum ad mortem, & peccatum non ad mortem, seu peccatum in quo veniæ adhuc locus sit, & in quo non sit, designent, ex iis quæ diximus non difficile est intelligere. Illud notandum est, non negare auctorem ad Hebr. cap. x. 26, omni qui post acceptam veritatis cognitionem, *voluntarie*, id est ultro & dedita opera peccet, restare pœnitentiæ locum; sed tantum restare negat victimam. Sensus est, Christi sanguine purgatum non iri voluntaria peccata post veritatis notitiam admissa, sicut purgata sunt ante veritatis cognitionem perpetrata: sed oppertere omnino peccata ista deponere, idque quam primum antequam tempus gratiæ & pœnitentiæ prætersluat. Nam qui ad Christum convertebantur, protinus per Christi victimam ab omnibus antea-ctis purgabantur peccatis, id est eorum reatu, iisque justitia imputabatur, ut si eos illo temporis articulo vita defecisset, gloria illa cælesti non exciderent. Sed alia ratio est eorum quorum post conversionem vita producitur, & spacium peccata deponendi datur. Isti nisi peccata exuant, nullum ex victima & sanguine Christi fructum & solatium polliceri sibi debent; qui morte sua pro peccatis nostris, non licentiam peccandi induxit, sed nos ad moriendum peccatis & vivendum justitiæ penitus obligavit. Sunt & alii quidam viriosi habitus, non ex vitiis illis gravioribus, sed ex levioribus & magis innocuis, quique alicui innati, & ab ipsa stirpe tracti esse videntur, semper oppugnati, nunquam tamen penitus expugnati, quorum reatus, etiamsi ordinaria Novi Fœderis gratia, nisi plane excutiantur, tolli nequeat, nihil tamen impedit quominus in tali fratris periculo extraordinariam Dei gratiam imploremus, precibusque ardentibus ambiamus, saltem ut Deus temporaria aliqua pœna contentus, à vita hominem non arceat sempiterna, præsertim si magnarum compensatione virtutum, vitium hoc minuatur. Solet enim Deus Heroicis virtutibus, qualis est mortem pro Christo & justitia oppetere, omnia delicta condonare. Solet etiam æternam pœnam, quæ vitæ immortalis privatio est, in temporariam aliquam commutare. Quo spectant illa Apostoli verba: *Multi ex vobis obdormiverunt, ne cum mundo damnarentur* 1 Cor. xi. 30, 31, 32: quasi dicat, vita hac ante tempus privati sunt, ut hac pœna peccata sua expiarent, ne æterna vita privarentur. Ideo idem Apostolus, *nullam damnationem iis esse* dicit, *qui in Christo Jesu non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant* Rom. viii. 1, significans, iis qui aliqua ex parte secundum carnem, non secundum spiritum ambulent, aliquam, etiamsi non æternam damnationem metuendam esse. Omnes per fidem in Christum facti sumus Dei Filii & à Deo adoptati. Pater vero etiamsi potestatem habeat ut filium, si mereatur, ab hæreditate arceat; liberum illi tamen est clementius ac benignius agere, præsertim si pro tali filio aliorum in omnibus patri obsequentium filiorum solicitæ preces & supplicationes accedant. Inde etiam pro talibus jam vita unctis orare charitati consentaneum est, quam non vivis tantum, sed & mortuis fratribus exhiberi convenit. Necdum enim Judex vivorum & mortuorum venit, proinde necdum sententiam decretoriam de quolibet tulit, saltem nondum eam executus est, adhuc intercessionibus locus relinquitur apud eum cui omnes vivunt, etiam mortui, id est, qui mortuos in vitam revocat, & ea quæ non sunt appellat tanquam ea quæ sunt Rom. iv. 17. Preces tamen istæ, divinæ subjiciendæ sunt voluntati, nec pro medio salutis, quod tollere nequeat, arripiendæ. Tutissima ad salutem est via, non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulare. His quæ diximus de peccato ad mortem, cujus nec venia datur ulla, nec recipitur pœnitentia, (nam Deus etiam pessimos & induratissimos, si velint bene agere, proprie loquendo non prohibet, nec ut in peccatis perseverent, proprie loquendo unquam facit) contraria non sunt illa verba Dei apud Prophetas, quibus jurat se nolle mortem peccatoris, eumque pœnitentem & conversum sese velle in gratiam recipere. Nam primum, recte dicitur nullam esse regulam, quæ non exceptionem admittat. Hic sane, vel sola Spiritus Sancti blasphemia, Christo auctore, excipienda foret. Deinde, sicut omnia, sic & Dei gratia istis verbis declarata, suis temporibus, suis limitibus definita est. *Tempore accepto*, inquit ipse Deus, *exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tibi.* Et Propheta. *Quærite Dominum*, inquit, *dum inveniri potest, invocate eum dum prope est:* Nec frustra Psaltes Psal. lv. 6, & ex eo auctor ad Hebræos cap. iii. 15: *Hodie*, inquit, *cum audiveritis vocem Dei, ne induretis corda vestra*, significans non semper huic rei tempus opportunum fore. Non semper est tempus acceptum, non semper dies salutis, non semper Deus inveniri potest, non semper prope est, non semper dici poterit, hodie non indurare corda vestra, cum dies aderit pœnæ, & dies præterierit obedientiæ. Quod & Israëlitæ randem maximo suo malo in deserto experti sunt. Venit enim & dies iræ ac justi judicii Dei, quo frustra peccatores gratiam implorant, & pœnitentiam circumspiciunt, quod & Deus sæpe Prophetarum oraculis testatus est. *Invocabitis*, inquit, *& ego non exaudiam* &c & effectu comprobavit; maxime vero in ultimi judicii die comprobaturus est. Peccata quæ tam enormia sint, in iis qui Dei & Christi cognitionem fuerant adepti; ut divina sanctitate & justitia sit indignum eorum patratores regni sui hæredes facere, intra limites illius gratiæ à Prophetis celebratæ, multo vero clarius Novo Fœdere sancitæ, recipi non debent. Peccata quæ ab iis fiunt qui à Deo indurari dicuntur, si solam attendas indurationem, huc non pertinent: cum videamus Apostolum pro induratis Judæis diligenter orasse, & omnia conatum esse ut eos ad Christum converteret; & Deus indurare dicatur, cum homines ea quæ suæ saluti inserviunt, si probitas adsit, in alimentum & occasionem contumaciæ suæ trahunt & arripiunt. Quibus certe Deus proprie & per se neuriquam ad conversionem & pœnitentiam obstat; sed illi obstant sibimet

ſibimetipſis & proprie ac per ſe ſemetipſos indurant.

Petet, & vitam ipſi dabit. *Petet*, id eſt ſi petet. Vel etiam aſſerit, quod cujuſque officium eſt, ut fratrem de ſalute periclitantem juvet, præſertim ſi precibus eum juvare poſſit: quarum profecto non magnum impendium eſt. *Et dabit ipſi vitam.* Effectum precum exprimit, docens non fore preces irritas. *Dabit ipſi vitam*, id eſt cauſa erit per ſuas preces & interceſſiones, ut ei vita æterna, res omnium præſtantiſſima, detur. Similem loquendi modum vide 1 Tim. IV. 16. Jac. V. 15, 20. Sic & Chriſtus Luc. XVI. 9, *ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Pauperes proprie loquendo hoc non facient, ſed cauſa erunt ut Deus id faciat. Pauperum enim ſunt illa tabernacula. Ergo ſi cum pauperibus partem habere volumus in illis tabernaculis futuri ſeculi, habeant & illi nobiſcum partem in hujus ſeculi opibus.

Peccantibus non ad mortem. Hoc addit ut doceat ſe non de aliis fratribus loqui, ſed de iis ſolis qui peccent non ad mortem: ne quis in omnibus fratribus peccantibus, ſine ulla diſtinctione, preces ſuas valituras putet. Loquitur nunc in plurali, cum antea loqueretur in ſingulari; ut oſtendat ſe non unum aliquem; ſed quemlibet fratrem, quamvis plures ſint, dummodo non ad mortem peccent, intelligere.

Eſt peccatum ad mortem. Cauſam exprimit cur diſtincte de peccato non ad mortem loquatur, quia etiam eſt peccatum ad mortem.

Non de illo dico ut roget. Non loquor de peccato ad mortem, ut ſcilicet quiſpiam roget illius remiſſionem ac veniam. Significat ſe nolle verba ſua de peccato ad mortem intelligi; neque ſe vel monere, ut quis pro peccante ad mortem oret, vel polliceri fore ut exaudiatur. Voces περὶ ἐκείνης ad verbum λέγω, referendæ ſunt, *ut roget*, intellige aliquis.

Verſ. 17. *Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum non ad mortem.* Quaſi dicat, peccatum latius patet quam ut ſolum peccatum ad mortem ſignificet. Latius vero patet, quia *omnis iniquitas*, id eſt, quicquid non fit ex æquo & juſto, quidquid in ſe iniquitatem aliquam habet, *peccatum eſt*. At vero non omne quod tale eſt, peccatum ad mortem eſt, id eſt nullam veniam habet, nulla pœnitentia elui poteſt. Ideo addit Apoſtolus quod ex priore conſequitur.

Et eſt peccatum non ad mortem. Quaſi dicat, & eſt conſequenter peccatum non ad mortem, quia & iniquitas datur, quæ non eſt ad mortem, id eſt cui adhuc locus pœnitentiæ & veniæ relictus eſt.

Verſ. 18. *Scimus quod omnis qui genitus eſt ex Deo, non peccat* &c. Addit hæc verba Apoſtolus ne quis ex ſuperius dictis licentiam aliquam peccandi ſibi uſurpet, cogitans, quia non omne peccatum ſit ad mortem, poſſe ſe tali peccato indulgere. Docet ergo tales cogitationes, multo vero magis actiones ipſas, in hominem ex Deo genitum non cadere. *Scimus*, inquit, *quod omnis qui ex Deo genitus eſt non peccat.* Merito dicit nos hoc ſcire, quia hoc res ipſa per ſe docet. Nam ex Deo genitum eſſe, eſt per fidem in Chriſtum ſanctitate & juſtitia ſimilem eſſe factum. At qui tales ſunt, certe non peccant, id eſt ultro & dedita opera, proinde nec graviter, nec ex conſuetudine, qua de re actum eſt ſuperius cap. III. 6, 9.

Sed qui genitus eſt ex Deo, cuſtodit ſeipſum. Ex contrario rem illuſtrat, ſeu rem contrariam de genito ex Deo affirmat.

Cuſtodit ſeipſum. Id eſt diligenter & ſumma cura ſibi ab omni peccato cavet, aſſiduus eſt ſuiipſius cuſtos & obſervator, ne unquam peccet, aut aliquid divinæ voluntati contrarium admittat. Cui profecto homini non eveniet ut vel in vitio aliquo hæreat ejuſque conſuetudine teneatur, vel enorme aliquod factum perpetret.

Et ille malus non tangit ipſum. Occurrit objectioni Apoſtolus. Poterat aliquis dicere, homini ex Deo nato non tantum luctam & certamen eſſe cum ipſo peccato, & peccati promotrice & adjutrice carne; ſed etiam cum Diabolo ipſo, quem ſuperare difficile ſit, & humanis viribus impar. Reſpondet Apoſtolus, hominem ex Deo natum tantis inſtructum eſſe à Deo viribus & tanta reſiſtendi Diabolo facultate, ut Diabolus non tantum vulnus aliquod, præſertim lethale, ei infligere, ſed ne tangere quidem eum poſſit, id eſt ad peccatum aliquod levius eum adducere, dummodo ipſe diligenter ſibi caveat, & ſuis utatur recte viribus & armis ad evitandos omnes ictus. Alludit Apoſtolus ad certamina athletarum aut inter ſe depugnantium. *Reſiſtite Diabolo*, inquit Jacobus, *& fugiet à vobis* cap. IV. 7. Diabolum nomine *mali*, adjecto articulo emphatico deſignat, quod ſit inſigniter malus & malorum, ſeu potius peſſimorum omnium peſſimus, & omnis malitiæ auctor.

Verſ. 19. *Scimus quod ex Deo ſumus, & mundus totus in malo jacet.* Addit & hæc verba Apoſtolus, ne nos mundi exempla corrumpant, oſtendens diverſiſſimam eſſe inter nos & mundum rationem, eamque nos optime ſcire. *Scimus*, inquit, *quod ex Deo ſumus*, id eſt ex Deo geniti per ſemen & ſermonem ejus. Deum igitur Patrem & auctorem noſtrum imitari debemus.

Et mundus totus in malo jacet. Id eſt, & hoc ſcimus quod totus mundus in malo jaceat, ideoque ne totius quidem mundi exemplum movere nos debet, ut quidquam veritati & pietati Chriſtianæ adverſum faciamus. Multitudo malorum nobis curanda non eſt. *Mali* nomine peccatum deſignari, & mundum in peccato jacere, id eſt in peccato volutari, eique plane eſſe deditum, illi tanquam ſtrato molliſſimo incubare. Sed quia eadem voce paulo ante Diabolum deſignavit, & Deo, cujus modo mentionem fecit, aptius opponatur diabolus, quam peccatum; excuſanda videtur hæc loquendi ratio, qua mundus in Diabolo jacere dicatur. Nam & is in aliquo jacere dicitur, qui alicui incumbit totus, ut mundus totus Diabolo, cui ſeſe totum permiſit. Diabolus eum fert, agit, rapit quo vult. Sic dicimur alicui incumbere, quod nihil aliud eſt quam

in

in aliquo cubare. Mundus igitur totus diabolo incumbit, eo sensu quo diximus.

Vers. 20. *Scimus vero quod Filius Dei venit & dedit nobis mentem &c.* Docet Apostolus, mundum non habere ullam excusationem quod in malo jaceat, eique totum sese permiserit, & unde factum sit, ut nos non jaceamus in malo, idque sciamus. *Scimus autem:* quasi dicat, mundus quidem in malo jacet; nos autem scimus, quod Filius Dei venerit & dederit nobis mentem &c. Iterum dicit *scimus*, quia Christiani optime sciunt Jesum esse Dei Filium illum, certissimis argumentis & rationibus edocti.

Dei Filius ille. Id est Christus ille, articulus singularem illum Dei Filium & Christum declarat.

Venit. Id est ad mundum, seu homines in mundo degentes. Quid vero sit venire ad homines, supra jam dictum est cap. iv. 1.

Et dedit nobis mentem. Nobis qui ipsi credimus, tam ex Gentibus, quam ex Judæis, quam dare vellet & toti mundo, si mundus eam vellet accipere. Græcus textus habet διάνοιαν, quæ vox non mentem & rationem, sed ratiocinationem significat, quia ratiocinatione devenimus in rerum notitiam, & sensus est quod nos Dei Filius deduxerit ad cognitionem veri Dei. Dedit autem nobis hanc διάνοιαν per sermonem & spiritum suum.

Ut cognoscamus illum verum. Intellige Deum: qui *verus* dicitur, quatenus idolis & falsis Diis, & ipsi diabolo mundi Deo opponitur. *Ille verus*, seu verus cum articulo excellentiæ indice dicitur, quatenus etiam veris Diis, tanquam eorum auctor & altissimus opponitur: quo sensu solus verus Deus appellatur inter alia Joan. xvij. 3. Cognoscere autem illum verum Deum, est à diabolo & idolis ac falsis Diis eorumque cultu ad veri Dei cultum conversum esse, ejus notitiam habere, ejus voluntatem plenam & perfectam scire. Cognitio enim ista veri Dei, respectu eorum qui ex Gentibus sunt conversi, latius extendenda est, quam respectu Judæorum: quatenus etiam illorum ignorantia latius patuit quam istorum. Judæi enim verum Deum colebant, Gentes veri Dei ignorantia, idolis & in illis diabolo serviebant. Cæterum tam Judæis quam Gentibus plenæ & perfectæ voluntatis divinæ notitia defuit, quam per Dei Filium omnes sunt adepti. Ad gentes ad Christum conversas pertinent illa Apostoli verba 1 Thess. j. 9: *Conversi estis ad Deum ab idolis, ut serviatis Deo viventi & vero, & exspectetis Filium ipsius ex cælis, quem suscitavit ex mortuis, Jesum, eripientem nos ab ira illa ventura.* Ex verbis Apostoli manifestum est, Filium illum Dei, distingui ab illo vero Deo, imo ei tanquam Filium Patri opponi.

Et sumus in illo vero. Id est Deo: quasi dicat, non tantum illum verum Deum cognoscimus, sed etiam *in illo sumus*, id est ei sumus insiti per fidem qua sermoni ejus credimus, proinde non jacemus amplius in illo malo, quod facit culpa sua totus mundus.

In filio ipsius Jesu Christo. Hæc verba non sunt appositio ad illum verum Deum declarandum. Nam si per illum verum Deum Filius intelligeretur, Filius diceretur esse sui ipsius Filius, quod contradictionem implicat. Verbis istis declarat Apostolus, eum per quem in illo vero Deo sumus, hunc nimirum esse Filium ipsius Jesum Christum: siquidem sermo Filii, est Patris sermo: & qui credit sermoni Filii, credit Patris sermoni. Unde & Filius dixit: *Qui in me credit, non credit in me, sed in eum qui misit me*, id est Patrem meum. Sumus autem in vero illo Deo, per Filium ejus Jesum Christum, tum quatenus Jesus Christus effecit ut in illo vero Deo essemus, tum quatenus dum in Filio ejus Jesu Christo sumus, in vero illo Deo sumus. Sic dicimur per Christum credere in Deum, quod credendo in Christum credamus in ipsum Deum. Porro in Dei Filio Jesu Christo sumus, dum ei inserimur credendo ipsius sermoni: & ita simul inserimur Patri. Particula *in* ponitur pro *per*. Neque novum est, ut in eodem orationis complexu particula *in*, nunc propriam habeat significationem, nunc accipiatur pro *per*, inter alia Rom. x. 8. 9: *Prope te est verbum in ore tuo*, & mox: *Si confitearis in ore tuo*, ubi priore loco *in* accipitur proprie, posteriore significat *per*. Similiter Ephes. iij. 21: *Ipsi gloria in ecclesia in Christo Jesu*: quibus in verbis prius *in* propriam habet significationem, posterius significat *per*. Vide & Rom. xv. 13. Ephes. j. 3 & 6. Col. j. 16. ij. 7.

Hic est ille verus Deus, & vita æterna. Mirum est Christianos accepisse mentem ut cognoscant illum verum Deum, & tamen adeo amentes esse, ut pronomen *hic*, ad Jesum Christum, Filium illius veri Dei, referendum putent, idque etiam atque etiam prætendant. Atqui vidimus Joannem, semel iterumque Jesum Christum ab illo vero, scilicet Deo, aperte distinxisse, & tanquam Filium Patri opposuisse! Ajunt, verum illum Deum, & Patrem simul esse & Filium. At cum verus ille Deus unus tantum sit, profecto si simul sit & Pater & Filius, sui ipsius erit Pater & sui ipsius Filius. Negant hoc sequi, & ajunt, quamvis ille verus Deus unus tantum sit, eum nihilominus plures esse personas, earumque unam esse Patrem, alteram Filium. Hæc qui dicunt, manifeste sibi ipsis contradicunt. Et frustra cum iis disputes; qui omnis intellectus principium tollunt. Itaque his saniorem à Deo mentem precari malim quam cum iis disputare. Sed quid eos tandem cogit ut pronomen *hic*, ad Jesum Christum Filium illius veri Dei tam absurde referant? quia, inquiunt, Jesus Christus proximè ante pronomen istud nominatur. Hoc argumentum si firmum est, profecto ex Jesu Christo seductorem & Antichristum facient. Idem enim Joannes, sequente epist. ℣. 7, *Multi*, inquit, *seductores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venientem in carne. Hic est ille seductor & ille Antichristus.* Ubi non tantum Jesus Christus ante seductorem illum & Antichristum proxime nominatur, sed etiam nullum aliud nomen in singulari sibi respondens habet. Sunt & alia plura huic similia loca Act. vij. 19. x. 6. Sed & Paulus de eodem Antichristo agens postquam dixisset, *quem*, id est Antichristum, *Dominus consumet spiritu oris sui & destruet apparitione adventus sui*; protinus addit; *cujus est adventus secundum efficaciam Satanæ* 2 Thess. ij. 8. 9. Ubi similiter non tantum Domini, id est Jesu Christi, sed etiam adventus ejus proximè fecit mentionem. Non hoc spectandum est in talibus, quis proxime nominatus sit; sed de quo

principaliter agatur. At Joannes hic principaliter agit de illo vero Deo, cujus Filius est Jesus Christus, & Jesu Christi hactenus tantum facit mentionem, quatenus illius veri Dei Filius est, & quatenus nos ad veri Dei cognitionem deduxit, & quatenus per eum, & in eo, Deo illi vero sumus insiti. Ideoque pronomen *hic*, non ad alium quam ad illum, cujus Filius est Jesus Christus, id est ad Jesu Christi Patrem referendum est, vel ipso Jesu Christo auctore, (cujus vestigia hic legisse videtur Joannes) qui Patrem suum solum verum Deum esse dixit, & sese ab illo tanquam ejus Legatum distinxit Joannes xvij. 3. Ne quis putet, quod & illi objiciunt, propositionem fore tautologicam, quasi dictum sit, *hic verus Deus, est verus Deus*, nisi verba ista ad Jesum Christum referantur. Nihil minus, ut dictum est: quanquam & repetitio ac asseveratio ejusdem sententiæ posset esse, quasi dictum sit: *Hic, inquam, est verus ille Deus &c.* Jam monuimus voces *veri Dei*, hic κατ' ἐξοχὴν accipi, quod & articulus additus in Græco docet, pro supremo illo rerum omnium ipsiusque Christi auctore & Domino, qui Jesum Christum, ejus filium declarare non potest; quamvis alioquin & ipse Jesus Christus Dei Filius, verus Deus sit, significatione vocum *veri Dei*, latiore; cum scilicet verum opponitur falso, non cum opponitur non summo. Illo enim significatu, veram divinitatem habet cæli & terræ & rerum omnium Dominus, à Deo Patre suo effectus.

Et vita æterna. Hoc quoque movit eos de quibus agimus, ut locum hunc de Jesu Christo intelligerent, quod is vita æterna appelletur. Existimant enim hanc appellationem Jesu Christo propriam esse, quasi vero cum Jesus Christus vita æterna vocetur, quod vitæ æternæ dandæ potestatem habeat; non multo magis vita æterna appellari possit is qui Jesu Christo hanc potestatem contulit! Jesus Christus etiam vocatur Servator, quasi proprio quodam nomine: quid vero impedit quominus & Deus ipse Servator, qui Jesu Christo omnem servandi potestatem dedit, appelletur? ut sane ab Apostolo appellatur 1 Tim. ij. 3. Tit. iij. 4. An quia Christus semel atque iterum appellatur vita, idque etiam sine adjectione vocis *æternæ*, ideo cum verus ille Deus vita æterna appellatur, Jesus Christus intelligendus erit? Deut. xxx. 20. Deus ille unus dicitur esse vita Israëlis, an propterea Christus istic intelligi debet? Nimium profecto fallacibus conjecturis res tantas superstructum eunt! Cæterum, Deus ille verus, Christi Pater, vita æterna dicitur per metonymiam effecti, quod sit primus vitæ æternæ fons & auctor. Cujus cognitionem qui habet, ab ipsius Filio traditam, hic & vitam æternam habet: qui vero non habet, nec ad vitam æternam adspirare potest, & ad vitæ æternæ adeptionem & Filii Dei cognitio, hactenus est necessaria, quatenus Filii Dei cognitio, est ipsius Dei Patris cognitio. Sed quia Joannes ad ipsius Christi verba haud dubie respexit, quæ retulit in historia Euangelii cap. xvij. 3, *vita æterna* poni videtur pro ratione ac modo consequendæ vitæ æternæ, per metonymiam, sicut & Euangelium dicto loco ponitur: quasi dicat Joannes, & hæc est ratio consequendæ vitæ æternæ, nempe ut cognoscamus illum verum Deum, & simus in illo vero Deo, per filium ejus Jesum Christum. Nam ipse Christus Dei Filius, verbis memoratis Joan. xvij. 3, idem eodem plane modo dixit, *hæc est vita æterna*, id est vitæ æternæ consequendæ unica ratio, *ut te* (Pater) *cognoscant, qui solus es verus Deus, &* (ut cognoscant) *quem misisti Jesum Christum*: significans Jesu Christi cognitionem ideo esse necessarium, quod à Deo sit missus, & quod aliter Deus cognosci non possit, quam cognito Jesu Christo, quippe Dei summo ac præcipuo legato. At si Joannis in verbis vita æterna ponitur pro vitæ æternæ causa seu ratione ac modo illius consequendæ, consentaneum est ut itidem per metonymiam Deus ille verus positus intelligatur pro cognitione illius veri Dei, cui rectissimè subjicitur suus effectus vita æterna. Sic vox Dei, ut & Christi accipitur, cum dicitur Deus vel Christus doceri ac prædicari Col. 1. 28.

Vers. 21. *Filioli custodite vosmet ab idolis.* Postquam de vero illo Deo, & filio ejus Jesu Christo egit, finit epistolam paterna admonitione, ut sibi diligenter caveant ab idolis, quippe quæ Deo vero, & filio ejus Jesu Christo plane sunt adversa. In ipso fine hanc admonitionem posuit, ut tanto magis memoriæ eorum infigeretur. Abiens scrupulum reliquit. Erat vero hæc admonitio illo tempore valde necessaria, cum totus mundus idolis esset deditus, eaque coleret, & Christianos quod ea fugerent odisset & persequeretur. Idolum, proprie loquendo, simulachrum seu speciem & formam omnem alicujus rei effictam significat. Sed ex Scripturæ usu, generalis ista & propria significatio, restringitur ad significandas formas & species ab hominibus factas eorum qui per illas pro Diis coluntur, Quia vero per ejusmodi formas ac simulachra falsi Dii coli fuerunt soliti; idcirco etiam ipsi Dii falsi hoc nomine denotantur. Quia denique verus ille Deus, & una cum Deo Filius ejus Jesus Christus, specie aliqua hominum manibus efficta & efformata repræsentari & per eam coli nec vult, nec debet, nec potest, & quia solus tantum cum filio suo cælesti cultu afficiendus est; idcirco omnis forma & species, hominum manibus facta, ad Deum vel ejus filium repræsentandum, & quisquis præter Deum & Christum religiose colatur, pro idolo, hactenus saltem quatenus religiose colitur, reputari debet. Monet igitur, blandum filiolorum nomen suo more usurpans, ut seipsos ab idolis custodiant, id est diligenter sibi caveant ne idolorum aliquo cultu sese polluant, aut sese pollui patiantur, & hac quoque in parte mundi victores, sese ex Deo genitos esse ostendant. Ipsa idola ponit pro idolorum aliquo cultu, per metonymiam subjecti pro adjuncto. Non frustra vero hac loquendi ratione usus est. Videtur enim monere voluisse ut etiam loca illa in quibus idola posita sint vitemus, operamque demus ut si fieri possit, ne aspectu quidem eorum oculos polluamus. Quod monitum nobis quoque, magna Christiani orbis parte in idolatriam prolapsa, diligenter observandum est. Quid enim idololatria Christianorum, ab idololatria Ethnicorum differt, nisi quod in locum Deorum falsorum & iis efformatarum imaginum, alii homines mortui, sive

sancti

sancti, sive pro sanctis, ab hominibus declarati: imo quidam plane ficti, qui nunquam in rerum natura fuerunt (qualem Christophorum & Georgium fuisse saniorum nemo dubitat) & formæ iis dicatæ successerunt. Figura etiam sive Dei, sive Christi, si religiose colatur, inter idola referri debet, cum nec Deus, nec Christus ulla forma ab hominibus efficta repræsentari queat, proinde nec debeat. Vereque dictum est, omne idolum esse mendacium. Neque enim ex vero quidquam exhibet. De pane eucharistico non dicam, qui in ipsum Christum transmutari creditur, & pro ipso Christo colitur & adoratur. Res enim ipsa docet, quid hac de re iis qui verum Deum & Filium ejus Jesum Christum cognoverunt, statuendum sit; cum neque inter Gentes prophanas ullus tam amens fuerit, ut eo quo vesceretur Deum esse crederet. Res item inanimæ & reliquiæ, quas vocant (quæ vix unquam eorum sunt quorum esse dicuntur, nisi forte quorundam, quibus non ita pridem hominum opinio sanctitatem affinxit) & earum imagines ac repræsentationes, quatenus iis occulta quædam & divina virtus tribuitur in tollendis peccatis & servandis hominibus, cum idolis; eorumque cultus & veneratio; cum idololatria affine aliquid habent, quatenus utrobique falsus isque religiosus est cultus. Papa denique Romanus talis qualis à suis esse creditur, & quatenus eo modo colitur quo colitur, idolum quoddam est.

A M E N.

COMMENTARIUS

IN

Secundam Epistolam

S. JOANNIS

APOSTOLI.

Vers. 1. SEnior, *electa Domina, & natis ejus, quos ego diligo.* Epistola hæc male inscribitur Catholica. Nam privatim ad certam quandam Dominam & ejus liberos est. Sed recte Joanni Apostolo tribuitur, nam & Spiritus, & stylus idem plane est qui superioris Epistolæ; quam Joannis Apostoli esse, à nemine dubitatur. Nec refert, quod se non Apostolum, sed seniorem inscribat; cum & Apostoli vel maxime seniores essent 1 Petr. v. 1 &c. Dum se absolute seniorem vocat, vel hoc ipso satis ostendit, se Apostolum esse, & cum privatim ad unam Dominam & natos ejus scriberet, quid opus erat ut expresse promeret titulum Apostolicum, quem & in superiori Epistola, licet ad Ecclesiam scripta, prætermisit, quod eam ab Apostolo scribi omnibus notum esset. Etiam Paulus, cum ad Philemonem scriberet, titulum Apostoli ponere, necessarium esse non duxit; vinctum tantum Jesu Christi sese vocat.

Electa Domine. *Dominam* vocat propter dignitatem & dignitati suæ convenientes facultates. *Electam*, propter fidem in Dominum Jesum.

Et liberos ejus. Matri liberos adjungit eadem fide præditos.

Quos ego diligo. Pronomen οὓς ponitur πρὸς τὸ σημαινόμενον. Unde apparet τῶν τέκνων nomine, filios significari.

In veritate. Id est vere, sincere, Hebraica loquendi ratione in adverbiis describendis.

Sed non ego solus; sed & omnes qui cognoverunt veritatem. Nempe eam quam Jesus docuit, cujus præcipua pars, imo summa quædam est, Jesum esse Christum illum, Filium illum Dei.

Vers. 2. *Propter veritatem manentem in nobis.* Causam addit istius dilectionis, nempe veritatem omnibus communem, cui scilicet omnes adhærerent. Nihil enim magis animos amore conjungit, quam Christianæ veritatis communitas.

Et nobiscum erit in seculum. Ellipsis hic est pronominis *quæ*: quasi dicat, cui sicut nunc adhæremus, sic & constanter adhærebimus. *In seculum.* Id est quamdiu vixerimus, ut si vel in seculum vivamus, in seculum quoque ei adhæsuri simus. Sic Psaltes non semel Deum sese in seculum laudibus celebraturum canit. Quia vero communis veritas causa erat dilectionis istius, & quia profitebatur ab iis qui veritatem habebant cognitam, ideo & Apostolus non simpliciter dixit, *quos ego diligo*, sed addit, *in veritate*, ut veritas veritati respondeat.

Vers. 3. *Erit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre: Erit* pro *sit*, Hebraico more: *Non erit tibi Deus alius.* Id est non sit tibi Deus alius.

Gratia, misericordia, pax. Vovet & precatur eis *gratiam*, id est favorem & amorem, *misericordiam* quæ movet ad aliquem in calamitate & necessitate juvandum. *Pacem*, id est omnium bonorum copiam & affluentiam, quæ Hebraico usu pacis nomine significatur.

A Deo Patre. Dixit quid voveat & precetur, nunc addit à quo. *A Deo*, inquit, unum illum & altissimum intelligens, qui absolute seu cum articulo emphatico Deus appellatur, & unicus bonorum omnium fons est: qui quis sit, addita voce *Patris*, declarat, Patris nimirum Jesu Christi, ut statim additur, & consequenter omnium in Jesum Christum credentium. Unde constat secundum Apostolorum institutionem, neminem alium esse, unum illum altissimum Deum, quam eum qui Jesu Christi Pater appellatur.

Et à Domino Jesu Christo. Uni illi Deo Patri adjungit Jesum Christum, à quo illa ipsa quæ

ab uno illo Deo precatur. Quod cur faciat, apposito *Domini* titulo docet, quod scilicet Jesus Christus sit unus ille Dominus, nobis ab uno illo Deo datus, per quem Deus omnia nobis largitur, qua de re vide 1 Cor.viij. 5,6. Ita inter Apostolos Christi egregius est ubique consensus.

Filio Patris. Relatum & correlatum exprimit, & docet Deum illum unum, esse Jesu Christi Patrem, & Jesum Christum esse illius unius Dei Filium; nempe κατ' ἐξοχὴν dictum, & sic unicum Christum nimirum illum, hoc ipso docens, Jesum, sicut vocetur & appelletur Christus; sic vere esse Christum Dei, nempe illum singularem & eximium. Vide inter unum illum Deum, & inter Christum, discrimen esse, sicut inter Patrem & Filium. Tertiæ, quam dicunt, personæ in hoc voto nullam facit mentionem Apostolus. Nec mirum. Unam enim tantum unius Dei personam noverat, & Spiritum Sanctum haud dubie in præcipuis effectis gratiæ Dei & Christi inclusit. *Filio Patris* dicit, per Hebraismum nominis pro pronomine, id est Filio ejus.

In veritate & charitate. *In* positum est pro *cum*, sueto Hebræis more. Vide 1 Joh.v.6. Voverat illis ea quæ ad ipsorum beatitatem pertinerent; conjungit huic voto & ea quæ pertinerent ad illorum officium, nempe ut veritati constanter adhærerent, & sese invicem diligerent; significans non aliter nec alia conditione eos gratiæ & misericordiæ & pacis à Deo Patre & à Domino Jesu Christo Filio ipsius compotes fore, quam si iis veritas & charitas adsit, quod etiamsi ab eorum diligenti cura & studio penderet, tamen & à Deo vovendum erat, quia illius auxilium ad id obtinendum requiritur.

Vers. 4. *Gavisus sum valde, quod inveni ex liberis tuis ambulantes in veritate.* *Ex liberis tuis:* Istos quibus Epistolam hanc una cum matre inscripsit, invenit alibi locorum, quam istic ubi tunc mater erat.

Inveni, deprehendi, incidi in illos, *ambulantes in veritate.* Id est secundum veritatem, seu ut veritati convenit. Sic *in luce ambulare*, *in tenebris ambulare*, id est luci, tenebris, convenienter.

Sicut mandatum accepimus à Patre. Nempe ut non tantum veritatem profiteamur, sed etiam secundum eam ambulemus, id est omnes vitæ nostræ actiones instituamus. Ambulatio enim ponitur pro actionibus vitæ.

Vers. 5. *Et nunc rogo te Domina, non tanquam mandatum scribens tibi novum.* *Et nunc*, Scilicet postquam veritatem constanter profiteris cum liberis tuis, postquam & ex liberis tuis sunt qui congruenter veritati sese gerunt.

Rogo te Domina. Solemus ea rogare quæ officii sunt aliorum, quæ rogatio vim habet admonitionis, & nihil aliud est quam blandior quædam admonendi ratio. Non exprimit quid roget; sed per ea quæ addit, satis declarat.

Non tanquam mandatum scribens tibi novum; sed quod habuimus à principio. Commemorat mandatum mutuæ dilectionis, quod ait scribere, non tanquam novum: ne quis caussetur illud ab initio non fuisse traditum; sed tanquam mandatum quod ab ipso principio (intellige Euangelii) habebent Christiani, proinde observatu prorsus necessarium, ut sine quo Christiana pietas nullo modo possit consistere.

Ut diligamus alii alios. De dilectione mutua, seu aliorum erga alios, in superiore Epistola satis actum est.

Vers. 6. *Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus.* Commendat Apostolus dilectionem mutuam. Docet enim in hoc consistere ipsam erga Deum charitatem: quasi dicat, & hæc mutua aliorum erga alios charitas, est etiam ipsa erga Deum charitas.

Hæc est charitas. Intellige erga Deum, de cujus mandatis agitur. *Hæc est*, id est in hoc consistit, seu hic illius certissimus est effectus.

Ut ambulemus secundum mandata ejus, *ut* ita & hic pro *cum*. Unde consequitur, cum mandatum Dei sit ut alii alios diligamus, dum alii alios diligimus, nos ipsum Deum diligere. Ambulare secundum mandata Dei, est secundum illa omnes vitæ actiones obire.

Hoc est mandatum sicut audivistis à principio, *ut in illo ambuletis.* Mentione facta mandatorum Dei, commemorat insigne & singulare mandatum, ut sicut à principio audivimus, sic in illo, id est mandato, ambulemus. Id vult Apostolus, ut Jesum constanter confiteamur esse Christum illum. Hoc enim ab ipso principio Euangelii audiverant. Ambulare in mandato est nusquam à mandato Dei recedere, semper illud exequi. Cum igitur inter, inter illa quæ ab initio audivimus, mandatum sit, ut credamus & confiteamur Jesum esse Christum illum, semper in hujus mandati executione versemur.

Vers. 7. *Quia multi seductores intraverunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venientem in carne.* Causam & occasionem cur mandatum illud commemoret exponit. *Quia*, inquit, *multi seductores intraverunt in mundum*, id est venerunt ad homines. Notetur phrasis hæc, intrare in mundum, non significare nasci, sed ad homines venire, postquam jam pridem natus sit.

Qui non confitentur Jesum Christum. Id est Jesum esse Christum. *Venientem in carne.* In Græco est ἐρχόμενον, quod etiam est temporis præteriti, quamquam imperfecti; id est cujus adventus erat in carne, quod quid sit, in superiore Epistola explicatum est 1 Joan.iv. 2,3.

Hic est ille seductor, & ille Antichristus. *Hic*, nempe qui non confitetur Jesum esse Christum, *ille seductor, & ille Antichristus*, esse subjectum: quasi dicat: ille seductor & ille Antichristus magnus & insignis, hic est qui scilicet non confitetur Jesum esse Christum. Docet quam fœde seductores illi errent, & homines decipiant, dum illis errorem cum Antichristo illo insigni communem obtrudunt. Quod vero fuerit inter ipsos, & Antichristum illum magnum, hac in re discrimen, in superiore Epistola explicatum est cap. iv. 3. Exemplum hic habemus, pronomen relativum non semper referendum esse ad nomen proxime positum, sed rem de qua principaliter

paliter agitur spectandam esse, etiamsi nomen cui pronomen istud respondeat non sit expressum, quod hoc loco evenit. Nomen enim cui pronomen οὗτος hic respondeat, ex re subjecta intelligendum venit: qua de re dictum est ad locum 1 Joan. v. 20.

Vers. 8. *Videte vos ipsos, ne perdamus quæ operati sumus.* Admonitio est ut sibi caveant à seductoribus. Causam addit, *ne perdamus quæ operati sumus*. Se quoque adjungit, in prima persona loquens, communicationis figura: quanquam & illi ipsi item cavendum erat, cujus rei exemplum & in Apostolo Paulo videmus 1 Cor. ix. 27.

Quæ operati sumus. Perdendo nimirum eorum fructum, qui vita æterna est, ne quæ adhuc operati sumus constanti veritatis professione, & in illa ambulatione, in cassum & irritum cadant. Hoc autem fieret si Christiani vel à veritate seduci sese paterentur, vel non secundum veritatem sese gererent. Ille enim demum qui constans permanserit ad extremum in veritate & sanctitate, vitam æternam accipiet. Hinc oleum & operam perdere dicuntur qui frustra laborant & impensas faciunt.

Sed mercedem plenam recipiamus. Plena merces est æterna vita, quæ merces dicitur quod labore Christianæ pietatis comparetur, etiamsi sine ulla comparatione major sit omni nostro labore. Quo respectu etiam Dei gratia & donum appellatur. Plena autem merces dicitur, quod & aliæ sint mercedes, quibus Deus opera bona remuneratur, sed quæ citra vitam æternam sunt, plenæ non sunt. Significat Apostolus fieri posse ut pro anteactis mercedem à Deo recipiant, sed si plenam & perfectam mercedem, id est vitam æternam consequi velint, oportere ut constanter in recte factis permaneant. Non solet Deus ullum bonum opus sine mercede transmittere; etiamsi qui à pietate & justitia recedit, mortem tandem & exitium non effugiat: quo pertinent dicta illa apud Prophetam Ezech. xviij. 24. xxxiij. 12.

Vers. 9. *Omnis qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet.* Ostendit qua ratione quisque possit perdere ea quæ operatus est, & mercede plena excidere.

Omnis qui transgreditur. Nempe Christi leges & præscripta.

Et non manet in doctrina Christi. Aliis verbis idem dicit, & prius explicat. Doctrina Christi tam late hic accipi debet, ut includat omnia quæ Christus docuit & credenda & confitenda & facienda. Non manere in hac doctrina, est ab ea deficere, vel aliquid eorum quæ Christus docuit, vel non credere, vel non confiteri, vel non facere: quanquam maxime & præcipue eam Christi doctrinæ partem significet Apostolus, quæ est de Christo, id est de eo quod Jesus sit Christus ille Dei. Quo sensu vox *Christi*, per genitivum objecti ad vocem doctrinæ foret addita; in qua doctrina non manere, est Jesum negare, vel non confiteri esse Christum illum, proinde & Christum illum simpliciter negare. Si enim Jesus non est Christus ille, ne Christus quidem adhuc est ille.

Deum non habet. Ostendit quid mali consequatur ex eo si quis non maneat in doctrina Christi, quod scilicet is Deum non habeat, id est non habeat Dei gratiam & favorem. Nam qui Dei gratiam & favorem non habet, perinde est atque si Deum non haberet, quatenus scilicet ex Deo bona ad homines deveniunt. Hoc respectu Deus illi nullus est, quia nulla bona præsertim vera & æterna ab eo exspectare potest. Christus enim ad Deum refertur, & Deus ad Christum. Christus est Dei Christus, & Deus est Christi Deus. Quocirca cum Jesus sit Dei Christus, qui id non agnoscit, nec confitetur, in Deum & ejus gloriam maxime est injurius, & contumelia, qua Christum Dei afficit, in ipsum Deum redundat.

Qui manet in doctrina Christi, & Patrem & Filium habet. E contrario docet Apostolus quid boni & commodi consequatur is qui manet in doctrina Christi, quod scilicet hic & Patrem & Filium habeat, id est & Patris & Filii favorem. Manifeste Apostolus quem Deum dixerat, nunc Patrem dicit, & quem dixerat Christum, nunc dicit Filium, eo ipso ostendens non alia ratione Jesum esse Patris Filium, quam quatenus est Christus Dei: nec Patrem alia ratione esse Filii Patrem quam quatenus est Deus Christi. Oppositio relativa est inter Deum & Christum, inter Patrem & Filium.

Vers. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non fert, ne recipite ipsum.* Docet quo pacto se gerere debeant adversus istos qui hanc doctrinam, nempe Jesum esse Christum Dei Filium, non ferant, id est non doceant vel etiam non profiteantur, cum antehac eam docerent & confiterentur. Nam eos qui extra sunt, Ecclesia non judicat, & superiora docent Apostolum loqui de transgredientibus & non manentibus in doctrina Christi.

Si quis, inquit, *talis veniat ad vos, ne recipite ipsum in domum, & ave ipsi ne dicite.* Id est habete ipsum pro anathemate. Tales enim non licebat in domum ultro recipere, nec salutare: non charitatis quam omnibus hominibus debemus defectu; sed ne eorum impietati ulla ex parte favere videremur. In Græco est χαίρειν, quod significat *gaudere*, nempe effectus ita ponitur ut & causa simul intelligatur, quæ est prospere & ex voto agere.

Vers. 11. *Qui enim dicit ipsi ave, communicat ipsius operibus malis.* Causam addit cur talis ne salutari quidem debeat, quod qui eum salutet, & ei fausta precetur, operibus ejus malis communicet, id est partem quandam & societatem in iis habeat. Cur enim fausta quæque precemur iis qui male faciunt, & imprimis qui à confessione Christi defecerunt, si eorum malefacta & defectionem detestamur? Precari illis potius debemus pœnitentiam, imo si aliter converti non possint, pœnam aliquam & flagellum à Deo: quales etiam Apostolus Satanæ tradere solebat, ut castigati discerent non blasphemare. Tradebat, inquam, in afflictionem carnis, ut postquam emendati essent, spiritus eorum servaretur in die Christi. Docet Apostolus, quæ sit vis ac ratio & esse debeat excommunicationis seu anathematis, nempe hæc, ut omni ratione testemur quantopere ab excommunicatis (ad quos vel maxime apostatæ pertinent) & eorum factis ac moribus abhorreamus: adeo ut si qua in re eos juvemus, hoc necessitas & indigentia eorum extorquere à nobis debeat, non animi aliqua erga eos propensio, & familiaritatis & amicitiæ alicujus studium. Viderint quam merito nos qui Jesum esse Christum illum

illum Dei credimus; hoc anathemate impetant qui Jesum credunt esse unum illum Deum: ipsi potius illo impetendi, hactenus enim Jesum negant esse Christum illum, quatenus eum Deum illum unum esse affirmant: cum inter unum illum Deum & Christum ejus, contradictoria sit oppositio.

Vers. 12. *Multa habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum, sed spero venire ad vos & os ad os loqui, ut gaudium nostrum*, id est commune nostrum tam meum quam vestrum, *sit plenum*. Plenius enim gaudent amici, cum coram inter se colloquuntur, quam cum per literas.

Vers. 13. *Salutant te liberi sororis tuæ electæ.* Id est itidem Christianæ. Christiani enim omnes fiunt electi Dei per fidem in Christum, sed & liberos electos fuisse apparet, matre vel tum absente, vel jam fato suo functa. Cur enim non etiam à sorore sororem salutaret? Forte Joannes liberorum istorum patrocinio utebatur.

COMMEN-

COMMENTARIUS

IN

Tertiam Epiſtolam

S. JOANNIS

APOSTOLI.

CAPUT I.

Verſ. 1. SEnior, vide 2 Joan. ℣. 1, *Gajo dilecto, quem ego diligo in veritate.* Gajus latinè Cajus. Declarat cur eum dilectum vocaverit; quod ſcilicet eum vere, ſincere & ex animo diligeret. Diligebat autem, ut ex ſequentibus apparet, propter ipſius pietatem. Eſt oratio ut in inſcriptionibus epiſtolarum ſolet, imperfecta. Non exprimitur enim ſalutatio: quaſi dicat, Senior Gajo &c ſalutem, aut aliquid ſimile. Quod mirum non eſt ab Apoſtolo non exprimi, quia ſtatim addit votum.

Verſ. 2. *Dilecte, circa omnia precor te proſpere agere & valere, quemadmodum proſpere agit anima tua.* Votum eſt initio epiſtolæ, ut ſolet. Precatur illi ut omnibus in rebus proſpere agat, & bene valeat. Nam ſine bona valetudine, inſuavis eſt cæteris in rebus proſperitas.

Circa omnia. Id eſt in omnibus. Voces iſtæ referuntur ad verbum εὐοδοῦσθαι: quaſi dicat, opto te circa omnia εὐοδοῦσθαι, *proſpere agere.* Græcè eſt εὐοδοῦσθαι, quod proprie ſignificat iter habere proſperum; ſed per metaphoram ad omnes vitæ actiones tranſfertur.

Quemadmodum proſpere agit anima tua. Significat animæ ejus proſperum & beatum ſtatum. Cui ſimilem optat eſſe ſtatum ejuſdem Gaji ſecundum corpus & ea quæ ad corpus & vitam hanc pertinent.

Verſ. 3. *Gaviſus ſum enim valde, venientibus fratribus, & teſtantibus tuæ veritati.* Cauſam declarat cur animam ejus proſpere agere dixerit, quæ ſimul & gaudium magnum in Apoſtoli animo excitaverit. Hæc vero eſt, quod is in veritate ambularet, id eſt veritati, quæ ſermo Chriſti, convenienter, eam ſcilicet & conſtanter profitendo, & ſecundum eam agendo. Eandem phraſin habuimus & 2 Epiſtola ℣. 4. Unde autem hoc ſciret, ſignificat, *venientibus fratribus & teſtantibus tuæ veritati.* Fratres fide digni venerant à Cajo & eccleſia in qua Cajus erat, & teſtati ſunt de Caji veritate, id eſt, ut ſtatim explicat, quomodo is in veritate ambularet.

Quomodo, id eſt quam omni ex parte, *tu in veritate ambules.* Veritatem Caji appellat veritatis profeſſionem, & veritati conformem vitam, per metonymiam. Hæ Caji virtutes ſimul gaudio magno & vehementi affecerunt Apoſtolum, ut mirum non ſit eidem Apoſtolum viciſſim omnia fauſta precatum eſſe, ex quibus & ipſe gaudio afficiatur maximo.

Verſ. 4. *Majus his non habeo gaudium ut audiam meos liberos in veritate ambulantes.* Rationem addit cur vehementi gaudio per virtutes illas Caji ſit affectus: quia, inquit, *majus gaudium*, id eſt majores gaudii cauſas, per metonymiam effecti; *his*, id eſt his rebus, *non habeo ut audiam*, pro *quam ut audiam*, per ellipſin particulæ quam.

Liberos meos. Nempe ſecundum ſpiritum, quos genui per Euangelium, quos ad fidem in Chriſtum & ad veritatem amplectendam adduxi. Vide 1 Joan. 2. 1.

In veritate ambulantes. Id eſt & veritatem conſtanter retinentes, & ſecundum eam viventes. Ex maximis autem gaudii cauſis nonniſi maximum gaudium oriri poteſt. Docemur exemplo Joannis, piis hominibus maxime gaudendum eſſe, cum & alios veritati & pietati deditos eſſe videns,

præsertim si etiam aliqua sua opera ad hanc rem accesserint.

Vers. 5. *Dilecte, fidum facis quidquid operaris in fratres & in peregrinos.* Subinde repetit titulum dilecti, ut appareat quam alte in animo ejus Gajus iste propter virtutes suas sederit. Laudat Gaji omnia officia quæ præstabat fratribus & peregrinis.

Fidum facis, id est rem fideli homine dignam, *quicquid operaris in fratres & in peregrinos.* Id est ad eos juvandos. Ex addita *peregrinorum* voce, apparet eos maxime fratres intelligi qui peregrini erant & advenæ ad Gaji ecclesiam. Nam isti maxime officiis indigebant, quos vel necessitas, vel justa aliqua causa patriis exegerat sedibus, & ad ecclesiam illam in qua Gajus erat, detulerat. Discamus & nos omnem hospitalitatem exhibere fratribus, præsertim peregrinis.

Vers. 6. *Qui testati sunt tuæ veritati coram ecclesia.* Docet quem fructum tulerit suæ istius hospitalitatis Gajus, nempe testimonium fratrum istorum luculentum coram tota ecclesia. Ecclesiam intelligit eam cui præerat Apostolus. *Testati sunt tuæ charitati*, id est testimonium reddiderunt tuæ isti charitati, erga se per effecta insignia conspectæ. Causa ponitur pro effectis.

Quos benefacies si deduxeris digne Deo. Excitat Gajum ut eosdem fratres ulterius profecturos deducat & prosequatur, idque non vulgari aliquâ humanitate utens, sed *digne Deo*. Apparet fratres istos, cum apud Joannem & in ejus ecclesia fuissent, iterum ad Gajum & ecclesiam ejus remeasse.

Recte facies. Egregie, pulchre, plane convenienter Christianæ pietati.

Si deduxeris, vel *prosecutus fueris*. Nempe ut etiam in itinere, tuâ operâ, tuâ curâ & præsidio utantur, & sic longius sese tua humanitas extendat quam domus tuæ patent limina.

Digne Deo. Id est ea humanitate & studio, ut cogites te ea non hominibus præstare, sed ipsi Deo, in hominum istorum persona, iis inquam officiis atque si Deum ipsum deduceres. Quæ verba ut sic interpretemur sequentia faciunt.

Vers. 7. *Pro nomine enim ipsius exiverunt.* Quasi dicat, personam enim Dei quodammodo sustinent, rem Dei agunt. Alioqui, *digne Deo*, significare potest, digne eo homine qui Deum colit & profitetur, à tali enim homine nihil vulgare, sed omnia eximia merito exspectantur.

Pro nomine ipsius. Nempe Dei, id est pro gloria nominis Dei, per metonymiam subjecti pro adjuncto. Similem locutionem habuimus 1 Joan. 2. 12. Nomen Dei ponitur pro ipso Deo, consueta phrasi 1 Joan. III. 23. v. 13.

Exiverunt. Quatenus exiverant propter veritatis annuntiationem, ut ex versu sequenti apparet. In annuntiatione enim veritatis, quæ sermo Christi est, maxime gloria Dei promovetur. *Exiverunt*, vel ab ecclesia & senioribus missi, vel etiam sponte sua, Seniorum tamen & ecclesiæ consensu. Ecclesia enim constituta, nihil tale fieri debet, sine ipsius scitu & consensu. Et consensum ipsius Apostoli accessisse, vel hæc ipsa Epistola argumento est, qua illos commendat Apostolus.

Nihil accipientes à Gentibus. Causam exprimit propter quam juvari deberent à Gajo & ejus similibus, quod scilicet nullum vivendi subsidium acciperent à gentibus. *A gentibus*, videlicet quibus Euangelium prædicarunt, non solum quod multi ex gentibus aversi essent ab Euangelio, sed etiam quod fratrum istorum consilium & propositum esset nihil à gentibus accipere, ne viderentur per Euangelii prædicationem panem & lucrum quærere, & sic prædicationis suæ auctoritatem & fidem imminuere: imitantes exemplum Pauli, qui similiter Euangelium prædicando multis in locis nihil accipiebat ab iis quibus Euangelium prædicabat.

Vers. 8. *Nos igitur debemus recipere tales, ut cooperarii fiamus veritati.* Ex superioribus infert Apostolus, *nos*, id est Christianos, quibus jam certo constat de Euangelii veritate, debere *tales suscipere*, id est, omni hospitalitate & beneficentia juvare.

Ut cooperarii fiamus veritati. Causam finalem exprimit. Veritati operari est operam impendere ut veritas promoveatur, & ab hominibus cognoscatur ac recipiatur. Cooperarium esse veritati, est operam jungere iis qui veritati operantur; quod faciunt omnes, qui quamvis ipsi veritatem non annuncient; tamen eos qui veritatem annuntiant omnibus officiis adjuvant. Sic sanctæ illæ mulieres quæ Domino nostro Jesu Christo Euangelium prædicanti inserviebant, & earum similes, cooperatrices erant veritati. Nam qui inserviunt iis qui veritatem annunciant, ita ut ipsi necesse non habeant ea quæ sibi sint ad vitæ usus necessaria, procurare, partem habent in eorum prædicatione, quatenus & plus temporis habent, & minus impediti sunt ad Euangelii prædicationem.

Vers. 9. *Scripsi Ecclesiæ.* Nimirum illi cujus pars erat Gajus, eadem scilicet de re, ut ecclesia idipsum faceret quod faciebat Gajus.

Sed qui primatum amat inter ipsos Diotrephes, non recipit nos. Conqueritur de Diotrephe quodam quod non reciperet Apostolum, id est, ea quæ Apostolus scribebat ad ecclesiam, contradicebat iis. *Qui recipit vos*, inquit Christus, *me recipit*, id est qui sermonem vestrum recipit, meum sermonem recipit. Loquitur Apostolus de se in plurali numero, ut Apostolum decebat, auctoritatis causa. Personam enim ipsius gerebat Christi, & consequenter Dei. Istius Diotrephis contradictione fiebat, ut ea quæ scriberet Apostolus, effectum non haberent, id est ut fratres illi non reciperentur, nec ea humanitate & hospitalitate qua par erat juvarentur. Dum describit istum Diotrephem, appellans eum amantem primatus inter fratres seu in Ecclesia, causam exprimit cur Apostolum non reciperet. Nolebat ullum se superiorem habere, ne Apostolum quidem: & volebat ut omnes à se penderent, & suo nutu regerentur. Hominem ambitiosum notat, quod in ecclesiastico viro est detestabile. Non reprehendit Apostolus πρωτεῖον, nam absque hoc ecclesia

ecclesia regi non potest, sed φιλοπρωτεύειν, id est id amare, id cupere, ut primatum in ecclesia teneas. Hoc est quod Apostolus reprehendit, ipso Christo magistro ac duce, qui aliorum servos & ministros fieri jubet qui magni & primi esse velint. Quisque seipsum quam maxime deprimere debet, nec à seipso sed ab aliis extolli, si id è re divinæ gloriæ & ecclesiæ sit.

Vers. 10. *Propter hoc si veniam, commemorabo ipsius opera quæ facit.* Minatur illi Apostolus se velle propter hanc causam ipsius opera quæ faciat commemorare: proinde eum graviter objurgare & pro merito castigare. Antecedens ponit ita ut & consequens includat & simul significet. Non dicit opera quæ antehac fecit, quorum forte jam pœnitentiam potuerat egisse, sed quæ faciat, quamvis Christianum sese profiteatur, imo & primus esse velit in ecclesia, ecclesiæ rector & dux.

Si veniam, ἐὰν. Videtur positum esse pro ὅταν, quando veniam. Venturum enim sese, idque brevi, sperabat Apostolus, ut ℣. 14 constat.

Sermonibus malis deblaterans in nos. Exprimit quæ sint ista ipsius opera, quod scilicet garriret adversus Apostolum sermonibus malis, id est Apostolum traduceret, & blateraret contra Apostoli famam. Id nimirum agebat, ut Apostolo auctoritatem & existimationem demeret, ne suæ obstaret ambitioni. Supra omnes sese efferebat: idcirco omnibus & ipsi Apostolo detractum ibat. Sic & Apostoli Pauli famam arrodebant multi qui sibi ab ejus auctoritate metuebant. Ut certe nullam causam habuerint qui Epistolam hanc ideo Joannis esse negaverunt, quod Diotrephes iste contra Epistolæ istius auctorem ausus fuerit insurgere, quasi hoc non aliis Apostolis factum fuerit ab istius hominis similibus. Facile enim erat Apostolis absentibus tale aliquid contra ipsos audere, quod iis præsentibus, eadem facilitate poterat contundi, idque etiam Apostolus isti homini minatur.

Et his non contentus, neque ipse recipit fratres, & volentes prohibet, & ex ecclesia ejicit. Quasi dicat Apostolus; poteram huic homini injuriam meam condonare, etsi gravem, contra Christi Apostolum, non tantum contra hominem innocentem, sed ea contentus non est: in fratres etiam graviter peccat, qui rem Dei agunt, & gloriam ejus promovent: non tantum ipse eos non recipit in suam domum, quemadmodum ecclesiæ ministrum & primatem decebat, sed & fratres alios volentes eos recipere & hospitalitate juvare, prohibet. Malum est, ipsum recte non facere, sed pejus est recte facere volentes prohibere. Nimirum ne sit qui recte faciendo, culpam exprobret.

Et ex ecclesia ejicit. Exprimit quo pacto prohibebat, & quam longe in hac prohibitione progrederetur: nempe non tantum verbis & comminationibus obsistendo; sed etiam qui ejus verba hac in parte non curarent, ex ecclesia ejiciendo, id est sacra cum ecclesia communione privando. Habebat scilicet qui ipsi suffragarentur, homo dominationis cupidus; ita ut nemo auderet resistere. Homo inhumanus, hospitalitatis & charitatis Christianæ expers, multa huic facto suo poterat, & imptimis quod fratrum istorum adventum periculosum esse diceret ecclesiæ, & facile per eum persecutionem aliquam contra ecclesiam concitari posse: vel etiam quod eos errones & homines vagabundos esse diceret, qui suas res non curarent, sed aliis oneri essent, & quæ his similia esse solent. Facile enim est tecte facere nolentibus, varia in speciem prætendere.

Vers. 11. *Dilecte, ne imitere malum, sed bonum.* Monet dilectum suum Gajum, ne malum imitetur, id est malefacta, mala opera, quamvis in homine conspicuo & primate; sed ut imitetur bonum, id est ea quæ bene & recte fiunt.

Causam addit, *qui bene facit ex Deo est, qui autem male facit, non vidit Deum. Qui bene facit*, qui in omnibus actionibus, semper & ubique sectatur id quod bonum & rectum est. *Ex Deo est.* Id est Dei filius est, ex Dei semine, id est Christi sermone natus est, quod quia maximæ dignitatis ac præstantiæ & felicitatis est, idcireo omnibus eo annitendum est.

Qui vero male facit, non vidit Deum. Ex contrario ostendit quam nihil cum Deo commune habeant qui ulla in re malefaciunt. *Non vidit Deum*, oculis animi scilicet, nam oculis corporis nemo Deum videre potest.

Non cognovit Deum. Id est Dei sermonem & veritatem per Christum traditam; cujus cognitio non permitteret ei ut malefaceret. Diversa est ratio malefaciendi & benefaciendi. Ut quis ex Deo sit necesse est omnibus in rebus benefacere: ut quis negetur Deum cognoscere, sufficit ulla in re malefacere, id est malefactis deditum esse, seu de industria, & data opera malefacere.

Vers. 12. *Demetrio datum est testimonium ab omnibus, & ab ipsa veritate.* Commendat Demetrium quendam, forte unum ex fratribus istis, cui *ab omnibus*, scilicet fratribus, testimonium vitæ piæ & sanctæ dari asserit.

Et ab ipsa veritate. Quasi dicat, si ipsa veritas loqui posset, homini isti testimonium perhiberet virtutis & probitatis.

Et nos vero testamur. Quasi dicat, si nostrum quoque testimonium requiratur, *& nos*, vel maxime *testamur*, quo pertinet particula *N* vero, quæ hanc vim hoc loco habere videtur.

Et scitis quod testimonium nostrum verum est. Conscientiam eorum appellat, testimonium suum verum esse. *Scitis*, inquit, multis & certissimis argumentis id compertum habetis, adeo ut nullam hac in parte habeatis dubitationem: *Testimonium nostrum verum esse*, id est vera esse quæ testamur. Hæc verba omnino significant auctorem istius Epistolæ Apostolum esse. Ideo & in plurali numero loquitur, quod & supra fecit convenienter auctoritati Apostolicæ.

Vers. 13. *Multa habui scribere, sed nolui per atramentum & calamum scribere.* Nimirum quia atramento & calamo male secreta committuntur.

Vers. 14. *Pax tibi.* Scilicet sit: quasi dicat, pacem tibi precor à Deo & Christo.

Salutant te omnes amici, saluta amicos de nomine. Secundum nomen, nominatim singulos. Amicorum nomine, fratres intelligit in Christo, qui veri sunt amici.

A M E N.

JONÆ SLICHTINGII
A
BUKOWIEK,
Fragmentum in Epistolæ Judæ versum 7.

Locus apud Judam ℣. 7 sic habet; Sicut Sodoma & Gomorrha & vicinæ civitates &c, propositæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes. Ubi per ignis æterni pœnam alia pœna non potest intelligi, quam quæ Gen. XIX describitur. Ad hanc enim historiam Judas respicit, & ibi dicuntur, quod civitates illæ igne cælitus misso penitus eversæ sint. Unde Petrus loco parallelo pœnam eandem describens 2 Petr. 2. 6: Civitates, inquit, Sodomorum & Gomorrhæ in cineres redigens subversione damnavit, exemplum qui futuri essent impii ponens. Et sane exemplaris pœna visibilis esse debuit. Nam quæ non cadunt nec ceciderunt unquam in sensum, cadere etiam non possunt in exemplum. Sensus ergo verborum Judæ est, quod civitates illæ subversionem patiantur æternam, quæ illis in pœnam per ignem irrogata est, qui æternus dicitur ab effectu subversionis æternæ, per usitatam metalepsin. Sic mors dicitur pallida, quod pallentes efficiat homines, sic dicitur & mors æterna quæ hominibus æternum adfert interitum, sic & judicium illud impiorum dicitur æternum Hebr. VI. 2, quod per illud afficiendi sint non resipiscentes ab operibus malis exitio, & multa alia similia.

INDEX

INDEX LOCORUM

Sacræ Scripturæ in hoc opere, vel breviter vel prolixius explicatorum.

Literæ a. b. primam vel ſecundam paginæ columnam, numeri I. II. priorem vel poſteriorem tomum deſignant.

I N D E X L O C O R U M.

JOAN-

JOANNES.

I. ad CORINTHIOS.

2. Ad TIMOTHEUM.

Ad TITUM.

Ad HEBRÆOS.

JACOBI.

1. PETRI.

IN-

INDEX RERUM

Maximè memorabilium.

In quo numerus Latinus I. & II. primum ſecundumque Tomum, vulgaris vero additus, aut ſequens, Tomi indicati paginam, & *a. b.* primam, aut ſecundam paginæ indicatæ columnam denotat.

A.

Cæ-

C.

testa-

C.

C.

Conven-

C.

Conventus, vide *congregationis*.

Cooperarii Pauli dicuntur Priscilla & Aquila, quod Paulo, Euangelii curis occupato, ipsi prospicerent de rebus necessariis. Idem enim eulgium tribuitur etiam quibusdam mulieribus Phil. iv. 3. Quatenus enim faciebant, ut Apostolus vacaret Euangelio, hactenus & partem in opere ipsius habebant. Sic & Johannes Epist. iij. ℣. 8 συνεργοὺς cooperarios esse dicit veritati qui præcones veritatis hospitalitate & officiis juvant. l. 320. *b*. Priscilla sane Euangelium non prædicavit. ibid.

Corinthii. Inter Corinthios Christianos fuisse adhuc, qui idololatriam nondum penitus excussissent, locus 1Cor. v. 11 docet. ll. 45. *b*. Corinthii fratres extra tentationem non fuere, idolorum causa, quam ut aliquo modo declinarent, nunc hoc nunc illud in gratiam idololatrarum faciebant, & ad epulas & sacrificia invitati, in idoliis accumbere solebant. 47. *b*. eorum ecclesiam id ausam esse apparet, ut permitteret & linguis loqui absque interprete, & Prophetas ordine non observato, & mulieres etiam in ecclesia loqui. 76. *b*.

Corona. Etsi quilibet Christianorum qui vicerit, coronam gloriæ sit accepturus, peculiaris tamen & immarcescibilis, ut Petrus ait 1 Petr. v. 4, gloriæ corona manet eos, qui non tantum ipsi Christiane & sancte vixerunt, sed alios etiam ad sanctitatem erudierunt. ll. 338. *b*.

Corpus. Et corpore Deo serviendum est, non solo spiritu, cum utrumque Dei esse dicatur. ll. 27. *b*. Sive quis dicat, corpus spirituale ex corpore fieri animali, addita cælesti materia, (cælestem enim materiam adsuturam Apostolus 1 Cor. xv. 47 docet) sive corpori animali successurum spirituale corpus, ex sola cælesti constans materia, quod ad corporum istorum unitatem attinet, perinde est, aut exiguum refert. Neque enim solius materiæ unitas, multo vero minus unius ejusdemque materiæ ad aliam & novam admixtio, aliter quam successione idem cum priore corpus facit. 88. *a*. 89. *a*. corpus integrum servatur, cum nec se nec ullum sui membrum præbet spiritui & animæ ad operationem peccati, contra vero & se & omnia sua membra præbet ad operationem virtutis. 230. *a*. Corpus nostrum flagris concidere, peccatum & à Deo vetitum est, quippe naturæ ipsi contrarium, & ab idolorum cultoribus factitatum, non à servis Dei veris. l. 295. *b*.

Corpora resurgentium, etiamsi spiritualia, eadem tamen erunt cum hisce nostris, cum & seminum excrescentium corpora ex alia & nova fiant materia, & nihilominus semina resurrexisse revixisseque dici possunt. Nec propterea mox alius numero resurget homo, cum unum & eundem hominem constituat non corporis eadem materia, proinde nec illud quod interierat corpus; sed unus idemque intelligens spiritus, licet corporis habitaculum & instrumentum diversum nactus. l. 230. *b*. ll. 88. *a*. Deus rationem & modum inveniet, quo & impiis sua det corpora ad ignis æterni supplicium. 90. *a*. Nam quod Deus in visione repræsentavit Ezechieli cap. xxxvij. 53, poterit etiam repræsentare in re ipsa, non tantum in sensu locutionis tropicæ, sed etiam in sensu locutionis propriæ. 90. *a*.

C.

Creare. Creata dicuntur omnia per Jesum Christum, Ephes. iv. 9. puta homines, per Christum renovati ac restaurati. ll. 158. *a*. conf. 181. *a*. Confusa enim in ordinem reducere, dissidentia componere, inimica pacare, & sic omnia novum in statum reducere, quid aliud est quam creare? cum & ipsa vetus creatio ordinatione, dispositione, & contrariorum inter sese compositione ac pacificatione perfecta est. 183. *b*. Vide etiam, Κεφαλαίωσις.

Creatio non vetus sed nova apud Johannem intelligitur. l. 6. *a*. &c. 9. *b*. Hanc quia non observarunt Christiani sicut oportuit, in has de Christo opiniones inciderunt, ut eum, non contenti homine Jesu, personam fecerint, quæ ante veterem creationem reipsa extiterit, & per quam vetus creatio peracta sit; ulteriusque etiam progressi, ex Christo fecerunt unum illum Deum, & hunc rursum numero unicum in plures personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, aperta contradictione distinxerunt. ll. 580. *b*.

Creatura (nova) dicuntur Christiani & Angeli, cum Christus omnis creaturæ primogenitus dicatur, & Christiani tantum, non vero cælum & terra, ceu creatura vetus, revelationem filiorum Dei exspectent. l. 235. *b*. 236. *a*. *b*.

Credentes in Christum mundo sunt antiquiores, ceu electi in Christo ante fundationem mundi. ll. 147. *b*.

Credere, pro magis vel perfecte credere. l. 88. *a*. item, pro, plane certum esse. 140. *a*. Credere in Christum, est præceptum Euangelicum & novum. 505. *b*. proprie non credimus quæ videmus. 540. *a*. credere in Deum, plus est quam credere Deo. Nam hoc est, ei assensum præbere, illud vero addit adhuc desiderium & spem certam, à Deo aliquid accipiendi. 596. *b*. credere resuscitationem nostram ex mortuis, est res magis ardua, quam fides Abrahami erat. ibid. & 597. *a*. credere Christum, ut hominem mortuum, semet resuscitasse ex mortuis, ut eundem cum Patre Deum, Apostolus non jubet, ubi ait: si credas in corde tuo, quod Deus ipsum suscitavit ex mortuis, salvaberis: qui tamen id jussurus aut dicturus omnino fuisset, si verum esset. 267. *b*.

Crucifigere Judæis usitatum non erat, sed Romanorum hæc erat pœna in servos, adeoque & in Judæos, ceu quos pro servis habebant. 131. *b*.

Crux. Ad crucem damnatis sua cuique crux imponi solebat, quam portaret ad locum supplicii. Unde & Christiani crucem suam quotidie portare jubentur à Christo. l. 136. *a*.

Cultus religiosus & soli Deo creatori debitus, est eum omnium rerum conscium credere, & tanquam ubivis præsentem, omnibusque opem ferre potentem, colere. l. 566. *b*. 167. *a*.

Cyrum Persarum Regem, Deus multis annis hoc ipso nomine vocavit, antequam in rerum natura esset. l. 195. *a*.

F.

G.

G.

H.

Hodiè

Ju-

I.

K & L.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Roma-

S.

S.

S.

T.

T.

V.

V.

hæreditatem adire. Huc enim spectat justificatio ex Dei gratia, non ex operibus, huc pœnitentia & remissio peccatorum, huc Christi obedientia & meritum, huc fides ipsa in Christum, huc confessio peccatorum & à peccatis absolutio, huc baptismi & eucharistiæ sacri ritus, huc unctio ægrotis olim adhiberi solita, huc Adami lapsus, huc divina prædestinatio & electio, huc latronis in cruce morientis, huc publicani peccata sua deprecantis exemplum, huic fini reperta sunt sanctorum merita, & opera quæ dicuntur supererogationis & satisfactoria, item quod nemo etiam ex illis, qui Christi spiritu sunt præditi, Legem Dei servare possit eo modo quo Deus eam servari velit, hinc invocationes potius qoam imitationes sanctorum, hinc imaginum & reliquiarum adorationes, hinc sacrificium quod vocant Missæ, pro vivis & mortuis, hinc purgatorium post mortem, hinc & falsæ de Deo, de Christo, de Spiritu Sancto opiniones, quin & piorum persecutiones & cedes, & his similia. II. 166. *b.* 167. *a.* confer 405. *b.* 406. *a.* Et qui ejusmodi opiniones animo hauserunt, quid mirum, quod quamvis fidem hanc Christianorum, Jesum scilicet esse Christum, verbis jactent, nihil tamen minus sint quam ex Deo nati, id est Deo justitia, charitate, & sanctitate similes? Fides enim illa, quia pura non est, quia per affusas opiniones, tota diluta est, vim suam omnem in regenerandis hominibus amisit. 406. *a.*

Ubiquitarii refelluntur. *I.* 110. *b.*

Vendere omnia, eleemosynamque dare, Christus jussit. *II.* 68. *b.* 69. *a.* Vide etiam, communio bonorum, & *I.* 290. *b.* 291. *a.* Vendere omnia & dare pauperibus, præceptum est, quatenus hoc ad eximiam quandam pietatis perfectionem & peculiarem in cælo mercedem pertinet: quamvis etiam citra id aditus in cælum hominibus divina benignitate pateat. 291. *a.*

Venire in mundum, quid Johanni dicatur. I. 8. *b.* confer 45. *b.*

Verbum, vide, *Sermo*.

Veritas opponitur umbris & imperfectioni. *I.* 13. *a.* 14. *a.* cur Legi opponatur? 15. *a.* est congruentia dictorum cum rebus. 252. *b.* cupit examinari. Vide *Ratio*. Veritatis manifestatione commendare se debent Christi servi, ad omnem conscientiam hominum coram Deo, non ad hominum placita loqui, cum jactura salutaris veritatis, idque exemplo Pauli. *II.* 111. *a.*

Veritatem quinam optimè cognoscant? I. 59. *a.* 64. *a.* 68. *b.* ejus adversarii non tam sunt terribiles in congressu, quam primo adspectu. 78. *a.* Veritate privatæ sunt Christianorum disputationes, de tribus unius illius Dei personis, de persona ab essentia sua distincta, de Christo homine uno illo Deo, de homine singulari & individuo, qui ipse per se non sit persona, sed in aliena persona subsistat, de περιχώρησις τοῦ λόγου, de transsubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, de corporis Christi corporali ubiquitate, de mortuorum adoratione & invocatione, de cultu imaginum, de exclusione bonorum operum à causis salutis, de fide in meritorum Christi apprehensione & applicatione consistente, de servo arbitrio, de prædestinatione æterna cujusque nominatim ad salutem vel damnationem, deque aliis multis, ipso dictu dissonis & discrepantibus. II. 258. *b.* 259. *a.* Vide etiam. *Vani sermones*. Veritatis via in medio est, puta, inter invocationem Christi negantes, eo quod Christus homo sit, & inter eos, qui cum Christo videant invocationem & adorationem in Scriptura tribui, eum protinus Deum illum unum faciunt. Christus enim pro Domino, nobis ab uno illo Deo dato, agnoscendus, & tanquam talis adorandus invocandusque est, cum in eo adoretur & invocetur ipse unus ille Deus. 265. *a.*

Vera lux quomodo Christus dicatur? I. 8. *b.*

Verum pro perfecto. I. 35. *b.*

Vespasianus Cæsar quomodo apotheosin hominum mortuorum irriserit? Vide *Apotheosis*.

Vestes. Vestium splendor & luxus juniores delectat, manifesto argumento, animos illorum humilitate (quod Petrus 1 Pet. v. 5 requirit,) haudquaquam vestitos & exornatos esse. II. 339. *a.* Vide etiam, *Superbi*.

Vestitum honestiorem recusare, superstitionis est non perfectionis ullius. I. 291. *a.* Episcopi ornantur gravi ac muneri suo convenienti vestitu, quique ipsis reverentiam quandam conciliet, sed nisi simul & animi humilitatem, prout Petrus 1 Epist. v. 5 vult, induerint, externo corporis vestitu ad superbiam & contemptum aliorum abutentur. II. 339. *a.*

Veteres omnes, quorum monumenta exstant, locum Apostoli Pauli Coloss. 1. 16, initio Euangelii Johannis planè parallelum, de nova creatione interpretati non sunt, & tamen veritatis evidentia evicit, ut multo posteriores reperti sint, qui id animadverterent. (Adeò scilicet curandum non est, quid veterum multi viderint aut non viderint.) II. 365. *a.*

Victima anniversaria à Deo datæ fuere, & quomodo? I. 19. *a.* expiatoriæ ἱλασμοὶ dicebantur, non quod Deum iratum placarent ac mitigarent, sed quod ex gratia ejus ac clementia facerent, ne Deus irasceretur & pœnam irrogaret. Ipse enim Deus illas instituerat, & hunc modum expiandi peccata illa, quibus remissio sub Lege indulgebatur, præscripserat. II. 183. *a.*

Victoria ponitur pro æternitate, per metonymiam effecti, quod æternitas omnia vincat. *II.* 91. *a.*

Victum emendicare, vel vitium est, si manuum labore victum quærere nolis, ne aliis sis oneri 2 Thess. iij. 10, 11, 12, vel miseria, si id facere non possis. Beatius enim esse dare quam accipere dixit Christus Actor. xx. 35. Nam dationi remuneratio in cælis est, acceptioni nulla. I. 291. *a.*

Videntes cur dicti sint Prophetæ? I. 73. *a.*

Virginius civis Romanus, morte filiam in libertatem vendicat. I. 56. *b.*

INDEX TERTIUS,

Phrasium ex Vetere & Novo Testamento in hoc opere indicatarum.

Litera A. priorem, B. posteriorem columnæ paginam, numerus posterior I. vel II. tomum priorem vel alterum significat.

A.

B.

C.

D.

Dare

INDEX TERTIUS.

Pro

INDEX PHRASIUM.

Perca.

INDEX PHRASIUM.

Q.

R.

S.

INDEX TERTIUS.

Prior numerus paginam, secundus lineam, *a*, *b* columnas denotat.

Errata in priori Tomo.

Pag. 1. 12. *a.* Euangelicii, Euangelii. 5. 13. *a.* 313. 13. 11. 47. *a.* potest est, potest esse. 12. 56. *a.* diffinit, Quod si, definit. Quod si. 20. *b.* *a.* priorum, priorem. 25. 8, 9. *b.* qua-re, quare. 31. 11. 8. Deum, eum. 31. 14. habebat, habeat. 34. 31. fiteret, fitiret. 44. 45. testatio operibus, testatio operibus. 51. 40. imperior, impurior. 52. 28. *a.* sanavet, sanaret. 56. 93. *b.* viv xiv. 61. 8. *a.* miserant, missi erant. 61. 23. colloqui, colloqui malebant. 76. 9 *a* fine *b.* aperte, a parte 98. 66. *a.* Exponi hunc, Exponit hunc. 108. 17. *a* fine. & in. & sine. 131. 23. in viros, in viros. 131. 14 *a* fine. modo, mundo. 250. 13. *b.* eundem, eundum. 271. 14. aurum, tantum. 201. 2. *a.* clarius esse potest, nervosius & clarius esse potest. & nervosius. 210. 24. *b.* absolutione, ablutione. 222. 35. mandatum, non mandatum. 226. 2. *a* fine *a* & *b*, 1, 2, 3. a voce *quod* atque ad vocem *perfectiorem*, deleantur omnia. 300. 13. *b.* constitutus, constitutis.

Errata in altero tomo.

1. 12. *a.* intrasum, intrusum. 2. 17. *a.* à *Domino*, à, *Domino*. 4. 19. *a.* rei illam, illam. 4. 17. *b.* qu, quæ. 7. 1. *a.* tanquam ex usa prima, tanquam ex causa prima. 7. 41. *a* Hebraice intelligi, Hebraismum intelligi. 11. 17. degravant, depravant. 11. 24. *b.* id, id sibi. 28. 13. *a.* nedum, ne dum. 40. 7. 13. *b.* pietatem. potestatem. 58. 10. ipsi, ipse. 68. 13. *a* fine, ψυχικὰς, ψυχικά 76. 3. *a.* omnem, omnes. 81. 31. *a.* quatenus, quatenus. 89 17. *b.* In. 32. *In.* 90. 44. *a.* *Oportet*, 53. *Oportet*. 109. 11 *a* fine judeium, judicium. 121. 9. *a* fine *b.* promiserat, permiserat. 127. 2. *a* fine quomodo non, quomodo 151. 19. *a.* *scilicet. subjecte*. 203. 11. *a* fine, hinc, huc. 266. 48. *a.* suscitat, ut, suscita, ne. 274. ult. *b.* abandantur, abutuntur. 328 1 *a.* aquam, quam. 334. 19, 20. *a*, particulæ, quod particula, & conjungantur hæ duæ lineæ.

F I N I S.